


THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA,

COMPLECTENS

OMNIA MORUM PRÆCEPTA;
& Principia Decisionis omnium CONSCIENTIÆ CASUUM, suis quæque momentis stabilita.

AD USUM

PAROCHORUM ET CONFESSARIORUM.

AUTHORE REV. PATRE

PAULO-GABRIELE ANTOINE,
Societatis JESU Presbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, & Exprofessore.

IN HAC VENETA EDITIONE ACCEDUNT Propositiones Damnatæ, Casus Reservati, Constitutiones BENEDICTI XIV. *ac plura ex ejusdem Tractatu de Synodo Diœcesana, cum Appendice de Sollicitatione, Rerum Indice, atque aliis, quæ in Epistola ad Lectorem indicantur.*





VENETIIS, MDCCXLIX.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.



FR. PHILIPPUS DE CARBONEANO

ORD. MIN. REG. OBSER.



NOVAM hujuſce Theologiæ Moralis editionem, nomini inſcriptam Tuo, BEATISSIME PATER, in publicam emittere lucem conſtitui; quod tantum ei ex Te, hac in editione, decoris & ornamenti acceſſerit, ut quidquid in ea perfectum ſit atque optimum, id tuum jure meritoque dicatur. Ut enim prætercam me ad novam hanc procurandam impreſſionem ex magna illa motum fuiſſe exiſtimatione, quam huic Theologiæ, judicium il-

lud Tuum conciliaverat, quo præ ceteris digna habita est; quæ in Collegio de propaganda Fide Adolescentibus ad Sacras Missiones destinandis, explicaretur, Tua doctrina est, PATER BEATISSIME, qua ambigua quæ sunt, explicantur, & confirmantur: quæ obscura videbantur, clarius, & luculentius exponuntur: & qua, ea supplentur, quæ quamquam Confessariis, aliisque scitu sunt necessaria, in hac tamen Theologia desiderabantur. Nec iis tantum in ea ita ornanda, & perficienda sum usus, quæ à Te, sive pro Ethicæ Christianæ puritate sarta tecta servanda, sive pro tollendis abusibus & instauranda Ecclesiæ disciplina, ac divino cultu ampliando, decreta sunt, & constituta; verum etiam perutili illo Tractatu Tuo de Synodo Diœcesana; ex quo plura deprompsi, quæ propriis addita locis, opus mirificè illustrant, ornant, & augent. Quam ob rem vel ex hoc unicè opere, poterit quisque conjicere, quot ad Petri Cathedram evectus, pro Dei augenda gloria subieris labores: quam bene, maximam qua polles eruditionem, atque sapientiam, ad Sacrorum Ministros instituendos, conservandam, tuendam, ampliandamque Religionem aptaveris; qua denique industria, fidelium omnium animas, per rectam æternæ salutis viam ad cœlestem gloriam perducere studueris. Hinc Pastores habent curæ & sollicitudinis Apostolicæ exemplum; Hinc viris omnibus Ecclesiasticis patet, qua ratione, missis vanis & inutilibus, ad solidiora, tuta, & necessaria Sacrarum literarum studia incumbere oporteat; Hinc denique Christiani omnes, & regulas discent, ad quarum normam, cum Religionis functiones, tum mores componere debeant suos, ac perpetuò movebuntur ad Deum exorandum, ut Te Summum Pastorem, totius Ecclesiæ bono, diu sospitem, iucolumemque conservet.

APPROBATIO

Illustrissimi Episcopi loci, ubi facta est prima editio.

SCIPIO-HIERONYMUS Dei gratia, & Sanctæ Sedis Apostolicæ authoritate Episcopus Comes Tullensis, S. R. I. Princeps, Regi à sanctioribus Conciliis, &c. Omnibus præsentes visuris Salutem in Domino.

R.P. Paulus-Gabriel Antoine Soc. Jesu Presbyter, S. Theologiæ Doctor, Ex-professor, & Universitatis Mussipontanæ Rector, Nobis exposuit se Cursum Theologiæ Moralis ad usum Parochorum & Confessariorum ea methodo elaborasse, ut nec prolixitas tædium, nec obscuritatem brevitas pariat, ac tradita in eo doctrina sanioris Ethicæ Christianæ principiis innitatur. Cùm verò perspectum habeamus, tum ex quarumdam ejusdem Operis partium lectione, tum præsertim ex relatione Doctoris Sorbonici, viri pietate & scientia eximii, cui Librum hunc attentè legendum dedimus, non levem ex eo utilitatem percipere posse Parochos & Confessarios; Nos non solum hosce Tractatus Theologicos in nostra Diœcesi in lucem edi & doceri permittimus, sed etiam valdè hortamur omnes rebus Theologicis operam dantes, ut sedula illorum lectione scientiam curandi animas, quæ est ars artium, sibi comparare studeant.

DATUM Tulli Leucorum die quinta Octobris anno Domini 1725.

✠ SCIPIO-HIERONYMUS, Episcopus-Comes Tullensis.

Licentia Reverendi Patris Provincialis.

EGO Præpositus Provincialis Provinciæ Campaniæ Soc. JESU, potestate ad id mihi ab Admodum Reverendo Patre Præposito Generali ejusdem Societatis tradita, facultatem concedo, ut Patris PAULI GABRIELIS ANTOINE ex eadem Societate Liber, qui inscribitur *Theologia Moralis, &c.* trium ex ejusdem Societatis Theologorum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has ei dedi Litteras, Argentinæ die 7. Novembris. 1725.

LUDOVICUS LANGUILLE.

APPROBATIO CENSORIS REGII.

ILlustrissimi D. D. Regiorum Sigillorum Custodis Jussu, Librum perlegi Typis editum Nanceji, anno 1731. apud Joannem Baptistam Cusson, cui titulus est: *Theologia Moralis Universa, Authore R. P. Paulo Gabriele Antoine, Societatis* JESU *Presbytero, S. Theologiæ Doctore & Ex-Professore*: Opus egregium, brevitatem conjungens cum claritate & integritate, ita ut fusiori expositione non egeat, nihilque in eo desideres morum directioni & casuum occurrentium decisioni necessarium vel utile, certioribus innixum fundamentis, Scriptura Sacra, Sanctorum Patrum authoritate, Conciliorum cùm œcumenicorum tum particularium definitionibus, juris utriusque regulis ac placitis, praxi & usu Ecclesiæ, præstantissimorum Theologorum sententiis, necnon rationum solidiorum momentis gravioribus; a vitioso aliunde utroque extremo cautè & prudenter recedens, nimia videlicet relaxatione, & majori quàm par est severitate,

mediam constanter ineundo viam, eamque certiorem & tutam; stilo denique exaratum puro, nitido & eleganti. Nedum igitur aliquid impediat, quominus in hocce florentissimo, & Christianissimo regno distribuatur, quinimò utilissimum fore existimo, si in ipso, majoris commodi gratia, typis quoque mandetur. Datum in Sorbona, anno reparatæ salutis humanæ septingentesimo trigesimo secundo supra millesimum, die verò mensis Januarii septima. A. LE MOINE, Doctor & Socius Sorbonicus, Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Benedicti Canonicus Librorum Censor Regius.

ALIA APPROBATIO CENSORIS REGII.

EX mandato Illustrissimi DD. Regiorum Sigillorum Custodis legi hanc *Theologiam Moralem*, quæ intra paucos annos typis pluries edita, se publica existimatione non indignam probat. Ipsa sanis & optimis morum regulis constanter adhæret, è scripturis & traditione sua haurit momenta, quæ ad sensus alienos non detorquet: Evangelicam sectatur diligenter severitatem, quam argutiolis emollire aut enervare non studet: nihil igitur mirum si hoc opus spectatissimis omnium ordinum viris probatum fuerit: itaque è re videtur illud prælo rursus committi, ut faciliùs & promptiùs haberi queat, ac tandem è manibus excutiantur libri illi morales, qui non in ædificationem, sed in destructionem scripti fuisse videntur. Datum in Sorbona die duodecima mensis Martii anno 1733. Saint AUBIN.

APPROBATIO THEOLOGORUM,

QUI JUSSU SS. D. N.

BENEDICTI XIV.

Theologiam hanc examinaverunt.

IN Opere, quod inscribitur, *Theologia Moralis universa ad usum Parochorum, & Confessariorum, Auctore P. Paulo Gabriele Antoine Soc. Jesu*, nihil quidem id nobis perlustrantibus occurrit, quominus Clericorum Seminariis, aliisque Ecclesiasticorum Cœtibus perlegendum provide, atque utilissime proponatur. Quia tamen nonnulla identidem habet nimia profecto brevitate, ac præcisione scripta, ea intellectu, vel Magistro, uti in similibus compendiariis operibus accidit, indigere existimamus, ne sanæ ceteroquin Auctoris doctrinæ ad improbatos, improbandosve sensus detorqueantur. Atque ita &c. Romæ 1748. Kalend. Augusti 1748.

Thomas Sergius Pior, Oper. S. Rom. Inquis. Consult.

Ita & ego censeo Fr. Philippus de Carboneano Ord. Min. Lect. Jubil. Sacræ Congr. Ind. Consultor, Supremæ, & Univ. Inquisit. Qualificator, & in Collegio Urbano de Propaganda fide Philosophiæ Professor.

Ita & ego censeo Fr. Carolus Dominicus de Moya Ord. Min. Conv. Magister, in Rom. Archigymn. Publ. Theol. Prof. Theologicæ Academiæ Censor, & Collegii D. Bonav. Regens, ac Rector.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolato: *Antoine Theologia Moralis, cum Additionibus, Additamentis, & Annotationibus: giusta l'Esemplare Stampato in Roma*, non esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 21. Giugno 1748.

(Gio: Emo Proc. Rif.
(Barbon Morosini Kav. Proc. Rif.
(

Michiel Angelo Marino Segr.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segr.

MONITUM
AD LECTOREM.



ONSTARE tibi puto, Erudite Lector, in quo habenda sit pretio, & quam utilis sit, quam ex me denuo vulgatam accipis, Theologia Moralis; Idque tum ex plausu, quo dum primum prodiit, suscepta fuit in Gallia, in Italia, aliisque Regionibus, tum ex multis quas brevi tempore subiit impressionibus, tum denique ex eo, quod, celebriores Antistites Galliæ, ac præsertim Italiæ, reliquis Theologiæ moralis institutionibus anteponendam, ac pro Clericis instituendis aptiorem esse, existimaverint; Et, quod vel ipse Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. ut laudabile horumce Episcoporum studium suo comprobaret exemplo, aliosque ad eos imitandos alliceret, in Collegio de Propaganda fide, ubi Adolescentes erudiuntur, qui in omnibus ferme infidelium regionibus sacras obire debent Missiones per selectos Professores tradendam, explicandamque præceperit. Quo autem intelligas, quantum hæc nostra ceteris præstet editionibus, quibus aucta, & locupletata sit, paucis indicabo. Addita sunt, quæ deerant damnatæ à Summis Pontificibus propositiones, Casus reservati in Bulla Cœnæ; & Romano Pontifici intra Italiam, Constitutiones bene multæ à BENEDICTO XIV. editæ, quarum nonnullæ integræ relatæ sunt, ex aliquibus vero, quæ definita, sive explicata fuere, per summa capita distincte sunt indicata, ac plura ex ejusdem Tractatu de Synodo Diœcesana selecta, quæ sive ad supplendos defectus, sive ad loca explicanda adhibita sunt, quæ obscura, vel ambigua videbantur. Accedunt etiam commentariolum ad Constitutionem, qua Confessarii Complicis nomina à pœnitentibus exquirere prohibentur, ac brevis de Sollicitatione Tractatus. Quibus cum aucta, & ornata sit, non dubito, quin tibi placere, & quin pro completa atque perfecta Moralis Theologiæ institutione haberi possit. Vale.

IN-

INDEX.

Quæst. 3.

TRACTATUS

De Peccatis.

Quæst. 7.

TRACTATUS.
De Virtutibus Theologicis.

Quæst. 2.

TRACTATUS

De Virtute Religionis.

TRACTATUS

De Beneficiis Ecclesiasticis.

HÆc materia pertinet ad Virtutem Religionis, nam Beneficii dotatio & officium

TRACTATUS

De Virtutibus Moralibus, & vitiis eis oppositis.

TRACTATUS

De Obligationibus specialibus certorum statuum, & officiorum.

Quæst. 2.

TRACTATUS

De Justitia & Jure, Injuriis, & Restitutione.

TRACTATUS

De Contractibus.

Quæst.

Quæst. 2.

TRACTATUS

De Sacramentis in genere.

Quæst. 1.

TRACTATUS.

De Baptismo.

TRACTATUS.

De Confirmatione.

TRACTATUS.

De Eucharistia.

TRACTATUS.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Quæst. 1.

Quæst. 1.

TRACTATUS

De Extrema Unctione.

TRACTATUS


De Ordine.

TRACTATUS

De Matrimonio.

TRACTATUS

De Censuris & Irregularitatibus.



TRACTATUS
DE
CONSCIENTIA.



NOTA. Conſcientia eſt judicium, dictans quid in particulari ſit licitum vel illicitum; agendum ut honeſtum, vel omittendum ut inhoneſtum. Sive eſt actus, quo intellectus judicat aliquid hic & nunc licitum eſſe vel illicitum, faciendum ut bonum, vel omittendum ut malum. Quare dicitur judicium practicè practicum, ſeu ultimò practicum, ut diſtinguatur à judicio generali & non ultimò practico, quo intellectus judicat aliquid in genere, ſeu abſtrahendo à circumſtantiis particularibus, eſſe licitum vel illicitum, v. g. contractum uſurarium eſſe illicitum: nam conſcientia verſatur circa actionem in individuo, hoc eſt, cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratam.

Hinc conſcientia differt à ſynderesi, ut actus ab habitu. Nam ſynderesis eſt habitus, ſeu cognitio habitualis primorum principiorum moralium, qualia ſunt; *Bonum faciendum: Peccatum fugiendum: Deus colendus & amandus: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Suum cuique reddendum, &c.* Conſcientia autem eſt judicium applicans principium morale alicui actioni particulari, v. g. *Non debeo huic homini inferre hoc damnum, &c.*

Conſcientia dividitur in veram ſeu rectam, & erroneam; certam & incertam; probabilem & improbabilem; ſcrupuloſam & laxam; perplexam & dubiam, quamvis hæc non ſit propriè conſcientia.

CAPUT PRIMUM.

De Conſcientia vera ſeu recta, erronea, & perplexa.

NOta. Conſcientia vera ſeu recta, eſt ea, quæ dictat aliquid in particulari eſſe licitum vel illicitum, bonum aut malum, quod revera tale eſt in ſe. Erronea ſeu falſa eſt, quæ dictat eſſe hic & nunc licitum vel illicitum, bonum vel malum, quod reipſa tale non eſt. Hæc duplex eſt, alia erronea vincibiliter, ſeu ex errore, qui depelli potuit & debuit; alia erronea invincibiliter, ſeu ex errore, qui depelli non potuit, aut non debuit.

Quæſt. I. *An teneamur ſequi conſcientiam veram ac rectam, dictantem aliquid præceptum vel vetitum eſſe?*

Reſp. Affirm. Quia dictat eſſe faciendum, vel omittendum id, quod Lex æterna præſcribit faciendum vel omittendum eſſe hic & nunc, ſeu in talibus circumſtantiis. Quare qui contra conſcientiam rectam agit, peccat: quia agit contra Legem divinam intimatam per dictamen rectæ rationis.

Porrò an conſcientia recta, ac vera dici debeat proxima regula actuum humanorum, an

an dumtaxat intimatio talis regulæ, quæ sit tantum lex, seu præceptum, non refert ad praxim.

Quæst. II. *An & quale peccatum est agere contra conscientiam erroneam?*

Resp. 1. Actio vel omissio contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, dictantem eam esse illicitam, est semper peccatum, quamvis ex se sit licita. *Ita omnes*. Constat 1. ex Rom. 14. *Qui autem discernit* (scilicet inter cibos falsò putans aliquos præ aliis adhuc esse à Deo vetitos) *si manducaverit, damnatus est, quia non est ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*. Id est, (ut interpretantur Patres & Concilium generale Lateranen. IV. patetque ex contextu) omnis actio vel omissio, quæ non est ex dictamine conscientiæ, seu ex persuasione quòd sit licita, peccatum est: At omnis actio, vel omissio, quæ est contrà conscientiam, sive rectam, sive erroneam, non est ex persuasione quòd sit licita. Ergo peccatum est.

2. Ex cap. 13. de restitut. spoliat. *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*.

3. Quia agens contra conscientiam erroneam, vult peccatum, cùm velit actionem vel omissionem, quam judicat esse peccatum. Nam esto, tale objectum non sit reipsa illicitum, sed licitum: at voluntas illud amplectendo consentit in objectum sibi propositum ut malum, ideòque in objectum malum: objectum enim voluntatis est bonum vel malum, non quomodocumque, sed prout ab intellectu proponitur. Item is reipsa, quantùm in se est, sectatur malum, faciendo id quod putat esse malum. Præterea qui facit aliquid de se bonum, putans esse malum, in æstimatione prudenti censetur perinde velle malitiam, ac si actio illa esset reipsa de se mala: cùm nolit ab illa abstinere, quamvis ei proponatur ut mala. Ergo peccat.

Hinc qui agit contra conscientiam, peccat contra legem divinam naturalem, vetantem omnem consensum & affectum ad id quod putatur malum etiam ex errore.

Resp. 2. Peccatum, quod contra conscientiam erroneam agendo admittitur, habet eam speciem & gravitatem, quam quis ex errore judicat inesse actioni vel omissioni suæ. *Est communis sententia*. Quia is vult objectum, in quo talem speciem & gravitatem malitiæ apprehendit; & sic vult, saltem interpretativè, talem speciem & gravitatem malitiæ sibi ab intellectu propositam; habetque affectum ad peccatum talis speciei & gravitatis: cùm voluntas feratur in malum prout concipitur. Breviùs: is vult peccatum committere, quale esse conscientia dictat.

Hinc peccat mortaliter contra temperantiam, qui falsò putans tali die esse jejunium, non jejunat; contra justitiam, qui non restituit id quod falsò putat non esse suum; contra charitatem, qui falsò judicans se debere mentiri ad servandam vitam proximi, non mentitur. Supple semper, nisi deponat prudenter hanc conscientiam erroneam.

Nota. Licèt is, qui contra conscientiam erroneam agit, perinde peccet, ac alter qui contra rectam; non incurrit tamen easdem pœnas humanas, ac censuras; quia hæ non imponuntur nisi transgressoribus legis veræ, non autem putatitiæ. Hinc non incurrit excommunicationem, qui facit actum, quem falsò putat esse prohibitum sub tali censura; nec qui percutit laicum, putans esse clericum.

Resp. 3. Qui facit quod falsò putat esse illicitum, non distinguens an veniale an mortale sit, peccat mortaliter: Tum quia vult objectum illud, etiamsi esset mortaliter malum, & sic vult saltem interpretativè peccatum mortale committere: tum quia se exponit morali periculo peccandi graviter spectata sua mente. *Ita Azor, Vasquez, Sanchez, &c.* Quod si apprehendat peccatum in genere tantùm, & non in ulla specie, peccat contra charitatem Dei, & propriam, vetantem quodlibet peccatum, utpote offensam Dei, & malum peccantis.

Quæst. III. *An liceat agere secundùm conscientiam erroneam?*

Resp. 1. Si sit invincibiliter erronea, non solùm licet huic obsequi, quia ignorantia invincibilis excusat à peccato, cùm tollat omne voluntarium circa malum: sed etiam tenemur eam sequi in iis, quæ dictat esse præcepta, vel prohibita. Quia alioquin, cùm ipsa deponi nequeat, ageremus contra illam; quod non licet, ut dixi.

Non tamen est propriè regula morum, nec propriè obligat, cùm non sit legis veræ intimatio. Sed tenemur sequi talem conscientiam; quia non possumus aliter peccatum vitare; cùm deponi nequeat, & non liceat contra illam agere.

Dices. Hinc sequitur quòd aliquis possit necessario peccare, v. gr. in hoc casu: Mulier gerens curam infirmi die festo, putat ex errore invincibili se peccare, si omittat sacrum, & si deserat infirmum, nec potest tunc errorem suum deponere: unde utrum-

-vis

vis agat, aget contra conscientiam, & sic necessariò peccabit. *Resp.* In hoc casu non erit libera moraliter, ideòque non peccabit, modò eligat id, quod minus malum esse judicat. Quamvis enim possit ex duobus illis alterutrum eligere, non est tamen libera ad non agendum contra conscientiam, cùm utravis parte electa, culpam apprehendat. Ad culpam autem imputabilem requiritur libertas, qua culpa vitari potuerit.

Resp. 2. Numquam licet agere secundùm conscientiam vincibiliter erroneam, dictantem aliquid esse licitum: quia fieret culpabiliter aliquid illicitum; cùm ignorantia vincibilis, utpote voluntaria, non excuset à peccato, & id quod ex ea fit, sit saltem indirectè voluntarium. Neque etiam licet agere contra eam, ut modo dixi, sed ipsa deponi debet.

Hinc si quis ex errore vincibili judicet se debere furari, ut subveniat egeno non laboranti extrema necessitate, peccat contra justitiam, si furetur: quia furtum est vetitum, & ei voluntarium est ut malum in causa, nempè in negligentia inquirendi veritatem. Si verò non furetur, peccat contra charitatem: quia non agit id, quod lege charitatis præceptum esse existimat. Quare talis conscientia deponi debet prudenter, rem pro ejus gravitate diligenter perpendendo, pios & peritos consulendo, praxim timoratorum attendendo, &c. Quòd si error jam deponi nequeat, & electio urgeat; v. gr. si non possis veritatem per te invenire, nec adsit peritior quem consulas; tunc debes orare, & elicere actum contritionis de priori peccato ignorantiæ, & eligere eam partem in qua putas esse minùs mali: & sic excusaberis ab ulteriori culpa, quia tunc error è vincibili fiet invincibilis & involuntarius, cùm ejus causa fuerit retractata, & facias jam quod in te est ut non pecces. Teneris tamen resarcire damnum illatum: Nam retractatio culpæ non facit ut non fuerit liberè posita causa damni, neque ut damnum ex ea non sit secutum: & sic non tollit obligationem illud restituendi, necessariò annexam injuriæ damnosæ.

Quæst. IV. *Quid est conscientia perplexa?*

Resp. Est judicium practicum, dictans esse peccatum, sive actus hìc & nunc fiat, sive omittatur; v. gr. sive mentiaris ad impediendum homicidium, sive non mentiaris. Cùm hoc judicium sit erroneum, deponi debet: nam quisque tenetur adhibere medium necessarium ad vitandum illud, quo putat Deum offendi. Quod si deponi nequit, culpa vitabitur, eligendo minùs malum, puta mendacium in allata hypothesi, ex can. *Duo mala*, dist. 13. Non enim peccat, qui facit quod in se est ad vitandum peccatum. Quòd si eligas id quod apparet majus malum, peccas secundum quantitatem excessus apprehensi; nam hunc excessum liberè eligis. Si utraque pars appareat æquè mala, non peccabis alterutram eligendo, quia cares libertate sufficiente ad peccandum imputabiliter. Hinc non peccat, qui detentus in carcere, putat se peccare omissione sacri, quod audire vellet, sed non potest: quia hæc omissio non est ei voluntaria, nec libera.

CAPUT II.

De Conscientia certa, & dubia.

NOta. Conscientia certa est actus, quo intellectus prudenter & firmiter, seu absque dubio & formidine falsitatis saltem rationabili, judicat aliquid hìc & nunc esse licitum vel illicitum. Incerta verò est actus, quo intellectus sic judicat aliquid esse licitum vel illicitum, ut simul judicet rem fortè aliter se habere. Dixi, *prudenter*: nam certitudo duo dicit, nempe prudentiam, & firmitatem adhæsionis; & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia. Quare conscientia certa debet excludere omnem rationabilem dubitationem & formidinem oppositi, alioqui non habetet firmitatem prudentem.

Quæst. I. *An ad non peccandum requiritur judicium certum de honestate seu licitate actus vel omissionis?*

Resp. Requiritur tale judicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido saltem rationabilis. *Ita communiter, imò fortè nullus, quoad rem dissentit.* P ob. 1. Ex Eccli. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, hoc est firmum & prudens judicium de honestate actus, qui eligitur. Et ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi per fidem intelligitur certa persuasio.

2. Quia conscientia recta est actus prudentiæ, qui debet esse saltem moraliter certus de veritate: cùm prudentia sit virtus intellectualis, & ex Aristotele sit habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ sunt homini bona atque mala, ut hæc scilicet respuantur, & illa eligantur. 3. Quia operans sine

sine tali judicio moraliter certo, actionem suam committit regulæ incertæ, habetque formidinem rationabilem peccandi; ac proinde spectato suo conceptu se exponit morali periculo peccandi formaliter seu imputabiliter. 4. Sic probat Terillus. Omnis operans, ut excusetur à peccato, debet operari ex bona fide, quia *quod non est ex fide, peccatum est*. Rom. 14. At nulla fides potest esse bona, seu sufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem saltem moraliter certum se non peccare, nam si fides, seu persuasio quòd non peccet, sit solùm probabilis, illa & res ipsa falsificari, & homo non solùm reipsa, sed etiam quantùm ipsemet judicat, peccare poterit; quia quævis opinio probabilis de objecto contingenti, non solùm reipsa, sed etiam quantum ad existimationem operantis, falsificari potest. Impossibile autem est hominem bona fide, seu fide ad honestatem actionis sufficiente operantem, aut reipsa, aut secundùm propriam existimationem peccare posse. Ergo fieri nequit ut bona fides, seu persuasio sufficiens ad honestatem actionis, sit judicium tantùm probabile. Ergo necesse est, ut saltem moraliter certò judicet actionem, quam regulat, non esse peccaminosam.

Quæst. II. *Quid est dubium, & quotuplex?*

Resp. 1. Dubium est suspensio assensus, & dissensus inter utramque partem ob motiva pro utraque parte æquè probabilia. Dico, *ob motiva*, &c. Nam dubium, quod vocant negativum, consistens in suspensione mentis inter utramque partem contradictionis, ob carentiam motivorum pro utraque parte, non est proprie dubium, sed nescientia & ignorantia. Quòd si mens in unam partem magis inclinet quàm in alteram, absque tamen assensu, tum est suspicio. Hinc patet, 1. Dubium differre ab opinione; nam per hanc assentimur uni parti: in dubio verò mens suspensa manet inter assensum & dissensum. 2. Conscientiam dubiam non esse propriè conscientiam, cùm dubium non sit dictamen seu judicium practicum, sed suspensio judicii circa bonitatem, & malitiam actus.

Resp. 2. Dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est dubium de lege: seu obligatione, aut legitima facultate agendi. Et hoc duplex est, nempe speculativum seu generale, quo dubitatur in genere num aliquid sit licitum, an illicitum; & practicum seu particulare, quo dubitatur an actus alicujus hìc & nunc cum omnibus suis circumstantiis sit licitus necne: ut cum quis dubitat an contractus hic, quem nunc vult inire cum talibus conditionibus; sit licitus.

Dubium facti est dubium circa aliquod factum, ut cùm dubito an tale debitum persolverim; item an hæc persona sit, v.g. consanguinea, an non; an cibi appositi sint caro necne, &c. Ex dubio facti sæpe oritur dubium juris, ut cum quis dubitans an aliquid voverit, præterea dubitat an id præstare teneatur in tali dubio.

Quæst. III. *An est peccatum agere vel omittere aliquid in dubio de malitia talis actus hìc & nunc faciendi, vel ejus omissionis?*

Resp. Est peccatum ejusdem speciei & gravitatis, cujus est peccatum, de quo dubitatur, quamvis id secundùm se sit licitum. *Ita omnes*. Constat 1. ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide*, hoc est, ex persuasione quòd sit licitum, *peccatum est*. At actio, (idem dic de omissione) quæ fit in dubio de ejus malitia, non est ex fide, seu ex persuasione quòd sit licita, ut patet. Ergo peccatum est. 2. Agens in dubio, vult saltem interpretativè malitiam peccati, de qua dubitat, eo ipso enim æquè vult actum, sive sit peccatum sive non. 3. Qui se exponit morali periculo peccandi, peccat, & quidem eadem specie & gravitate peccati, cujus periculo se exponit, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum in illo peribit*. At agens in tali dubio, exponit se periculo faciendi peccatum, de quo dubitat, & tale periculum amat ac eligit: nam id agit, quod, spectato suo conceptu, tam potest esse illicitum quàm licitum; nec habet determinatum judicium quòd operatio sua sit licita potiùs quam illicita. Idque Ethnici solo lumine naturali norunt. Sic enim Cicero lib. 1. de Offic. ait: *Bene præcipiunt qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum*.

Quæst. IV. *Quomodo formanda est conscientia in dubiis?*

Resp. Tum quisque tenetur, 1. adhibere diligentiam in veritate inquirenda debitam, & possibilem pro rei gravitate, & loci ac personæ qualitate & conditione; Deum orando, cor mundando per contritionem ne impediatur lumen veritatis, affectum omnem pravum deponendo; cupiditates quæ mentem obcæcant cohibendo; probos ac peritos consulendo: praxim timoratorum ac proborum attendendo; rationes utrimque, & rem pro materiæ gravitate ex solo amore veritatis expendendo. Nam eodem præcepto, quo quisque tenetur prudenter agere, & vitare pec-

peccatum; tenetur etiam veritatem diligenter investigare, ne imprudenter agat, seque periculo peccandi exponat.

2. In dubio post diligentiam debitam adhibitam, quisque tenetur se prudenter resolvere, ideòque non per solum affectum, sed per motivum prudentiæ. Alioqui adhuc se exponet periculo peccandi; nam voluntas est potentia cœca, quæ debet dirigi per prudentiam intellectus.

3. Quòd si pro utraque parte æqualis stet probabilitas, vel nullum grave motivum occurrat, tenetur sequi partem tutiorem, hoc est, quam sequendo nullum est periculum agendi contra ullam legem juxta regulam juris: *In dubio tutior pars eligenda est:* alioqui se exponit periculo peccandi. Licet tamen sequi partem minùs tutam, modò sit longè probabilior altera, ut infra dicam.

CAPUT III.

De Conscientia scrupulosa.

Quæst. I. Quid *est scrupulus?*

Resp. Est opinio formidolosa peccati, ubi non est peccatum, ex inani frivoloque motivo concepta, & animum plerumque angens: sive est actus, quo intellectus ob motivum parvi aut nullius momenti, judicat cum anxietate aliquid hic & nunc esse præceptum vel prohibitum. Laxa è contra est actus, quo intellectus ob motivum leve seu insufficiens, judicat aliquid hic & nunc licitum esse, vel etiam bonum.

Quæst. II. *Quænam sunt causæ scrupulorum?*

Resp. Hæ, nimirùm melancholia, indoles timida, judicii imbecillitas, cerebri debilitas ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis ac vigiliis contracta: ignorantia, superbia, mentis inconstantia vel pertinacia, pusillanimitas & dejectio animi, ob quam quis nescit timores vanos contemnere; conversatio cum scrupulosis: suggestio dœmonis, ut bonum spirituale hominis impediat, & à perfectione vel salute tanquam nimis ardua imò & impossibili deterreat, vel ut hominem ineptum reddat ad opera Deo gloriosa, & proximo utilia, &c.

Quæst. III. *Quænam sunt remedia contra scrupulos?*

Resp. Hæc à Doctoribus passim præscribuntur.

1. Frequens oratio, & alia pietatis opera, præsertim actus humilitatis, fiduciæ & amoris in Deum &c.

2. Sollicitudo cavendi peccata manifesta, tum mortalia, tum venialia.

3. Proborum ac sapientum vitam ac consuetudinem intueri, ut monet sanctus Antoninus.

4. Sequi in omnibus directionem sui superioris, vel confessarii, seu directoris probi ac prudentis, deposita opinione propria inani: quod non solùm tutò potest, sed etiam debet scrupulosus, ob gravia damna, & pericula peccandi formaliter, quæ ei impendent, si remedia & consilia respuat. Etsi enim directorem errare contingeret, quia tamen ei obtemperando, agit quod in se est, non peccabit, ex cap. 44. *de sent. excomm.* ibi: *Ad sui Pastoris consilium, conscientia levis, & temeraria credulitatis explosa, licitè potest, &c.*

5. Non debet ad singula directorem adire, sed ex regulis generalibus ab ipso vel aliunde acceptis, assuescat formare conscientiam in casibus occurrentibus.

6. Cavere otium, & vagas cogitationes, quæ mentem scrupulis vexant; & animum in ipsis scrupulorum initiis aliò avertere.

7. Scrupulos contemnere, non fovere cogitationes, sed contra illos agere, formando prudens ac rectum judicium in oppositum. Quod facilè fieri potest, cùm scrupulus sit opinio levi ac contemptibili motivo nixa.

8. Destruere causas scrupulorum. Superbus prudentiæ suæ non innitatur. Pertinax frangat suum judicium. Rudis instruatur. Timidus meditetur bonitatem Dei, qui non imponit præcepta redigentia ad insaniam. Melancholicus expellat medicamentis atram bilem, &c.

Quæst. IV. *Quomodo se gerere debet Confessor cum scrupuloso?*

Resp. Confessor, 1. nullum scrupulosum admittat, nisi declaret se velle ejus consilia sequi deposito proprio judicio. Quare ei persuadeat scrupulosum non posse se ipsum regere, ideòque debere regi per alium, cui obsequatur: nam Dei providentia nemini negat modum, quo regi in via salutis possit, cùm Deus sincerè velit omnes salvare. Idque esse medium ab omnibus Sanctis & Doctoribus præscriptum, & necessarium ad curandum hunc animi morbum, ex quo, ni curetur, gravissima damna spiritualia, & pericula oriuntur.

2. Scrupulorum causas exploret, & remedia ex allatis aptissima præscribat.

3. Doceat principia generalia, quibus uta-

utatur ad depellendos scrupulos, nec admittat frequentes ad se recursus: & dum scit scrupulum afferendum esse, dimittat illum non auditum: nam hæ interrogationes & frequentes recursus fovent scrupulos.

4. Sollicitè moneat, ut nulli scrupulo cedat, sed contra omnes cognitos ut tales agat.

5. Si valdè gravem anxietatem & molestiam patiatur in observando præcepto, à quo notabile nocumentum excusat, petatur pro eo dispensatio, si aliter curari nequeat.

6. Moneat, ut abstineat à nimis anxio conscientiæ examine, doceatque eum non teneri nisi ad mediocre examen peccatorum, quamvis aliqua fortasse hinc omitti contingeret, si videat tantam hanc in re esse anxietatem, ut timeatur periculum lædendi cerebrum, vel ad insaniam aut desperationem redigendi. Nam ad materialem Confessionis integritatem non tenetur cum tanto incommodo ac periculo; nec Deus id totum hac in re ab ægris animis exigit, quod à sanis.

7. Confessionem generalem peccatorum antea rite confessorum, impediat scrupuloso timorato, & sufficienter à peccatis purgato, si inde oriatur nimia anxietas ac molestia, vel timeatur capitis debilitas, aut corporis morbus. Sed permittat ei, qui non videtur satis purgatus à peccatis; modo ex illa repetitione non immineat periculum in ea denuò consentiendi: nam confessio generalis per se utilis est ad conscientiam purgandam.

8. Non permittat abstinere à frequentandis ut oportet Sacramentis, ne privetur gratia sacramentali, quæ plurimùm valet ad pacandam conscientiam.

9. Plerumque mitem ac benignum se præbeat erga illum, ne afflicto afflictionem addat. Quandoque tamen juvabit austeritas, ut expugnetur ejus animi pertinacia.

10. Caveat ne pœnitens ab uno extremo transeat ad aliud, conscientiamque timoratam in ulla re deponat.

CAPUT IV.

De Conscientia, & Opinione probabili.

Nota 1. Opinio probabilis speculativè ac secundùm se, est opinio verisimilis, sed non evidenter vera: sive est opinio quæ nititur motivo gravi, sed absolutè fallibili. Opinio verò probabilis practicè & respectivè ad operantem, est ea, quæ apparet ita verisimilis, seu niti motivo tam gravi, quamvis absolutè fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit meritò ac prudenter approbari ut vera. Non potest autem meritò ac prudenter ob apparentiam veritatis approbari ut verum, quod habet majorem, aut etiam æqualem apparentiam falsitatis.

Nota 2. Opinio probabilis strictè loquendo differt à conscientia probabili: nam hæc est actus, quo intellectus, ob motivum grave, sed fallibile, judicat actionem hic & nunc exercendam, esse licitam vel illicitam: illa verò est actus, quo intellectus, ob motivum grave sed fallibile, judicat aliquid esse licitum vel illicitum, præscindendo à praxi actuali, seu exercitio.

Nota 3. Ut opinio censeatur probabilis etiam speculativè, necesse est. 1. Ut nec rationi evidenti, aut principio certo, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec Patribus, nec Conciliis, nec Summorum Pontificum decretis, nec unanimi Doctorum sententiæ adversetur. 2. Ut nitatur motivo gravi, licèt absolutè fallibili. Motivum autem grave est motivum magni momenti; quod, si seorsim spectetur, nec oppugnetur motivo æquè aut magis gravi in oppositum, per se sufficit ad eliciendum pro una parte judicium prudens, quamvis inevidens & absolutè fallibile. Porrò opinio improbabilis est ea, quæ nititur motivo levi, & absolutè insufficiente ad prudentem assensum.

Nota 4. Probabilitas est verisimilitudo seu apparentia veri infra evidentiam, fundamento nixa; sive est motivum grave, sed absolutè fallibile, reddens opinionem verisimilem. Dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. Probabilitas intrinseca est ea, quam facit momentum aliquod distinctum ab authoritate; seu est momentum ipsius rationis. Extrinseca est ea, quam facit momentum authoritatis Doctorum, vel testium. Doctorum tamen authoritas non movet, nisi in quantum præsumitur cum ea conjunctam esse gravem rationem, itaut resolvatur in gravem rationem præsumptam. Quare probabilitas, quæ est ab authoritate Doctorum, non tam ex illorum numero, quàm ex eorum merito, videlicet probitate, doctrina, studio, diligentia ac sapientia metienda est. Hinc opinio probabilis intrinsecè est ea, quæ habet pro motivo rationes ab authoritate distinctas: probabilis verò extrinsecè est ea, quæ habet pro motivo authoritatem aliquam magnam, sed fallibilem, quamvis hæc resolvatur in gravem rationem præsumptam.

Nota 5.

Nota 5. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

Nota 6. Opinio tuta est ea, quæ removet à periculo peccandi; tutior, quæ magis removet; minùs tuta, quæ minùs removet à tali periculo. Item tutior stat pro præcepto, hoc est, asserit extare præceptum jubens, vel vetans aliquid. Minùs tuta dicitur favere libertati, quia negat extare præceptum & obligationem circa aliquid, sed asserit hominem posse licitè pro arbitrio utrumvis eligere.

Nota 7. Agitur hìc de Opinione probabili relatè ad operantem post diligentem ac debitam veritatis inquisitionem, & motiva utriusque partis diligenter & ex studio veritatis assequendæ expensa.

Quæst. I. *An liceat sequi conscientiam probabilem & minùs tutam?*

Resp. Non licet, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, & pariat certitudinem moralem saltem relativam: quia, ut dixi cap. 2. quæst. 1. ad non peccandum requiritur judicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido saltem rationabilis. Hinc non licet sequi conscientiam minùs tutam, & minùs aut non magis probabilem, quàm sit tutior opposita, ut constabit etiam ex mox dicendis. E contra licet sequi conscientiam unicè probabilem, vel saltem longè probabiliorem opposita, stante pro præcepto, non quidem quatenus est præcisè probabilis, sed quatenus est tunc moraliter certa.

Quæst. II. *An liceat sequi opinionem minùs probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro præcepto?*

Resp. Numquam licet, sed semper tenemur sequi probabiliorem & tutiorem. Prob. 1. Ex *Eccl.* 3. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omne actum consilium stabile.* Ibi traditur præceptum generale sectandi veritatem, & faciendi quod in nobis est ad sectandam veritatem de licitate seu honestate actus; quod etiam ipse Aristoteles 1. Ethic. cap. 4. docet: *Veritatem,* inquit, *debemus inquirere & sequi, quantùm possumus.* Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem de honestate actus, relicta probabiliore de ejus malitia, non facit quod in se est ad sectandam veritatem de honestate actus: nam sequitur partem minus verisimilem, quæ proindè à vero magis recedere ipsi videtur, relicta verosimiliore, & veritati propiore. Ergo

2. Ille peccat, qui facit id, quod non potest judicare prudenter esse licitum: nam ad agendum vel omittendum licitè, requiritur judicium prudens de honestate actus, vel omissionis. At sequens opinionem minùs probabilem & minùs tutam, non potest judicare prudenter actionem vel omissionem suam esse licitam. Ergo. *Prob. min.* Talis non potest judicare suam actionem vel omissionem esse licitam, nisi in judicando præferat minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia motivis gravioribus, ut patet. Sed qui in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia motivis gravioribus, imprudenter judicat. Ergo sequens opinionem minùs probabilem, &c. non potest, nisi imprudenter judicare actionem vel omissionem suam esse licitam. *Minor* patet. Et verò ut intellectus prudenter procedat in judicando, debet in judicando, quantùm in se est, vitare malum suum, nempe errorem. At hoc non facit, si in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori; nam intellectus non censetur in æstimatione prudenti vitare, quantum in se est, errorem, nisi cum in evidentibus amplectitur id, quod verum est, & in obscuris id, quod, omnibus diligenter perpensis, apparet verisimilius. Quare extat præceptum generale prudentiæ, ut in evidentibus sequamur veritatem notam de honestate actus, & in obscuris verisimilitudinem majorem, & magis removentem a periculo agendi contra veram legem.

3. Tenemur observare præceptum, quod sufficienter proponitur ad obligandum, ut patet; & illud præceptum sufficienter proponitur ad obligandum, quod prudenter affirmari potest, nec nisi imprudenter negari, ut etiam patet. At tale est præceptum, quod apparet probabilius, cùm pro eo stent motiva graviora: prudenter enim judicando præferuntur motiva graviora motivis minùs gravibus, & major verisimilitudo minori, nec nisi imprudenter postponerentur.

4. Ut quis non peccet, debet habere judicium saltem moraliter certum, quòd actio sua sit licita. Nam homo semper tenetur prudenter agere, nec licet se exponere periculo peccandi: prudentia autem, cùm sit virtus mentis practica, requirit certitudinem saltem moralem. At hoc judicium habere non potest, sequendo opinionem minùs

probabilem, & minùs tutam. Nam non potest illi apparere certum quòd actus sit licitus, cùm illi appareat certum quod verosimilius sit eum esse illicitum; hæc enim judicia virtualiter opponuntur: Mihi apparet certum quòd actus sit licitus, & simul mihi apparet certum quòd verosimilius sit eum esse illicitum.

5. Quia in concursu duarum opinionum æquè probabilium, tenemur sequi tutiorem, ut modò probabo. Ergo à fortiori, &c.

Hinc collige nemini licere consilium dare secundùm opinionem, quæ ei minùs probabilis & minùs tuta videtur, cùm nemini liceat secundùm illam operari, & nemini liceat consulere actum illicitum.

Porrò Adversarii fatentur, Professores in docendo teneri sequi sententiam probabiliorem, præsertim in rebus gravibus, quales sunt quæ ad fidem vel mores pertinent: quia ideò eis tale munus commissum est, ut discipulos doceant probabiliora in rebus, quarum absoluta certitudo non est.

Obj. 1. Opinio minùs probabilis in allata hypotesi, est probabilis, habet motivum grave ac rationabile. Ergo. *Resp.* Opinio minùs probabilis, in concursu tutioris probabilioris aut æquè probabilis, est ad summum probabilis speculativè, secundùm se, & absolutè: at non est probabilis practicè, & in ordine ad hic & nunc operandum ex prudenti judicio de honestate seu licitate actus. Habet motivum grave, aptum ad obtinendum assensum viri prudentis, si illud spectetur seorsim & absolutè: secus, si spectetur comparatè ad motivum gravius aut æque grave in oppositum: nam motivum grave non potest prudenter in judicando præferri motivo graviori aut æquè gravi in oppositum; nec proinde in hoc concursu potest fundare assensum prudentem de licitate actus.

Obj. 2. Opinio probabilis, hoc ipso quòd est probabilis, prudenter judicatur ut vera, etiam in tali concursu, & sic prudenter secundùm eam agimus. *Resp.* Hoc est falsum, ut constat ex dictis, & ex his propositionibus ab Innoc. IX. damnatis. 3. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 4. *Excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Ergo nec quivis alius excusabitur, si talem opinionem sequatur in iis, quæ pertinent ad mores. Præterea opinio probabilis non potest, saltem prudenter, judicari vera in concursu probabilioris oppositæ; cum sit fundamentum gravius judicandi eam esse falsam. Idem dic in concursu opinionis æquè probabilis; quia non est potior ratio eam judicandi veram, quam falsam; nec est sufficiens fundamentum attribuendi veritatem uni parti potiùs quàm alteri, cùm neutra appareat magis vera quàm falsa: unde intellectus tunc debet hærere suspensus, vel judicare rem esse dubiam.

Obj. 3. Motivum grave, hoc ipso quod grave est, dignum est assensu, & facit magnam spem assequendæ veritatis. *Resp. dist.* Quamdiu non apparet motivum gravius vel æquale in oppositum, *Concedo*. Cùm apparet motivum gravius vel æquale pro opposita parte, *Nego*. Nam gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppositi, & non potest vincere gravitatem æqualem. Porrò motivum grave non sic dicitur, quia meretur assensum in omni casu, sed tantùm quia illum meretur, quamdiu ejus vis non separetur per majus motivum oppositum; vel non elidiτur per æquale, quòd vicissim elidit: nulla enim gravitas prævalere potest alteri majori vel æquali oppositæ.

Obj. 4. Motivum per se sufficiens ad prudentem assensum, semper ad eum sufficit. *Resp.* Motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu, semper sufficit ad prudentem assensum. At non semper ad prudentem assensum sufficit motivum, quod ad illum sufficiens est pro aliquibus tantùm casibus. Motivum autem præcisè grave non est motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu: alioqui sufficeret etiam dum postea occurrit motivum evidens & certum pro opposita parte.

Obj. 5. Sequens opinionem minùs probabilem, agit cum ratione. Ergo non peccat. *Resp.* Agit cum ratione, quæ superatur per aliam majorem in oppositum, & quæ proinde non sufficit ad prudentem assensum, & sic agit imprudenter & irrationabiliter. Si autem sequatur opinionem æquè probabilem, tunc agit cum ratione quæ eliditur per aliam æqualem, & quæ proinde non sufficit ad prudentem assensum.

Obj. 6. Lex non obligat, nisi cùm certum & evidens est illam existere. *Resp.* Neg. quia 1. hoc continet laxitatem intolerabilem. 2. Inde sequeretur legem naturalem, quoad maximam sui partem, inutiliter latam esse à

Deo.

Deo. Nam, ut patet ex dissidiis Doctorum circa innumeros penè casus, lex naturalis quoad maximam sui partem, & innumeros pene casus, non cognoscitur evidenter. 3. Sequeretur licere sequi opinionem minùs tutam, quamdiu habet aliquid probabilitatis, quod damnatum est ab Innocent. XI. & repugnat cap. 44. *de sentent. excommun.* nam tamdiu opposita tutior non est evidenter vera. 4. Lex obligat, hoc ipso quòd est sufficienter proposita: & est sufficienter proposita, hoc ipso quòd est probabilius illam existere: nam hoc ipso ejus existentia prudenter affirmari potest, & non nisi imprudenter negari, cùm habeat motiva graviora.

Obj. 7. Potest quis per principia certa formare judicium prudens & certum, quòd liceat sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam in concursu tutioris magis aut æquè probabilis.

Resp. Neg. Nam principia probabilistarum non sunt certa, sed controversa; imò sunt falsa, aut saltem dubia, ut patet ex nostris solutionibus. Unde non possunt fundare judicium moraliter certum de honestate actionis vel omissionis.

Obj. 8. Summi Pontifices sæpè dispensarunt in casibus, in quibus minùs probabile erat, eos posse dispensare. Ergo sæpe secuti sunt opinionem minùs probabilem, &c. *Resp.* Neg. ant. Nam si qui in concedendis dispensationibus aliquando à communiori sui temporis sententia recesserunt, ideò ab ea discessere, quia post sufficientem veritatis inquisitionem, oppositam sententiam judicarunt esse longè probabiliorem ex motivis intrinsecis.

Obj. 9. Cap. *Si vir* 2. de cognat. spirit. dicitur. *Si vir, vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari, quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt. Ideòque nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi; nec alter alteri debet debitum subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci.* Unde sic argumentaberis. Ibi Alexander III. casum propositum decidit secundùm opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, utpote faventem libertati, ut patet ex his verbis: *Quidam humaniùs sentientes, aliter statuerunt.* Ergo.

Resp. Neg. ant. Et dico eum decidisse casum secundùm opinionem faventem libertati, quia ei probabilior videbatur, ut patet ex ratione, quam subjicit: *Quia*, inquit, *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Quare multi Canonistæ per tò *humaniùs*, intelligunt æquiùs, rationabiliùs. Porrò ibi non permittit parenti, qui scienter filium de sacro fonte levarat, exigere debitum; sed præcisè statuit non ideò debitum denegari debere petenti. Præterea ibi agitur de eo, quod Pontifex, utpote legislator supremus, mutare poterat, si magis expedire judicaret ad amovendum peccandi periculum.

Obj. 10. Cap. *Laudabilem*, de frigidis, ubi Cœlestinus III. triennium experientiæ concedit eis, qui matrimonium contraxerunt, si dubitent, an impotentia sit absoluta, vel temporalis. R. Ex hoc capitulo nil concludi potest contra nos: nam etiamsi minus probabile esset illos sub finem triennii non fore impotentes; tamen certum est. 1. Ecclesiam, in dubio an impotentia sit absoluta, an temporalis, posse certum tempus experientiæ concedere iis, qui jam contraxerunt: alioqui si hoc non concederetur, vel matrimonium dissolveretur in dubio de ejus valore, quod non licet; vel contrahentibus prohibendum esset, ne in tali dubio uterentur conjugio, & ne aliud inirent, quod etiam fieri non potest sine injuria illorum, qui bona fide contraxerunt; & sine necessitate & culpa sua exponerentur periculo incontinentiæ. 2. Tempus illud triennii prudenter constitutum esse, ut adhibitis mediis possibilibus & licitis, conentur impotentiam tollere; nam hoc tempus nec nimis breve, nec nimis longum est, & circa finem triennii impotentia tandem cessare potest.

Obj. 11. Cap. *Litteras*, de restit. spoliat. R. In hoc capitulo Innocentius III. præcisè relinquit duabus sententiis oppositis suam probabilitatem speculativam & absolutam, quam habebant. Unde non vult damnare eum, qui alterutram eligit prudenter, ideòque putans eam esse probabiliorem. Ipse vero tertiam eligit, quia ei videbatur probabilior, nolens tamen definire veritatem aut falsitatem aliarum. Præterea, duæ illæ aliæ sententiæ priores, quas exponit, singulæ stant pro lege licèt diversa, non autem pro libertate: nam prima stat pro lege justitiæ, & jure mariti contra libertatem mulieris, altera verò pro lege matrimonium inter consanguineos vetante.

Obj. 12.

Obj. 12. Cap. *Inquisitioni*, de sent. excom. R. Ibi Pontifex respondet secundùm partem tutiorem, & legi faventem; nam sic ait de conjuge, probabiliter, sed non certò credente matrimonium esse invalidum: *Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, & quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Obj. 13. Can. *Ego solis*, dist. 9. R. Ibi S. Augustinus non agit de minus probabili & tuto, sed solum de Authoribus non canonicis, *Alios*, inquit, *ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Ubi non dicit se admittere eorum libros ut veros propter probabiles rationes, quæ oppugnentur rationibus æque aut magis probabilibus seu gravibus in contrarium, de quo tamen hic agitur. Sanè licet sequi opinionem nixam rationibus probabilibus seu gravibus, quando non oppugnatur aliis rationibus magis aut æque gravibus.

Obj. 14. Can. *Sicut quædam*, dist. 14. ubi S. Leo dicit: *In iis quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.* R. Sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, est contra præcepta evangelica, quibus præcipiuntur prudentia christiana in actibus nostris, vitatio periculi peccandi, maxima cura in servandis præceptis, & via arcta quæ ducit ad vitam, quamque pauci ingrediuntur.

Præterea hic textus in doctrina adversariorum nimis probat: probat enim nos debere sequi simul duas opiniones contradictorias: nam juxta illos, opinio minus probabilis & minus tuta, & opinio probabilior & tutior ipsi contradictoria non adversantur præceptis evangelicis, nec decretis sanctorum Patrum; & tamen S. Leo dicit: *id noverimus sequendum*, hoc est, id sequi debemus.

Porrò cùm dicitur opinio probabilis esse ea, quæ neque Scripturæ, neque Patribus & Conciliis, neque Summorum Pontificum decretis adversatur, hoc debet intelligi de opinione probabili absolute & secundùm se considerata, nam si consideretur relate ad tutiorem æquè aut magis probabilem, ea jam quoad praxim adversatur Scripturæ præcipienti magnam prudentiam, & exigenti certitudinem moralem de bonitate actionis, quæ certitudo non potest stare pro opinione minùs tuta, & minus aut æque probabili in concursu tutioris & probabilioris.

Obj. 15. Omnes ferè Doctores xvii. sæculi docuerunt licere sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. *Resp.* 1. Illis oppono tum veteres Doctores, qui ante annum 1571. floruerunt. Nam Anton. Cordubensis in suo Quæstionario lib. 2. quæst. 3. postquam dixit tenendam esse partem tutiorem, quando probabilior est, addit: *Et in hoc omnes Doctores consentiunt.* Tum Clerum Gallicanum, & innumeros recentiores ex omni natione & ordine, qui nunc re meliùs perpensa, oppositum docent. 2. Plurimi ex illis, qui nobis objiciuntur, docuerunt solùm licere sequi opinionem minùs tutam, quæ communiùs ab aliis haberetur minùs probabilis, quando operanti, post diligentem veritatis inquisitionem, apparet certò probabilior ex ratione. 3. In tantum opinio aliqua censeri potest probabilior propter majorem numerum Doctorum eam tuentium, in quantum idcircò rectè præsumitur habere pro se graviora motiva ex Scriptura, traditione, vel ratione petita. At jam hæc motiva habere pro se rectè præsumi non potest Probabilismum, cùm oppositum jam pridem à multis ostensum sit. 4. Probabilitas extrinseca, petita scilicet ab authoritate Probabilistarum, non plus valere debet apud eos, qui per se veritatem explorare debent, quàm valeat pondus rationum, quibus nititur Probabilismus; quæ profectò rationes certitudinem moralem nunquam fundare possunt. Sicut ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei aliunde evidens est errare; ita ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei, omnibus maturè consideratis, verosimilius est errare. 6. Multæ olim viguerunt opiniones, quæ postea diligentiùs expensæ, omnino evanuerunt. *Observa.* Nemo è Societate nostra ex professo Probabilismum, cujus author fuisse fertur Bartholomæus Medina ex alio Ordine, amplexus est, & pro eo scripsit, nisi postquam ita invaluerat, ut jam esset communis Scholarum omnium doctrina. Nam Vasquez, qui primus è Societate nostra hunc ex professo amplexus est, testatur tunc fuisse inter Doctores communem.

Pri-

Primi verò Probabilismi impugnatores è Societate nostra prodiere, videlicet Rebellus tom. 1. de Justitia, edito an. 1608. Comitolus lib. 2. respons. moral. quæst. 18. num. 6. edit. an. 1609. Et Andreas Blancus, sub nomine Candidi Philaleti, tract. de opinionum praxi, edito ann. 1642. quos secuti sunt multi alii ex eadem Societate, ut de Elizade, Estrix, R. P. Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis, de Camargo, Malatra, Gisbert, &c. His adde Reginal. lib. 11. cap. 3. Cardinal. Bellarminum, & plurimos Professores Theologiæ, quotidie impugnantes Probabilismum, quem Congregatio Generalis XIII. an. 1687. declaravit non esse doctrinam Societatis. Et verò S. Ignatius Societatis nostræ Institutor, hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Professoribus præscribit, ut *sequantur in quavis facultate securiorem & magis approbatam doctrinam*, Const. pag. 4. cap. 5.

Quæst. III. *An licet sequi opinionem minus tutam, seu stantem pro libertate, in concursu opinionis æquè probabilis tutioris, seu stantis pro præcepto?*

Resp. Neg. Quia 1. extat illud præceptum generale lumine naturali notum, & in Jure canonico sæpe à Summis Pontificibus traditum, ut principium decisionum: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ut cap. 5. de Clerico excomm. *In dubiis tutior pars est eligenda*. Et cap. 12. de homicid. *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*. Et cap. 3. de Sponsal. *Quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, &c.* Alioqui enim operans exponit se periculo faciendi contra legem, & peccandi. At in concursu duarum opinionum æque probabilium, est verum dubium, ut docet S. Thomas quæst. 14. de verit. art. 1. & S. Antoninus 1. part. tit. 10. de regulis juris. Nam est vera suspensio judicii de veritate & falsitate, ob motiva pro utraque parte æqualia: neque enim est potior ratio judicandi unam opinionem esse veram, quàm alteram, cùm neutra plus minusve appareat vera aut verisimilis quàm altera; & sic intellectus necessario suspendit judicium. Ergo in tali concursu eligi debet pars tutior, agendo secundùm opinionem stantem pro præcepto.

2. Ex S. August. lib. 1. de Bapt. cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret*. Et cap. 5. *Accipere* (Baptismum) *in parte Donati, si incertum est esse peccatum; quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Ergo ex S. Augustino, cùm incertum est aliquid esse peccatum, & certum est aliquid non esse peccatum, certò peccat, qui non eligit id quod constat non esse peccatum. At in concursu opinionum æquè probabilium, eligens minus tutam, non eligit id, quod certum est non esse peccatum, sed id quod incertum est non esse peccatum, ut patet; cum sit æque probabile esse peccatum. Ergo talis certò peccat.

3. Peccat, qui agit sine judicio prudenti, quòd actio sua sit licita. At sequens opinionem minùs tutam in allata hypothesi agit sine tali judicio: nam non potest, saltem prudenter, judicare non extare præceptum prohibens actionem, cùm non possit saltem prudenter judicare veram esse opinionem negantem extare præceptum: non enim habet fundamentum sufficiens judicandi illam esse potiùs veram quàm oppositam, cùm fundamenta utriusque opinionis appareant æqualia; & apparentia veri ac falsi sit æqualis pro utraque parte contradictionis. Quare, ut intellectus prudenter se gerat, debet suspendere assensum & dissensum, cùm non habeat motivum potiùs assentiendi quàm dissentiendi.

4. Opinio æquè tantùm probabilis stans pro libertate, non potest afferre certitudinem moralem, quæ saltem requiritur ad non peccandum: nam motiva, quibus nititur, eliduntur per motiva opposita æquè gravia: quantam enim illa habent vim movendi ad assensum, tantam alia habent movendi ad dissensum; & sic intellectus nihil habet quo possit, saltem prudenter, & firmiter, determinari ad assensum.

5. Qui se exponit probabili periculo peccandi, peccat, juxta illud Eccli. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed qui facit id quod ei apparet tam probabile esse illicitum quàm licitum, exponit se probabili periculo peccandi, attento animi sui conceptu, cùm evidenter & necessariò judicet esse æquè probabile actum prohiberi.

6. Qui facit vel omittit id quod cognoscit æquè probabiliter esse contra legem; quam non esse, violat hoc præceptum generale, obligans ad maximam sollicitudinem, & curam servandi legem. Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Item peccat contra legem charitatis, & subjectionis ad Deum: nam hæc lex exigit, ut abstineamus

non

non solùm ab iis, quibus certò scimus Dominum ac Legislatorem offendendum, sed etiam ab illis, quibus non constat non esse offendendum. Non enim est bonus amicus, bonus ac fidelis servus, qui facit id, quod judicat æquè probabile esse quòd displiceat amico vel domino.

Confirmo 1. Authoritate Cleri Gallicani, qui in Comitiis generalibus ann. 1700. sic ait: *Absit verò, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas à jure præscriptas agnoscimus: Primùm, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrimque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est in hoc casu unicè tutum. Neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* Qui amat periculum, in illo peribit. *Hæc prima regula. Altera: ... ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.*

2. Authoritate Cardin. Bellarmini ep. ad nepotem suum Episc. Thean. ubi hæc ait: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi; & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cùm de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur, descendere.*

Hinc non licet inire contractum, qui probabiliùs vel æquè probabiliter apparet injustus, &c.

Obj. 1. Qui sequitur opinionem minùs tutam in concursu oppositæ tutioris æquè probabilis, non agit in dubio practicè practico; sed per judicia reflexa certò judicat se licitè agere.

Resp. 1. Ex dubio speculativo seu generali, necessariò resultat dubium practicum circa actionem particularem hìc & nunc ponendam. Nam cùm propositio universalis contineat omnes particulares propositiones, & per illas verificetur; dubitare an aliquis contractus in genere sit illicitum, idem est ac dubitare an hic & ille contractus particularis participans illam rationem specificam, sit illicitus: sic dubitare an liceat pingere die festo sine necessitate, idem est ac dubitare an Petro, Paulo, &c. liceat pingere hoc die festo sine necessitate. Ergo non possum dubitare speculative & in universali, an illicitus sit aliquis contractus, quin simul dubitem an sit illicitus contractus à me hic & nunc celebrandus, si hic contineatur sub illa ratione communi, & nisi adsit aliqua circumstantia hunc contractum extrahens ab illà ratione specifica seu communi.

Resp. 2. Judicia illa reflexa adversariorum non sunt certa. Nam nituntur principiis dubiis, controversis, imò falsis: unde non resolvunt prudenter dubium, nec certitudinem moralem de honestate actionis pariunt. Nempe hæc sunt præcipua illorum principia.

Primum. Prudentèr agimus sequendo opinionem probabilem, etiam in concursu oppositæ tutioris, magis aut saltem æquè probabilis. Sed hujus falsitatem jam ostendi.

Secundum. In dubio melior est conditio possidentis, & homo est in possessione suæ libertatis circa actiones suas, quamdiu non constat extare legem eas vetantem. Sed contra est. Nam 1. hoc effatum (*In dubio melior est conditio possidentis*) valet solùm in materia justitiæ, seu in rebus temporalibus quæ subsunt potestati humanæ, & in quibus solis applicatur à jure, idque docent Vasquez, Azor, Turrian. & alii. At non habet locum in actibus moralibus, ubi agitur de licito & illicito, quod non subjicitur potestati humanæ; sed in his valet istud axioma, *In dubio tutior pars est eligenda.* Præterea prius effatum supponit parem causam: At in dubiis de licito & illicito, non est par causa Dei & creaturæ; Deus enim, ut supremus Dominus, habet jus prælationis in omnibus. 2. Falsum est hominem esse in possessione suæ libertatis quandiu lex non est certa. Nam agitur hìc, non de libertate facti, quæ consistit in potentia physica agendi & non agendi pro arbitrio; sed libertate juris, quæ consistit in potentia agendi & omittendi licitè. Unde cùm dubitatur an extet lex vetans aliquid, hoc ipso dubium est an homo id possit facere licitè, ac proinde an sit in possessione suæ libertatis. Ergo jam est petitio principii, & affertur pro principio id, de quo est quæstio. Jam verò cùm æquè verisimile est extare legem prohibentem actum, homo non potest licitè eum ponere: nam

tunc

tunc non potest judicare prudenter illum non esse prohibitum, & sic privatur libertate juris: homo enim nil potest licitè agere, nisi prius prudenter judicet illud esse voluntate divina permissum vel præceptum; voluntas quippe divina est regula ac mensura actionum nostræ voluntatis, quæ illi necessariò subjici debet: regula autem est prior regulato; ac proinde prius est aliquid esse voluntate Dei permissum, quàm esse licitum voluntati nostræ; & sic volúntas nostra, ut licitè agat, debet cognoscere prius an illud sit divinæ voluntati conforme, non enim regulari potest à voluntate Dei nisi præcognita. Præterea in dubio seu æquali probabilitate, lex generalis subjectionis ad Deum ut supremum Dominum ac Legislatorem, habet possessionem anteriorem & potiorem, quàm nostra libertas; obligatque ad abstinendum ab iis, de quibus dubitamus utrùm Dei voluntati adversentur.

Tertium. Christi jugum suave est. *R.* Est equidem suave, non per laxitatem doctrinæ; ait enim ipse Matth. 7. *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Sed tum per gratias uberiores & majores, quæ in lege evangelica dantur: tum quia lex Evangelica est lex charitatis, efficientis suave & leve, quod grave & amarum erat, ut explicat S. August. serm. 47. de divers. tum quia lex Christi liberat ab onere innumerorum pene præceptorum Judæis impositorum; & præter præcepta moralia quæ sunt juris naturalis, pauca merè positiva omnes obligantia continet.

Quartum. In æquali probabilitate pro existentia, & non existentia legis, lex non est sufficienter proposita, nec potest prudenter affirmari. Ergo tunc non obligat. *Resp.* Neg. conseq. Quia tenemur servare illud præceptum dubium vi alterius præcepti generalis certi, nempe. *In dubio tutior pars eligi debet. Cavendum est periculum peccandi; nam qui amat periculum, in illo peribit* (*a*). Item vi legis charitatis & subjectionis ad Deum, præcipientis ut servetur præceptum dubium, cujus existentia prudenter negari non potest, ne nos exponamus periculo faciendi contra legem verè existentem, & agendi id, quod reipsa displicet Deo.

Obj. 2. Hoc axioma: *In dubiis tutior pars eligenda est*, continet dumtaxat consilium, non præceptum, saltem pro omni casu. *Resp.* Neg. Nam Summi Pontifices locis citatis illud adhibent ut principium morale suæ decisionis, ex se obligans pro omni casu unde utuntur verbo *Debeo*; illudque supponunt ut certum & lumine naturali notum. Et verò alioqui homo in æstimatione prudenti exponeret se periculo morali agendi contra legem, & peccandi.

Nec dicas illos loqui de dubio facti. Si enim in dubio facti pars tutior eligi debet, à fortiori etiam debet in dubio juris; nam tutior pars eligi non debet in dubio facti, nisi quia dubium facti conjunctum est cum dubio juris, in quo non potest haberi persuasio saltem prudens, nec certitudo moralis, quòd electio partis minùs tutæ sit licita.

Dices 1. Hæc regula, *In dubio tutior pars eligenda est*, intelligi debet solùm de dubio negativo. *Resp.* Neg. Nam regula generalis est, & æquè spectat positivum dubium, quod est magis propriè dubium. Nam cùm æquales occurrunt pro utraque parte rationes, intellectus non potest saltem prudenter non suspendere assensum, cùm non sit potior ratio assentiendi uni parti, quàm alteri. Ergo tunc est propriè verum dubium morale ac prudens.

Præterea in quovis dubio eligens partem minùs tutam, exponit se morali periculo violandi legem & peccandi; nec intellectus potest judicare prudenter partem minùs tutam esse veram, & licere illam sequi.

Dices. 2. In dubio positivo potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri parti minus tutæ, ut veræ.

Resp. Id non potest saltem prudenter, cùm pars minùs tuta non appareat ei magis vera quàm falsa; nec id potest saltem sine gravi formidine oppositi, quæ non potest nisi imprudenter contemni. Unde talis adhæsio non potest excusare à peccato, & cum ea morale periculum est agendi contra aliquam legem, ideòque peccandi.

Obj. 3. Motivum grave non amittit gravitatem suam ex eo, quòd concurrat cum motivo æquè gravi in oppositum. Ergo motivum

(*a*) Ex hoc Ecclesiastici textu, *qui amat &c.*, in hunc modum argumentatur Divus Antonin. 1. part. tit. 1. cap. 10. §. 10. *Hinc est, quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille, qui agit id de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latiori via videtur se exponere periculo mortalis, quia est in dubio, cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera: Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo propriè, & strictè dubitationem, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis quis declinat ad unam, quam ad aliam.*

tivum grave etiam in concursu æquè gravis, sufficit ad prudentem assensum. *Resp.* Neg. conf. Imò quia utrumque motivum retinet gravitatem suam in concursu, &c. sic se mutuò elidunt, neutra pars magis apparet vera quàm falsa: ac proinde intellectus neutri potest saltem prudenter assentire vel dissentire; sed debet suspendere assensum ac dissensum; & sic manere dubius: Extat autem præceptum generale certum, obligans ad sequendam partem tutiorem in omni dubio, ne nos exponamus periculo peccandi.

Obj. 4. Nobis obstant hæ regulæ juris: *In obscuris minimum est sequendum. Odia restringi, & favores convenit ampliari. Resp.* Hæ & similes regulæ intelligi debent solùm de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis; non autem de dubiis ubi agitur de licito & illicito. Quia in dubio de admissione criminis, vel de merito culpæ, benignior pars est tutior. Nam illam sequens, exponit se solùm periculo non condemnandi reum vel puniendi infra meritum, quod non est intrinsecè ac per se malum; oppositam verò sequens, exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum, quod est intrinsecè malum. Hinc illa Regula 152. ff. de regul. juris: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est, quàm tutius:* Et ista Reg. 11. Jur. in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori.* At in dubiis de licito, & illicito, sequens opinionem benigniorem seu faventem libertati, exponit se periculo faciendi contra legem, ac proinde peccat.

Quæst. IV. *An liceat sequi opinionem minùs tutam, sed probabiliorem?*

Resp. 1. Tenemur sequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus ignorantia invincibilis, & major probabilitas non juvant ad obtinendum finem, quem procurare tenemur. Quia adhiberi debent media efficacia, si adsint.

Hinc tenemur, 1. Sequi partem tutiorem, ubi agitur de iis, quæ sunt de necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad validam administrationem & susceptionem Sacramentorum: quia non obtinebitur salus, nec effectus Sacramenti, nisi re ipsa ponantur ea, quæ Deus ad hunc finem exigit. (*a*) 2. Ubi agitur de procuranda sanitate corporis, de victoria sive in bello sive in judicio, de vitando damno proximi, quod cavere tenemur ex justitia vel charitate, &c. Quia in his non obtinebitur finis debitus, nisi adhibeantur media reipsa & non solùm opinione efficacia. Neque enim major probabilitas opinionis mutat naturam rerum, aut iis efficaciam tribuit, aut impedit damnum. Unde nullatenus est probabile, etiam speculativè, quòd tunc liceat oppositum. 3. Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventione, voto, vel superioris præcepto obligatur.

Resp. 2. Licet sequi opinionem minùs tutam de licito, quando post debitam veritatis inquisitionem apparet certò, ac valdè probabilis, & multò probabilior opposita, ita ut excludat dubitationem & formidinem rationabilem errandi. *Prob.* Quia 1. Alexander VIII. damnavit hanc propos. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ex Clero Gallicano supra laudato. 3. Licet sequi judicium prudens, ac moraliter certum de honestate seu liceitate actus. At opinio multò probabilior de licito est, seu fundat ejusmodi judicium: nam sequens opinionem multò probabiliorem de licito, licèt minùs tutam, judicat, aut saltem judicare potest prudenter, & firmiter, actionem suam esse licitam: ille enim firmiter & prudenter judicat, qui in judicando præfert motiva multò graviora motivis minùs gravibus, quæ præ illis citra culpam & affectum inordinatum levia & meritò contemnenda apparent, & sic habet prudentem & firmam persuasionem, quòd actio sua sit licita, nec ullam habet formidinem erroris; vel si quam habet, illam prudenter repellit ac contemnit ut scrupulum: cùm habeat motiva multò graviora judicandi actionem suam esse licitam, quàm sint motiva judicandi oppositum, quæ comparatè ad longè graviora, apparent levia, & meritò præ illis contemnenda: proinde se habent perinde ac si non essent; motivum enim quod prudenter contemnitur, perinde se habet ac si non extaret. Ita docet S. Antonin. 2. p. tit. 3. c. 10. §. 10. & sub fin. hæc ait: *Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus.* At ex Reg. 31. Jur. in 6.

(*a*) Huc spectat propositio damnata ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679. *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

in §. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*. Et verò impossibile est habere dictamina metaphysicè aut physicè certa de omnibus agibilibus. Deus autem, qui disponit omnia suaviter, non exigit ab homine, ut semper cum evidentia & certitudine metaphysica de materiali honestate suæ actionis operetur; quia est supra conditionem hominis in hoc statu semper sic operari, ait Cajet. Itaque Deus solùm à nobis exigit, ut nunquam operemur sine firma & prudenti persuasione quòd operatio hìc & nunc exercenda sit licita.

Hinc quamvis opinio Guillelmi Parisiensis, docens hominem statim atque peccavit, teneri ad confessionem, sit tutior; nemo tamen peccati arguit eum, qui confessionem aliquantisper differt; quia opinio opposita S. Thomæ est multò probabilior, & tuta.

Dixi *multo probabilior*. Nam non licet sequi opinionem minùs tutam, quæ apparet solùm paulò probabilior tutiore. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; & quia exiguus probabilitatis excessus non fundat certitudinem moralem, nec excludit formidinem rationabilem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi.

Obj. 1. Opinio tutior licèt minùs probabilis est adhuc probabilis, habet motivum grave &c. *Resp*. Ita est, si absolutè & seorsim spectetur, non autem si spectetur comparatè ad oppositam longè probabiliorem, & relatè ad operantem. Nam tunc ejus motivum operanti apparet leve, sic ut prudenter contemnatur præ opposito longè graviori, ac proinde perinde sè habet ac si non esset.

Obj. 2. Formido est essentialis cuilibet opinioni, etsi probabilissimæ. Ergo nulla opinio potest esse moraliter certa. *Resp*. dist. ant. Formido logica. C. moralis. N. Duplex est formido, una logica, quæ est essentialis omni assensui opinativo, & consistit in actu, quo intellectus cognoscit non repugnare præcisè ex vi motivi assensus, rem aliter se habere atque judicat: & alia moralis, quæ est accidentalis assensui opinativo, & ab eo separabilis, consistitque in actu quo intellectus dicit rem fortè aliter se habere, sive quo non leviter suspicatur rem aliter se habere atque judicat. Hæc sola formido repugnat certitudini morali, & abest ab opinione probabiliore.

Quæst. V. *Ad quid tenemur, quando opinio est probabilis extra concursum?*

Resp. 1. Tenemur servare præceptum, quando opinio affirmans illud existere, est unicè probabilis. Quia 1. tenemur servare præceptum, cujus existentia apparet æquè probabilis ac non existentia, ut probavi: Ergo à fortiori, si ejus existentia appareat unicè probabilis. 2. Homo in hoc casu potest prudenter judicare legem existere, nec id potest nisi imprudenter negare: nam habet grave motivum id asserendi, & nullum habet negandi. At quisque tenetur servare legem, quam potest prudenter judicare existere, vel quam non potest nisi imprudenter negare.

Resp. 2. Licet sequi opinionem minùs tutam, seu negantem præceptum, quando est unicè probabilis, ita ut excludat omnem formidinem saltem rationabilem peccandi. Quia illam sequens potest judicare prudenter & firmiter actionem suam esse licitam: nam habet motivum grave id judicandi, & nullum habet aliter judicandi. Unde nec habet anxietatem, nec formidinem erroris; aut si quam habet, potest eam contemnere ut scrupulum, quippe quæ careat fundamento saltem rationabili. Sic rusticus licitè omittit sacrum eo die, quo ejus Pastor, vir probus & doctus existimatus, asserit ad illud non teneri, si nullum habeat motivum judicandi oppositum, nec suum Pastorem falli aut fallere, ex cap. 44. *de sentent. excomm.* Unde tunc talis opinio est certa practicè, & relatè ad operantem, quamvis speculativè & absolutè spectata, sit dumtaxat probabilis. Quòd si contingat talem opinionem esse reipsa falsam, error est invincibilis.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

SECTIO PRIMA.

De Lege in communi.

Quæst. I. Quid est Lex?

Resp. Est præceptum commune, honestum, justum, stabile seu perpetuum, ad bonum commune, à gerente curam communitatis impositum, & sufficienter promulgatum.

Itaque ex communi Doctorum sententia, Lex est. 1. Præceptum; nam Lex est ordinatio Superioris efficax, & obligans subditos ad agendum vel omittendum aliquid. Non potest autem obligare nisi præcipiendo, hoc est, jubendo vel vetando. Hinc Lex permittens est etiam præceptiva, saltem virtualiter: nam hoc ipso quòd permittit aliquid fieri,

pro

prohibet ne illud fieri impediatur. Porrò præceptum est recta agendi vel omittendi ratio seu regula obligans ex authoritate Superioris. Per tò obligans, differt à consilio, quod est etiam recta agendi regula, sed non obligans. Hine illud S. Hieronymi lib. 1. contra Jovin. *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis.*

2. Commune: nam debet fieri communitati perfectæ, ex *L. Jura*, ff. de legib. *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Communitas autem perfecta est, quæ ex natura sua perpetua est, ac politicæ gubernationis capax: sive est ea, quæ sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est, nempe ad conciliandam & conservandam felicitatem, pacem ac tranquillitatem publicam, ut Regnum, Provincia sui juris, Ecclesiæ, &c. Imperfecta verò, quæ ex natura sua non est perpetua, nec capax politicæ gubernationis; sive quæ sibi non sufficit ad prædictum finem, ut Familia, Parochia, &c.

Porrò censetur communitas sibi ad suum finem sufficere, dum in ea est potestas Magistratus aut Pastores instituendi, membra ac subditos in ordine continendi, lites & controversias dirimendi, improbos ac scelestos morte mulctandi, vel contumaces à corpore resecandi.

3. Lex necessariò debet esse honesta, statuendo videlicet aliquid honestum, vel in se, vel saltem ratione finis intenti, ad quem conducat: nam finis legis est homines bonos facere, ut docent Aristot. & S. Thom. Deinde homo non potest obligari ad actus malos, vel inutiles, seu indifferentes; nec Deus utpotè summè bonus, sapiens ac rectus, dedit hominibus potestatem statuendi nisi honesta.

4. Justa, scilicet ex parte Legislatoris, & justitia quidem tum legali, in eo posita ut profit bono communi: tum commutativa, qua Legislator non plus statuat quàm possit statuere, nec aliis quàm subditis; aliàs injuriam inferret, & nulla esset lex, cùm actio non possit excedere agentis potestatem: tum denique distributiva, qua secundùm æqualitatem proportionis, habita ratione virium & facultatum, imponantur subditis onera in ordine ad bonum commune. Nam esset contra rectam rationem, & justitiam etiam commutativam, aliquos ultra modum gravare. Ad nullitatem tamen legis ex hoc capite requiritur tanta improportio & inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, & in injustum ac grave onus plurium, ut notat Suarez: alioqui enim si Lex de se utilis sit; & pauci plus æquo vexentur, Lex erit valida, & obligabit alios. Illi verò qui injustè gravantur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens, ratione scandali vel perturbationis, ad quæ vitanda debet quisque juri suo cedere.

Porrò in dubio de honestate vel justitia legis, præsumendum est pro Legislatore, & servanda lex est; tum quia Superior habet jus altius, & possidet jus præcipiendi, à quo subditus per istiusmodi dubium non probat se esse exemptum: tum quia Princeps regitur altiori consilio, & potest habere rationes subditis occultas: tum quia tunc legis observationem postulat bonum commune, & recta gubernatio; nam alioqui subditis daretur nimia licentia non servandi leges.

5. Est de se perpetua, hoc est, statuta in perpetuum, & sine termino definito: ita ut semel lata, semper duret quamdiu durabile communitas cui imponitur; nisi abrogetur, aut mutatis circumstantiis noxia vel inutilis fiat, ex c. ult. *de offic. Legat.* Nam perpetuitas legum necessaria est ad earum finem, nempe bonum commune, quod postulat stabilitatem, & uniformitatem, ut utiliter administretur communitas de se perpetua, quatenus per continuam successionem perseverat eadem moraliter in posteris: legum quippe mutatio detrimentum reipublicæ affert.

6. Lex debet essentialiter esse utilis bono communi, quod est finis essentialis & primarius Legis. Constat tum ex c. *Erit. dist.* 4. ibi: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patria consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta.* Tum quia Lex est actus publicæ potestatis, quæ instituta est solùm in bonum commune; & potestas ferendi leges non est data hominibus, nisi propter bonum commune procurandum, ut constat ex Scriptura docente Legislatores Ecclesiasticos esse Pastores; & habere potestatem tantùm in ædificationem aliorum, 2. ad Cor. 10. Sæculares verò esse Ministros Dei in bonum subditorum, Rom. 13. Præterea cùm Lex toti communitati imponatur, eamque obliget, debet quoque ad illius bonum referri; alioqui inordinata esset: nam contra rectam rationem est totum ordinare ad partem, & totum operari pro solo bono privato partis. In quo dif-

differt potestas jurisdictionis à potestate dominativa in servum, & à jure proprietatis in utilitatem privatam concesso. Itaque lex omnis cedere debet in bonum commune, vel immediatè, vel saltem mediatè & ultimatè, alioqui nulla est.

7. Lex debet ferri ab eo, qui præest communitati. Nam cùm Lex feratur communitati perfectæ ob bonum commune, eamque obliget, ferri non potest nisi ab eo ad quem pertinet curare communitatem, quique illius regendæ, obligandæ, & cogendæ potestatem habet juridicam.

8. Demùm debet esse promulgata, ex *L. 9. Cod. de Legib.* quia Lex est regula actionum generalis & publica, dirigens & obligans communitatem: ut regula non potest communitatem dirigere & obligare, nisi sit ei applicata & nota.

Quæst. II. *Quomodo lex differt à Præcepto?*

Resp. Differt 1. Quòd Lex necessariò feratur à persona publica pro communitate, & ad bonum communitatis, at præceptum ferri potest à persona privata ad privatam, putà à domino ad servum, & in bonum privatum superioris, vel subditi, vel alterius. 2. Quòd Lex de se sit perpetua, non merum præceptum, quod expirat morte præcipientis; Lex verò non. Quare si in nostra Societate, præcepta Præpositorum Generalium semper obligent donec à successore revocentur, id non habent à se, sed à lege speciali Congregationis septimæ can. 10. iis perpetuitatem statuente. Igitur lex differt à præcepto, sicut species à genere: nam omnis lex est præceptum, sed non omne præceptum est lex. Præceptum enim aliud est commune, aliud particulare. Commune subdividitur in perpetuum, quod solum est propriè lex, & in non perpetuum, sed ad breve tempus impositum. Convenit autem lex cum præcepto, quòd utrumque sit ratio seu regula agendi vel omittendi, obligans ex authoritate superioris.

Quæst. III. *An Lex omnis necessariò obliget?*

Resp. Affirm. *Ex commun.* Prob. 1. ex S. Hieron. suprà cit. & ex S. August. lib. de sancta Virginit. cap. 14. *Præcepto quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ.* 2. Quia lex ac præceptum est usus & applicatio juris, quod habet superior ad obligandum subditos. Item est ordinatio superioris habentis potestatem & voluntatem efficacem obligandi, eamque subditis declarantis: at voluntas efficax supposita potestate inducit effectum. 3. Lex divina, naturalis & positiva præcipit, ut justis superiorum præceptis obtemperemus. Quare violatio cujusvis præcepti etiam humani, est transgressio Legis divinæ, ideoque offensa Dei, & peccatum.

Obj. Datur lex permissiva, ex l. 7. ff. de legibus ibi: *Legis virtus hæc est imperare, vetare, permittere, punire. Resp.* Lex permissiva obligat alios ad non impediendum id, quod permittitur.

Quæst. IV. *Quomodo dividitur Lex?*

Resp. Dividitur in divinam, quæ à Deo, & humanam, quæ ab homine sancita est. Lex divina subdividitur in æternam, naturalem, & positivam: positiva in veterem, & novam. Vetus est ea, quam Deus dedit Moysi per Angelum, & per Moysen Israelitis. Nova est ea, quæ à Christo lata fuit omnibus hominibus; & per Apostolos promulgata. Lex humana subdividitur in Ecclesiasticam, quæ scilicet fertur potestate Ecclesiastica & spirituali, ut Papæ, Concilii, Episcopi; & in Civilem, quæ fertur potestate sæculari, ut Regis, Principis, &c.

SECTIO II.

De Lege Divina.

Quæst. I. *Quid est Lex æterna?*

Resp. Lex æterna latè sumpta, est summa ratio, qua Deus omnia regit & gubernat: strictè sumpta, est ordinatio & voluntas Dei, qua Deus ab æterno statuit, ut à creatura intellectuali fierent ea quæ ex natura rei necessaria sunt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ suæ intellectuali; & omitterentur ea, quæ naturam intellectualem dedecent, ex S. August. l. 22. contra Faustum cap. 27. dicente: *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Hinc non differt a lege naturali, nisi quòd hæc superaddat promulgationem factam in tempore per lumen naturale. Lex enim naturalis nil aliud est, quàm Lex æterna strictè sumpta, naturæ rationali per lumen naturale intimata, habitualiter quidem per rectam rationem, actualiter verò per dictamina rectæ rationis.

Quæst. II. *Quid est Lex Naturalis?*

Resp. Est Lex divina, creaturæ rationali impressa, præcipiens quidquid ex natura rei necessarium est ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ut rationali, & prohibens quidquid ex natura rei dedecet na-

naturam rationalem ut rationalem; atque etiam statuens ea quæ ex se necessaria sunt ad valorem actuum.

Hanc obligate sub mortali in re gravi, fide constat ex Roman. 1. *Qui talia agunt* (contra legem naturalem) *digni sunt morte*. Et cap. 2. *Quicumque sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt*, propter peccata scilicet contra legem naturalem commissa. Enimverò legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter Deum, quem non potest invincibiliter ignorare esse illius authorem.

Porrò Christus explicuit & sancivit præcepta moralia legis naturalis, eorumque omnium observationem præcepit. Quare Lex omnis naturalis est etiam Evangelica quoad materiam, seu rem præceptam, & vetitam. *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate*, ut agatis. Phil. 4. ubi Apost. commendat observationem eorum omnium, quæ lex naturalis ac divina præcipit & consulit.

Quæst. III. *An Lex naturalis præcipit, ut semper fiant actus honesti ac boni?*

Resp. Affirm. Quia Lex naturalis præcipit, ut homo semper vivat decenter, seu agat modo consentaneo naturæ suæ rationali, qua rationalis est; & sic præcipit homini id omne quod necessarium est ad vivendum seu agendum semper honestè, ac decenter naturæ rationali ut rationali: *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant*, 1. ad Cor. 14. At ad semper agendum honestè ac decenter naturæ rationali qua rationali, necesse est ut omnis ejus actus deliberatus, sit consentaneus naturæ rationali qua rationali, ideoque honestus.

Ut autem actus sit honestus ac bonus, necesse est ut sit de objecto bono, vel indifferenti, sed conducibili ad bonum finem, ut fiat modo convenienti, & in circumstantiis objecto debitis, & propter finem honestum. Nam si unum ex iis desit, actus non est bonus, sed malus; tunc enim non tendit decenter ac convenienter naturæ rationali in objectum, finem, & circumstantias actui debitas; & sic non convenit, sed disconvenit naturæ rationali seu intellectuali, nec à recta ratione approbatur, sed improbatur: quippe recta ratio dictat eum solum actum esse bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas. Hinc illud axioma Theologicum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Quæst. IV. *An Lex naturalis potest mutari?*

Resp. 1. Ex communi sententia, non potest mutari propriè. Quia Lex mutatur propriè, cùm desinit, aut fit inhonesta, noxia vel inutilis, aut abrogatur à superiore, vel contraria consuetudine præscribitur. At Lex naturalis neque potest desinere, cùm sit necessaria, & lata in perpetuum; neque fieri inhonesta, noxia vel inutilis: cùm nil præcipiat nisi bonum ac honestum, & ex natura rei necessarium, & nil vetet nisi id quod est per se malum ac inhonestum; neque potest abrogari à Superiore, nempe Deo: Deus enim non potest non præcipere semper creaturæ rationali id omne, quod ex natura rei necessarium est ad vivendum honestè, & decenter naturæ suæ; nec prohibere id omne, quod ex natura rei illam dedecet: nam non potest creaturam rationalem non regere sapienter & ordinatè, & modo suæ sanctitati consentaneo, ideoque decenter ac conformiter naturæ rationali. Quare Lex naturalis, supposita creatura intellectuali, est absolutè necessaria. Denique non potest contraria consuetudine præscribi: nam si non potest abrogari à Deo, multo minus potest ab hominibus.

Resp. 2. Lex naturalis potest mutari impropriè, quatenùs nempe potest fieri mutatio in circumstantiis materiæ illius. Nam Deus potest materiæ Legis naturalis apponere vel tollere conditiones ac circumstantias quasdam, quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ, & per quas mutatur materia.

Nota. Aliquid est de jure naturali permissivè, vel præceptivè. Illud est de jure naturali permissivè, quod Lex naturalis nec præcipit, nec vetat, nec irritat; sed permittit fieri, vel aliter de eo statui. Illud est de jure naturali præceptivè, quod præcipitur vel prohibetur jure naturali, ac proinde cujus oppositum à nemine statui potest.

Quæst. V. *An saltem Deus potest dispensare in aliquo præcepto Legis naturalis?*

Resp. 1. Ex communi sententia, non potest dispensare directè & propriè. Quia dispensare propriè in lege, est liberare aliquem ab obligatione Legis, manentibus omnibus circumstantiis: sub quibus Lex viget & obligat. At Deus non potest absolutè hoc facere in Lege naturali. Ergo. *Prob. Min.*

Nam

Nam Deum liberare aliquem ab obligatione Legis naturalis, manentibus omnibus circumstantiis, sub quibus illa per se obligat, est Deum concedere alicui ut agat aliquid jure naturali vetitum, vel omittat aliquid hoc jure præceptum, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus id jure naturali prohibetur, vel præcipitur: ac proinde ut agat id quod est intrinsecè malum ac inhonestum, vel omittat id quod tunc ex natura rei necessarium est ad honestatem morum, & cujus omissio dedecet naturam rationalem. At Deus non potest absolutè hoc concedere: nam hæc concessio repugnat sanctitati ac sapientiæ divinæ, & decenti ac ordinatæ gubernationi creaturæ intellectualis.

Obj. 1. Deus reipsa dispensavit in variis legis naturalis præceptis. Nam 1. dispensavit cum Abrahamo in homicidio, præcipiendo ut filium innocentem occideret. 2. Cum Patriarchis in Polygamia. 3. Cum Judæis in furto, nempe ut retinerent vasa Ægyptiorum ipsis commodata. 4. Cum Judæis in dissolutione matrimonii per libellum repudii. 5. Cum iisdem in usura. 6. Cum Olea, ut fornicaretur. 7. Cum Machabæis, ut pugnarent die Sabbati. Ergo.

Resp. Neg. ant. & ejus probationem. Nam Deus non præcepit, nec permisit has actiones, manentibus omnibus circumstantiis, sub quibus lege naturali prohibitæ sunt; sed solum mutavit conditiones ac circumstantias materiæ legis naturalis, sub qua mutatione actiones illæ non sunt lege naturali prohibitæ. Itaque.

Ad 1. *Resp.* Deus, ut supremus vitæ ac necis omnium Dominus, dedit Abrahamo jus in vitam filii innocentis, ut illum sibi immolaret. Occisio autem innocentis, facta authoritate & jussu Dei, non est injusta, nec vetita lege naturali, nec proinde homicidium, sed est justa & consentanea juri divino naturali.

Ad 2. *Resp.* Uxorum pluralitas non est contra jus naturale, posita concessione divina. Nam non repugnat absolutè fini primario conjugii, qui est prolis susceptio & educatio; sed tantùm adversatur societati & paci familiæ, & difficiliorem reddit bonam liberorum educationem: quibus incommodis Deus facilè auxiliis gratiæ prospicere potest. Polygamia quidem ponit inæqualitatem juris ac dominii corporum; sed hanc injustitiam tollit seu impedit Deus, mariti corporis dominium in plures uxores dividendo, quibus proinde jam non fit injuria, cùm Deus sit supremus omnium creaturarum, & jurium illarum Dominus.

Porrò Deus uxorum pluralitatem Patriarchis concessit, ad majorem fidelis populi, ex quo Christus nasciturus, & verus Dei cultus in cæteras gentes propagandus erat, multiplicationem.

Ad 3. *Resp.* Deus tamquam supremus rerum omnium Dominus, Ægyptiorum vasa Israelitis donavit, ita ut Ægyptii jam desinerent esse illorum domini: & sic Israelitæ non abstulerunt nec retinuerunt rem alienam, sed suam factam per donationem Dei, nec proinde furti rei fuere. Deus autem dominium rerum Ægyptiorum in Israelitas transtulit, tum ut summam Ægyptiorum in Israelitas crudelitatem puniret, tum etiam ut Israelitis debitam redderet laborum suorum mercedem, qua fraudati fuerant ab Ægyptiis.

Ad 4. *Resp.* Matrimonium dissolvi potest authoritate Dei ut authoris naturæ, & supremi omnium jurium creaturarum Domini. Repudium autem permittendo, hoc ipso irritavit seu dissolvit prioris matrimonii vinculum, quo dissoluto vir & prior uxor poterant aliud matrimonium contrahere. Lex enim naturalis prohibet dumtaxat secundum matrimonium, quamdiu prioris vinculum manet.

Ad 5. Tradetur responsio, ubi de usura agetur.

Ad 6. *Resp.* Cum SS. Augustino & Hieronymo. Deus non jussit Oseæ, ut fornicaretur, sed ut mulierem, quæ prius fornicaria erat, duceret uxorem, & ad eam affectu maritali accederet. Illa autem mulier vocatur adhuc post matrimonium fornicaria, quia talis ante illud fuerat; & filii ejus filii fornicationum appellantur, quia nati erant ex matre, quæ fuit fornicaria.

Ad 7. *Resp.* Præceptum de Sabbato non est de jure naturali quoad determinationem temporis. Præterea in facto Machabæorum non intervenit propriè dispensatio, sed solùm interpretatio legis. Nam illa lex non prohibebat opus ad humanam salutem necessarium, ut probat Christus Matth. 12. nec proinde actum pugnandi contra hostes, præsertim infideles.

Obj. 2. Papa per authoritatem à Deo acceptam dispensat. 1. In actuali residentia Episcoporum in suis Diœcesibus. 2. In votis & juramentis. 3. In matrimonio rato non consummato; quæ tamen omnia sunt de jure naturali.

Ad 1. *Resp.* Papa non eximit Episcopos ab obligatione residentiæ actualis in iis cir-

cumstantiis, in quibus ad eam lege naturali tenentur; sed solum cum authoritate declarat Episcopus in his aut illis circumstantiis posse legitimè a suis sedibus abesse.

Ad 2. Resp. Papa non tollit obligationem voti & juramenti, manente ipso voto & juramento, sed tamquam Vicarius Dei, & ejus nomine, remittit promissionem Deo factam, & juramentum; qua remissione facta, hoc ipso cessat obligatio præstandi promissum. Nam lex naturalis non præcipit reddi promissum, relaxata promissione. Promissio autem Deo facta relaxari potest à Deo, non solum immediatè, sed etiam mediatè, nempe per suum Vicarium & Oeconomum.

Ad 3. Resp. Papa dispensat in matrimonio rato non consummato, nomine Dei, vinculum conjugale tollendo, & rescindendo matrimonii contractum. Lex autem naturalis non obligat nisi ad servandum matrimonium non dissolutum, nec vetat illud dissolvi ex gravissima causa per supremam potestatem acceptam à Deo, qui ut naturæ author, & rerum ac jurium omnium Dominus, potest pro libito vinculum matrimonii dissolvere & quemlibet contractum rescindere sive per se, sive per alium. Deus tamen nemini concessit potestatem dissolvendi matrimonii consummati baptizatorum.

Igitur in his omnibus Summus Pontifex non dispensat propriè in lege naturali, legis naturalis obligationem directè tollendo, materia ejus secundùm omnes suas conditiones remanente: sed impropriè tantùm dispensat, tollendo aliquam conditionem seu circumstantiam se tenentem ex parte materiæ, aut actum fundantem obligationem annullando: quod facere potest ut Dei Vicarius, Oeconomus, & supremus Ecclesiæ Pastor à Deo constitutus.

Resp. 2. Deus potest dispensare impropriè in iis Legis naturalis præceptis, quorum materia pendet à Dominio Dei, quatenùs potest materiæ legis apponere vel tollere conditiones ac circumstantias quasdam, quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ. Sic Deus, ut supremus rerum ac jurium omnium creaturarum Dominus, potest alicui tribuere jus usurpandi bona aliena, occidendi innocentem, &c. Quo jure dato, acceptio boni alieni non est injusta, imò non est acceptio alieni, sed boni, quod fuit alienum, & jam per donationem Dei factum est proprium accipientis: occisio innocentis est justa, cùm fiat authoritate accepta à Deo, qui potest pro libito disponere de vita hominum, &c. In iis verò præceptis, quorum materia non pendet à dominio Dei, ne impropriè quidem dispensare potest: nam sunt quidam actus ita intrinsecè mali, ut in nulla circumstantia fieri possint liciti, cujusmodi sunt odium Dei, blasphemia, idololatria, hæresis, perjurium &c.

Quæst. VI. *Quid est Lex Positiva?*

Resp. Lex positiva in genere est ea, quæ liberè à legislatore lata est, & aliter promulgata quàm per lumen naturale, videlicet aliquo signo externo, putà voce, vel scripto. Alia est merè positiva, quæ scilicet statuit aliquid, quod non est sic statutum jure naturali, sed quod jus naturale permittit sic statui, ut lex vetans comestionem certarum rerum. Alia est etiam naturalis ex parte materiæ, quæ scilicet statuit aliquid, quod jam sic lege naturali statutum est, qualia sunt omnia præcepta Decalogi, excepta determinatione Sabbati.

Lex verò divina positiva est ea, quæ à Deo liberè lata est, & aliter promulgata quàm per lumen naturale. Tales sunt Lex vetus, & Lex evangelica, quæ sunt etiam Lex naturalis ex parte materiæ, quoad præcepta scilicet moralia, & merè positiva quoad cætera præcepta.

SECTIO III.

De Lege humana.

NOta. Jus gentium est jus ab omnibus aut ferè omnibus gentibus, usu & consuetudine vim Legis habente introductum. Sive est jus non scriptum, quod libero omnium aut ferè omnium nationum consensu & usu receptum, vim obligandi habet. Sic ad jus gentium spectant divisio & proprietas bonorum, &c. Quare jus gentium est quædam Lex humana virtualiter & æquivalenter.

CAPUT I.

De causa efficiente, & materia Legis humanæ?

Quæst. I. Quinam *possunt ferre leges, & quibus?*

Resp. 1. Leges Ecclesiasticas ferre possunt. 1. Papa pro tota Ecclesia, ex Jo: 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 2. Concilium generale etiam pro tota Ecclesia, Nationale pro tota natione, & Provinciale pro sua Provincia. 3. Legatus Apostolicus pro sua provincia. 4. Episcopus

pus pro sua diœcesi, licèt non consecratus, modò sit confirmatus. Archiepiscopi autem, Primates & Patriarchæ extra Concilium possunt pro sua tantùm diœcesi. 5. Qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut aliqui Abbates pro locis sibi subjectis. 6. Ordines Religiosi in Capitulo generali; non tamen illorum Præpositi generales, nisi ex speciali & expressa concessione Papæ, quæ ordinariè non datur; neque Ordo fœminarum, qui æquè est incapax jurisdictionis ecclesiasticæ, ac earum singulæ: ideoque non potest ferre leges propriè dictas, sed solùm statuta conventionalia, & obligantia vi voti obedientiæ.

Resp. 2. Leges civiles sancire possunt, Imperator pro toto Imperio, Rex & quivis Princeps, ac Respublica superiorem non agnoscens, pro suis ditionibus. Ratio generalis est, quia Episcopi & Principes sæculares præpositi sunt Rectores communitatis perfectæ; ac proinde habent legislativam potestatem, utpote necessariam ad rectè ac convenienter regendam communitatem perfectam: nec enim rectè ac convenienter communitatem perfectam regere possunt, nisi habeant potestatem efficaciter ac stabiliter statuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi ut observentur, coercendo & puniendo improbos ac rebelles, omnesque in officio continendo.

Nota. Qui possunt condere leges: à fortiori possunt ferre præcepta, quæ etiam imponere potest quivis Superior privatus respectu suorum subditorum circa materiam directioni suæ subjectam; nam nemo potest esse Superior sine potestate præcipiendi.

Resp. 3. Nemo potest ferre leges, nisi suis subditis, & de rebus suo regimini subjectis; cùm nemo habeat potestatem in non subditos, & circa res suo regimini minimè subjectas. *Potestas spiritualis & sæcularis, utraque deducitur à potestate divina: & ideò in tantùm sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei à Deo supposita, scilicet in his quæ ad salutem animæ pertinent. Et ideò in his magis est obediendum potestati spirituali, quàm sæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari, quàm spirituali, secundùm illud* Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, ait S. Thom. in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 4. ad 4. Hinc 1. Principes merè Ecclesiastici non possunt ferre leges nisi de rebus spiritualibus, & ad regimen ecclesiasticum; Sæculares verò nisi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus. Principes tamen sæculares, *quos Deus sanctæ fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit*, ait Trid. sess. 25. cap. 20. ut tales possunt & debent fidem, Ecclesiamque tueri, & curare ut ejus leges observentur, ut monet S. Leo ad Leonem Imperat. ep. 75. *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.*

2. Imperator non potest ferre leges pro regionibus, quarum non est dominus jure feudi vel alio titulo; & sic regiones illæ non tenentur legibus Justiniani, aut aliis Imperatoriis, nisi eas adoptaverit supremus Princeps, vel consuetudo.

3. Nemo potest ferre leges contrarias legibus sui Superioris: Quia potestas inferioris non prævalet, imò subest potestati superioris. Sic Episcopus non potest ferre leges contra jus commune; vel legem Papæ.

Quæst. II. *Quid potest statuere Lex humana?*

Resp. 1. Non potest quidquam statuere contra legem divinam sive naturalem, sive merè positivam. Nam potestas humana est subordinata potestati ac voluntati Dei, & inferior non potest derogare juri superioris, quo spectat illud Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Resp. 2. Homines possunt multa præcipere, vetare, aut irritare, quæ nec lege naturali, nec positiva divina, præcepta, vel vetita, aut irrita sunt. Constat 1. Ex praxi: nam multa legibus humanis statuuntur, quæ lege divina naturali aut positiva sic statuta non sunt; quæque supposita lege humana obligant, ex lege divina, naturali, & positiva generaliter præcipiente, ut subditi justis superiorum præceptis obtemperent. 2. Quia legislator humanus habet potestatem legibus statuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt: potestas enim legislativa hominibus concessa, tanta est, quantam postulat bonum commune, propter quod datur: nam (ut ait S. Thom. 1. 2. quæst. 95. art. 3.) *Uniuscujusque rei, quæ est propter finem, necesse est quòd forma determinetur secundùm proportionem ad finem.* At multa ad bonum commune expediunt, quæ nulla lege divina statuta ac determinata sunt. 3. Alioqui non extaret potestas verè legislativa humana, sed tantùm potestas declarativa vel determinativa juris divini.

Resp. 3. Legislator humanus non potest omnibus quoslibet virtutum actus etiam heroicos præcipere, nisi bonum commune aliquem ejusmodi actum exigeret. Quia Lex humana debet esse accommodata hominum conditioni, & verè moraliter possibilis toti communitati, aut saltem majori parti illius. At exercere quoslibet actus virtutum non est hujusmodi, hoc enim paucorum est ac perfectorum. Ergo. *Major constat*. Nam Lex humana debet esse utilis bono communi ad quod ordinatur: at non erit talis, si non sit accommodata hominum conditioni, & moraliter possibilis majori saltem parti communitatis: nam lex moraliter impossibilis à paucis observaretur, ac proinde esset in ruinam majori parti eam transgredienti; sicque posita hac lege, major pars subditorum pejor evaderet.

Hoc tamen non debet intelligi de legibus, quæ possunt ferri ex aliqua hypothesi voluntaria: sic enim Ecclesia præcipit castitatem perpetuam iis, qui sacros Ordines suscipere volunt. Sic etiam ex hypothesi delicti gravis imponi possunt graves pœnæ. Item nec de Regulis Religiosorum ex amore perfectionis sponte susceptis.

Resp. 4. Legislator humanus potest omnibus præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune expediunt, & ordinariæ facultati communitatis accommodati sunt, & potest prohibere illos actus vitiorum, qui bono communi noxii sunt, & cum morali utilitate Reip. coerceri ac puniri possunt. Nam potestas ferendi leges hominibus data, tantam habet latitudinem, quantam postular bonum commune, propter quod datur: finis enim est mensura eorum, quæ sunt & requiruntur ad finem. Cùm autem non sit idem finis potestatis ecclesiasticæ & civilis, unaquæque potest solùm præcipere actus virtutum illarum, quæ suo fini accommodatæ sunt. Proximus quippe ecclesiasticæ potestatis finis est cultus divinus & felicitas æterna: Civilis verò potestatis proximus finis est publica tranquillitas & temporalis felicitas populorum; quamvis ejus finis ultimus sit gloria Dei & æterna hominum felicitas; nam omne regimen ad Dei gloriam & æternam hominum salutem referri debet.

Resp. 5. Superior habet potestatem obligandi subditos in omni casu, in quo judicat se posse obligare, quamdiu non est evidens eum falli, sic judicando. Nam bonum commune & recta gubernatio postulat, ut hanc potestatem habeat. Alioqui magna daretur subditis licentia Superiorum jussa abnuendi; quod multùm obesset rectæ eorum gubernationi, & bono communi.

Quæst. III. ***An Lex humana potest præcipere actus internos?***

Resp. 1. Lex humana potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint in tali specie morali, putà contractus, juramenti, Sacramenti, orationis, &c. Ita communiter. Quia 1. Ecclesia habet potestatem præcipiendi actus externos, qui necessarii sunt, aut valde expediunt ad rectam gubernationem, bonum commune Ecclesiæ, & cultum Dei convenientem. At Actus externi, in tali specie morali constituti, tales sunt. Ergo Ecclesia potest ejusmodi actus externos præcipere. Ergo potest etiam præcipere actus internos necessarios, ut illi actus externi sint in tali specie: nam qui potest præcipere aliquid, potest etiam præcipere id omne, sine quo illud esse nequit: alioqui non haberet veram & efficacem potestatem illud præcipiendi. 2. Ecclesia potest præcipere Sacerdoti, ut verè sacrificet, baptizet, &c. Fidelibus, ut verè orent, contrahant, jurent, voveant, &c. Nam hi actus sunt necessarii, vel valdè expediunt ad bonum commune Ecclesiæ, cultumque in ea debitum. Ergo Ecclesia potest præcipere intentionem sacrificandi, laudandi Deum, orandi, se obligandi, jurandi, &c. cùm sine hac intentione tales actus fieri nequeant.

3. Reipsa Ecclesia præcipit Confessionem sacramentalem validam, ac proinde etiam dolorem internum ad illam requisitum: nam Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Item Ecclesia præcipit promovendis ad beneficia & gradus theologicos, ut jurent se sincero animo damnare quinque famosas Propositiones in sensu doctrinæ Jansenii: cui præcepto non satisfit, nisi interius credant has propositiones hæreticas contineri quoad sensum in libro Jansenii, ut declaravit Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* recepta ab Ecclesia.

Resp. 2. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint boni ac honesti. Quia 1. Ecclesia habet potestatem præcipiendi actus externos honestos. Nam hæc potestas multùm expedit, imò necessaria est ad rectam Ecclesiæ gubernationem, ad cultum Religionis in Ecclesia debitum, & ad bonum animarum. Ergo potest etiam præcipere actus internos ad honesta-

statem necessarios, præsertim cùm Ecclesiæ potestas sit spiritualis, & immediatè ordinata ad salutem animarum: nam sine hac potestare inanis ac nulla esset prior potestas. 2. Reipsa Ecclesia præcipit actus externos ut honestos: sic præcipit Communionem Paschalem honestam ac religiosam: nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Item præcipit Beneficiatis, ut Officium *studiosè & devotè* celebrent, cap. *Dolentes, de celebrat.* & fidelibus auditionem sacri religiosam, & cum attentione interna: unde oppositum damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Ecclesia autem dici non potest sibi attribuere potestatem aliquam, quam reipsa à Christo non acceperit; cùm semper regatur à Spiritu Sancto, & sit *columna & firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3.

Resp. 3. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint honestatis seu virtutis. Quia 1. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint honesti ac boni: Ergo etiam ut sint honesti tali honestate speciali. Quidni enim hoc æquè posset ac illud, cùm utrumque ad cultum Religionis conducat, & communi Ecclesiæ bono expedire possit? 2. Ecclesia potest præcipere non solum ut actus externus rectè fiat, sed etiam ut fiat propter talem finem bonum: sic in gravi necessitate vel periculo communi, Episcopi jejunia & preces fidelibus interdùm præcipiunt ad avertendam calamitatem publicam, obtinendam pacem, &c. Nec satisfacit tali præcepto, qui jejunat vel orat ob alium finem licèt bonum, cùm non faciat id totum, quod præcipitur. 3. Reipsa Ecclesia prohibet, ne actus externi fiant aut omittantur propter talem finem malum, ut patet ex *Clementina* 1. *de statu Monach.* ubi excommunicatur Monachus Benedictinus, qui sine licentia Prælati se confert ad Curiam animo accusandi Prælatum. Et ex *Clement.* 1. *ad Hæret.* ubi excommunicantur Inquisitores, qui ex odio, vel amicitia, vel lucri cupiditate omittunt contra justitiam & conscientiam procedere contra aliquem in causa Fidei. Ergo Ecclesia vetare potest, ne actus aliqui fiant ex tali fine, ideòque sint inhonesti speciali inhonestate. Ergo etiam potest præcipere ut actus externi fiant ex tali fine honesto, ideòque sint honesti tali specie honestatis: nam actus boni sumunt speciem à fine. Ergo Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint honesti in tali specie honestatis seu virtutis.

Porrò actus internus ad talem honestatem actus externi necessarius, quantùm ad positionem vel omissionem sui, potest sufficienter innotescere per positionem vel omissionem actus externi, ad cujus honestatem requiritur: quia cum actu externo unum eumdemque actum totalem constituit, ac proinde posito actu externo in talibus circumstantiis internus rationabiliter præsumitur poni, nisi sufficientia ad contrarium judicandum adsint indicia: omisso autem actu externo, internum omitti certò cognoscitur; ideoque talis actus internus est sufficienter proportionatus legi humanæ etiam coactivæ.

Quæst. IV. *An Ecclesia potest præcipere vel prohibere actus merè internos?*

Resp. Communis sententia negat: sed asserunt Glossa in cap. *Cogitationis*, dist. 1. *de pænit.* Adrian. Major, Julius Clarus, Rosella, Albertin. Melina, Cardenas, la Croix, &c. Et probant 1. ex Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, &c.* quæ verba generalia sunt, & significant amplissimam potestatem à Christo Ecclesiæ concessam, quæ proinde limitari non debet ad actus externos. 2. Quia potestas Ecclesiæ est spiritalis, & ordinatur immediatè ad salutem animarum, quæ pendet maximè ab actibus internis. Ergo extenditur etiam ad actus merè internos, cùm sint materia proportionata fini potestatis ecclesiasticæ: nam finis cujuslibet potestatis, est mensura illius. 3. Ecclesia præcipit directè & immediatè actus internos. Sic cap. ult. *de hæret. in 6.* Papa præcipit Inquisitoribus, ut putam & providam intentionem habeant. 4. Reipsa Conc. Trident. sess. 6. in procemio prohibet ne aliter credatur, quàm suo decreto statuitur. Ergo dissensus merè internus, non solùm præcepto divino, sed etiam ecclesiastico prohibetur. 5. Urbanus VIII. mandavit in omnibus & per omnia servari ab omnibus Rubricas Missalis Romani, inter quas una præscribit, ut Sacerdos *aliquantulum quiescat in meditatione Sanctissimi Sacramenti*: quæ certè meditatio est actus merè internus. 6. Innocentius VI. damnavit hanc propositionem Michaelis de Molinos: *Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Episcopos ... Quia Ecclesia non judicat de occultis.*

Nec obstat, inquiunt, illud cap. *Sicut*, 2. *de Simon. Ecclesia non judicat de occultis.*

Et cap. *Tua nos*, eod. tit. *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare*. Quia ad præcipiendum & obligandum in conscientia, non necesse est ut Superior possit cognoscere transgressionem factam; sed sufficit ut reverà velit obligare, seu præcipere; nam hoc ipso culpæ & pœnæ reatus contrahitur apud Deum, qui vindex est violationis legum humanarum. Neque, inquiunt, inutilis est hæc potestas circa actus merè internos. Nam ut potestas præcipiendi sit utilis & efficax, sufficit quòd possit obligare in conscientia, & sub culpa à Deo punienda; hæc enim obligatio satis per se urget impletionem præcepti: ut patet in lege naturali.

Imò sunt qui putant Ecclesiam punire posse pœna ipso facto lata actus merè internos, v. gr. hæresim merè internam, sicut punit occultam: quia ad hoc non requiritur cognitio transgressionis.

Ad authoritatem & rationem S. Thomæ respondent: Homo quidem non potest de actibus merè internis ferre legem coactivam coactione externa, hoc est, obligantem sub pœna per hominis sententiam ferenda; quia talis lex requirit, ut homo per se possit cognoscere, judicare, & punire; quod præstare non potest, si materia legis esset actus merè internus, utpote prorsùs occultus. Sed, inquiunt, potest homo ferre legem obligantem tantùm sub culpa à Deo punienda, vel etiam sub pœna ipso facto contrahenda circa ea quæ non potest cognoscere, nec per se punire; quia lex illa per seipsam sufficienter cogit & punit transgressorem, & per se operatur omnem effectum quem habere potest, & qui intenditur à legislatore.

Quæst. V. *An Lex ponit rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo, etiam extrinseco præcipitur?*

Resp. Affirm. Ita Delugo, Cardenas, & alii communissimè. Quia 1. omnis actus specificatur à fine etiam extrinseco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, aut se inebriat, est in se speciei furti & ebrietatis; & furans ex hoc fine, magis est intemperans quàm fur, ut docent Aristoteles & S. Thomas. Ergo lex pariter specificatur à fine etiam extrinseco, sicut omnis electio medii specificatur à fine intento: nam lex æquè finem extrinsecum intendit, & actionem aliquam præcipit vel vetat tamquam medium ad illum finem. Permutatio beneficiorum ex propria authoritate, non est de se mala contra Religionis virtutem, sed solùm quia prohibetur ab Ecclesia ex motivo religionis & reverentiæ erga res sacras. Item sumptio cibi vel potus levissimi ante Communionem est sacrilega, ob prohibitionem Ecclesiæ factam ex motivo reverentiæ erga Eucharistiam.

Ut autem præceptum obliget subditum ex illa virtute, ex cujus motivo materiæ extrinseco imponitur, requiritur. 1. Ut Superior declaret, se ex illo motivo præcipere, si non sit aliunde notum: alioqui actus non præsumitur præcipi nisi ex motivo suo intrinseco, v. gr. jejunium ex motivo temperantiæ. 2. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam ejus necessariam: quamvis enim Ecclesia præcipiat jejunium in vigilia Nativitatis Christi, v. gr. non solum ex motivo intrinseco temperantiæ, sed etiam ex motivo extrinseco Religionis, nempe ad honorem Christi; quia tamen obligationem Religionis nobis non imponit, qui isto die non jejunat, peccat solùm contra temperantiam.

Quæst. VI. *An qui violat legem humanam de actu virtutis alicujus, v. gr. Religionis, peccat solum contra obedientiam?*

Resp. Peccat etiam contra virtutem illam, cujus actus præcipitur. Quia obligatur ad actum virtutis qui præcipitur, cùm præceptum humanum obliget in conscientia. Hinc qui sacrum omittit die festo, non abstinet à carnibus feria sexta, peccat contra Religionem & temperantiam; & tenetur hæc peccata specie diversa exprimere in Confessione; nec satisfaceret dicendo, se bis peccasse contra præceptum Ecclesiæ.

CAPUT II.

De obligatione Legis humanæ.

Quæst. I. AN *Principes Ecclesiastici, & sæculares, possint etiam fidelibus ferre leges obligatorias in conscientia, ita ut earum transgressio sit offensa Dei, etiam mortalis in re gravi?*

Resp. Affirm. Fide constat. *Prob.* 1. Ex 1. Petr. 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, sive Ducibus ... quia sic est voluntas Dei.* Et Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt .... Ideò necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo qui resistit

sistit potestati civili transgrediendo ejus legem, resistit Deo, & acquirit sibi damnationem etiam æternam à Deo, ut explicant Patres, & patet ex his verbis: *Ideò subditi estote propter conscientiam*. Ergo Principes sæculares possunt ferre leges, quarum transgressio sit mortalis culpa.

Idem à fortiori possunt Principes Ecclesiastici; cùm potestas Ecclesiastica sit spiritualis, & altioris ordinis; & constat adhuc, 1. Pro Summo Pontifice: nam Christus dixit Petro, & successoribus ejus, Joan. 21. *Pasce agnos meos. Pasce oves meas*. Et Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*. 2. Pro Episcopis: nam Christus dixit reliquis Apostolis, & eorum successoribus Episcopis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo*. Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Et Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris*. Item ex Trident. sess. 7. can. 8. & sess. 25. de delectu ciborum; & ex cap. *Violatores*. 25. ex q. 1. & sequentibus. Hoc etiam constat ex traditione, & perpetuo sensu ac usu Ecclesiæ & fidelium. Sic, Act. 15. Apostoli, statuendo Legem etiam merè positivam, qualis est Lex abstinendi à sanguine & suffocato dicunt: *visum est Spiritui Sancto & nobis*. Et de Paulo dicitur: *perambulabat... confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum*.

Prob. 2. Quia Lex naturalis præscribit, & recta ratio dictat subditos teneri Superiorum præceptis parere: nam esse superiorem, est potestatem ac authoritatem habere in alios, qui tamquam subditi debeant illi parere.

Prob. 3. Qui violat jus alterius in re gravi, hoc ipso Deum graviter offendit: nam Deus vult ac jubet ut suum cuique tribuatur; & graviter vetat ne graviter violetur jus alterius, cùm violare jus alterius sit intrinsecè malum, ideòque prohibitum lege divina naturali. At violans præceptum legislatoris in re gravi, violat graviter jus illius, nempe jus quod habet exigendi per legem suam aliquid grave, & quo reipsa illud graviter exigit. Ergo. Adde quòd potestas obligandi in conscientia sub mortali, sit necessaria ad rectam gubernationem & efficaciam legum; alioquin innumeræ essent transgressiones occultæ; nec finis Legis satis obtineri posset.

Nota. Obligare in conscientia est imponere necessitatem agendi vel omittendi aliquid ad vitandam culpam & offensam Dei. Obligatio verò in conscientia est talis necessitas.

Obj. 1. Multos Scripturæ textus.

1. Illud Matth. 15. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. *Resp.* Ibi Christus damnat, non præcepta hominum justa & legitima, sed injusta, & contraria legi divinæ, vel etiam inutilia, quæ Pharisæi anteponebant legibus divinis.

Porrò cùm dicitur Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*: Supple aliquid tamquam præceptum divinum, immediate à Deo latum. Cùm autem Deus Deuter. 12. dicit: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino*; loquitur de præceptis cæremonialibus, & prohibet Judæis, ne ad illa addant aliquid, præsertim ex ritibus Gentilium.

2. Illud 2. Cor. 3. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. *Resp.* Per libertatem intelligitur immunitas à servitute peccati, à timore serviliter servili, &c. Cùm autem dicitur Rom. 6. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Et Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*; hæc verba, *Non estis sub lege*, significant: Non servitis, nec obeditis concupiscentiæ, sed illi imperatis. In aliquibus aliis locis, per legem intelligitur lex Mosaica, quæ per Evangelicam abrogata est, & à qua omnes sunt liberi.

3. Illud 1. Tim. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis, &c.* *Resp.* Sensus est: Lex non est posita justo ad illum pœnis coercendum & terrendum, quia justus libenter & ex amore justitiæ legem observat. Quare lex justo imposita est ad illum dirigendum: lex quippe plura officia & effectus habet.

4. Illud Jac. 4. *Unus est Legislator & judex*, nempe Deus. *Resp.* Sensus est, unum esse Legislatorem supremum & principalem, à quo cæteri suam potestatem accipiunt: sicut Matth. 23. dicitur: *Unus est Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester unus est Christus*. Et verò cùm multa ad bonum commune necessaria & utilia sint, quæ jure naturali & positivo divino statuta non sunt, necesse fuit dari à Deo hominibus potestatem illa statuendi, & alia non satis jure divino determinata magis determinandi.

Obj. 2. Præcepta evangelica sufficiunt. Ergo inutilia sunt præcepta humana. *Resp.* Neg. conseq. Nam inter præcepta evangelica est præceptum parendi legibus Principum Ecclesiasticorum & sæcularium, atque præceptis legitimis superiorum, quorum autho-

ritatem commendat, & quibus obedientiam præcipit Christus per se & per Apostolos. Unde ad servandam legem Evangelicam obtemperandum est legibus ac præceptis humanis.

Obj. 3. Inferior non potest obligare in foro superioris. Ergo homo non potest ligare in foro conscientiæ, quod est forum Dei. *Resp.* Inferior obligare potest in foro superioris, quando potestas inferioris est ab ipso superiore. Omnis autem potestas est à Deo.

Obj. 4. Principes, præsertim sæculares, non intendunt obligare sub peccato. *Resp.* Hoc saltem virtualiter & implicitè intendunt. Nam hoc ipso quòd intendunt uti potestate legislativa, quæ à Deo derivatur, sufficienter intendunt obligare sub peccato, propter essentialem connexionem usus potestatis à Deo derivatæ, & obligationis sub culpa.

Instabis. Legislator humanus non exprimit obligationem in conscientia, & sæpè de ea non cogitat, ferendo legem. Ergo non obligat in conscientia. *Resp.* Nego conseq. Quia ad obligandum in conscientia non requiritur expressa intentio & mentio obligationis in conscientia, sed sufficit implicita & virtualis, contenta scilicet in præcepto. Nam hoc ipso quòd superior præcipit aliquid, ad illud sub culpa mortali vel veniali pro gravitate vel levitate rei præceptæ obligat vi legis divinæ generaliter præcipientis observationem omnis legitimi præcepti superiorum: obligatio enim sub culpa essentialiter annexa est præcepto cuilibet legitimo, quia Deus vult & jubet, ut legitimis superiorum præceptis obtemperemus. Quare violando præceptum hominis, violatur etiam illud præceptum divinum generale, quod sanè obligat pro capacitate materiæ.

Quæst. II. *Quandonam Lex humana obligat sub mortali culpa?*

Resp. 1. Ex communi sententia, ad hoc requiritur materia gravis. Quia 1. potestas humana est limitata, & commensurata exigentiæ ac capacitati materiæ. 2. Obligare graviter in re ex omni parte levi, est contra rectam rationem, bonum commune, & convenientem gubernationem, & in perniciem animarum, imò est injustum; nulla autem est potestas à Deo data hominibus, nisi ad ædificationem, non in destructionem. 3. Lex divina naturalis & positiva numquam obligat sub mortali in materia levi sub omni respectu.

Item secundùm multos, requiritur intentio superioris graviter obligandi seu exigendi graviter, hoc est, ex tota sua potestate id quod statuit: quia superior potest in materia gravi obligare tantùm sub veniali. Non tamen requiritur ut superior expressè intendat obligare sub mortali: sed satis est quòd intendat uti sua tota potestate, & graviter exigat aliquid grave, licèt ignoret quid sit obligatio sub peccato: cùm enim potestas superioris sit à Deo, & Deus jubeat ut subditi ei pareant, posita gravitate præcepti humani, hoc ipso oritur obligatio gravis, adeòque sub mortali.

Resp. 2. Lex obligat sub mortali, quoties materia est gravis, & Legislator absolutè præcipit vel vetat, nec expressè significat se velle solùm obligare sub veniali. Ita omnes ex Clement. 1. *de verb. signif.* quia tunc superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundùm materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare, nisi oppositum declaret; & sic imponit præceptum grave, ideoque graviter obligans.

Cæterum ad gravitatem materiæ legis duo requiruntur & sufficiunt. 1. Ut finis proximus legis, seu id quod proximè intenditur per legem, sit magni momenti. 2. Ut id, quod statuitur, non parum ad illum finem conferat, quamvis sit aliquid in se leve. Sic comestio pomi in paradiso, licèt de se levis, tamen erat gravis ratione finis à Deo intenti, nempe ut homo suam subjectionem & dependentiam à Deo profiteretur. Sic etiam ingressus viri in claustrum Monialium est materia gravis; quia ejus omissio multùm confert ad gravia mala avertenda. Quare legis materia gravis est, quando res præcepta vel prohibita, multùm conducit ad finem proximum legis, qui sit gravis momenti.

Resp. 3. Gravitas materiæ, & intentio superioris sufficiens ad obligandum sub mortali, cognosci possunt. 1. Ex gravitate verborum, quibus utitur superior, ut v. g. cùm præcipit vel vetat aliquid sub interminatione divini judicii, vel in virtute obedientiæ, vel ex tota sua potestate, &c. Nam gravissima verba non adhibentur à prudenti superiore, nisi circa materiam gravem, & ad significandam gravem obligationem. Item dum significat se velle obligare sub gravi culpa. 2. Ex gravitate pœnæ transgressoribus impositæ, qualis est excommunicatio, pœna mortis, exilii, carceris perpetui, &c. Nam gravis pœna non imponitur justè, nisi pro gravi culpa, quæ supponit gravem obligationem præcepti violati. 3. Ex communi prudentum judicio, vel ex consuetudine, quæ est *optima legum interpres*, *cap. de Consuet.*

Quæst. III. *An legislator potest in materia gravi obligare solùm sub veniali?*

Resp. Multi asserunt, & videtur communis sententia. Quia 1. Potestas obligandi, quam habet Legislator, est quoad usum in ejus libera voluntate, & sic potest eam applicare prout voluerit. Ergo potest illam applicare ad obligandum solum sub veniali, præsertim cùm materia majoris obligationis sit etiam capax minoris, & hoc ad convenientem gubernationem interdùm expediat, ne scilicet nimiùm oneretur conscientia subditorum, qui sufficienter ad talis legis observationem inducuntur per obligationem sub veniali. 2. Multæ leges ac constitutiones Religiosorum, ut Carmelitarum discalceatorum, à SS. Pontificibus approbatæ, obligant solùm sub veniali in rebus gravibus, ut jejuniis, abstinentiis, &c. 3. Lex divina solùm præcipit, ut pareatur superiori quantùm & quatenus præcipit, & ab illa oritur obligatio commensurata voluntati superioris. Ergo si superior leviter exigat & præcipiat aliquid, etsi de se grave, inde oritur solùm obligatio levis, & tunc præceptum censetur formaliter leve. 4. Actus liberè agentium non operantur ultra intentionem eorum.

Obj. 1. Legislator humanus non potest in re levi obligare sub mortali culpa. Ergo non potest in re gravi obligare sub veniali. *Resp.* Neg. conseq. Quia Deus non dedit hominibus potestatem obligandi alios nisi secundùm materiæ capacitatem: alioqui regimen humanum esset nimis durum. At legislator cùm habeat potestatem præcipiendi & vetandi liberè exercendam, potest illam potestatem applicare ad præcipiendum vel prohibendum rem gravem sub levi culpa, sicut potest illam potestatem nullo modo exercere nec applicare. Et interdum habere potest justam causam sic applicandi suam potestatem, putà ne nimiùm gravetur conscientia subditorum, & ne detur occasio graviter peccandi, quando aliunde levis obligatio sufficienter inducit subditos ad servandam legem, ut constat ex legibus quorumdam Religiosorum à Sede Apostolica approbatis.

Obj. 2. Licèt pendeat à legislatore, ut legem ferat vel non ferat, tamen posito præcepto, vis obligandi derivatur à lege naturali. Ergo vim illam obligandi minuere nequit legislator. *Resp.* Posito præcepto, derivatur quidem à lege naturali vis obligandi, sed proportionata præcepto, quod in hoc casu leve est, cùm legislator tunc leviter præcipiat.

Quæst. IV. *An leges fundatæ in præsumptione, obligent in conscientia?*

Nota. Duplex est præsumptio, altera periculi, seu potentiæ, quæ frequenter ad actum reducitur; & altera facti, qua factum aliquod in particulari præsumitur.

Resp. 1. Lex fundata solùm in præsumptione periculi, semper obligat in conscientia. Quia 1. Leges illæ semper nituntur veritati, ac judicio certo periculi, vel sæpè vel aliquando contingentis; quod semper verum est: 2. Legislator intendit per illas obligare, etiamsi eventus periculi non interveniat aliquo casu particulari. Nam bonum commune postulat ut omnes & semper obligentur: alioqui non impediretur efficaciter malum, quod sæpe evenire posset, etiam cùm ejus periculum non perspicitur, & multi, imò plerique sibi falsò persuaderent non extare periculum respectu sui; & sic lex paucos obligare censeretur. Hinc lex vetans & irritans matrimonia clandestina, fundata in periculo fraudis, scelerum & incommodorum, quæ ex illis facilè oriri possunt, obligat etiam in casu, in quo ista certò non evenirent.

Resp. 2. Præceptum fundatum in præsumptione facti, quod in re ipsa supponitur, non obligat in conscientia, non subsistente veritate facti. Quia tunc non subsistit fundamentum præcepti, nec proinde obligatio ejus, nec tunc superior intendit obligare, cum nulla sit ratio obligandi. Sic mulier non tenetur obedire Episcopo præcipienti, ut reddat debitum ei, cui ipse præsumit eam esse validè conjunctam, cùm tamen non sit propter occultum impedimentum: imò peccaret, si obediret.

Quæst. V. *An Lex humana potest obligare cum gravi nocumento seu damno?*

Nota. Certum est legem naturalem obligare ad sui observationem, etiam cum damno vitæ, in iis circumstantiis, in quibus viget, seu jubet vel vetat aliquid. Quia non præcipit nec vetat nisi id, cujus commissio vel omissio dedecet naturam rationalem, estque intrinsecè mala. Non licet autem, ad vitandam mortem, & quodvis supplicium, facere aliquid intrinsecè malum, etsi leve: nam quod est ex natura rei malum ac illicitum, tale est in quovis periculo & damno. Item id quod à Deo præcipitur ut medium absolutè necessarium ad salutem animæ, obligat cum quovis damno temporali, etiam vitæ, cùm salus æterna sit rebus omnibus temporalibus anteponenda.

Resp. 1. Ex communi sententia, leges humanæ

manæ non obligant plerumque, seu ordinariè, cùm gravi nocumento seu damno, quod per accidens conjunctum est actui præcepto. *Prob.* 1. Ex cap. 2. *de observ. jejun.* ubi statuitur infirmos esse immunes à jejunio, *cùm non subjaceat legi necessitas*. Et ex cap. 4. *de regul. juris*. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in sabbato pugnabant. Sic & hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* 2. Ex praxi Ecclesiæ, & consensu omnium, præcepta audiendi Sacrum, jejunandi, recitandi horas, &c. non obligant cum gravi incommodo seu damno. 3. Leges divinæ merè positivæ, quæ strictiùs obligant quàm humanæ, non solent obligare cum gravi nocumento. Nam Christus Matth. 12. approbat factum Davidis, qui necessitate gravi comederat panes Propositionis, quorum esus lege divina erat laicis prohibitus. Item lex de integritate confessionis ex communi non obligat cum gravissimo damno confessioni extrinseco. 4. Ex cap. *Erit*, dist. 4. lex debet esse possibilis secundùm hominum naturam & consuetudinem. Sed ex S. Antonino 2. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Impossibile est, quod vix possibile est, ut putà nimiam habens difficultatem.* 5. Ordinariè ad bonum commune, & ad finem legum illarum assequendum sufficit, si illæ obligent ac serventur communiter, & extra casus extraordinarios gravis periculi ac damni. Unde Legislator prudens censetur obligare cum hac moderatione & benignitate: alioquisine causa sufficiente exponeret subditos morali periculo peccandi.

Dixi, *ordinariè*, ob sequentes responsiones.

Resp. 2. Ex communi sententia, lex humana, cui periculum gravis damni est accidentarium, observari debet aliquando per accidens cum quovis damno temporali, etiam vitæ, quando scilicet omitti non potest sine contemptu legitimæ potestatis, vel religionis, aut scandalo gravi. Quia lex humana, vel saltem divina naturalis, tunc obligat ad tuendam & non contemnendam, etiam exteriùs tantùm, religionem & potestatem publicam, quæ præponderat bono vitæ privati. Quippe ad bonum commune plus refert religionem & potestatem legitimam non contemni, ac scandalum omitti, quàm privati vitam servari. Dixi, *saltem naturalis*: nam contemptus etiam externus legis & potestatis legitimæ, vel religionis, & scandalum, sunt intrinsecè mala, ideòque lege naturali prohibita, quare Machabæi elegerunt potius mori, quàm manducare carnem suillam in contemptum legis veteris, 2. Machab. 7.

Hinc quamvis juxta multos, liceat Catholico transeunti per loca Hæreticorum, comedere carnes die aliàs vetito, ne si abstineat, prodat se Catholicum, & ideò de vita periclitetur, eò quod præceptum Ecclesiæ nòn obliget cum tanto damno; tamen si quis ab Hæretico cogeretur ad comedendas carnes die vetito, ut ostenderet hoc facto se despicere ecclesiasticam legem seu potestatem, teneretur subire mortem, potiùs quam comedere. Nec excusaretur, etsi declararet se non comedere carnes in contemptu Ecclesiæ, sed propter necessitatem ad vitandam mortem: nam tunc adhuc esset contemptus externus legis, qui semper est intrinsecè malus. *De Lugo*.

Resp. 3. Ex communi sententia, lex humana potest per se obligare cum periculo & damno etiam vitæ. Quia in quavis communitate perfecta, est tota potestas ad suam conservationem & ad bonum commune necessaria. Nam Deus ut author naturæ, cujuslibet communitatis civilis gubernationi ac communi bono, & Christus Ecclesiæ bono ac recto regimini sufficientissimè providit. Ergo in quavis communitate perfecta est potestas præcipiendi actus ad suam conservationem & bonum commune necessarios, quamvis annexum habeant vitæ periculum; cùm aliundè æquum sit pro totius salute partem periculi objicere. Sic Episcopus potest obligare Vicarium mortuo Parocho, ad non deserendum parochianos tempore pestis, Dux milites ad servandam stationem, vel irruendum in hostes cum certo mortis periculo, &c.

Lex autem humana tunc maximè per se obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per se actui præcepto conjunctum est. Sed tunc ad justitiam legis requiritur ut res præcepta sit gravis, & necessaria ad conservationem, vel bonum statum reip. Nam respublica non habet dominium, sed solùm convenientem usum vitæ civium.

Quæst. VI. *An & qualis promulgatio requiritur ut Lex obliget?*

Nota. Promulgatio Legis est Legis publicatio, seu publica denuntiatio facta nomine Principis, per quam Lex subditis innotescere potest. Fit autem vel voce præconis, vel affixione Legis scriptæ in loco publico, vel alio simili modo. Unde differt à divulgatione, quæ est promulgationis extensio, qua scilicet Legis jam promulgatæ notitia extenditur

ditur ad omnes, aut saltem ad majorem partem subditorum.

Resp. 1. Ex communi sententia, ut Lex obliget, requiritur sufficiens promulgatio. Quia 1. Lex non potest obligare communitatem, nisi ipsi sic proponatur, ut ab ea cognosci possit. Nam nemo potest obligari ad aliquid incognitum; cùm rei incognitæ observationem velle nemo possit. At Lex non potest sic proponi communitati, nisi sufficienter promulgetur, & notitia illius fiat aliquo modo publica, ut patet. 2. Lex est regula publica actuum: nam est regula actuum communitati propter bonum commune præscripta à superiore ejus curam gerente. At regula publica debet publicè proponi, & applicari ad hoc ut subditi teneantur ei se conformare, sicut regula privata debet saltem privatim applicari, ad hoc ut privatus ei se conformare teneatur. Enimverò quævis regula, nisi sufficienter regulabili applicetur, & quidem modo sibi proportionato; nullum habet effectum. Quare promulgatio vel est complementum essentiale Legis, vel saltem conditio essentialiter requisita, ut Lex actu obliget.

Hinc si Titius certò sciat legem aliquam esse latam, & jussu principis triduo promulgandam, non obligatur ad illam, donec reipsa promulgata sit. Nam Lex cùm sit præceptum commune latum pro tota communitate, non potest ullum membrum particulare obligare, quin obliget communitatem: hanc autem non obligat, nisi publicè proposita sit, ideòque promulgata.

Resp. 2. Ad promulgationem sufficientem nulla certa solemnitas, seu nullus modus determinatus promulgationis ex natura rei requiritur. Quia ex natura rei sufficit, quòd Lex sic proponatur, ut possit facilè pervenire ad notitiam subditorum. Hinc ex natura rei sufficit quòd Lex publicè denuncietur in curia, seu in civitate in qua residet princeps, nam Lex ibi denunciata potest facilè in subditorum notitiam pervenire, ob frequentem ad sedem principis recursum & concursum ex civitatibus omnibus ei subjectis.

Ad promulgationem verò ex jure positivo requisitam, talis debet esse publicatio, qualis vel ex Lege positiva, vel ex consuetudine, vel ex Legislatoris voluntate præscribitur. Cùm ergo circa hoc diversæ in diversis locis solemnitates & conditiones, vel consuetudine vel Lege determinatæ sint, si earum aliqua omittatur, non censetur Lex legitimè promulgata.

Resp. 3. Ut Leges imperiales obligent provincias, debent in illis singulis promulgari. Imò non obligant in provincia, nisi post duos menses à promulgatione ibi facta, ex Authent. *Constitutiones*, secundùm Doctorum interpretationem, & consuetudinem. Idem est de Legibus latis à Regibus & Principibus Imperatori subjectis, ac de imperialibus: quia illi principes non acceperunt ab Imperatore potestatem ferendi Leges, nisi secundùm jus commune Imperii, & juxta modum, quem servant ipsi Imperatores in Legibus suis ferendis.

Resp. 4. Leges Regum & Principum Imperatori non subjectorum, ut obligent, non requirunt promulgationem in singulis provinciis, nec duos menses post illam; sed sufficit ut fiat promulgatio in uno loco, ex quo ad alia loca divulgetur, nisi aliud exigat Lex vel consuetudo. Quia talis promulgatio ex natura rei sufficit ad obligandum subditos; & aliunde illi Principes non tenentur Legibus Imperatoriis. Ferè tamen ubique viget consuetudo aut Lex Regni, ut Reges qui habent plures provincias, curent suas Leges in singulis provinciis promulgari, neque aliter eas obligent. Sic in Gallia Regiæ Leges dicuntur non obligare, nisi referantur in acta Curiarum supremarum.

Resp. 5. Lex humana, quæ in uno loco promulgatur, non statim incipit ubique obligare, sed solùm in unoquoque loco obligat actu, elapso eo tempore, quo Legis promulgatæ notitia ad illum ordinario modo pervenire potuit. *Prob.* 1. Ex Bulla *Sicut*, ad calcem Conc. Trident. ubi Pius IV. ait: *Jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* 2. Quia Lex in uno loco promulgata, non est sufficienter denuntiata in omnibus aliis locis, nisi post elapsum tempus sufficiens ut notitia Legis promulgatæ pervenire possit ad omnia illa loca, ut patet.

Nota. Licèt ignorantes invincibiliter Legem promulgatam & divulgatam, ab ejus transgressione excusentur, tamen si Lex illa statuat aliquid de esse morali rerum vel personarum, irritando, inhabilitatem inducendo, habet omnem effectum suum circa illos præter imputabilitatem ad culpam; ut patet in Legibus de impedimentis Matrimonii, de irregularitatibus spuriorum, &c. Quia tales effectus non supponunt culpam, & finis illarum Legum postulat ut habeant talem effectum circa omnes.

Quæst. VII. *An ut Leges Papæ obligent in*

in Provinciis, debent esse in illis promulgata?

Resp. Non pauci censent Leges Papæ debere in singulis provinciis promulgari, ut in illis obligent, nisi in illis usu receptæ fuit, vel Papa expresse declaret velle se obligare omnes ubique fideles post promulgationem Romæ factam. Quia Ecclesia Jus civile servat, ubi ipsa nihil aliter instituit, ex c. 1. *de novi oper. nunt.* ubi Lucius III. ait: *Sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*. At juxta Jus civile, Lex non obligat provincias singulas, nisi in illis sit promulgata; nec Ecclesia aliter de suis Legibus statuit. Enimverò, inquiunt, suavitas & benignitas regiminis Ecclesiastici hunc modum obligandi, quem servant Leges civiles, postulant; nisi aliqua urgens causa compellat Papam ad obligandum omnes post Romanam promulgationem.

Plures verò docent Leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas, obligare in provinciis omnes ad quorum notitiam venerit seclusio privilegio, vel legitima consuetudine in contrarium. Probant 1. Quia ex natura rei sufficit unica promulgatio Romæ facta, cum per eam Lex possit innotescere in omnibus provinciis, & aliunde Ecclesia nil plus statuit. 2. Ex praxi & consuetudine Curiæ Romanæ, in qua provinciarum causæ & lites definiuntur juxta Leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas. 3. Pleræque Decretales corpori Juris insertæ, non sunt promulgatæ in provinciis, & tamen in iis obligant. 4. Pius IV. in Bulla *Sicut*, cit. declarat decreta Conc. Tridentini ad reformationem & disciplinam spectantia, ubique incœpisse obligare Kalendis Maji, ann. 1564. post promulgationem Romæ factam. Et Sixtus V. in Constit. de habitu & tonsura Clericorum, non requirit aliam promulgationem, quàm quæ Romæ facta est; & tamen vult omnes ultra montes constitutos, obligari infra octo menses à die publicationis Romæ faciendæ.

Nec obstat Lex civilis. Nam Papa non subjicitur Legibus Imperatoriis in usu suæ jurisdictionis, quam à Christo immediatè accepit; & dispositio illa Juris Cæsarei repugnat consuetudini Ecclesiæ. Equidem leges civiles adhibentur ab Ecclesia in causis decidendis, quando sunt conformes æquitati ac rectæ rationi, & desunt Leges canonicæ; quia requiritur aliqua regula decidendi causas, & tunc nulla aptior videtur Lege civili.

Alii docent spectandum esse usum singularum regionum; quia modus promulgationis sufficientis ad obligationem Legis, usu & consuetudine determinari debet, cùm nil de eo lege statutum est.

Quæst. VIII. *An ut Leges humanæ obligent, requiritur acceptatio, seu consensus majoris partis communitatis?*

Resp. Neg. Quia 1. potestas Legislativa absoluta, quæ residet in Principe, est etiam potestas præcipiendi, obligandi, & exigendi Legis observationem: alioquin solùm esset potestas consulendi, vel proponendi subditis, num velint aliquid facere aut omittere. 2. Obligatio obediendi necessariò oritur ab authoritate superioris, non à consensu subdir: alioqui subditus nolens obedire superiori, non peccaret. 3. Præceptum particulare superioris absolutè impositum, obligat subditum independenter ab illius acceptatione: alioqui potestas præcipiendi esset inefficax & inutilis: Ergo pariter Lex, quæ est præceptum commune, obligat communitatem independenter ab illius consensu: sicut enim quantùm ad vim obligandi se habet præceptum superioris ad inferiorem, ita & Lex Principis ad communitatem, cum sit ejus superior. 4. Legislatores supremi possunt cogere, imò sæpè pœnis cogunt subditos ad Legem recipiendam & servandam: & hi nequeunt sine culpa resistere: nam ex Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. 5. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam*.

Obj. 1. In Lege *de quibus* 32. §. de Legibus dicitur: *Cum ipsæ Leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sunt*. *Resp.* Ibi agitur de Legibus latis, non à Principe & Legislatore supremo & absoluto, sed à Legislatore dependente à consensu populi, Legum approbationem sibi reservantis. Quales fuere Leges Romanis latæ, durante sua Republica, atque etiam sub potestate suorum Imperatorum usque ad tertium sæculum: quo tempore nulla Lex obligabat nisi post suam acceptationem.

Obj. 2. Illud Gratiani, ad can. 3. dist. 4. *Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur*. Ergo. *Resp.* Neg. conseq. Nam 1. hæc verba non sunt ullius Summi Pontificis, aut Concilii, aut Patris, sed ipsius Gratiani. 2. Sensus verborum illorum est, Leges firmari per

usum,

usum, quatenus per eum removentur à periculo abrogationis. Nam si Lex non servaretur, tandem aboleretur, vel contraria consuetudine præscribente, vel Principe cedente nimiæ resistentiæ populi. Unde Gratianus subjicit: *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur*.

Obj. 3. Consuetudo potest abrogare Legem jam obligantem. Ergo potest illam prævenire ne obliget. *Resp.* dist. ant. Si princeps tali consuetudini non resistat, Concedo ant. Si resistat, Nego ant. & conseq. Consuetudo Legem abrogare non potest, nisi sit legitimè præscripta. Talis autem non est, quamdiu consuetudini resistit, seu contradicit Legislator, & vult Legem observari. Consuetudo verò non servandi Leges, nisi prius à majore parte communitatis approbatæ fuerint, si quæ sit, non est legitimè præscripta: nam tali consuetudini resistunt Legislatores, subditos suos ad legum suarum acceptationem & observationem compellendo post sufficientem illarum promulgationem.

Obj. 4. Nemo accepit sive à Deo, sive à communitate potestatem ferendi Leges nisi dependenter à consensu majoris partis communitatis: nam potestas benè instituta non est ad gravandum subditos circa res non necessarias, neque ad dominandum, sed ad adjuvandum. Ergo. *Resp.* Neg. ant. Ad probationem dico, potestatem bene institutam debere habere vim compellendi subditos prudenter & moderatè ad ea, quæ bono regimini communitatis necessaria vel utilia sunt. Quæ vis eò magis necessaria est, quòd major pars solet esse deterior; quæ si invita cogi non posset ad acceptandas & servandas Leges, paucissimæ Leges acceptarentur, & sic paucissimæ valerent, in detrimentum reipublicæ.

Obj. 5. Leges humanæ feruntur tantùm sub hac tacita conditione, ut non obligent nisi acceptentur à populo: nam regimen humanum debet esse suave. Ergo. *Resp.* Neg. ant. Cujus oppositum experientia constat: sæpissimè enim Legislatores puniunt Legum violatores, non expectata populi acceptatione. Ad probationem dico, regimen humanum debere esse non solùm suave, sed etiam efficax. Porrò suavitas Legum in eo consistit, ut non ferantur de iis, quæ sint difficiliora, quæque justis receptisque consuetudinibus advertentur.

Notanda sunt sequentia. 1. Hoc intelligi debet de Legibus absolutè latis, & cum intentione statim obligandi: nam si Legislator supremus nolit obligare ante consensum majoris partis communitatis, Lex non obligat nisi post illum. Quia cùm Lex pendeat à voluntate Legislatoris, ipsius est præfinire tempus & conditiones, quibus vult ad illam subditos obligari. Intentio autem Legislatoris cognoscitur vel ex ipsius verbis, vel ex ejus modo agendi, vel ex usu. Quare si post Legis promulgationem puniat ejus transgressores, non expectato consensu majoris partis, signum est non requirere talem consensum, ut Lex obliget. 2. Si Lex promulgata non observetur à majori parte communitatis, tunc si Legislator id sciat & taceat, censetur consentire ut non servetur, nec obliget. Nam *qui tacet, consentire videtur*, reg. 43. Jur. in 6. Si verò urgeat observationem Legis, v. g. puniendo violatores, singuli tenentur eam servare: nam per aliorum resistentiam Legislator non amittit jus obligandi; & consuetudo nil potest contra Legem, nisi sit legitimè præscripta, nec est legitimè præscripta quamdiu Legislator ei resistit. 3. Si Legislator ignorat Legem non recipi, nec servari à majori parte communitatis, Lex obligat donec legitimè præscripta sit, nisi lata sit sub conditione saltem tacita acceptationis: cùm Lex absolutè lata obliget omnes independenter à consensu subditorum. 4. Ut Lex censeatur recepta, & vigere, sufficit consensus tacitus majoris partis subditorum. Nam major pars prævalet minori, & quod fit à majori parte, censetur fieri à tota communitate. Imò sufficit quòd recipiatur à dignioribus reip. quales sunt Præsides & Senatores. In dubio autem an Lex recepta sit, præsumi debet pro ipsa: quia in dubio factum præsumitur, si jure faciendum erat.

CAPUT III.

De modo, quo observandæ sunt Leges.

Quæst. I. **A***N ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio illi satisfaciendi?*

Nota. Certum est requiri intentionem faciendi opus, quod præcipitur. Quia actus Lege præscriptus, est actus humanus, qui est essentialiter voluntarius ac liber: nam Lex hominibus imponitur, non brutorum more, sed humano modo implenda. Actus autem non potest esse voluntarius sine voluntate illum ponendi. Hinc per actus merè coactos non satisfit præcepto: sic si quis omnino invitus cogeretur manere in templo tempore

Sacri,

Sacri, non impleret præceptum de audiendo Sacro, nisi vellet attendere, & reipsa attenderet ad Sacrum: Eidem quoque non satisfaceret, qui ingressus templum solo animo meditandi divina, ibi maneret in meditatione defixus toto Sacri tempore, sine ulla intentione audiendi Sacrum, & attendendi ad illud; quia non poneret voluntariè actum præceptum, cùm non habeat voluntatem audiendi Sacrum, sed solùm dandi operam meditationi.

Resp. 1. Ut satisfiat præcepto negativo, nulla requiritur intentio. Quia per tale præceptum non exigitur actus aut omissio libera, sed solùm prohibetur actus humanus liber, v. g. ne quis furetur. Hinc licèt aliquis nunquam cogitasset de furto, & sic ab eo abstinuisset, non censebitur violasse Legem furtum vetantem.

Resp. 2. Ut satisfiat præcepto affirmativo non requiritur intentio expressa ei satisfaciendi, sed sufficit implicita, vel interpretativa, contenta in voluntate faciendi actum præceptum, quæ non excludat intentionem implendi Legem. Quia Lex non præcipit positionem actus, ut præcepti, vel ex intentione ei satisfaciendi, sed ut actus voluntariè fiat: nec ullibi major obligatio reperitur. Unde si ignorans præceptum, rem præceptam liberè faciat, verè illud implet: sic qui ignorans vel non advertens ad diem festum, interest devotè Sacro, non tenetur aliud audire, postquam resciverit esse festum.

Imò secundùm multos, satisfacit præcepto, qui voluntariè facit rem præceptam animo expresso non ei satisfaciendi per illum actum: v. g. qui Sacrum audit die festo præcisè ut privatæ suæ devotioni indulgeat, proponens aliud audire ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, jam huic satisfecit, nec tenetur aliud Sacrum audire, nisi ex errore putet se ad id obligari. Quia revera implet præceptum, qui facit voluntariè actum præceptum; nam nil aliud præcipitur. Voluntas autem non satisfaciendi præcepto per executionem voluntariam actus præcepti, inefficax est: nam non destruit voluntatem efficacem faciendi id, quod præceptum est, ideòque verè satisfaciendi præcepto.

Illud vero axioma, *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, verum est dumtaxat respectu eorum, quæ ab intentione agentium pendent, ut sunt, v. g. contractus. At non pendent ab eo, qui voluntariè actum præceptum posuit, ut per hoc non satisfecerit præcepto.

Aliud dicunt de Voto: quia vovens sibi imposuit obligationem voti, & in hoc casu vult eam retinere ac prorogare, sicque se obligare ad aliud Sacrum audiendum: nam cùm impositio obligationis in voto fit à voluntate, pendet à voluntate ut eam proroget. At cùm impositio præcepti, & ejus obligatio non pendeat à voluntate subditi, non pendet etiam ab eo, ut illam proroget, vel non impleat, cùm voluntariè actum præceptum posuit.

Azor tamen, & alii negant tunc impleri præceptum, quia voluntas est contraria impletioni præcepti. Præceptum autem non impletur solo facto & opere, cum positiva & expressa voluntate non implendi. Sed responderi potest talem voluntatem esse inefficacem, ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec illam impedire. Id videtur certum, talem teneri saltem congruo tempore mutare intentionem, vel saltem judicare se satisfecisse præcepto per actum positum.

Quæst. II. *An ad satisfaciendum Legi, debet intendi finis Legis?*

Nota. Duplex est finis & modus Legis, nempe intrinsecus, & extrinsecus. Finis Legis intrinsecus est id, ad quod Legislator sua Lege intendit obligare: unde est id, quod reipsa per Legem præcipitur vel prohibetur. Extrinsecus est id, ad quod res præcepta dirigitur & ordinatur a Legislatore. Modus autem intrinsecus est ille, sine quo substantia rei præceptæ impleri nequit, ut attentio interna in oratione: extrinsecus est is, sine quo substantia rei præceptæ poni potest.

Resp. 1. Sine fine & modo intrinseco Legis non impletur præceptum, ut patet ex eorum notione. Unde uterque cadit sub præceptum.

Resp. 2. Si finis extrinsecus, ad quem ordinatur actus præceptus, præcipiatur à superiore, non satisfacit præcepto, qui illum sibi non proponit: quia tunc non facit id totum quod præcipitur; & finis ille est etiam materia Legis. Finis autem præcipi censetur quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in Lege expressum. Hinc si jejunium vel oratio præcipiatur, v. g. ad avertendam calamitatem publicam, jejunans aut orans, sed non ex hoc fine, non satisfacit præcepto.

Resp. 3. Si finis extrinsecus à Legislatore intentus non præcipiatur, satisfacit præcepto, qui opus præceptum exequitur, etsi finem illum non intendat. Quia talis implet id totum quod præcipitur; tunc enim solùm præcipitur voluntaria executio operis. Equidem

dem Lex omnis dirigit ad finem, sed non omnis est de fine ipso. Unde finis præcepti non cadit sub præceptum, quando finis distinguitur ab opere præcepto, nec præcipitur intentio ipsius finis. Hinc satisfacit præcepto jejunii, qui unicam refectionem ex cibis licitis sumit, licèt non intendat macerare corpus: quia hæc intentio non præcipitur ab Ecclesia.

Quæst. III. *An satisfacit præcepto, qui opus illius exequitur actu ex fine vel circumstantia mala?*

Nota. Agitur hic de Lege humana. Nam Lex naturalis prohibet quemlibet finem, & modum agendi pravum, utpote dissentaneum naturæ rationali, præcipitque finem honestum & modum convenientem in omnibus actibus liberis. Nam præcipit ut homo semper vivat seu agat honestè, id est, decenter ac conformiter naturæ suæ rationali qua rationalis est, ac proinde præcipit, id omne, quod necessarium est ad sic agendum. Sed ad agendum honeste & decenter naturæ rationali ut rationali, necesse est ut non solum actus præceptus fiat, sed etiam ut modo convenienti, in circumstantiis debitis & propter finem honestum fiat. Quare homo Lege naturali tenetur observare omnia præcepta humana rectè, convenienter, & ob finem honestum, ideòque actu bono & honesto.

Resp. 1. Non satisfacit præcepto, qui facit opus cum peccato repugnante substantiæ præcepti; aut illud facit sine ea honestate ac rectitudine, quæ à superiore expresè præcipitur, vel essentialis est actui præcepto; nam tunc non fit id totum quod præcipitur.

Resp. 2. Quando honestas ac rectitudo non est essentialis actui externo, neque expresè præcipitur à superiore, sine ea satisfit præcepto humano; quia tunc sine ea ponitur id totum, quod præcipitur ab homine; & actus vitiatur tantùm per peccatum præcepto accidentarium: unde retinet bonitatem ac speciem moralem objectiva Lege intentam. Sic miles fortiter pugnans ex vana gloria, adimplet præceptum Ducis, licèt peccet contra Legem naturalem ob finem malum. Item quando actus vitiatur solùm ratione motivi cujusdam extrinseci venialiter mali impulsivi, vel se habentis solùm concomitanter, tunc satisfit præcepto. Sic qui devotè & attentè Sacrum audit ex motivo intrinseco religionis, licèt concomitanter moveatur, aut ptius impellatur ex vana gloria, satisfacit præcepto Ecclesiæ: nam ponit liberè actum religionis præceptum ex proprio motivo finali.

Quæst. IV. *An per unum eumdemque actum possunt impleri plura præcepta?*

Resp. 1. Non possunt, nisi constet talem esse intentionem præcipientis. Quia superior aliquid præcipiens, censetur exigere aliud quàm quod jam aliàs debitum est. Alioquin sæpe non assequeretur finem à se intentum, & frustra imponeret novam obligationem. Sic pœnitens præcepto jejunandi à confessario imposito non satisfacit per jejunium jam ex voto vel præcepto Ecclesiæ debitum. Quia confessarius censetur obligare ad opus aliàs non debitum, utpote de novo punitivum, nisi aliud exprimat.

Item si obligatio per se postulat aliud opus quàm quod jam debitum est, tunc requiruntur plures actus, ut semper contingit in materia justitiæ, ubi semper attenditur æqualitas rei ad rem: sic qui centum ex duplici titulo justitiæ, putà ex damno illato & ex emptione, bis debet, non satisfacit duplici illi obligationi dando solùm centum; nam non esset æqualitas solutionis ad debitum.

Resp. 2. Si prudenter existimetur superior concedere, ut per unum actum satisfiat duplici præcepto, tunc satisfit. Quia obligatio ad unum vel plures actus pendet ab ejus voluntate, sic in Jubilæis satisfit jejuniis à Papa præscriptis per jejunia quatuor temporum tunc occurrentia. Intentio autem superioris cognosci potest, vel ex circumstantiis, fine, ac natura operis præscripti, vel ex communi usu ac interpretatione. Sic si confessarius injungat auditionem sacri singulis diebus per mensem, pœnitens satisfacit, unum sacrum diebus festis audiendo: quia in his circumstantiis non censetur confessor intendere, ut pœnitens bis sacrum audiat eodem die, nisi hoc exprimat. E contra si injungat operario, ut sacrum omnibus diebus festis audiat per annum v. g. hic tenetur bis sacro interesse, quia talis est mens confessarii, quæ ex natura satisfactionis colligitur.

Ut plurimùm autem duo præcepta uno actu implentur, quando idem eadem die ex eodem motivo præscribunt; sic die festo in Dominicam incidente, unius Missæ auditione impletur duplex præceptum. Alias regulariter superior plures actus exigit, nisi contrarium explicet; & in dubio, plures velle censendus est, quia tunc interpreratio fieri debet ex communiter contingentibus, juxta reg. 45. Jur. in 6. *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*. Hinc si vovisses dare eleemosynam, & confessor eleemosynam etiam in-

injunxisset, non satisfaceres dando unicam.

Quæst. V. *An eodem tempore pluribus præceptis satisfieri potest per plures actus?*

Resp. Communis sententia asserit, modò unus actus non impediat alium, nec attentio uni debita, tollat alteram. Quia tunc eodem tempore potest fieri id totum, quod præscribitur per plura præcepta; cum in præceptis non præscribatur diversitas temporum. Sic ex communi sententia, qui die festo tempore sacri recitat horas cum intentione & attentione debita, satisfacit præcepto Missæ, & præcepto recitandi horas: Nam ad utramque obligationem implendam sufficit attentio ad Deum, mysteriave divina.

Quæst. VI. *An peccat, qui ponit voluntariè impedimentum impletioni Legis?*

Resp. 1. Peccat, qui illud apponit directè, & ex intentione non implendi Legem. Patet: nam is habet voluntatem non servandi Legem, & gerit pravum affectum erga illam, agitque in illius fraudem. Lex autem prohibet pravum affectum erga illam, & ne quid in ejus fraudem fiat.

Resp. 2. Peccat contra præceptum, qui ejus observationi impedimentum infert per actionem non necessariam eo tempore, quo urget præceptum, vel paulò antè, aut tunc non removet impedimentum cùm potest sine gravi damno. *Ita communiter.* Quia Lex præscribens aliquid, simul virtualiter vetat id omne, quod cum actione vel omissione præscripta impossibile est, ideòque positionem impedimenti; alioqui non esset per se efficax. Præterea præcipiens finem, simul præcipit media necessaria ad talem finem, saltem si non nimis difficilia sint, at removere & non inferre impedimentum, est medium necessarium impletioni Legis. Ergo.

Hinc 1. qui die jejunii pila ludit cum ea defatigatione, quæ reddat illum impotentem jejunare, peccat contra præceptum jejunii. 2. Qui die festo se inebriat, ita ut sacrum audire nequeat, peccat contra sobrietatem & contra præceptum audiendi sacrum. 3. Excommunicatus tenetur, quantùm potest, absolutionem sibi comparare ad communicandum in Paschate, imò & ad sacrum audiendum diebus festis, &c. cùm hujus impedimenti remotio necessaria sit ad implendum præceptum, & aliunde non sit nimis difficilis, imò ad eam jam teneatur.

Resp. 3. Materiæ præceptæ gravitas vel necessitas potest esse tanta, ut præceptum obliget ad numquam apponendum impedimentum ejus observationi, etiam multo tempore antequam urgeat ad tollenda impedimenta etiam remota, & ad adhibenda media difficilia; ut patet in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, ad honestatem morum & ad bonum commune.

Quæst. VII. *An qui non potest totum opus præceptum implere, tenetur ad partem quam potest?*

Resp. Affirm. si præceptum sit de re divisibili, hoc est, de re quæ commodè dividi potest, & in cujus parte invenitur ratio præcepti, ut in septem horis canonicis, in jejunio totius quadragesimæ, in qua jejunium singulorum dierum dividuum est ab alio. *Prob.* Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* 2. Tunc præceptum utpote dividuum, obligat ad omnes & singulas partes, etiam seorsim sumptas; cùm singulæ seorsim faciant ad finem præcepti; nec est causa sufficiens excusans à parte possibili, quæ est utilis fini. 3. Qui non potest totum debitum solvere, tenetur ad partem, quam potest, si hæc sit divisibilis à toto. 4. Sicut *utile non debet per inutile vitiari*, ex reg. Jur. 37. in 6. ita nec possibile per impossibile.

Porrò hæc regula, *Accessorium sequitur principale*, non valet in omnibus, nec habet locum, dum principale & accessorium sunt divisibilia, & in accessorio reperitur aliqua ratio ipsius principalis; vel ubi est diversa utriusque ratio. Sic qui promisit equam cum suo pullo, si equam dare non potest, quia mortua est, tenetur dare pullum. Deinde pars non est propriè accessorium respectu totius.

Quæst. VIII. *Quid agendum, quando simul occurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt?*

Resp. Per se loquendo, servandum est majus præceptum; quia prævalet minori, & graviùs obligat, unde tunc minus obligare desinit. Præceptum autem naturale, cùm sit de rebus ex natura sua ad motum honestatem necessariis, præponderat præcepto merè positivo etiam divino: divinum humano, cùm Deus sit superior homine: præceptum supremi Principis præcepto superioris subordinati: præceptum altioris virtutis præcepto virtutis inferioris; præceptum negativum affirmativo, quia illud obligat semper & pro omni tempore, *nec sunt facienda mala ut veniant bona.* Rom. 3.

Hinc si die festo infirmus tua opera egeat tem-

tempore Sacri, teneris ei opitulari. Quia præceptum divinum naturale charitatis, quæ est virtus omnium præstantissima, prævalet omnibus aliis præceptis. Quòd si minus præceptum notabiliter nobiliori præferas, peccas mortaliter, quia excessus est notabilis; ideòque gravis est inordinatio, à qua tamen sæpe excusat ignorantia in rudibus.

Dixi *per se loquendo*. Nam interdum servari debet præceptum inferius, ut cùm hujus materia gravis concurrit cum materia levi præcepti majoris. Sic non debes omittere Sacrum die festo ad levandam levem molestiam infirmi tua ope tunc non graviter indigentis.

CAPUT IV.

De subjecto Legum.

Quæst. I. QUinam *Legibus humanis subjiciuntur?*

Resp. Ex communi sententia, omnes & soli adulti subditi. *Prob.* 1. quoad omnes & solos adultos, saltem qui non fuerint perpetuò amentes. Quia illi omnes & soli sunt capaces cognitionis & directionis humanæ, & libertatem habent saltem habitualem.

2. Quoad subditos, quia jurisdictio non potest exerceri nisi in subditos, & nemo habet jus præcipiendi nisi subditis, cap. 21. *de sentent. excomm.* cùm potestas præcipiendi, subjectionem in aliis essentialiter connotet & inferat.

Hinc. 1. Infantes Legibus humanis præceptivis non obligantur: unde secluso scandalo licet eis dare carnes comedendas die Veneris. Idem multi docent de perpetuò amentibus; quia sentiunt eamdem esse rationem pro illis, & videri sicut infantes. Sed negat Sanchez, afferens hoc inter illos discrimen, quòd infantes ea ætate suapte natura usus rationis incapaces sint: at perpetuò amentes, ubi jam infantiæ ætatem excedunt, suapte natura usus rationis capaces sunt, & ex quodam solo accidenti eo privantur, quamvis ob defectum deliberationis à Legis transgressione excusentur perinde ac ignorantes invincibiliter. Porro constat non licere eos, uti nec infantes, excitare ad iram, libidinem, blasphemiam, & alia intrinsecè mala: nam excitans censeretur causa moralis ac principalis horum actuum intrinsecè deformium, & ex objecto malorum, atque amentis opera uti velut instrumento ad illos.

2. Pueri saltem anno septimo completo obligantur præceptis, quorum materia eorum ætati congruit; ideòque tenentur ad auditionem Missæ, Confessionem, abstinentiam à carnibus, &c.

3. Ebrii, & ad breve tempus delirantes, tenentur Legibus. Quia sunt in statu habituali usus rationis, licèt per accidens pro aliquo tempore impediti: & fuere aliquando obligati Lege, quæ semper eamdem vim obligandi retinet: unde non licet eis dare carnes comedendas die vetito, cùm hæ sint illis prohibitæ.

4. Infideles tenentur omnibus præceptis evangelicis: quia subditi sunt Christo homini Deo, qui est *Rex Regum*, *Dominus dominantium*, & omnium omnino hominum. Non tenentur tamen Legibus Ecclesiasticis, ex cap. 8. *de divort.* quia nemo est subditus Ecclesiæ nisi per Baptismum. Ad utrasque Leges hæretici obligantur; quia sunt subditi Deo & Ecclesiæ, quamvis rebelles.

Quæst. II. *An exempti à jurisdictione Legislatoris obligantur illius Legibus ex vi illarum, si in ejus territorio habitent?*

Resp. Neg. Quia exempti non sunt subditi Legislatoris: nam desinunt esse subditi hoc ipso quòd ab ejus jurisdictione eximuntur, secundùm id scilicèt in quo eximuntur. At Legislator non potest obligare suis Legibus nisi subditos, cùm careat jurisdictione in non subditos.

Quare Religiosi exempti non obligantur Legibus Episcopalibus aut Synodalibus, imò nec decretis Synodi Provincialis, ut declaravit S. Congregatio, apud Fagnan. in cap. *Sicut olim:* nisi in casibus in quibus à jure communi, Concilio Tridentino, & Summis Pontificibus potestas in ipsos specialiter Episcopis aut Concilio Provinciali concessa est. Idque declaravit Gregorius XIII. in suis responsionibus ad Conc. Rothomagense, in eodem Concilio publicatis, ann. 1581. Quia scilicet Religiosi illi sunt exempti à jurisdictione Episcopali. Ex decreto autem Conc. Trident. sess. 25. cap. 12. tenentur servare censuras & interdicta ab Episcopis lata, & festos dies ab illis præscriptos. Imò juxta Vasquez, Sanchez, & alios, tenentur jure naturali, & ex æquitate servare præcepta Episcoporum spectantia ad communem observantiam, & totius populi devotionem in iis, quæ statui & privilegiis Regularium non adversantur, ut jejunia, preces ad causam publicam: nam licèt sint exempti, sunt tamen pars illius communitatis, & ejus communitatis participant.

Item omnes exempti, sed præsertim Re-

gulares, qui ex suo instituto incumbunt in salutem proximi debent Episcopos, ut Principes Ecclesiæ, & *Successores Apostolorum positos à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, (Conc. Trid. sess. 23. cap. 4.) singulari honore, reverentia, & amore prosequi, & eorum statuta ad rectam administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ad bonum animarum Diœcesis spectantia diligenter servare, & in hoc cæteris exemplo prælucere: nam hæc est voluntas Dei, nec aliàs possunt in salutem proximi utiliter incumbere. Et ideo hoc magnopere verbo & exemplo commendarunt S. Ignatius de Loyola & S. Franciscus Xaverius.

Quæst. III. *An Legislator obligatur Legibus suis, vel prædecessorum?*

Resp. 1. Legislator non obligatur Legibus prædecessorum suorum vi ipsarum Legum; quia non est subditus illorum, parem enim cum illis habet potestatem, imo eamdem: neque obligatur suis legibus, quia non est sibi subditus; nemo enim sui ipsius subditus & superior esse potest: *Neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest*. L. 51. ff. de recept. arbit. Legislator autem non potest obligare nisi subditos. Hinc illud, L. 31. ff. de Legibus. *Princeps Legibus solutus est*.

Resp. 2. Legislator tenetur servare Leges à se vel à prædecessoribus suis latas, quando materia convenit Principi & subditis. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. & Theologi communiter. Tenetur autem jure naturali. Quia 1. Lex naturalis præcipit, ut Princeps communitati, cujus caput est, se conformet in iis, quæ æque ipsi ac aliis conveniunt. Nam hoc ad utilem ac convenientem communitatis gubernationem necessarium est, & pertinet ad officium Principis qui subditis suis exemplo præesse debet per Legum observationem, quam procurare tenetur. Enim verò ex S. August. l. 3. Confess. cap. 8. *Turpis omnis pars est suo universo non congruens*: quantò magis caput non congruens? 2. Princeps æquè, imò magis quam subditi, tenetur curare & prosequi bonum commune, ac proinde servare Leges, quæ omnes in bonum publicum feruntur. 3. Ex jure tum Canonico, cap. 6. de Constit. *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo... Patere Legem, quam tu ipse tuleris*. Et cap. *Justum est*, dist. 9. Tum Civili, L. 4. cod. de Legibus: *Digna vox est majestate regnantis, Legibus alligatum se principem profiteri... Et revera majus imperio est subjicere Legibus principatum*. Adde S. Ambros. epistol. 3. ad Valentin. *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi*; *Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat*.

Nota. 1. Legislator jure naturali tenetur Leges suas servare, etiam secluso scandalo: & quidem tam graviter, quàm subditi ejus, ut docent Suarez, & multi Doctores, quos citat. Quia hoc exigit æquitas, officium Principis, bonum commune, & recta ac utilis gubernatio, quæ postulat ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis, quorum materia omnibus æque convenit.

2. Legislator violans Legem suam vel prædecessoris sui admittit peccatum ejusdem speciei ac subditi eam violantes, v. g. peccatum intemperantiæ, si non servet jejunium à se præceptum. Nam Lex naturalis imponit illi eamdem obligationem, quam ille subditis per suam Legem. Non tamen incurrit pœnas Lege humana impositas, quia Legibus illis humanis non est subjectus, sed solùm juri naturali, præcipienti actus virtutis Lege præscriptos, nec illas pœnas statuenti.

3. Si Legislator habeat justam causam non servandi Legem, ob quam licitè dispensare posset cum subdito, tunc non tenetur servare Legem. Quia tunc cessat ratio obligationis; tunc enim officium Principis, & recta gubernatio Legis observationem non exigunt, & difformitas rationabile fundamentum habet. Quare tunc propriè non dispensat secum; sed solùm interpretatur Legem naturalem ipsum non obligare ad servandam Legem suam, quando habet causam rationabilem, ob quam ipse subditum meritò liberaret ab ejus obligatione; cùm non sit ipse deterioris conditionis quàm subditi. At peccat, quoties sine justa causa Legem suam non servat, quia violat Legem naturalem, cujus obligationem tollere nequit.

4. Hìc agitur solùm de Legislatore habente potestatem ferendi Leges absolutam, & independenter à communitate. Nam duces rerum publicarum tenentur Legibus quas cum illis tulerunt, & generales Ordinum obligantur Legibus in capitulo generali latis: quia subditi sunt communitati, à qua feruntur.

Quæst. IV. *An Clerici obligantur Legibus civilibus?*

Respondet Bellarminus, lib. 1. de Cleric. cap. 28. Clericos in conscientia obligari Legibus civilibus, quæ non repugnant sacris Canonibus vel officio clericali; qualis est Lex taxans pretium rerum, vel vetans noctur-

nam

nam armorum gestationem, aut asportationem frumenti extra Provinciam, &c. Probat, quia 1. Clerici sunt etiam cives, & partes quædam, seu membra communitatis politicæ, & commodis ejus fruuntur. Undè æquitas & recta ratio postulat, ut se cæteris omnibus membris conforment in iis, quæ æque illis ac laicis conveniunt. Alioqui magna confusio & perturbatio in Repub. oriretur, si Clerici illas Leges non servarent. 2. Nicolaus I. epist. 8. dicit Christum divisisse Pontificiam authoritatem ab Imperiali, *ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus Legibus uterentur*. 3. S. Chrysostomus, in illud Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ait, Christi Legem non tollere politicas Leges, & ideo debere etiam Sacerdotes & Monachos eis parere. Hancque esse communem sententiam quoad vim directivam, seu obligationem in conscientia, de qua agitur: testatur Suarez.

Quæst. V. *An peregrini teneantur Legibus sui territorii propriis?*

Nota 1. Peregrinus, advena, vagus inter se differunt. Peregrinus dicitur is, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per aliquem locum, vel alicubi moratur cum animo redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus qui nullibi domicilium fixum habet.

Nota 2. Certum est præcepta personalia, quæ scilicet afficiunt immediatè personas, non territorium, semper illas obligare ubicumque fuerint: nam illa semper personis cohærent. Hinc si Episcopus Sacerdoti usum sui Ordinis absolutè vetuisset, is in aliena Diœcesi celebrare non posset.

Nota 3. Si Lex prohibeat actionem ubivis factam, quæ cedat specialiter in damnum communitatis, ut est venditio armorum vel aliarum rerum hostibus: hæc ex communi sententia obligat subditum extra territorium versantem, qui puniri potest si illam violet. Quia tunc delictum censetur intra territorium committi: damnum enim ei illatum censetur moraliter factum intra illud. Ex Leg. 4. codic. *de commerc.*

Resp. 1. Peregrini non tenentur servare Leges sui territorii, quando extra illud versantur, ubi illæ non obligant, modò non absint in fraudem. *Ita communis sententia*. Prob. 1. ex cap. 2. *de constit. in 6.* ubi dicitur statuto Episcopi, quo furantes excommunicantur, non ligari ejus subditos, qui extra diœcesim furantur, *cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*. 2. Quia Leges & consuetudines locales sunt solùm pro tali loco seu territorio, eique sunt affixæ: & jurisdictio, ut respicit territorium, intra illud limitatur. Et verò potestas Legislativa agere non potest extra sphæram activitatis suæ, quæ sphæra non extenditur extra proprium territorium.

Suppono, quòd tum ipse peregrinus, tum res, circa quam operatur, & ejus actio, sint extra territorium. Nam si res circa quam agit, vel ejus actio, aut omissio, sit intra territorium; licet ejus persona sit extra; tunc ex communi sententia ipse tenetur Legibus territorii, & pœnis per illas statutis. Quia tunc delictum meritò censetur commitri intra territorium, non extra. Nam omissio rei præceptæ, vel commissio rei prohibitæ, ibi censetur consummari, ubi res præcepta vel vetita fieri vel omitti debuisset; & delinquens censetur ratione delicti ibi esse moraliter præsens, ex L. 2. cod. *Quæ res exportari, &c.* Hinc beneficiarius absens à territorio, in quo beneficium habet, contrahit censuras in non residentes latas ab Episcopo beneficii, quia ibi delictum consummatur, ex cap. 11. *de cleric. non resid.*

Resp. 2. Ex communi sententia peregrinus non tenetur servare præcepta etiam juris communis, v. g. jejunium vigiliæ, vel festum S. Thomæ, si illa ex privilegio aut consuetudine legitima non servetur in loco ubi bona fide diversatur. Quia privilegium locale, vel consuetudo localis spectat omnes qui sunt in loco. Hinc S. August. Epist. 118. docet in iis, quæ non sunt contra fidem & legem divinam, posse quemque se conformare Ecclesiæ particulari, in qua moratur. *Alia vero*, inquit, *quæ per loca terrarum regionesque variantur.... nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit*.

Resp. 3. Qui causa subterfugiendi Legem etiam localem, abit in locum, ubi illa non viget, non ideò ab illius obligatione liberatur. Quia 1. (ut ait Layman) Leges, quæ ad subditorum utilitatem præsertim spiritualem ordinantur, ut sunt Ecclesiasticæ, eam conditionem annexam habent, quam communis fidelium persuasio, & Episcoporum praxis ostendit, ut subditis sine justa causa earum obligationem subterfugere non liceat; cùm id necessarium sit ad bonum regimen, & effi-

efficaciam Legum, & ad præcludendam januam multis abusibus, præsertim in confinibus diversarum diœcesum. Imò ipsa Lex divina naturalis generatim præcipiens diligentem observationem Legum & ordinis, id vetat.

2. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, cap. 15. & 16. *de descript.* An fraudem committit in Legem, qui solo animo eam subterfugiendi absque alia justa causa abit è proprio territorio? nam *fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit* (expresè) *id fit*, L. 30. ff. de Legib. Neque dici potest quòd abeundo utatur jure suo; nemo enim habet jus exeundi è proprio territorio solùm ad eludendas illius Leges: sicut nullus habet jus iter instituendi, vel laborandi, causa subterfugiendi Legem jejunii; & qui hoc faceret, censeretur in fraudem Legis agere; & secundùm communem sententiam, teste Layman, peccaret contra Legem.

3. Ex responso Cardinalium ab Urbano VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem authoritate Apostolica confirmato, quod declarat de incolis loci, ubi viget Concilium Tridentinum, discedentibus in locum ubi non fuit publicatum, solo animo matrimonium clandestinum contrahendi, sine mutatione domicilii, *non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude*. Ergo tales adhuc tenentur Lege Tridentini, irritante matrimonium clandestinum, & discesserunt cum fraude. Ergo, &c.

Hinc peccant contra Legem, qui aliò discedunt, præcisè ut carnibus vescantur, vel operibus servilibus vacent, cùm hæc in sua diœcesi vetita sunt.

Quæst. VI. *An qui è suo domicilio ubi Lex obligat, abit in locum ubi non obligat, tenetur illa implere antequam exeat?*

Resp. Tenetur, si prævideat illam impleri non posse in alio loco. *Est communis sententia*. Quia 1. Hæc est praxis & persuasio fidelium timoratorum. 2. Lex illa talem obligat, & tempus, quod adhuc versatur in suo domicilio, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est ac si eo solo tempore obligaretur. At quisque tenetur servare præceptum eo tempore, quo obligatur. 3. Ut ait Suarez, præceptum affirmativum debet impleri, quando potest, & prævidetur postea non implendum. Neque enim requirit aut concedit certum temporis spatium, pro quo possit semper ejus observatio differri: sed obligat, ut quàm primùm potest, impleatur, si postea non possit impleri: alioqui non esset satis efficax, & sæpe eludi posset. Et verò respectu talis, non est aliud tempus ad implendum præceptum: ergo tunc tenetur illud implere, alioqui nullo tempore tenetur.

Hinc qui abit die festo ad locum ubi non est festus, tenetur audire Sacrum priusquàm exeat, si possit absque gravi incommodo, & nequeat alibi audire: sicut si non exiret, teneretur audire primam Missam, si prævideret postea impeditum iri. Quia præceptum obligat simpliciter illo die, & non potest impleri nisi audiendo Missam primam; nam hìc & nunc & respectu talis hominis, illa est unica, & præsens hora est ultima ipsi apta ad implendum præceptum. Alioqui omissio meritò imputatur ad culpam.

Nota. Si in loco domicilii tui sit Lex jejunii, non potes ibi jentaculum sumere manè, eo quod scias te vespere fore in loco ubi illa non obligat. Quia obligaris jejunio quandiu existis in loco ubi obligat. Nec spes dispensationis, nec dispensatio quæ nondum est, nec privilegium loci in quo non es, obligationem præcepti, quo hìc & nunc ligaris, tollit.

Quæst. VII. *An peregrini tenentur Legibus specialibus loci in quo versantur?*

Nota. Certum est, 1. eos qui accedunt ad aliquem locum animo ibi perpetuò manendi, teneri statim Legibus illius loci, cùm jam verè sint illius incolæ. Nam domicilium hoc ipso acquiritur, quo quis incipit in loco habitare animo ibi perpetuò manendi, ex L. *Cives*, cod. *de incolis*. 2. Statim teneri Legibus loci eos, qui in illum veniunt animo ibi manendi per majorem anni partem, ut faciunt scholastici, famuli, operarii, &c. Constat ex usu, & communi Doctorum sententia. Nam tales consequuntur ibi quasi domicilium sufficiens, ut statim quis fiat Parochianus idoneus ad ibi Sacramenta omnia præter Ordinem recipienda. 3. Peregrinos teneri servare Leges loci per quem transeunt, quando aliàs esset periculum scandali, cùm hoc vetet Lex naturalis: vel quando illæ Leges sunt juris communis, quamvis ex consuetudine, vel privilegio non serventur in loco domicilii sui, ut docent communiter Theologi; quia Legislatori juris communis subditi sunt, nec habent causam excusantem, cùm consuetudo vel privilegium extra territorium vim non habeat. 4. Peregrinos teneri servare in contractibus Leges ac consuetudines loci, in quo contrahunt: nam quisque sortitur forum in loco contractus. cap. ult. *de foro compet.*

Resp.

Resp. Peregrini, & à fortiori Vagi, tenentur servare Leges & consuetudines etiam speciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus, & secluso scandalo. *Ita Covar. Suarez, Lessius, & alii communiùs*. Prob. 1. Ex S. August. lib. 3. Confess. cap. 8. ibi. *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, prò morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel Lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens*. Item, ex epist. ad Januar. 2. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune territorii postulant, ut Leges locales serventur ab omnibus, qui sunt in illo loco, quandiu in eo morantur: ac proinde Legislator habet potestatem obligandi etiam peregrinos ad illas Leges servandas: nam superior habet omnem potestatem necessariam ad bonum commune & rectum ordinem tuendum in suo territorio. 3. Lex generatim fertur pro tali territorio. Ergo obligat omnes ibi morantes, etiam peregrinos, qui ratione suæ præsentiæ in illo loco, licèt brevis, subjiciuntur regimini & jurisdictioni territorii, cum juxta omnes, teneantur quibusdam Legibus, v. g. ne quis noctu arma ferat, ne triticum efferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur, &c. Ergo peregrini tenentur, titulo subjectionis, servare Leges alieni territorii, suntque verè subditi Principis illius loci ratione suæ præsentiæ in illo, non quidem permanenter & habitu, sed solum transeunter & actu: quippe ad transeuntem & brevem subjectionem sufficit brevis præsentia, sicut ad transeuntem exemptionem à jurisdictione & Legibus sui territorii sufficit brevis absentia. 4. Peregrini, eo ipso, quòd exeunt è proprio territorio, solvuntur Legibus illius: Ergo eo ipso, quòd ingrediuntur territorium alienum, subjacent Legibus illius, præsertim cùm gaudeant ejus privilegiis. Nam qui sentit commodum & onus sentire debet, ex *reg. Jur. 55. in 6.*

Obj. Nemo fit alteri subditus, nisi ratione originis, vel domicilii, vel delicti. *Resp.* dist. Permanenter & habitu, Conc. Transeunter & actu, N. Peregrini autem fiunt subditi Principis alicujus loci ratione suæ præsentiæ in illo loco, sed transeunter tantùm, non permanenter & habitu.

Nota. Peregrinus tenetur solùm iis Legibus loci, quarum observatio non requirit tempus longius, quàm illud, quo ipse ibi moratur. Nam quoad alias non censetur esse in loco moraliter: nec ad eas implendas tenetur diutiùs morari quàm statuerat; quia non obligatur ad ibi permanendum, sed solùm supposita præsentia ad implendam Legem, quæ tunc impleri potest. Hinc tenetur servare omnia præcepta localia negativa, v. gr. abstinere ab esu carnium, nam hæc non requirunt moram. Sed qui transit per locum ubi est dies festus in alium ubi non est, non tenetur cessare ab itinere ad audiendum Sacrum, nec, secluso scandalo, illud audire, si ibi moretur solùm ad sumendum cibum: quia mora non est proportionata impletioni præcepti. E contra tenetur audire Sacrum, si sufficienti tempore moretur, vel si festum servetur in loco ubi pernoctavit, aut in toto illo territorio, per quod usque ad meridiem acturus est iter.

CAPUT V.

De Interpretatione, & Epikija.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est interpretatio Legis?*

Resp. Interpretatio Legis est explicatio sensus Legis. Triplex est: authentica, usualis, & doctrinalis. Interpretatio authentica seu cum authoritate prolata est ea quæ fit per ipsum Legislatorem, vel ejus superiorem, vel successorem, vel per ministros ab ipso constitutos: habetque vim Legis, cùm procedat à superiore habente potestatem Legem condendi & explicandi in sensu, in quo vult illam servari. Usualis est, quæ petitur ex communi usu: nam *consuetudo est optima Legum interpres*, cap. 8. *de consuetud.* Doctrinalis est ea, quæ fit per homines doctos ac peritos. Quamvis hæc non habeat vim Legis, cùm non procedat à potestate jurisdictionis, sed à judicio peritorum: tamen imprudenter & contra rectam rationem rejiceretur, si in eam Doctores omnes consentiant. Si verò Doctores inter se dissentiant de sensu & obligatione Legis, tunc tenemur sequi opinionem tutiorem & probabiliorem: licebit tamen sequi minùs tutam, si sit certò & notabiliter probabilior tutiore, juxta dicta de opinione probabili.

Interpretatio iterum duplex est; una simplex, qua explicatur ambiguitas verborum Legis; & altera per æquitatem, qua interpretamur, casum aliquem particularem non comprehendi in Lege, quamvis verba Legis clara sint & generalia. Hæc dicitur Epikija.

Quæst. II. *Quænam sunt regulæ aptæ ad rectè faciendam interpretationem doctrinalem?*

Resp. Hæ à doctoribus traduntur. 1. Accipienda sunt verba Legis secundùm eorum proprietatem, & usitatam acceptationem, nisi sic accepta injustitiam, vel absurditatem continerent, aut Legem inutilem redderent. Quia Legislator debet Legem clarè, ideoque verbis secundùm eorum proprietatem & communem significationem intellectis exprimere: Alioquin nihil firmum stabiliret, & errandi occasionem daret. In dubio autem, usus & acceptio communis verborum præferri debet eorum proprietati.

2. Correctio Legum vitanda quoad fieri potest, ex cap. 29. *de elect. in 6.* Nam ordinariè Legum mutatio noxia aut incommoda est communitati.

3. Si Legis verba sint æquivoca vel ambigua, eorum significatio spectanda est ex antecedentibus & consequentibus, ex materia & circumstantiis Legis, atque etiam ex aliis Legibus, in quibus eadem verba vel similia in tali & tali sensu accipiuntur, sed præsertim ex fine Legis, ex cap. 6. *de verb. signif.* ibi: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Et ex S. Thoma in 3. dist. 37. art. 3. *Sicut Lex lata est mensura subditorum in suis actibus, ita hoc ad quod respicit Legislator, quod est Legis intentio & finis, est mensura Legis positivæ.*

4. Lex pœnalis, & omnis alia onerosa, strictè interpretanda est, ex reg. Jur. 49. in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* In favorabilibus verò latè est facienda, ex reg. 15. Jur. in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Hinc pœnæ non extenduntur ad casum in Lege non expressum. Nec in Legibus pœnalibus valet argumentum à pari, imò nec à minori ad majus: nam Legislator potest velle punire minus crimen, non majus, eò quòd illud sæpius patretur, vel sit periculosius bono communi.

5. Lex generaliter vel indefinitè loquens omnia significata propria comprehendit. Nam verba generalia generaliter accipienda sunt, & *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Argum. lib. 8. §. *de Publician.*

6. Lex intelligenda est & servanda secundùm receptam consuetudinem: *Optima enim est Legum interpres consuetudo*, l. 37. §. *de Legibus*, & cap. 8. *de consuet.*

7. Aliquando Legislator loquitur de singulari casu vel persona, non quòd velit Legem ad hunc casum vel personam restringere, sed iis utitur exempli gratia: nam exemplum non limitat dispositionem, sed declarat. Quare valet hæc regula: Cùm Lex frequentioris usus causa aliquid decernit, casum minùs frequentem non excludit, sed comprehendit.

8. Lex positiva non semper ob paritatem rationis extendi debet ad casus sublata verborum forma non comprehensos. Quia non ratio Legis, sed voluntas Legislatoris significata subditis, est Lex, & obligat. Hic autem potuit velle ad unum obligare, & non ad aliud, unum crimen punire, non aliud, quamvis esset eadem ratio pro utroque. Legis enim positivæ dispositio omnino pendet à libera voluntate Legislatoris, qui non obligat, nisi ad id, ad quod sufficienter declarat se velle obligare.

Dixi, *non semper*. Nam Lex extenditur ob identitatem rationis in his casibus. 1. Si aliqua iniquitas, vel absurditas sequeretur ex eo quòd Lex non extendatur ad alios casus non expressos. 2. In correlativis: nam dispositum in uno correlativo, censetur esse dispositum in alio, *ex l. ult. Cod. de indicta viduit.* Sic Lex statuens de uxore, censetur idem statuere de marito: quando est par ratio pro utroque, ut cùm agitur de debito conjugali. 3. In æquiparatis & connexis. 4. Cùm Lex exprimit rationem, ob quam fertur, secundùm multos, extenditur ad casus, in quibus clarè occurrit eadem ratio Legis: quia ubi ratio exprimitur, censetur eadem esse dispositio pro casibus, ubi clarè reperitur: neque tunc est interpretatio extensiva, sed declaratio comprensiva. 5. In judiciis, ex l. 12. §. *de Legib.* Nam prudentia & recta ratio dictat, ut cùm pro aliquo casu decidendo non est certa Lex, decisio illius petatur à similis casus decisione.

Nota. Particulæ, *aut*, *vel*, aliquando accipiuntur copulativè, ex l. *Sæpe* §. *de verbor. signif.* ut cùm inter illas ponuntur ea, quæ non separantur. Particulæ *seu*, *sive*, plerumque sumuntur copulativè, aliquando tamen disjunctivè.

Quæst. III. *Quandonam licet uti Epikija?*

Nota. Epikija est benigna & rationabilis interpretatio, casum aliquem particularem ob suas circumstantias non comprehendi Lege, quamvis per verba generalia lata: ideoque Legem non obligare in tali casu. Hinc sola Lex positiva admittit Epikijam, non naturalis: quia sola Lex positiva statuit per verba generalia, quæ restringenda sunt ex æquitate in certis casibus. At Lex naturalis excipit omnes casus excipiendos: est enim ordi-

ordinatio divina per dictamen rationis intimata de omnibus & singulis, quæ ex natura rei agenda vel omittenda sunt, ad honestè ac rectè vivendum.

Resp. 1. Aliquando necesse est uti Epikija, quoties nempe secundùm verba generalia Legis agendo, fieret aliquid contra rectam rationem vel bonum commune. Nam Lex numquam obligat ad aliquid irrationabile, vel noxium bono communi: ut si, v. gr. Lex generatim ferretur, ne aperirentur noctu Portæ civitatis, esset contra rectam rationem & intentionem Legislatoris eas non aperire in eventu, quo copiæ auxiliares admittendæ essent in urbem, alioquin interficiendæ ab hostibus illam obsidentibus.

Resp. 2. Uti licet Epikija, quando evidens est non posse servari legem sine gravi damno, cum quo constet Legem non obligare, saltem si adiri nequit superior. Nam tunc certò & prudenter judicamus Legem non obligare in tali casu.

Resp. 3. In dubio num aliquis casus comprehendatur in Lege, debet consuli superior, ex cap. 31. *de sent. excomm. & L. 1. & ult. Cod. de Legibus*. Si non possit consuli, non licet uti Epikija, sed servanda est Lex. *Azor & alii*, post S. Thomam 2. 2. qu. 120. art. 1. ad 3. ubi ait: *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione principis à verbis Legis recedere. Sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione.* Ratio est, quia in dubiis tutior pars semper eligi debet. Nec tunc absque determinatione superioris formari potest judicium prudens & moraliter certum, Legem non obligare.

CAPUT VI.

De Dispensatione.

Nota. Dispensatio est relaxatio Legis ad tempus, seu exemptio à Legis obligatione in aliquo casu particulari, ubi Lex cæteroquin obligaret. Hinc differt, 1. Ab interpretatione, qua non relaxatur obligatio, sed solùm declaratur Legem non obligare in certis casibus. 2. A privilegio, quod est facultas permanens concessa in perpetuum, & per modum Legis, & sæpe non est contra, sed præter legem. 3. A licentia seu permissione, qua non relaxatur obligatio Legis, sed solùm apponitur conditio, sub qua Lex non obligat.

Quæst. I. *Quinam habent potestatem dispensandi?*

Nota. Potestas dispensandi est potestas jurisdictionis, & duplex est, nempe ordinaria, & delegata. Ordinaria est ea, quæ alicui competit ratione officii, seu ex vi sui muneris. Delegata est ea, quæ habetur ex concessione illius, qui habet ordinariam. Hæc conceditur vel ab homine, vel à jure. Si à jure datur, transit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat morte concedentis. Si verò datur per simplicem commissionem, cessat mortuo vel amoto delegante, si res est integra.

Resp. 1. Ex communi sententia Theologorum, nullus homo habet potestatem dispensandi in Legibus divinis, etiam merè positivis. Quia nemo habet potestatem relaxandi obligationem à Deo impositam, nisi specialem ad hoc potestatem à Deo acceperit. Nam inferior non potest propria authoritate relaxare obligationem impositam à superiore: authoritas enim inferior non potest superiori prævalere, nec derogare. At nemo accepit à Deo potestatem relaxandi obligationem Legum divinarum: tam talis potestas neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari potest: & aliunde non expedit bono Ecclesiæ, quæ non posset suam unitatem, uniformitatem, & constantiam in fide & in cultu divino servare, nisi Leges divinæ essent prorsus hominibus indispensabiles. Præterea Leges merè positivæ à Christo latæ, ad fidem, & Sacramenta, ac Sacrificium Eucharistiæ, quæ sunt religionis nostræ fundamenta, pertinent: ideoque sunt fundamentales: ac proinde debent esse immutabiles respectu omnium; alioqui si mutarentur, mutaretur religio substantialiter. Unde Concil. Trident. sess. 21. c. 2. clarè indicat Ecclesiam non posse mutare substantiam Sacramentorum. Itaque circa Leges divinas etiam merè positivas, Deus solùm concessit Ecclesiæ potestatem illas interpretandi, & declarandi casus, ad quos Lex divina non extenditur.

Resp. 2. Potestatem Ordinariam dispensandi in Lege humana habet. 1. Is qui eam tulit; nam ejusdem potestatis est ferre Legem & in ea dispensare. 2. Successor Legislatoris cum pari potestate. Nam si Legislator habet, ergo & is qui habet æqualem, imò eamdem potestatem, ex cap. 20. de electione, ubi Innocentius III. de prædecessore suo Legislatore ait: *Qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, imò eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem.*

3. Qui

3. Qui habet potestatem Legislatoris superiorem circa eosdem subditos. Nam si inferior habet potestatem ordinariam dispensandi, à fortiori habet ejus superior, qui etiam potest Legem inferioris abrogare.

Hinc Papa habet potestatem ordinariam dispensandi in omnibus Legibus Ecclesiasticis, etiam ab Apostolis latis: quia parem habet jurisdictionem cum Petro Apostolorum Principe, cujus est successor.

Resp. 3. Inferior non habet potestatem dispensandi in Lege superioris, nisi ex ejus concessione. Quia 1. Ex Clemen. 2. *de elect. Lex superioris per inferiorem tolli non potest*. 2. Inferior non potest tollere obligationem impositam à superiore sine ejus consensu. Nam inferior non potest derogare, nec prævalere authoritati superioris: alioqui inferior esset ipsi superiori superior.

Potest tamen inferior habere potestatem dispensandi delegatam. Quia superior potestatem dispensandi exercere potest per alium, & sic eam alteri concedere: nam *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Reg. Jur. 68. in 6.*

Hinc 1. Episcopi & omnes alii Prælati Papa inferiores, non habent potestatem ordinariam dispensandi in jure communi & Legibus Papæ, ex cap. 15. *de tempor. ordin.* ubi damnatur Episcopus quòd uno die plures ordines, licèt de mandato Metropolitani, contulisset; eo quòd dispensatio in hoc non fuerit à canone concessa. Habent tamen delegatam in certis casibus; nam dispensare possunt in Lege communi ex concessione Concilii vel Papæ expressa vel tacita, aut legitimè præsumpta. Unde possunt non solùm quando in Lege expressè dicitur Episcopos posse dispensare in ea, ut patet; sed etiam quando est consuetudo dispensandi, ex cap. 13. *de foro compet.* vel quando necessitas dispensandi in aliqua Lege sæpe occurrit, ut in festis & jejuniis; vel quando dubium est an res egeat dispensatione; vel quando occurrit gravis ac urgens necessitas dispensandi, nec potest recurri ad Papam, aut periculum est in mora, ob scandalum, aut gravissimum detrimentum imminens. Nam in his casibus ex communi sententia censetur potestas dispensandi Episcopo concessa, cùm hoc postulet bonum commune, sitque necessarium ad ordinarium & rectum regimen animarum.

2. Episcopus vel Archiepiscopus non habet potestatem dispensandi in Legibus Concilii provincialis, aut nationalis, nisi ex concessione ejusdem Concilii vel Papæ. Quia sunt Leges conditæ authoritate superiori: nam Concilium provinciale est unum corpus mysticum habens propriam & distinctam jurisdictionem majorem jurisdictione singulorum Episcoporum, qui proinde subjiciuntur ejus Legibus. Aliud est de Legibus latis ab Episcopo in Synodo diœcesana, vel de consensu Capituli. Nam Episcopus habet potestatem ordinariam in iis dispensandi, quia sive in Synodo, sive in Capitulo, tota potestas condendi Leges penes Episcopum est; neque ex Episcopo & Parochis aut Canonicis, fit corpus mysticum, quod jurisdictionem habeat majorem jurisdictione Episcopali.

3. Archiepiscopus non habet potestatem ordinariam dispensandi in Legibus Episcoporum suæ provinciæ. Quia non est superior Episcopi, neque ejus diœcesanorum, nisi cum actu visitet diœcesim, aut in casu appellationis.

Nota. Prælati, qui habent potestatem dispensandi quoad Leges, vota, & juramenta, possunt etiam secum dispensare saltem indirectè, committendo scilicet alteri potestatem dispensandi secum. Quia Prælati non sunt deterioris conditionis quàm subditi, qui in promptu habent à quo possint dispensationem accipere. Imò id possunt etiam directè & immediatè per se: quia hoc nullo jure prohibetur. Nec repugnat, quòd quis in se exerceat jurisdictionem omnino voluntariam, quæ non sit condemnativa nec absolutiva: nam ad hoc per se non requiritur distinctio personarum.

Quæst. II. *An peccat qui dispensat etiam in propria lege sine justa causa?*

Resp. Affirm. Ita communiter. Quia 1. irrationabiliter ab onere liberat eum, qui non est eximendus: quod est peccatum acceptionis personarum, & contra justitiam distributivam. 2. Superior ex officio tenetur procurare bonum commune per legum observationem, & fideliter ac prudenter uti sua potestate, in ædificationem, non in destructionem: quod non facit dispensans sine justa causa, sed potiùs dissipat crudeliter, ut ait S. Bernardus lib. 3. de consid. 3. Unicuique aperit aditum ad transgrediendas Leges, ut ait Conc. Trident. sess. 20. cap. 18. Enimverò subditi facile putant idem sibi licere quod aliis, qui nullam specialem caussam habent, & quorum exemplo ad violationem Legum incitantur.

Hinc sine causa dispensans peccat mortaliter; si materia gravis est. Ita *Covarr. Suarez, Sanchez, Valent. & alii*. Nam peccat in re

in re gravi contra officium proprium, contra bonum commune. item contra charitatem, præbendo multis occasionem peccandi. Peccat verò venialiter, per se loquendo, si materia levis est, nempe si obligatio Legis sit tantùm sub veniali.

Hinc peccat etiam subditus, qui dispensationem petit sine justa causa: nam inducit superiorem ad peccandum; imò qui ultrò oblatam acceptat, quia cooperatur peccato superioris.

Nota 1. Non requiritur talis causa dispensandi, propter quam superior teneatur dispensare: sed ea sufficit, quæ apta sit ad movendum rationabiliter superiorem ut benigniùs agat cum inferiore, illum liberando ab obligatione Legis, quæ alioqui non desineret; & tunc dispensatio data vocatur gratia.

2. Si causa talis sit, ut superior saltem ex charitate teneatur dispensare, non idcirco subditus liber est ab obligatione, si negetur dispensatio. Quia per hanc causam sine authoritate superioris non tollitur obligatio Legis.

3. Ex Jure Canonico, triplex est generatim causa justa dispensandi, scilicèt, pietas, necessitas, & utilitas communis, vel etiam privata petentis, quæ redundet in bonum commune; nam dispensatio debet semper saltem mediatè & ultimatè cedere in bonum commune; alioquin est illicita & infidelis, ut docet Suarez post S. Thom. Sufficit tamen, quòd detur propter bonum rationabile personæ privatæ, quod in aliorum damnum non cedat: hoc ipso enim redundat in bonum commune postulantis, ut superior singulorum etiam bonum procuret, quantum fieri potest absque jactura boni communis: Quare Sanctus Thomas docet dispensationem rectè dari, quando Lex, quæ communitati expedit, huic personæ non expedit propter periculum mali, vel impedimentum majoris boni.

Quæst. III. *An dispensatio sine justa causa scienter data, valida est?*

Resp. 1. Ex communi Theologorum sententia, est valida, quamvis illicita; si detur à Legislatore, vel ab ejus successore aut superiore. Quia obligatio Legis positivæ, sicut ipsa Lex, ut sit & perseveret, pendet à libera voluntate Legislatoris, & à libera applicatione juris, quod habet ad obligandum: Ergo etiam pendet à libera voluntate succedentis cum æquali potestate, & à fortiori superioris. Ergo si Legislator, vel ejus successor, aut superior, non vult subditum Lege obligari, revera is non obligatur. Et verò Legislator potest sine justa causa tollere obligationem Legis respectu omnium, ipsam Legem abrogando; Ergo à fortiori potest illam tollere respectu aliquorum in certis casibus, dispensando cum illis, licèt remaneat respectu aliorum.

Equidem Legislator non potest ferre Legem sine justa causa, quia non potest sine justa causa obligare subditos. At potest, etiam sine justa causa, non obligare: nam ad hoc sufficit quòd obligare nolit. Ergo cùm Legislator possit sine justa causa nolle obligare, potest etiam sine justa causa non obligare.

Resp. 2. Invalida est dispensatio sine justa causa data ab inferiore & delegato. *Ita omnes, teste Suarez.* Quia inferior & delegatus non habet potestatem dispensandi sine justa causa: nam superior non censetur talem potestatem ei concedere, cùm id non possit licitè; non enim censetur velle peccare. Non minùs autem peccaret superior, si inferiori concederet potestatem dispensandi sine justa causa, quàm si ipse sine ea dispensaret. Porrò hoc est discrimen inter superiorem & delegatum, quòd superior habeat ex vi muneris sui potestatem dispensandi, & Lex pendeat ab ejus voluntate: at delegatus non habet potestatem nisi eam, quam superior ei concedit.

Hinc Episcopus, justa causa deficiente, invalidè dispensat in Lege jejunii, abstinentiæ, &c. *Covarr. Navarr. Sylvest. & alii.*

Quæst. IV. *An licet uti dispensatione valida sine justa causa obtenta?*

Resp. Non licet, sed subditus ea utens peccat eadem specie peccati, cujus est violatio illius Legis. Quia quamvis non ampliùs obligetur ex vi Legis humanæ ad actionem vel omissionem per illam præscriptam, cùm talis obligatio sublata sit per dispensationem; obligatur tamen ad illam ex vi Legis naturalis præcipientis uniformitatem membrorum in servanda Lege propter bonum commune, & vetantis ne quis ab onere communi se subtrahat sine justa causa, & ne pars absque ratione discrepet à suo toto: nam (ut ait S. August. lib. 2. Confess. cap. 8.) *Turpis omnis pars est suo universo non congruens*, scilicèt sine rationabili causa, qualis non est dispensatio injusta & repugnans bono communi. Enimverò Legislator ipse peccat, si sine rationabili causa Legem suam non servet: Ergo etiam & ipse subditus. Ob eamdem rationem, cessante causa dispensationis, cessat usus ejus esse licitus.

Qui tamen tali dispensatione utitur, non

in-

incurrit censuras & pœnas Lege humana impositas; quia per dispensationem validam tollitur obligatio orta à Lege humana; quare solùm peccat contra Legem naturalem præcipientem idem, ad quod alii tenentur. Cujus quidem peccati gravitas ut species petenda videtur à gravitate materiæ, & specie actus per Legem humanam præscripti, in quo Lex naturalis præcipit conformitatem. Nam Legis naturalis obligatio accommodatur materiæ gravitati, & eam præscribit ex eodem motivo, quo Lex humana. Unde videtur peccare mortaliter contra temperantiam, qui non servat Legem jejunii ex dispensatione sine justa causa obtenta. Alii tamen censent talem tantùm obligari ex justitia legali aut distributiva, & Legem naturalem tunc non tam severè obligare.

Obj. 1. Subditus utens dispensatione sibi concessa quamvis sine justa causa utitur jure suo. Ergo non peccat. *Resp.* Neg. ant. Quia tenetur adhuc servare Legem. Nam quamvis non obligetur amplius ex vi Legis humanæ, tamen adhuc ad actum, in quo dispensatus est, obligatur ex vi Legis naturalis, præcipientis uniformitatem, & vetantis ne quis ab onere communi se subtrahat sine justa causa, qualis non est dispensatio injusta & irrationabilis.

Obj. 2. Ergo nullum est discrimen inter dispensatum sine justa causa, & non dispensatum. *Resp.* Neg. Hoc enim inter utrumque intercedit discrimen, quòd sic dispensatus obligetur tantùm vi Legis naturalis, nec contrahat pœnas ac censuras per Legem inflictas. At non dispensatus obligatur non solùm vi Legis naturalis uniformitatem inter membra ejusdem communitatis præcipientis, sed etiam vi Legis humanæ. Unde non servando Legem, incurrit pœnas per Legem inflictas, & graviùs peccat, quia peccat contra duplicem obligationem, alter verò contra unicam.

Nota. Quamvis inferior dubitet utrùm ratio petendi dispensationem sit sufficiens, non tamen peccat illam sincerè proponendo superiori, aut utendo dispensatione, si detur; modò dubium deponat conformando judicium suum judicio superioris, qui prudenter judicasse, causam dispensandi sufficientem fuisse, præsumendus est, nisi oppositum constet, aut sit multò probabilius.

Quæst. V. *Quandonam dispensatio invalida est ex parte petitionis?*

Resp. Nulla est dispensatio, si sit subreptitia vel obreptitia. Quia tum superior non intendit dispensare, nec dispensat nisi sub hac tacita conditione: *Si res ita sit, & nihil occultetur*, propter quod dispensaturus non esset, aut saltem nisi cum certo onere vel limitatione; nec voluntarium est, si ignoretur quoad agitur, ex cap. 7. de fide instrument. ubi Innocentius III. ait, *Si tales per suppressionem veritatis, aut falsitatis expressionem, litteras nostras etiam certas constiterit impetrasse, carere volumus impetratis & eis non obstantibus, ad voti executionem compelli.*

Dispensatio autem subreptitia est ea, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exprimendæ, seu eorum, quæ exponi debent in petitione juxta jus & stylum. Obreptitia est, quæ obtinetur per expressionem falsitatis, qua cognita, non fuisset data dispensatio. Hæc vocatur etiam aliquando subreptitia, & utraque sæpe in Jure confunditur: eo quòd utraque nullas vires habeat.

Itaque invalida est dispensatio. 1. Si reticeatur licèt inculpatè aliquid ad rem petitam spectans, vel aliquid eorum, quæ secundùm jura & stylum exprimi debent, ex cap. 2. de *filiis presbyt. in 6.* quia superior non intendit dare dispensationem, nisi adsint conditiones, quæ ad ipsam intrinsecè spectant, & quæ jus, stylus, consuetudo, & Leges seu regulæ Cancellariæ exigunt, ut cognoscatur qualis sit gratia, quæ postulatur; & sine horum omnium cognitione superior non vult dare gratiam qualis petitur, cùm eam ut talem ignoret. 2. Nulla est, si obtineatur ex causa finali falsa, cap. 20. *de rescript.* quia superior non vult dispensare sine justa & vera causa, nec potest censeri velle peccare. Idem dic si duæ causæ allatæ sint, una vera, & altera falsa, & vera per se non sufficit ad dispensationem æquam & rationabilem, secùs si sola causa impulsiva sit falsa, *ex eod. cap.* Causa autem finalis est ea, quæ immediatè pertinet ad rem petitam, & ob quam conceditur gratia, ita ut ea non existente, aut nullo modo, aut non nisi cum quibusdam conditionibus & limitationibus concessa fuisset. Causa verò impulsiva dicitur ea, propter quam dispensans faciliùs dispensat, ita tamen ut sine illa secundùm rectam rationem & causæ meritum dispensaturus esset eodem modo.

Quæst. VI. *An valet dispensatio, si post petitionem causa cesset?*

Resp. 1. Nulla est dispensatio, si ejus causa finalis non subsistat tempore, quo conceditur à Papa vel Pœnitentiario, cap. 9. *de rescript. in 6.* quia nolunt concedere dispensationem, nisi ob causam, quæ tunc sub-

subsistat: alioqui essent iniqui dissipatores, & sine causa dispensarent. Idem est, si causa non perstet eo tempore, quo Commissarius, nempe Episcopus vel Confessarius dispensat: quia cessante causa finali mandati cessat mandatum, si res integra sit, ex c. 30. *de preb. in 6.* At hic antequam Commissarius dispensat, res est adhuc integra. Præterea Commissarius non potest dispensare nisi sub hac conditione apponi solita, aut saltem subintellecta, *si preces veritate nitantur*; quæ exigit ut causa finalis verè perstet tempore, quo datur dispensatio, & quo examinata precum veritate, executioni mandatur à Commissario: alioquin delegaretur potestas dispensandi sine causa existente, quod illicitum est. Hinc si ob causam legitimandæ prolis ex consanguinea susceptæ petatur dispensatio in impedimento, sed ante obtentam vel à Commissario datam dispensationem proles moriatur, non valet, nec potest executioni mandari.

Resp. 2. Si post dispensationem obtentam, examinatam, & datam à Commissario cesset causa finalis ante illius usum, v. gr. proles moriatur ante contractum matrimonium, controversia est. Alii putant tunc etiam valere dispensationem super impedimento: quia in litteris dispensatoriis conceditur dispensatio sub hac sola conditione jam posita; *si preces veritate nitantur*, cùm nempe à Commissario examinatur petitio dispensationis. Sanchez verò cum multis docet generatim tunc cessare dispensationem. Quia superior non vult eam valere in casu, quo cessat ejus causa legitima: alioqui peccaret, essetque iniquus dispensator, concedendo facultatem agendi contra Legem non subsistente justa causa. Unde in omni dispensatione subintelligitur hæc conditio, *Modò causa permaneat tempore executionis*. Idque videtur certum dum dispensatio non est super impedimento, sed super observantia alicujus præcepti, v. g. officii, jejunii, &c. Tunc enim si ante illius usum causa cessat, manet obligatio servandi præceptum: quia non est mens superioris ab ea liberare sine causa subsistente tempore quo urget ipsa obligatio; cùm hoc non possit licitè velle: & quia Lege naturali, à qua nemo potest dispensari, pars tenetur se toti conformare, cessante causa exemptionis.

Item si initio usus subsistebat causa, sed postea cesset, & dispensatio habeat effectum successivum, sitque virtualiter multiplex; tum hæc quoque cessat cessante ejus causa. Sic si quis propter infirmitatem, quæ perpetua fore videbatur, à Lege jejunii dispensationem sine limitatione obtinuisset; si postea convalescat, rursus tenetur jejunare. Quia cùm obligatio jejunii sit successiva & multiplex, sive cùm tot sint obligationes jejunandi, quot sunt dies Quadragesimæ, non possunt tolli, nisi per totidem dispensationes; nam pro singulis diebus opus est dispensatione virtualiter nova, ac proinde requiritur justa causa, quæ singulis illis diebus subsistat. Nec debet præsumi esse mens fidelis dispensatoris velle liberare ab aliqua obligatione sine justa causa subsistente tempore obligationis, cùm licitè non possit.

Si verò dispensatio sit super impedimento matrimonii, vel irregularitate seu inhabilitate, & jam executioni mandata fuerit, non cessat dispensatio cessante causa: ut si quis ob parentum inopiam dispensationem ad Ordines obtinuit, sed post susceptos Ordines cessat paupertas, non ideo cessat dispensatio super irregularitate, sed talis licitè exercet Ordines: quia non redit impedimentum semel absolute sublatum per dispensationem; & quia *factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari*. Reg. 73. Jur. in 6.

CAPUT VII.

De Abrogatione & Cessatione Legis.

Nota. Legis abrogatio, derogatio, & cessatio inter se differunt. Nam abrogatio est totius Legis abolitio: Derogatio est Legis adhuc vigentis imminutio secundùm aliquam sui partem, seu abolitio partis Legis: *Derogatur Legi, cùm pars detrahitur: abrogatur Legi, cùm prorsus tollitur*, l. 120. §. *de verbor. signif.* Cessatio verò est simplex & pura desitio Legis per se ipsam.

Quæst. I. *An Lex potest validè & licitè abrogari?*

Resp. 1. Princeps potest validè, etiam sine justa causa, abrogare Legem à se, vel à suo prædecessore, aut inferiore latam. Probatur 1. pars. Quia Lex positiva, ut fit, & ut conservetur, pendet à libera voluntate Legislatoris: nam Lex est actus, & applicatio potestatis præcipiendi, & obligandi subditos. Hæc autem applicatio est actus liber voluntatis Legislatoris. 2. Quia qui succedit Legislatori cum pari potestate, potest id totum quod Legislator poterat. 3. Quia jus & voluntas superioris prævalet juri & voluntati inferioris.

Resp. 2.

Resp. 2. Inferiores non possunt abrogare Leges superiorum sine eorum concessione, ex *Clement. de elect.* Quia potestas & voluntas inferioris non potest prævalere potestati & voluntati superioris: alioqui inferior esset ipso superiore superior.

Resp. 3. Legem sine justa causa abrogans peccat. Nam bono communi nocet, & parit contemptum Legum, ac inconstantiam regiminis. Non peccant tamen subditi non servando Legem sic abrogatam, quia ejus obligatio sublata est respectu omnium, cùm validè sit abrogata.

Nota. Lex abrogatur tripliciter. 1. Per simplicem revocationem. 2. Per desuetudinem, vel contrariam consuetudinem expressè aut tacitè à superiore approbatam, vel legitimè præscriptam. 3. Per aliam Legem, qua vel declaretur revocatio prioris, vel contrarium priori Legi statuatur: nam si Lex posterior stare nequeat cum priori, illam revocat, cùm ei opponatur. Leges tamen speciales per posteriores generales non abrogantur, sine expressa mentione, vel clausula saltem generali expressè derogatoria. Quia, ut docent communiter Canonistæ; Princeps censetur ignorare Legem specialem, cujus expressam mentionem non facit, vel cui non derogat expressè. Unde cùm voluntas non feratur in incognitum, non censetur velle illi derogare per Legem generalem carentem clausula derogatoria Legis specialis; ex cap. 1. *de constit. in 6.*

Quæst. II. *Quandonam Lex cessat per seipsam?*

Resp. Ex communi sententia cessat. 1. Quando elapsum est tempus, ad quod lata est. 2. Quando propter mutationem materiæ, vel circumstantiarum, facta est injusta, aut inutilis bono communi: nam Lex omnis est essentialiter honesta & utilis communitati. 3. Quando cessat respectu communitatis tota & adæquata ratio seu causa finalis propter quam lata est. Nam Lex non obligat, nisi quamdiu Legislator vult ut obliget; imò Lex ipsa saltem ex parte est ipsa Legislatoris jus suum ad obligandum subditos applicantis voluntas moraliter perseverans, unde Lex non perseveret, nisi eadem voluntate moraliter perseverante. At voluntas obligandi non perseverat moraliter cessante tota & adæquata causa, propter quam Lex lata est: nam cessat volitio cessante motivo volendi, seu causa finali, propter quam volumus; actus enim volendi nec esse nec perseverare potest sublato ejus objecto formali, nempe motivo.

Si tamen ratio seu causa Legis cesset solùm respectu aliquorum privatorum, Lex non cessat, sed semper obligat etiam illos privatos. *Ita Suarez, Azor, Layman, & alii commun.* quia Legislator vult, ut omnes Lege teneantur, quamdiu illa Lex utilis est bono communi, & honestè servari potest. Nam Legis observatio in tali casu confert ad illius vigorem ac robur, & ad bonum commune exigens membrorum conformitatem: alioquin daretur subditis occasio sæpe eludendi Leges; nam sibi quisque facilè fingeret finem Legis respectu sui cessare. Quare bonum commune exigit, ut tunc Lex obliget.

CAPUT III.

De Lege pœnali, & irritante.

Nota. Lex pœnalis est ea, quæ pœnam expressè apponit transgressoribus. Alia est purè pœnalis, & alia mixta.

Quæst. I. *An extant Leges pœnales?*

Resp. 1. Ex communi sententia, extant Leges pœnales mixtæ, quæ obligant in conscientia absolutè sub culpa & pœna. Nam Lex pœnalis mixta est ea, quæ præcipit aliquid faciendum vel omittendum, & simul pœnam transgressoribus imponit; ideoque duo præcepta continet, unum faciendi, vel omittendi aliquid: aliud subeundi pœnam appositam, si secùs fiat. At omne præceptum legitimum obligat in conscientia. Ergo. Et verò impositio obligationis ad utrumque bono communi expedit, & sæpe necessaria est: nam sæpe una obligatio sine altera non esset satis efficax ad consequendum finem Lege intentum; utraque autem simul valdè urget observationem Legis.

Porrò Leges, in quibus apponitur pœna cum verbis præcipiendi vel prohibendi, sunt pœnales mixtæ, nisi Legislator, vel consuetudo declaret esse purè pœnales. Nam Lex aliquid præcipiens vel vetans, non apponendo pœnam: obligat absolutè sub culpa: Ergo etiam sic obligat apponendo pœnam, nam pœna præcepto apposita, non tollit ejus obligationem, sed potiùs confirmat.

Resp. 2. Extant etiam Leges purè pœnales. Nam Lex purè pœnalis est ea, quæ præcipit tantùm disjunctivè, ut vel fiat id quod statuitur, vel certa pœna subeatur: unde unicum continet præceptum, illudque disjunctivum, scilicet faciendi, omittendive aliquid, vel subeundi pœnam aliquam, si illud fiat aut omittatur. At extant ejusmodi Leges aliquæ: nam tales sunt constitutiones *ita*

Leges

Leges quarumdam Religionum, ut de sua testatur S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. Et verò quidni darentur tales Leges, cùm sæpè magis expediant saluti ac bono spirituali subditorum? sæpè enim per illas subditi sufficienter impelluntur timore pœnæ ad actum præscriptum, & tollitur periculum peccandi, quod alias esset.

Observ. 1. Duplex est pœna, una propriè dicta, quæ est malum seu incommodum aliquod naturæ, vel voluntati contrarium, ad vindicandam culpam aliquam inflictum. Et altera impropriè dicta, quæ est onus quoddam vel incommodum impositum non propter culpam; sed propter aliam causam, putà ut illius metu impellamur ad aliquid faciendum, vel omittendum. De hac intelligi debet regula 23. Jur. in 6. *Sine culpa, nisi subsistit causa, non est aliquis puniendus.*

2. Lex purè pœnalis obligat quidem in conscientia & sub culpa, sed solùm disjunctivè vel ad actum præscriptum, vel ad pœnam, impropriè dictam subeundam: quia alterutrum tantùm præcipitur. Hinc subditus omittendo actum peccat, nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam: nam semper est contra rectam rationem & legem divinam, non obedire superiori præcipienti, eo modo scilicèt & quatenus præcipit.

3. Lex certam pœnam apponens, cognoscitur esse purè pœnalis, vel ex verbis Legislatoris, quibus declaret se velle obligare disjunctivè tantùm ad actum aut ad pœnam: vel ex ipsa forma Legis, ut si disjunctivè præcipiatur vel prohibeatur aliquid, v. gr. *Nullus tales merces evehat, vel solvat 50. nummos:* tunc enim datur optio ad alterutrum: vel si Lex non feratur per modum præcepti aut prohibitionis, *Qui venaturus est, centum libras solvet:* nisi pœna sit gravissima, vel censura, aut ex circumstantiis, aut materia verosimiliùs appareat contrarium. Item Lex purè pœnalis cognoscitur ex communi sapientum interpretatione, vel ex consuetudine, quæ est optima Legum interpres.

Quæst. II. *An & quando Lex pœnalis obligat ad subeundam pœnam ante omnem sententiam Judicis?*

Nota. Pœna alia est lata, quæ ipso facto, seu sola culpæ admissione infligitur per Legem; & altera ferenda, quæ statuitur infligenda per Judicem. Item duplex est sententia Judicis, una condemnatoria, per quam reus à Judice condemnatur ad certam pœnam; altera criminis declaratoria, per quam Judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto contrahitur, & eam subeundam esse. Hic non agitur de pœna sententiæ ferendæ; nam patet reum non obligari ad eam persolvendam, donec Judex eum condemnaverit. Lex enim statuit solùm eam à Judice esse infligendam.

Resp. 1. Ex communi sententia, reus tenetur ante sententiam Judicis, etiam declaratoriam, subire pœnas ipso facto latas, sive illæ pœnæ sint passivæ, quæ nullam rei actionem requirant, ut sunt censuræ, irregularitas, privatio vocis passivæ & activæ, irritationes contractuum, inhabilitas: sive sint privativæ, quæ irritent actum vetitum, & reum inhabilem reddant, licèt executioni mandari nequeant sine rei actione: sive sint activæ, sed moderatæ, ut sunt recitatio aliquarum precum, jejunium, moderata corporis castigatio, mulcta pecuniaria, & similes. Constat. 1. Ex communi Ecclesiæ sensu & usu. 2. Quia Legislator potest per suam Legem infligere & exequi pœnas ejusmodi, quoties hic modus infligendi, & obligandi ad illas necessarius est, aut valde expedit bono communi, sicut reipsa sæpe expedit. Nam Legislator habet potestatem ad ea omnia, quæ expediunt bono communi. 3. Non minor est potestas obligativa in Lege, quàm in sententia Judicis: cùm Lex sit actus immediatè procedens à Principis potestate, sententia verò sit à potestate delegata Principis; & Legislator potest per suam Legem infligere & exequi pœnam, quam potest per Judicem, qui ab eo totam suam potestatem accipit, quando per talem modum exequendi pœnam, pœna non redditur nimis acerba, & moraliter impossibilis. Ergo si reus tenetur subire & exequi pœnam per sententiam Judicis inflictam, tenetur etiam subire & exequi pœnam per Legem inflictam, si illa pœna ut statim & ante omnem sententiam à reo persolvenda, non sit nimis acerba, & moraliter impossibilis. Quod addo quia lex humana debet esse tolerabilis, & accommodata imbecillitati ac conditioni humanæ; alioquin esset occasio multarum transgressionum, & ideo magis obesset quàm prodesset.

Resp. 2. Ex communi sententia reus non tenetur ante sententiam declaratoriam subire pœnam ipso facto latam, quæ executioni mandari nequit sine actione rei, si illius executio sit admodùm acerba & difficilis, ut confiscatio omnium bonorum, privatio beneficii justè possessi, &c. nisi addantur aliæ voces plùs significantes, v. gr. ut nulla alia præmissa monitione, & ante omnem declarationem, & pro-

& promulgationem sententiæ sit privatus beneficio, &c. Quia 1. communis usus tales Leges sic interpretatur: & aliunde voces, *ipso facto*, *ipso jure*, in illis Legibus positæ sufficientem effectum habent: nam significant ad pœnam statutam contrahendam non requiri sententiam condemnatoriam, sed sufficere declaratoriam, faciuntque ut pœna illa extendatur ac retrotrahatur usque ad diem commissi criminis: ita ut alienatio, v. gr. bonorum à die commissi criminis facta, rescindi queat. 2. Cap. 19. *de hæretic. in 7.* cùm statutum esset bona hæreticorum esse ipso jure confiscata, mox additur, ne executio confiscationis fiat ab ullo Principe sæculari, donec à Judice competente sententia super eodem crimine fuerit promulgata.

Quæst. III. *An ignorantia excusat à reatu pœnæ?*

Resp. 1. Omnis ignorantia, quæ excusat à culpa, excusat etiam à reatu, seu debito pœnæ propriè dictæ, ex cap. 9. *de cler. excomm.* Quia pœna propriè dicta statuta est ob culpam, & hanc necessariò supponit. Ergo quod tollit culpam, tollit meritum, ac reatum pœnæ.

Hinc 1. Qui Legem aliquam non servavit ex ignorantia inculpabili, non tenetur in conscientia ad pœnam subeundam, quamvis Lex eam imponat ipso facto. Quòd si condemnetur à Judice, quia non potest probare suam inculpabilem ignorantiam, de qua certus est, potest pœnam vitare, modò id sine publica resistentia & scandalo fiat. 2. Ignorantia excusans à culpa, excusat etiam ab irregularitate ex delicto: quia hæc est propriè pœna, aut saltem eam ut causam supponit: secùs de irregularitate ex defectu, quia non est propriè pœna, nec supponit culpam, sed solùm factum aliquod, quod non impedit ignorantia.

Resp. 2. Ignorantia excusans à culpa mortali, licèt non excuset à veniali, excusat à pœna gravi Legis. Quia gravis pœna non imponitur per Legem humanam, nisi propter gravem culpam: nam Lex humana debet esse tolerabilis, & accommodata conditioni humanæ, nec moderationem rationabilem & æquitatem excedere debet. Quòd si pœna sit levis, & talis, quæ cadere possit in culpam venialem, tunc ignorantia non excusans à veniali, non excusabit ab illa.

Resp. 3. Ignorantia, quæ non excusat à culpa gravi, non excusat à pœna, nisi in Lege addatur verbum, quod dolum aut scientiam requirat. Quia cum tali ignorantia ponitur culpa, propter quam pœna statuitur.

Dixi, *nisi in Lege*, &c. propter quasdam Leges in quibus additur: *Qui scienter, vel temerè hoc fecerit*; *si quis præsumpserit*, aut aliud æquivalens, quod scientiam requirit. Tunc enim pœna non contrahitur, nisi culpa fiat ex scientia, vel ex ignorantia affectata, quæ æquiparatur scientiæ: quia Legislator (ut verba Legis indicant) non vult punire transgressionem Legis licèt mortalem, nisi habeat talem modum gravitatis, ut nempe fiat ex certa scientia, & temeritate, quæ circumstantia multùm auget culpam. Hinc ignorantia affectata numquam excusat à pœna gravi, quia meritò æquiparatur scientiæ, cum includat scientiam periculi directè voliti, contemptum Legis, temeritatem ac præsumptionem; & auget culpam propter majorem affectum peccandi.

Resp. 4. Ignorantia licèt invincibilis solius pœnæ non excusat à pœna, quæ saltem non sit censura. Quia 1. ignorantia solius pœnæ non excusat à culpa, propter quam est obligatio ad pœnam Lege statutam. Et ideo Deus infideles pœna æterna ob peccata mortalia punit, quamvis invincibiliter ignorent talem pœnam illis debitam esse. Item homines mortis pœna mulctant fures, quanvis eam ignorantes. 2. Pœna non debet esse voluntaria sicut culpa. Imò magis est pœna, dum est involuntaria.

Sed an qui ponit actum aliquem Lege divina & humana prohibitum, excusatur à pœna Legis humanæ, si ignoret inculpabiliter solam Legem humanam?

Resp. Non videtur excusari, regulariter loquendo. Quia talis ignorantia non tollit omnem causam pœnæ, nempe culpam. Nam in hoc casu violatur culpabiliter Lex divina; & Lex humana non solùm intendit punire transgressionem suam voluntariam, sed etiam culpam contra Legem Dei commissam: & aliunde notitia pœnæ non est necessaria ad contrahendam ipsam pœnam. Hinc rebaptizans fit irregularis ex delicto, licèt ignoret invincibiliter Legem Ecclesiasticam de hoc latam, si norit divinam.

Dixi *regulariter*. Nam 1. excipiuntur censuræ, à quibus excusat semper ignorantia invincibilis Legis Ecclesiasticæ: eò quòd requirant contumaciam contra Legem Ecclesiasticam, qua caret is qui ignorat invincibiliter talem Legem. 2. Si pœna extraordinaria sit, minui debet: quia minor est contemptus, ideoque culpa minorem pœnam meretur.

Quæst. IV. *Quid est Lex irritans, & quinam ejus effectus?*

Resp. 1. Lex irritans est ea, quæ statuit actum aliquem esse invalidum. Constat autem actum, qui fit contra talem Legem, esse nullum etiam in foro conscientiæ. Quia in Ecclesia & in Republica est potestas legitima irritandi actus; sive præscribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actuum valorem & obligationem; sive subditos reddendo inhabiles ad certos actus. Nam talis potestas ad bonum commune & rectam ac efficacem gubernationem requiritur, cùm sine tali potestate, fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda impediri sæpe nequeant.

Resp. 2. Invincibilis ignorantia Legis irritantis non impedit irritationem actus factam immediatè propter bonum commune. *Indubitatum est apud omnes*, ait Suarez. Quia irritatio non supponit culpam, cùm imposita sit non propter illam, sed propter bonum commune, quod postulat ut Lex irritans habeat effectum suum pro isto & omni alio casu. Ergo à fortiori nec metus gravis impedit irritationem actus, alioquin homines sumerent occasionem incutiendi metum ad eludendam Legem; quod bono communi multùm obesset, & in grave reipublicæ detrimentum redundaret. Nec potest quis derogare bono communi, cedendo proprio.

Resp. 3. Lex irritans simul & prohibens actum, obligat in conscientia ad vitandum illum actum. Quia Lex illa continet præceptum prohibens. Lex vero purè irritans actum, non obligat ad illum vitandum: quia Lex illa non continet præceptum omittendi actum, quem irritat, & ad finem talis Legis sufficit irritatio actus absque obligatione abstinendi ab illo. Hinc Lex irritans renuntiationem hæreditatis paternæ factam à filia dote contenta, dum nuptui collocatur, non obligat illam ad non renunciandum.

Lex autem censetur purè irritans, quando ejus verba nullam continent prohibitionem, sed præcisè actum irritant, nisi contrarium ex materia, fine, vel circumstantiis, aut usu colligatur, ut contingit in Legibus Ecclesiasticis irritantibus, & quoties inhonestum est velle facere actum, qui non potest fieri validè, v. gr. matrimonii contractum.

Resp. 4. Lex ipso facto irritans obligat in conscientia ad ea omnia, quæ per se ex irritatione sequuntur. Nam talis Lex actum, quem irritat, privat omni usu ac utilitate morali: ad hoc enim ipso facto irritatur, ut omni utilitate morali careat. Ergo omnis moralis usus illius illicitus ac vetitus est vi Legis irritantis, & non tantum vi Legis naturalis: alioqui talis actus non privaretur per Legem irritantem omni morali utilitate, si adhuc licitus esset illius usus in ordine ad effectus morales. Ergo etiam vi Legis irritantis obligamur ad omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, ac proinde Lege naturali ex hypothesi nullitatis actus.

Hinc, v. gr. Lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum beneficii, hoc ipso privat illam omni utilitate morali; & sic reddit omnem illius usum moralem illicitum; ac proinde non solùm vi Legis naturalis, supposita nullitate actus, sed etiam vi Legis humanæ actum illum irritantis, tenetur subditus in conscientia fructus illos restituere.

Resp. 5. Lex non irritans ipso facto actum, sed solùm præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam Judicis, ad irritandum actum: nam irritatio est actus proprius potestatis publicæ, & ita si non fit per Legem, fieri debet per Judicem, cui soli illam Lex præcipit. Neque etiam obligat ad ea, quæ ex actus irritatione per se consequuntur, quia nondum est irritatio actus ante sententiam Judicis.

CAPUT IX.

De Privilegio & Consuetudine.

Quæst. I. QUid, & quotuplex est Privilegium?

Resp. Privilegium est facultas constans ac permanens, à superiore concessa, agendi vel non præstandi aliquid contra, vel præter Legem. Hinc differt à dispensatione, quæ solùm est ad actum vel casum particularem, nec est permanens, sed transiens, & semper est relaxatio Legis. Dividitur præcipuè, 1. in reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis vel status; & in personale, quod directè conceditur ratione seu intuitu personæ. Hoc affixum est personæ, & cum ea extinguitur, *regul. 7. Jur. in 6.* Reale verò affixum est rei, & cum ea perseverat, & perit. 2. In privilegium contra Legem, quo datur exemptio ab oneribus communibus; & in privilegium præter Legem, quo conceditur aliqua facultas iis, quibus de jure non competit. Sed sine ullius damno, nec contra Legem aliquam. Prius est odiosum, & strictæ interpretationis, cùm gravet alios: nisi datum sit in favorem causæ piæ vel publicæ, aut communitatis Religiosæ. Posterius est am-

plæ interpretationis, quia nullos gravat.

Quæst. II. *Quis Privilegium concedere potest?*

Resp. Is omnis & solus, qui potest Legem ferre, & iisdem, quibus potest Legem ferre, nempe subditis; potest tamen & aliis non sibi subditis aliquid circa se suaque concedere, quod jure communi non haberent.

Nota. Juxta Canonistas in generali concessione, specialissima non comprehenduntur, nisi sufficienter exprimantur, ex regul. 81. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

Quæst. III. *Quot modis Privilegium amittitur?*

Resp. His. 1. Per illius abusum accedente sententia Judicis: *quia Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*, cap. 24. *de privileg.* 2. Per non usum spatio sufficienti ad præscribendum, si gravet alios, ex cap. 15. *de privileg.* Quòd si non gravet, non amittitur per præscriptionem: nam alii contra privilegiatum præscribere nequeunt, cùm ipsorum nihil intersit. 3. Per revocationem concedentis aut successoris expressam, & privilegiato significatam, vel per Legem revocatoriam promulgatam. Quæ tamen concessa sunt in remunerationem serviciorum, vel ex pacto & cum onere adjuncto ac præstito, non possunt revocari, nisi ex gravi causa pettinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compensatione.

Porrò Privilegium non cessat morte concedentis: nam *decet concessum à principe beneficium esse mansurum*, reg. 16. Jur. in 6. At cessat per se cessante causa, ob quam datum est, quando versatur circa obligationem dividuam ac successivam, quam tollit, ut dixi de dispensatione. Quia superior non intendit concedere exemptionem, quæ duret contra Legem, cessante causa, cùm id licitè non possit, sic privilegium alicui datum non recitandi horas ob gravem causam, hac cessante cessat.

Nota. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.*

Quæst. IV. *Quid est consuetudo?*

Resp. Hic sumitur pro frequentia actuum externorum similium liberè factorum à majore saltem parte communitatis. Nomine actuum intellige etiam omissiones. Duplex est, nempe facti, & juris. Consuetudo facti est ejusmodi frequentia, sed non habens vim Legis, defectu conditionum ad hoc requisitarum. Consuetudo juris est talis frequentia habens vim Legis, sive est jus ex illa frequentia ortum. Unde can. 5. dist. 1. definitur, *Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex.*

Quæst. V. *An & quæ consuetudo habet vim Legis?*

Resp. 1. Consuetudo honesta, & bono communi utilis; inducta liberè & publicè à communitate, cum animo inducendæ obligationis, accedente consensu Principis personali vel legali, habet vim Legis, & obligat in conscientia. Quia 1. ita docent omnes Theologi & Canonistæ, estque communis Ecclesiæ sensus. 2. Ex S. August. epist. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro Lege tenenda sunt.* 3. Ex L. 32. & 33. §. *de Lege*. 4. Quia tali consuetudini nihil deest ut vim Legis habeat. Nam est materia proportionata, potestas: & voluntas obligandi communitatem sufficienter exteriùs declarata.

Est autem duplex consuetudo vim Legis habens, nempe præscripta, & non præscripta. Prior est ea, quæ longi temporis diuturnitate vim Legis obtinet per consensum legalem Principis. Tempus autem longum in Jure dicitur tempus saltem 10. annorum, quod debet esse continuum, nec interruptum per actus contrarios superioris resistentis vel populi eam interrumpentis. Consuetudo non præscripta, & tamen vim Legis habens, est ea, quæ sine diuturnitate longi temporis vim Legis obtinet per consensum Principis personalem, saltem tacitum, Principe videlicet sciente & non impediente: id quod fit, cùm posset facilè impedire, deberetque, nisi tacitè consentiret.

Resp. 2. Ut consuetudo vim Legis habeat & obliget, hæ conditiones ex communi sententia requiruntur. 1. Ut sit honesta, & utilis bono communi. Nam talis debet esse Lex essentialiter. Hinc consuetudo non potest habere rationem Legis, si sit noxia, vel inutilis; vel contra bonos mores; sed est mera corruptela.

2. Ut inducatur à communitate perfecta per actus voluntarios & publicos. Nam actus iterati non inducunt consuetudinem vim Legis habentem, nisi ratione consensus communitatis, qui per tales actus declaretur, & cui Princeps se accommodat. Porrò censetur fieri à tota communitate: quod fit à ma-

à majore illius parte, *ex L. 19. §. ad municip.*

3. Ut actus, ex quibus oritur consuetudo, fiant cum animo inducendæ obligationis: quia consuetudo non habet vim obligandi, nisi voluntate populi, cui Princeps consentit. Hinc consuetudines inductæ tantum devotionis causa, & sine animo se obligandi, non obligant, ut consuetudo ter quotidie recitandi Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ.

Consuetudo autem censetur esse inducta animo obligandi se, & revera obligare. 1. Si ita Doctores communiter sentiant. Nam communis sensus prudentum & peritorum evidentiam moralem parit, in rebus ab hominum opinione & usu pendentibus, in quibus se habent ut multitudo testium omni exceptione majorum. 2. Si consuetudo sit rei gravis ac difficilis, & tamen diu, constanter & communiter servetur à majore parte communitatis: plurimi enim non solent, citra motivum obligationis ita convenire in ejusmodi actibus. 3. Si viri prudentes & timorati malè sentiant de non servantibus consuetudinem, aut populus inde scandalizetur. 4. Si Prælati, vel Magistratus puniant, vel graviter reprehendant eos, qui non servant consuetudinem: id enim non fit, nisi violetur aliqua obligatio.

4. Ut adsit Principis consensus vel personalis, vel saltem legalis. Quia Lex & vis Legis non potest esse nisi ab habente potestatem Legislativam, ideoque nec sine illius consensu. Princeps autem consentit personaliter, cùm per se immediatè consentit, vel dando licentiam ut inducatur consuetudo obligans, vel approbando consuetudinem expressè aut tacitè. Consentit legaliter quando ipse, vel prædecessores ejus tulerunt aut receperunt Legem, qua approbantur consuetudines rationabiles & legitimè præscriptæ.

Quæst. VI. *An consuetudo potest abrogare Legem?*

Resp. 1. Nulla consuetudo potest abrogare Legem naturalem. *Ita omnes.* Quia hæc statuit solùm ea, quæ necessariò & ex natura rei agenda vel omittenda sunt ad vivendum honestè. Hinc, cap. ult. *de consuetud.* Greg. IX. ait: *Cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari.* Neque etiam potest abrogare Legem evangelicam, quia Deus vult illam integram servari usque ad consummationem sæculi. Præterea cùm utraque Lex lata sit à Deo, nullus homo potest eam abrogare: nam potestas & voluntas inferioris non potest prævalere potestati & voluntati superioris.

Resp. 2. Consuetudo, si sit rationabilis & legitimè præscripta, habet vim abrogandi Legem humanam. *Ita omnes.* Constat 1. ex Jure, tum civili, l. 32. §. de Legib. *Rectissime illud receptum est, ut Leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Tum canonico, cap. ult. cit. de consuetud. *Licèt longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* 2. Quia posita tali consuetudine, Princeps consentit saltem legaliter, ut Lex non amplius obliget. Obligationis autem perseverantia, sicut ejus impositio, pendet à libera voluntate Principis.

Dixi, *si sit rationabilis, &c.* Nam ex cap. cit. & ex consensu Doctorum, hæc duo requiruntur. Jam verò ut consuetudo sit rationabilis, non debet Legi naturali aut evangelicæ, aut debito ordini, aut immunitati Ecclesiasticæ adversari; nec à jure canonico reprobari, nec peccandi licentiam aut occasionem præbere, vel alia ratione communitati nocere, nec aliquam indecentiam continere; & præterea debet reipsa expedire, Legem tunc jam non obligare, ne scilicèt peccata multiplicentur, neve subditi ad observantiam rei difficilis tamdiu astringantur.

Ut autem sit legitimè præscripta, debet esse continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente superiore. Sed cum hoc tempus non sit in jure definitum quoad Leges, secundùm multos requiritur idem tempus, quod ad præscriptionem bonorum ac jurium statutum est. Quare Leges civiles 10. annis præscribuntur; Ecclesiasticæ verò, cùm [illegible] Ecclesiastica, 40. annis præscribuntur, [illegible] resistat superior. Ita *S. Antoninus, Navarr. Azor, Fagnanus, Suarez*, asserens hanc esse communem sententiam. Nec obstat; quòd requirantur 100. anni ad præscribendum bona propria Ecclesiæ Romanæ, quia Leges Pontificiæ sunt Leges communes toti Ecclesiæ. Sed alii volunt Leges etiam Ecclesiasticas præscribi decennio; quia, inquiunt, ad hanc præscriptionem requiritur & sufficit longum tempus,

quod in jure civili censetur spatium 10. annorum; & jus civile valet in rebus Ecclesiasticis, quando jure canonico præter illud nil constitutum est. Non est autem constitutum jure canonico, ut ad abrogandam Legem Ecclesiasticam tempus longius quàm 10. annorum requiratur.

Obj. 1. Illud, cap. 3. de consuetudine: *Consuetudo, quæ canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti*. Et illud, cap. 8. de sententia & re judicata: *Licèt usus vel consuetudinis non minima sit authoritas, numquam tamen veritati, aut Legi præjudicat*. *Resp.* In illis capitulis agitur de consuetudine, quæ sit contra rectam rationem, & debitum ordinem; vel de consuetudine reprobata, aut cui superior contradicit; non verò de consuetudine rationabili, & legitimè præscripta.

Obj. 2 Consuetudo contra Legem non est rationabilis: nam fit per actus pravos & prohibitos, ideòque contra rationem. Ergo non potest abrogare Legem. *Resp.* Consuetudo contra Legem humanam non est quidem rationabilis, quando incipit, donec completa sit per longum tempus ad præscriptionem requisitum: unde tunc non excusat à transgressione Legis. At consuetudo, quæ non adversatur Legi divinæ, nec bono communi, nec debito ordini, & cui per longum tempus Legislator non resistit, censetur sufficienter rationabilis ad abrogandam Legem humanam.

Obj. 3. Ad præscriptionem validam bonorum requiritur bona fides continua præscribentis. Ergo cùm major pars populi agentis contra Legem sine consensu Principis non sit bonæ fidei, saltem prioribus annis, non potest præscribere contra Legem. *Resp.* Bona fides continua requiritur ad præscriptionem bonorum, non verò ad præscriptionem Legum. Ratio disparitatis est, quia per præscriptionem bonorum transfertur eorum dominium invito domino, ad lites aliaque incommoda vitanda: quare si valeret in bonis præscriptio malæ fidei, aperiretur via fraudibus & rapinis, majoribusque incommodis, quàm sint ea, quæ Lex præscriptionis vitare intendit. At præscriptio contra Legem non fit inviso Legislatore, sed eo consentiente legaliter, & habente potestatem obrogandi consuetudinem Legi contrariam.

Observa 1. Juxta communem sententiam consuetudo contra Legem præscribit, licèt ignoretur à Principe: quia ad hoc sufficit consensus legalis, qui habetur in jure canonico & civili supra cit. Hoc est, sufficit quòd consuetudo sit rationabilis, & certo tempore duraverit, superiore non contradicente: quippe Princeps generatim consensit, ut omnis ejusmodi consuetudo Legem abrogaret, hoc ipso quòd ipse, vel ejus prædecessor Legem de hoc tulit vel recepit, vel id usu receptum non improbavit. Neque Leges requirunt ut Princeps norit consuetudinem, sed solùm ut consuetudo sit rationabilis & legitimè præscripta. Imò si hanc norit, & personaliter consentiat ut Lex non ampliùs obliget, hoc ipso Lex non obligat. Nam (ut passim docent Theologi & Canonistæ, teste Lessio) ut consuetudo tollat Legem, solùm requiritur, ut passim non servetur, quando occurrit servanda, sciente Principe, & non se opponente: dum enim scit Legem suam non servari, & silet, censetur consentire ut non servetur, ne Respublica perturbetur, peccata muliplicentur, &c.

2. Ut Lex toti Ecclesiæ communis abrogetur in aliqua tantùm provincia per desuetudinem, vel consuetudinem contrariam, satis est ut non servetur à majore parte provinciæ, non contradicentibus superioribus toto tempore ad præscriptionem requisito. Sic in quibusdam diœcesibus consuetudo abrogavit Legem communem jejunandi in vigilia Sancti Thomæ, & Sancti Bartholomæi, & servandi eorum festum. Item consuetudo vescendi carnibus diebus Sabbati à festo Nativitatis Christi usque ad festum Purificationis inclusivè, abrogavit in variis diœcesibus Legem communem abstinendi à carnibus singulis Sabbatis totius anni. Nam consuetudo specialis legitimè præscripta abrogat Legem specialiter, ubi viget ipsa consuetudo, abrogat autem generaliter si sit generalis.

3. In dubio an Lex abrogata sit, ipsa obligat. Nam Lex lata obligat quandiu non constat eam non vigere. Quia Lex est semper in possessione obligandi, & in dubio non amittitur possessio. Deinde in dubio tutior pars semper eligi debet.

4. Cùm Lex tota possit consuetudine abrogari, à fortiori Lex pœnalis potest consuetudine fieri non pœnalis, & Lex mixta fieri pure pœnalis. Item consuetudo potest derogare Legi, seu tollere partem Legis remanente alia.

5. Præter consuetudinem hìc intelligitur etiam desuetudo, seu non usus. Porrò consuetudo Legem abrogans inchoatur, saltem plerumque, per actus peccaminosos priorum, qui Legem non servant: deinde continuatur plerisque bona fide agentibus, & putantibus

Le-

Legem jam non vigere: demùm exacto decennio, vel quadragesimo anno, desinit obligatio Legis.

Quæst. VII. *An consuetudo etiam immemorialis potest abrogari per Legem contrariam subsequentem?*

Resp. Affirm. ex cap. 1. *de constitut. in 6.* Quia consuetudo non habet vim nisi authoritate Principis illam approbantis, qui eadem authoritate potest eam reprobare. Præterea consuetudo præcedens non habet majorem vim quàm Lex præcedens, quæ tamen potest abrogari per consuetudinem contrariam subsequentem.

Non abrogatur tamen consuetudo particularis per Legem contrariam, nisi rectè præsumatur Princeps illam nosse saltem confusè, & voluisse eam abrogare, ex cap. 1. *de constitut. in 6.* Hinc consuetudo particularis unius provinciæ non abrogatur per Legem generalem totius Ecclesiæ, vel Regni, nisi in Lege fiat ejus mentio specialim, vel per clausulam generalem dicatur: *Non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali:* quia alioquin Princeps præsumitur ignorare consuetudinem particularem, ideòque non voluisse illam abrogare, & jus statuit, ut aliter talis consuetudo non abrogetur. Econtra quia consuetudines universales præsumuntur esse notæ Principi, abrogantur eo ipso quòd Princeps fert Legem contrariam, etiam sine clausula universali derogatoria, quia videlicet statuit contrarium consuetudinis sibi satis notæ.

TRACTATUS DE PECCATIS.

CAPUT PRIMUM.

De Peccati natura, divisione, distinctione, & gravitate.

Quæst. I. Quid est Peccatum propriè dictum?

[illegible]. Est Legis divinæ violatio libera, sive actus liberè factus vel omissus contra Legem Dei. Nam 1. est Legis divinæ violatio, ex S. Ambros. l. de Paradiso, cap. 8. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio Legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum?* Et ex August. l. 22. contra Faustum, cap. 27. *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem Dei æternam.* Ubi sub facto, dicto, concupito, comprehenditur omissio: nam nomine actus in morali-bus intelligitur etiam omissio, quia hæc habetur ut actio in ordine ad mores & culpam; & omittens id quod facere tenetur, censetur moraliter facere contra id quod tenetur facere. Imò omissio pura libera, si detur, est moraliter & interpretativè operatio, quatenus est virtuale & interpretativum libertatis exercitium. Nam si positis omnibus ad volendum & agendum prærequisitis, voluntas abstinet ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, & perinde se habet in æstimatione prudenti, atque in ordine ad imputabilitatem, ac si positivè nollet, positivè vellet non agere: proindeque tunc virtualiter & interpretativè exercet libertatem suam, virtualiter & interpretativè volendo non agere. Ratio est, quia omnis & sola violatio Legis divinæ est offensa Dei, ideòque peccatum. Porrò cùm Lex divina naturalis & positiva præcipiat observationem omnis præcepti humani legitimi, & omnis potestas sit à Deo; qui illud non servat, violat Legem divinam, & sic peccat.

2. Est violatio libera, vel in se, vel saltem in causa, aut periculo, ita ut non sit ex ulla necessitate intrinseca ac antecedente, & verè potuerit vitari. Nam Ecclesia damnavit ut hæreticam hanc Jansenii propositionem: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ratio est, quia nemo potest esse dignus vituperio & pœna, propter actionem vel omissionem ei non liberam, sed planè necessariam, ut docet S. Aug. l. de duabus animabus, c. 11. & per se patet. Præterea tenemur ad vitandum peccatum: at *nemo potest ad impossibile obligari*, reg. 6. Jur. in 6. Hinc illud S. Aug. lib. cit. cap. 12. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ.*

Dices. Potest dari peccatum merè philosophicum, quod scilicet soli rationi, non Legi divinæ adversetur, nec sit offensa Dei.

Resp. Hoc repugnat. Quia qui peccat contra rectam rationem, simul & indivisibiliter peccat contra Legem Dei; & sic Deum offendit: nam dictamen rectæ rationis est intimatio Legis divinæ æternæ, necessariò prohibentis quidquid dedecet naturam rationalem, & præcipientis quidquid est necessarium ad vivendum conformiter ac decenter naturæ rationali; & aliunde nemo potest ignorare, saltem invincibiliter, quidquid disconvenit naturæ rationali ut rationali, esse prohibitum à Deo supremo authore ac re-

ctore naturæ rationalis. Quoties enim recta ratio dictat aliquid disconvenire naturæ rationali, simul saltem confusè dictat illud idem displicere supremo enti, naturæ rationalis authori & rectori, cujus est eam convenienter sapientiæ ac sanctitati suæ regere. Hinc Alexander VII. ut erroneam damnavit hanc propositionem: *Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens natura rationali, & recta rationi: theologicum verò & morale est transgressio libera Legis divina. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum: sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Quæst. II. *Quænam excusant à peccato?*

Resp. Cùm peccatum sit essentialiter liberum & voluntarium vel in se, vel in alio; excusat generatim ab eo, quidquid tollit voluntarium & liberum; ut ignorantia invincibilis, quia tollit voluntarium; vel impotentia physica, quia tollit liberum; aut metus vel passio antecedens tollens usum rationis, quia utrumque tollit. Quod autem auget, vel minuit liberum, aut voluntarium, cæteris paribus, auget, vel minuit peccatum.

Quæst. III. *An metus excusat à peccato?*

Resp. 1. Metus levis nunquam excusat à peccato. Quia non tollit voluntarium, nec liberum, nec excusat ab observatione ullius Legis, cùm sit vanus, & Lex quælibet obliget saltem cum aliquo incommodo. Hinc regula 144. §. de regul. Jur. *Vani timoris justa excusatio non est.*

Resp. 2. Metus gravis nunquam excusat hominem sui compotem in iis, quæ sunt intrinsece mala, seu prohibita Lege naturali. *Inter omnes constat.* Quia ea non desinunt esse mala in quovis periculo, ac vetita; & aliunde metus ille non impedit voluntarium simpliciter ac liberum. Nullum autem peccatum etsi veniale facere licet ad vitandum quodvis aliud malum: nam quodvis peccatum, etiam veniale, utpote offensa Dei, entis supremi & in omni perfectione infiniti, est malum gravius quovis alio, quod non est peccatum. Deinde omne peccatum ut peccatum, est intrinsecè & essentialiter illicitum: Ergo nunquam ob ullum bonum aut malum pœnale potest esse licitum: nam natura & essentia rerum mutari nequit. Unde ad tuendam vitam propriam non licet mentiri.

Metus tamen gravis minuit culpam, ex cap. *Sacri*, de iis quæ vi, &c. ibi: *Licèt metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludit:* quia minuit, sed non tollit voluntarium. Nunquam tamen sic culpam attenuat, ut eam de mortali faciat venialem in materia gravi, ut patet in iis, qui metu diræ mortis idolis sacrificarunt: quia nempe relinquit consensum sufficienter liberum: nam eo non obstante actus procedit à voluntate cum cognitione etiam perfecta, & fit ex electione & absque necessitate physica, ita ut possit non fieri.

Resp. 3. Metus prudens damni gravis excusat à peccato in iis, quæ sunt contra Legem non obligantem cum gravi damno. Nam excusat ab observatione talis Legis. Lex autem humana ordinariè non obligat cum gravi detrimento; nisi charitas, vel bonum commune, vel vitatio scandali, aut contemptus religionis, potestativse legitimæ id exigat.

Quæst. IV. *Quomodo dividitur peccatum?*

Resp. Dividitur præcipuè. 1. in originale, quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus, & personale, quod peccantis voluntate physicè propria committitur. 2. In mortale & veniale. 3. In peccatum commissionis & omissionis. 4. In actuale & habituale. 5. In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ipsum peccantem, ratione scilicèt virtutum, contra quas peccatur. Sunt enim quædam virtutes, quæ habent Deum pro objecto immediato, ut fides, spes, charitas: unde peccata quæ illis adversantur, sunt speciali modo contra Deum. Aliæ habent pro objecto proximum, ut justitia, misericordia, dilectio proximi: unde peccata, quæ illis opponuntur, sunt contra proximum. Aliæ demùm rectè disponunt hominem erga seipsum, ut forti[illegible], temperantia, &c. Unde peccata iis opposita, sunt speciali modo contra ipsum peccantem: quamvis omnia peccata generali quadam ratione sint contra Deum, qui illis omnibus offenditur, & contra ipsum peccantem, cui omnia nocent. 6. In peccata ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ. 7. In septem capitalia.

Quæst. V. *Unde petitur specifica peccatorum distinctio?*

Nota. 1. Species moralis peccati ex speciali malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio. Malitia autem actus est ejus difformitas ac oppositio cum natura rationali, & Lege divina. Unde illa peccata differunt specie, quæ habent disconvenientiam & oppositionem cum natura rationali

tionali & Lege divina notabiliter inter se diversam.

Nota. 2. Voce objecti hic intelligitur id totum, in quod voluntas tendit per actum malum; ex hoc enim omnis refundi potest malitia in actum ipsum. Unde objectum voluntatis complectitur objectum materiale, seu id quod vult; objectum formale, seu id propter quod vult; & circumstantias in quibus vult, & fit actus. Ex his autem omnibus & singulis aliqua notabilis diversitas malitiæ potest actui accidere.

Resp. 1. Ea peccata specie differunt, per quæ violantur præcepta specie moraliter diversa. Quia cum peccatum sit transgressio Legis seu præcepti, transgressiones præceptorum specie diversorum, quæ sunt transgressiones specie & notabiliter diversæ, sunt peccata specie diversa. Præcepta autem specie diversa sunt ea, quæ præcipiunt aut prohibent actus diversæ speciei moralis, vel actus ejusdem speciei, sed ex diverso motivo proximo. Actus verò diversæ speciei moralis sunt ii, qui habent convenientiam vel disconvenientiam notabiliter diversam cum natura rationali & Lege divina.

Hinc si per unam eamdemque actionem vel omissionem violatur multiplex præceptum specie morali diversum, tunc committitur multiplex specie peccatum. Sic 1. eadem percussio Clerici est duplex specie peccatum, unum injustitiæ, & alterum sacrilegii. 2. Beneficiatus sacro ordine initiatus, una omissione Horarum duo specie peccata committit, quia violat simul duas virtutes specie diversas, nempe religionem, & justitiam, ex quarum præcepto obligatur ad horas. 3. Qui ex voto, & præcepto Confessarii tenetur jejunare feria sexta, non jejunans, occurrente vigilia, v. gr. S. Matthæi, tria specie peccata admittit, unum intemperantiæ, secundum contra præceptum Confessarii ex motivo pœnitentiæ, tertium contra religionem propter votum. Imò peccata, quæ eidem virtuti, sed modo notabiliter diverso opponuntur, sunt specie diversa, nam habent difformitatem notabiliter diversam: sic avaritia & prodigalitas, quæ liberalitati opponuntur, sunt vitia specie diversa; quia ei opponuntur modo notabiliter diverso, nempè per defectum & per excessum.

Resp. 2. Distinctio specifica peccatorum rectè etiam petitur ab objecto, fine, & circumstantiis, quæ specialem habent disconvenientiam cum natura rationali & Lege divina. Quia actus voluntatis sumit malitiam moralem in aliqua specie ab objecto, fine, & circumstantiis moralibus: nam actus voluntatis fertur saltem interpretativè in ista omnia; & malus est hoc ipso quod fertur etiam interpretativè in aliquid malum, seu disconveniens rectæ rationi & Legi, cùm hoc ipso disconveniat naturæ rationali & Legi. Ergo si ista habent specialem malitiam specie diversam, actus voluntatis habebunt quoque malitiam specie diversam, ideòque specie different. Item actus voluntatis habet disconvenientiam cum natura rationali & Lege divina, ideòque malitiam moralem, hoc ipso quòd vult aliquid malum, vel vult aliquid etiam de se licitum, sed vel ob finem malum, vel in circumstantia mala seu disconvenienti: nam talis volitio disconvenit naturæ rationali, & prohibetur à Deo. Ergo habet specialem malitiam hoc ipso, quòd vult objectum specialiter malum, vel aliquid ob finem specialiter malum, vel in circumstantia specialiter mala.

Id patet etiam inductione. Nam 1. actus, quo quis vult furari, sumit à furto malitiam in specie injustitiæ. 2. Actus, quo quis vult labore etsi licito lucrari ad se inebriandum, sumit malitiam intemperantiæ ab hoc fine. 3. Celebratio Missæ in loco vetito seu indecenti, habet malitiam irreligionis ex circumstantia loci, propter quam ipsa dedecet & prohibetur. 4. Actus, quo quis vult objectum malum, ob finem malum, in circumstantia mala, sumit ab his tribus malitiam in triplici specie peccati, si hæc sint diversæ malitiæ: quia tunc habet triplicem disconvenientiam & oppositionem cum natura rationali & Lege divina notabiliter inter se diversam: sic actus, quo quis vult furari in templo, ut fornicetur, habet triplicem malitiam specie diversam, scilicèt injustitiæ, sacrilegii, & luxuriæ.

Quæst. VI. *Unde petitur distinctio numerica peccatorum?*

Nota. 1. Agitur hìc de multiplicatione peccatorum non physica, sed morali, & in ordine ad confessionem, seu ad ferendum salutare ac rectum judicium de illis, & de statu peccatoris. 2. Unus & idem actus, si plures malitias habuerit, est peccatum multiplex moraliter, & in ordine ad Confessionem, in quo actus consideratur non secundùm entitatem physicam, sed secundùm malitiam. 3. Actus internus voluntatis, & externus alterius potentiæ, circa quem prior ille versatur, unum numero peccatum constituunt, v. gr. volitio furandi, & ablatio rei alienæ;

quia actus internus & externus ab eo imperatus unum eundemque totalem actum moralem constituunt.

Resp. Generatim peccata multiplicantur secundum numerum intra eamdem speciem, pro numero seu multitudine objectorum totalium, vel actionum ex se completarum, aut quæ interiùs vel exteriùs consummantur, vel quæ inter se non uniuntur: item per interruptionem moralem actuum. Nam tunc plures actus non censentur una moraliter actio, & habent plures numero malitias. Sed hæc speciatim explicanda sunt.

1. Itaque peccata multiplicantur pro numero objectorum totalium, ita ut actus malus physicè unus, versans circa plura objecta totalia, sit moraliter plura numero peccata. Ita Communior sententia. Quia tunc est multiplex & numero distincta moraliter malitia in ejusmodi objectis: nam singula objecta habent suam malitiam numero distinctam à malitia aliorum. Ergo est multiplex saltem æquivalenter, & distincta numero moraliter malitia in actu voluntatis physicè uno, tendentis in illa objecta: nam tota malitia objecti & actus externi communicatur actui voluntatis, cùm sit volita saltem indirectè & interpretativè. Prætetea sicut unus actus est multiplex specie peccatum, dum habet multiplicem specie malitiam; ita est multiplex numero peccatum, cum habet multiplicem numero malitiam. Et quamvis esset unum peccatum in rigore metaphysico: tamen sunt plura moraliter in prudenti hominum æstimatione. Ea autem peccata sunt plura numero in ordine ad confessionem, quæ humano modo seu in prudentum æstimatione, plura reputantur. Hinc qui unico actu vult sex homines occidere, vel reipsa unica tormenti bellici explosione occidit, sex moraliter peccata committit uno illo actu; & hic unus actus sex homicidiis seorsim patratis æquivalet, etiam in ordine ad obligationem confitendi. Item qui uno actu tribus convitiatur, aut detrahit, triplicis peccati reus est: & hic actus judicio prudentum, etiam in ratione numeri æquivalet tribus actibus, per quos detraheretur singulis. In Confessione tamen dicere debet. *Uno actu tribus detraxi*; non autem *Ter detraxi*: alioqui significaret tres malitias per tres actus distinctos contraxisse, quod falsum est.

2. Peccata, quæ interiùs consummantur, ut hæresis, odium, desiderium, delectatio morosa, &c. multiplicantur per quamcumque cessationem; sive voluntariam, sive naturalem ex somno vel distractione animi ortam, & illorum repetitionem. Quia singuli actus repetiti, sunt per se peccata, & nil est, in quo uniantur & continuentur ad constituendum unum peccatum. Nam non uniuntur nec continuantur in actu, objecto vel effectu externo, ut supponitur; neque in actu interno, cùm inter actus internos intercedat aliqua cessatio; unde ad singulos actus requiritur nova determinatio voluntatis. Ergo sunt plura reipsa peccata. Ergo ut plura confitenda sunt: nam multitudo numerica perinde ac specifica declaranda est.

Hinc qui actum odii in proximum elicuit, & post somnum, vel aliquam distractionem, eum renovat, duo peccata odii admittit. Quando autem horum peccatorum numerus iniri nequit, tunc satis est in confessione motam temporis explicare, v. gr. Perseveravi per horam in delectatione venerea; per hebdomadam in odio, &c. Et hos actus interea renovavi toties, vel sæpe, vel rarò; tunc enim declaratur numerus eo modo, quo moraliter fieri potest, & per modum unius confusæ multitudinis in tali mora inclusæ, quæ ex communi agendi modo à Confessario æstimatur.

Item peccata, quæ consummantur in actione externa, multiplicantur per cessationem totius actus tum interni tum externi, & alterius similis repetitionem. Quia tunc nil remanet in quo uniantur & continuentur, & adest nova determinatio voluntatis ad singula peccata, ut dixi de merè internis; nec unum perseverat virtualiter in alio.

At non multiplicantur per cessationem & repetitionem propositi circa idem objectum, quamdiu efficacitas primi propositi in libero aliquo effectu vel opere externo perdurat. Quia tunc prior actus voluntatis in illo effectu vel opere virtualiter perseverat; & sic semper virtualis voluntas continuatur & durat: unde unum moraliter peccatum ex illis omnibus actibus constituitur. Sic qui ex voluntate occidendi inimicum, manè surgit, gladio se accingit, proficiscitur, quærit illum, & post plures horas repertum invadit, pluries vulnerat, & tandem occidit; quamvis in itinere cogitet de aliis rebus, confabuletur, legat, sæpiusque volitionem occidendi renovet, committit unum moraliter peccatum, eo tamen gravius, quò pluries renovavit voluntatem occidendi. Quia internæ illæ volitiones repetitæ, censentur una moraliter continua actio humana, nam prior virtualiter in illa serie actuum externorum

sub-

subordinatorum perseverat ac continuatur. Neque series illa censetur moraliter interrumpi per colloquium, aut distractionem voluntariam ad alia, quia istæ actiones ordinariè intermisceri solent seriei diuturnæ actionum. Neque enim qualibet interruptio physica tollit unitatem moralem, ut patet in comestione, quæ censetur unica, licèt interrumpatur per lectionem epistolæ, colloquium, &c.

Aliud esset, si interruptio illius seriei esset extraordinaria: nam hæc tollit unitatem moralem actionis, licèt prior voluntas non retractetur. Quod contingit cum ex alio fine interrumpitur aliquod opus moram & attentionem talem exigens, ut ad resumendam postea intermissam mediorum seriem necesse sit primam intentionem renovare, & requiratur nova deliberatio ac determinatio; ut si homicida ille longiùs divertat à via, qua inimicum insequitur, ad conficiendum aliquod negotium superveniens, quo confecto ad priorem viam revertatur.

3. Si actus externi mali plures physicè sint in se completi, & de se non spectent ad consummationem unius peccati vel operis, sunt plura numero peccata, quamvis ad unum finem ab operante referantur: nam non censetur una moraliter actio. Sic qui die Natali Christi tres legens continenter Missas, ter communicat in peccato mortali, ter peccat, quamvis tres Missas ad unum finem ordinaret. Sic pollutio, quamvis fiat ex intentione copulæ, semper est peccatum ab ea distinctum: quia ex se non ordinatur ad copulam, imò est contra finem copulæ, nempe generationem. Item copula ter patrata cum eadem & eadem hora, tria sunt peccata: quia una copula non facit unum moraliter actum cum alia, sed sunt singulæ actiones completæ ac totales. Item Sacerdos pluribus Eucharistiam administrans in statu peccati, plura perpetrat sacrilegia; quia quælibet communio est actio completa, nec ulla ad aliam ordinatur.

4. Actus externi physicè plures ex se non completi, sed subordinati, si ad eumdem actum principalem ordinentur tamquam illius dispositiones, media, inchoationes, sintque cum illo similis malitiæ, ac circa idem objectum, constituunt unum moraliter peccatum cum ipso actu principali. Nam tunc ita uniuntur, ut judicio prudentum censeantur una actio in genere moris, & in illis actibus censetur una deliberatio ac determinatio voluntatis virtualiter ac moraliter perseverans. Sic ictus & vulnera ordinata ad homicidium ejusdem consummandum, sunt unum totale peccatum cum homicidio. Item tactus, verba & oscula impudica ordinata ad fornicationem subsequentem, faciunt cum ea unum peccatum moraliter & in ordine ad Confessionem. Unde non est necesse illorum numerum exprimere nisi generatim, eo quòd multum aggravent peccatum, *quod tantò gravius est, quantò plura concurrunt*, ait S. Antonin. 2. p. t. 5. c. 1. §. 10.

Si quæ tamen circumstantiæ extraordinariæ per se malæ, illis adjungerentur, speciatim explicandæ sunt, ut monet Suarez.

Dixi, *Similis malitiæ*: nam si media assumpta, vel actus habeant malitiam specie diversam à malitia finis seu actus principalis, sunt plura specie peccata exprimenda.

Delectationes verò morosæ, tactus, & verba impudica, quæ subsequuntur copulam, sunt peccata inter se & à copula distincta, *Ita Suarez, Vasquez, & alii*. Quia sunt ex se inchoationes ac dispositiones ad novam copulam. Et quia actus subsequentes actum principalem ac consummatum, neque sunt partes aut dispositiones, nec proprietates prioris actus, neque etiam ejus complementum, cùm ipse actus sit consummatus, & ex se completus; neque in illo expressè intelliguntur, cùm ei tantùm per accidens ex malitia operantis adjungantur.

Quòd si tales actus subordinati non referantur per intentionem peccantis ad eumdem actum principalem, sunt multiplex peccatum. Quia tunc non uniuntur, nec in æstimatione prudenti censentur una moraliter actio, & ad actum subordinatum & actum principalem requiritur duplex, etiam moraliter, deliberatio & determinatio. Sic si Petrus primò voluisset tantùm vulnerare Paulum, & postea ex ira fervescente eum occideret, sunt duo peccata speciatim explicanda. Item si Titius oscula & tactus exercens, non intendat copulam, sive hæc postea ob libidinem auctam sequatur, sive non, debet numerum tactuum & osculorum confiteri. Imò actus sibi subordinati, & ad eumdem finem ordinati, sunt plura moraliter peccata, si inter illos intercedat magna mora temporis: quia tunc censentur moraliter interrumpi, nec continuari.

Hoc totum debet cum proportione applicari ad unitatem vel pluralitatem aliorum peccatorum.

5. Peccata multiplicantur per interruptionem moralem, quæ vel fit per retractationem etiam virtualem prioris voluntatis, & postea

postea ejusdem repetitionem. Nam posita retractatione, seu voluntate contraria, jam prior voluntas non manet formaliter vel virtualiter, nec influit in actum postea secutum, ideòque ad novum actum requiritur alia deliberatio & determinatio: unde voluntas resumpta non potest censeri unus moraliter actus cum priore. Vel fit per deliberatam conversionem ad aliquid incompossibile cum priore actu intento; nam hæc est retractatio interpretativa, quæ multiplicat peccata repetita: hoc ipso enim quod advertenter vis aliquid cum priore actu incompossibile, censeris tum non velle quod priùs volebas.

Item actus voluntatis interrumpitur moraliter, cum neque actu, neque virtute perseverat: quod fit non solùm per retractationem, sed etiam per somnum, vel diuturnam applicationem ad aliam rem. Unde tunc ad quemlibet actum requiritur nova deliberatio & determinatio.

Nota. Cùm hæc tota unitas & pluralitas sit moralis, æstimari debet ex prudenti judicio, & usu circa unitatem vel pluralitatem actionis humanæ, spectatis circumstantiis & qualitatibus actionum.

Quæst. VII. *An est multiplex peccatum in eadem actione vel omissione, ratione plurium præceptorum, quibus statuitur ex motivo ejusdem virtutis?*

Resp. 1. Ex communi sententia, est unicum, si hæc præcepta inter se subordinata aut connexa sint, & idem numero objectum per se spectent ex eodem motivo proximo. Quia tunc hæc præcepta unicam eamdemque numero obligationem imponunt, sicut eamdem numero honestatem intendunt, quando eumdem numero actum per se præscribunt. Ergo illorum violatio unam eamdemque numero malitiam ac turpitudinem inducit. Sic usura, etsi quadruplici jure vetita, unicum est peccatum, sicut & violatio ejusdem voti multoties renovati, aut jejunii quatuor temporum Quadragesimæ.

Tamen cùm violatur obligatio pluribus titulis ejusdem rationis imposita, tunc peccatum est gravius quàm si esset unicus titulus, quia cùm singuli tituli imponant obligationem, plures illam augent, ac proinde aggravant illius violationem. Sic Religiosus Sacro ordine insignitus, gravius peccat omissione Breviarii, quàm alter eo non insignitus.

Resp. 2. Probabile est multiplex esse numero peccatum in Confessione declarandum, si præcepta sint inter se disparata, hoc est, nec subordinata, nec connexa inter se, neque eamdem numero actionem vel omissionem per se præscribant. Quia ibi est multiplex numero peccatum, ubi violantur plures obligationes abinvicem numero contradistinctæ & similes: nam violatio cujuslibet obligationis sic distinctæ est peccatum; & proinde violatio duplicis est duplex peccatum. At ubi violantur plura præcepta disparata, neque eamdem numero actionem vel omissionem per se præscribentia, ibi violantur plures obligationes abinvicem contradistinctæ: nam quodlibet ex hujusmodi præceptis imponit obligationem perfectam & completam, eamque separabilem ab obligatione alterius præcepti, à qua plerumque & per se separatur, & respectu cujus se habet per accidens: ideòque plura imponunt plures obligationes contradistinctas. Ergo.

Nec obstat quod interdum per unum eumdemque actum impleri possint; quia hoc fit per accidens; & sicut tunc unicus ille actus habet rationem duplicis observationis, ita omissio illius habet rationem duplicis transgressionis, moraliter loquendo. Sic festo S. Matthæi incidente in diem Dominicam, unica auditione Missæ duplex præceptum impletur; ea omissa, duplex erit transgressio. Item vigilia ejusdem incidente in Sabbatum Quatuor temporum, sufficiet semel jejunare; si autem violetur jejunium, duplex est peccatum. Quia tunc violatur duplex præceptum disparatum, nec per se respiciens idem numero objectum; si enim festum & vigilia incideret in alium diem, ut ferè fit, esset obligatio ad duas Missas, & duo jejunia. Et hic videtur esse communis sensus fidelium, hæc tanquam duo peccata confitentium, dum ad id advertunt. Doctores autem hoc negantes opinativè tantum loquuntur, & eorum argumenta probant solum primam responsionem. Saltem tale peccatum est gravius, quàm si non esset talis præceptorum concursus: nam pluribus ex causis obligatus ad aliquid, si id omittat, plùs peccat, cùm plures obligationes, vel unam graviorem violet.

Quæst. VIII. *Unde petitur gravitas peccatorum?*

Nota. Gravitas peccati est quantitas, seu mensura malitiæ, per quam peccatum est magis aut minùs disconveniens naturæ rationali ac legi, & offensivum Dei, ideoque majore vel minore pœna dignum. Peccatum autem potest esse magis aut minùs grave gravitate ejusdem speciei, aut diversæ: sic tuntum

tum sex nummorum est levius homicidio, & gravius furto trium nummorum.

Resp. 1. Gravitas peccati petitur ab objecto, fine, & circumstantiis, prout disconveniunt naturæ rationali & legi. Nam hæc gravitas æstimanda est ex iis omnibus & singulis, ex quibus absolutè petitur malitia peccatorum: inde enim malitiæ quantitas petitur, unde ipsa malitia; & inde actus est magis malus, unde est simpliciter malus. At malitia actus sumitur ex objecto, fine, & circumstantiis, prout disconveniunt naturæ rationali, & Legi divinæ. Ergo.

Hinc 1. Peccatum eo magis vel minùs grave est, quo vel objectum, vel finis, vel circumstantia ejus magis vel minùs disconvenit naturæ rationali ac Legi, & quo Lex magis vel minùs obligat. Sic ebrietas gravior est mendacio officioso; & furtum eo gravius est, quo quantitas ablata major est; quia magis disconvenit, & magis prohibetur.

2. Cæteris paribus, actus habens objectum malum, & finem malum, pejor est, quàm si esset solùm malus ex alterutro: cùm sumat malitiam ab utroque, ideoque majorem habeat. Erit quoque pejor, si simul malitiam contrahat ex objecto, fine, & circumstantia. Item malitia, cæteris paribus, tantò gravior est, quantò actu secundùm plures vel pejores circumstantias opponitur rationi & Legi: nam sicut malitia, ita & ejus incrementum petitur à circumstantiis moralibus, cùm vel debitæ desunt, vel disconvenientes adsunt. Hinc S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 3. ad 3. ait: *Cæteris paribus, graviùs peccat fidelis, quàm infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum propter Sacramenta, quibus est imbutus, quibus peccando contumaciam facit.*

3. Peccatum intra eamdem speciem magis vel minùs grave est, quo major vel minor est ejus intensio, duratio, & quo fit cum majore vel minore advertentia, libertate, conatu, &c. quia tunc magis vel minùs disconvenit naturæ rationali ac Legi.

Resp. 2. Illa peccata, cæteris paribus, graviora sunt, quæ præstantioribus virtutibus, & actibus harum excellentioribus directè ac per se opponuntur. Quia, ut docet S. Thomas, pessimum est contrarium optimo: optimum autem in moralibus est maxima virtus, & pessimum est gravissimum peccatum. Præterea dignitas virtutis, & gravitas peccati oppositi, petuntur ex eodem objecto, ratione cujus directè opponuntur. Quare odium Dei est gravissimum peccatum, utpote directè oppositum præstantissimo charitatis actui.

Porrò virtutes præstautiores sunt primò Theologicæ hoc ordine, charitas, spes, fides: deinde religio, pœnitentia, quia Deum immediatius respiciunt: postea reliquæ morales, hoc ordine; prudentia, justitia, fortitudo, temperantia; & simili ordine procedunt aliæ virtutes his annexæ.

Malitiæ gravitas petitur etiam à modo, quo actus eidem virtuti opponuntur; nam oppositio contraria pejor est privativa: sic odium Dei pejus est, quàm omissio amoris præcepti.

Dixi 1. *directè*. Nam etiam minora vitia indirectè opponuntur majori virtuti, à qua prohibentur. 2. *Per se*, seu ex natura sua. Nam quæ præstantiori virtuti tantum ex præcepto positivo opponuntur, non sunt, cæteris paribus, per se graviora iis, quæ minùs nobili ex natura sua & jure naturali opponuntur; cùm non sit par obligatio præcepti. Sic homicidium gravius est quàm laborare die festo, quamvis hoc religioni, illud justitiæ adversetur. 3. *Cæteris paribus*. Nam malitia vel bonitas non solùm desumitur ex ratione generica objecti, sed etiam ex multis aliis, ratione quorum potest esse excessus. Quare major vel minor gravitas unius peccati præ alio definienda est ex complexione eorum omnium, ex quibus augeri vel minui potest malitia.

Quæst. IX. *An effectus malus, vel noxius proximo ex peccato secutus, imputatur peccanti, & dat peccato novam malitiam?*

Resp. Affirmat. Si ille effectus fuerit prævisus, vel potuerit ac debuerit prævideri. Quia tunc est saltem indirectè & interpretativè volitus, nempè in causa illicitè ac liberè posita. Quod verum est, etsi voluntas, antequam effectus eveniat, retractet causam: quia hæc retractatio non facit ut reipsa non sit liberè posita causa, neque ut effectus ex illa non sequatur. Et verò effectus ille sequitur ex peccato ut præterito, & retractatio non facit, ut peccatum non fuerit pro præterito voluntarium. Hinc qui alterum lethaliter vulneravit, mors læsi etiam post occisoris contritionem secuta, ei imputatur quoad obligationem damni compensandi: & is fit irregularis ex delicto.

Quæst. X. *Quot modis potest quis esse reus peccati alieni, & illud contrahere?*

Resp. His, nimirum jussione, suasione, cooperatione, auxilio, consensu, favore, laudatione seu adulatione, prava doctrina, exemplo, & silentio. Nam qui uno ex his mo-

modis cooperatur peccato alieno, censetur causa moralis illius, eique verè consentit vel expresè, vel virtualiter, vel interpretativè, & sic illius malitiam ac reatum contrahit: *Nam digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Ad Rom. 1.

CAPUT II.

De Peccato mortali, & veniali.

Quæst. I. **Q***Uid sunt, & quomodo differunt?*

Resp. 1. Peccatum mortale est Legis divinæ transgressio gravis, est proinde gravis offensa Dei, privans amicitia divina, & gratia sanctificante, quæ est supernaturalis vita animæ; atque reddens peccarorem dignum odio Dei, ac pœna æterna. Veniale verò est Legis transgressio levis, & levis offensa Dei, quæ nec privat gratia sanctificante, nec amicitia divina, nec ex se meretur pœnam æternam, sed solùm temporalem: nec proinde excludit à cœlesti beatitudine, sed solùm retardat ejus assecutionem; nec extinguit charitatem, sed solùm ejus fervorem impedit.

Differunt inter se, quòd mortale sit Dei contemptus, saltem virtualis & interpretativus: nam peccatum mortale est prædilectio, seu prælatio creaturæ præ Deo, & aversio à Deo tamquam à fine ultimo, atque adhæsio creaturæ tamquam fini ultimo. Nam qui mortaliter peccat, Legem Dei aliquid pro jure suo graviter præcipientis vel vetantis violat graviter, ac proinde graviter violat jus divinum, & sic gravem injuriam facit Deo: unde graviter illum offendit, & meritò censetur contemnere authoritatem, majestatem & amicitiam ejus. Hinc Deus de graviter peccantibus ait, Isaiæ 1. *Ipsi spreverunt me*. Et lib. 1. Reg. c. 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. Item, talis hoc ipso præfert creaturam amicitiæ & possessioni Dei, ob aliquod bonum creatum faciendo, id quod privat amicitia & possessione Dei, & sic eligendo potiùs frui creatura quàm Deo, quod est contemnere Deum; quæ omnia non conveniunt peccato veniali, quod est solùm levis transgressio, & offensa, quæ non est digna privatione amicitiæ Dei.

Resp. 2. Mortale & veniale, ut talia, semper differunt inter se specie morali, ideoque essentialiter. Quia illorum malitiæ notabiliter inter se differunt in ratione offensæ: nam mortale habet specialem ac gravem malitiam, positam in contemptu Dei & aversione à Deo tamquam à fine ultimo, atque, conversione ad creaturam, quæ non reperitur in veniali. Quilibet autem contemptus Dei etiam virtualis, continet gravem deordinationem ac malitiam, propter infinitam Dei excellentiam, graviterque disconvenit infinitæ Dei majestati. Quatenus tamen circa idem objectum versantur, possunt esse ejusdem speciei: nam malitia petita ex objecto ejusdem est speciei in furto gravi, & levi, cum ambo eidem præcepto & virtuti ex eodem motivo opponantur, & differant solùm secundùm plùs, & minùs, sintque in eadem specie injustitiæ.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ad peccatum mortale?*

Resp. Secundùm omnes, duo 1. Ex parte objecti aliquid grave, saltem ex fine. 2. Advertentia & consensus sufficiens ad actum simpliciter liberum & humanum, qui consensus dicitur plenus ac perfectus. Nam si alterutrum desit, violatio Legis non censetur imputabilis ad gravem culpam, nec gravis offensa, nec contemptus Dei. Consensus autem plenus ac perfectus est ille, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum firmiter amplectitur: sive est ille, qui datur ab homine vigilante, plenè sui compote, & expeditum habente rationis usum, qui advertit ad malitiam actus, seu omissionis, vel potuit ac debuit advertere. Quod si ad eam advertere non possit ex defectu cognitionis habitualis malitiæ, non excusatur, si ignorantia fuit vincibilis.

Quæst. III. *Quodnam voluntarium sufficit ad mortale?*

Nota. Peccatum est essentialiter voluntarium. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, ait S. Augustin. lib. de vera religione, cap. 14. Quia peccatum est actio vel omissio imputabilis homini ad culpam, vituperium & pœnam. At nil potest esse sic imputabile homini, nisi sit ei liberum, proindeque voluntarium. Nam omne liberum est essentialiter voluntarium, licèt non omne voluntarium sit liberum, ut patet in amore beatifico: quia liberum superaddit voluntario immunitatem ab omni necessitate intrinseca & physica. Voluntarium autem est id, quod procedit à principio intrinseco, nempe voluntate, cum intellectuali cognitione, vel actuali, vel virtuali & interpretativa, hoc est, quæ potuit & debuit haberi, licèt defuerit.

Vo-

Voluntarium dividitur, 1. in perfectum, quod fit cum plena advertentia, plenoque consensu: & in imperfectum, quod fit cum semiplena advertentia, & semipleno consensu, ut in semidormiente contingit. 2. In directum, indirectum, & interpretativum. Illud est directè voluntarium, quod in se ac secundùm se volitum est. Illud est indirectè voluntarium, quod non est in se ac secundùm se volitum, sed censetur volitum in alio directè volito, vel tamquam cum illo connexum, vel tamquam effectus inde sequens, vel propter alias causas. Ut autem aliquid sit voluntarium indirectè & in alio, non sufficit quod sequatur ex illo, alioqui infidelitas negativa esset imputabilis, sed insuper requiritur, ut cognoscatur vel cognosci possit sequi ex illo: quia alioqui non est voluntarium, ut connexum cum illo, seu ut sequens ex illo: nam quod nullatenus cognoscitur, nec cognosci potest, nullatenus est voluntarium. Illud est interpretativè voluntarium, quod non est positivè volitum, sed tamen secundùm prudentem æstimationem censetur volitum, & meritò imputatur voluntati, eo quod non fecerit, vel non omiserit quod debebat & poterat facere vel omittere. Sæpe hoc voluntarium cum indirecto confunditur.

Resp. 1. Consensus sufficiens ad mortale est ille, qui ab homine perfectè vigilante, & plenè sui compote datur actioni vel omissioni graviter malæ, cujus malitiam actu cognoscit, vel cognoscere potuit ac debuit. Quia talis consensus est plenus, & sufficienter liber ac humanus, ut actio vel omissio sit imputabilis ad culpam gravem, cùm ejus malitia, aut malitiæ periculum potuerit ac debuerit cognosci, & vitari. Neque enim inadvertentia vincibilis ac culpabilis voluntarium plenum impedit in æstimatione morali.

Resp. 2. Ad peccatum mortale non requiritur, ut malitia moralis sit directè & propter se volita, quod potius diabolicum est quàm humanum; sed sufficit ut sit indirectè vel interpretativè volita, hoc est, ut voluntas velit ex quocumque motivo aliquid graviter malum, etiamsi ejus malitiam secundùm se aversetur, modò cognoscat, vel possit ac debeat cognoscere ejus malitiam. Quia, 1. disconvenit naturæ rationali, & Legi divinæ, velle aut acceptare ullo modo id quod malum ac illicitum est; & Lex naturalis prohibet ne malum ullo modo velimus & eligamus, non solùm directè, sed etiam indirectè, & interpretativè: malum enim nullatenus est volibile, sed malitia actus exigit quocumque modo fugi. 2. Meritò imputatur voluntati ad culpam & vituperium, quòd malum velit non solùm directè, sed etiam indirectè, vel interpretativè, cùm nempe non refugit nec impedit malum quod potest & debet repudiare & impedire. Nam tunc non fugit nec aversatur malum ut debet; nam debet illud fugere & aversari summè & omni modo, cùm sit summè odibile & omni modo fugiendum. Igitur ad mortalem culpam ex parte voluntatis sufficit voluntarium indirectum & interpretativum, ut consentiunt omnes.

Obj. Ut actus sit bonus, ejus bonitas debet esse directè volita. Ergo à pari, &c. *Resp.* Neg. conseq. Disparitas est, quòd bonitas moralis seu honestas, sit appetibilis directè & secundùm se, exigatque sic appeti; & ut actus sit bonus moraliter, debet tendere in objectum modo decenti naturam rationalem, ac proinde debet in illud tendere sub ratione honesti & propter bonitatem. E contra malitia actus exigit quocumque modo fugi; & ut actus sit malus, sufficit ut appetat id quod est malum, aut quomodocumque velit id quod est malum: nam hoc ipso disconvenit naturæ rationali & Legi divinæ.

Quæst. VI. *Quænam advertentia sufficit ad peccatum mortale?*

Resp. 1. Potest esse peccatum mortale imputabile, sine advertentia actuali malitiæ. Quia 1. Dantur peccata imputabilia ad culpam mortalem, quæ tamen fiunt ex ignorantia vincibili malitiæ, & dum operans putat se rectè agere & obsequium Deo præstare, ut constat ex Joann. 16. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et tamen persecutores Apostolorum verè in hoc peccabant mortaliter. Hinc illud Psalm. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Et illud S. Aug. l. de spir. & litt. cap. 36. *Attendas quam in multis offendamus omnes, dum putamus, Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus.* 2. Multi multa agunt contra Legem, ex habituali inconsideratione & negligentia, imò ex dispositione habituali voluntatis non considerandi, an actio sit licita necne; sed statim se determinandi ad id quod delectat, vel utile est, sive sit licitum sive non. Certè hi sæpè agunt sine ulla cognitione actuali malitiæ; & tamen quis neget eos graviter peccare? 3. Ob responsionem sequentem.

Resp. 2. Ad mortale, etiam secundùm se imputabile, sufficit advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ, aut periculi illius, confi-

consistens in eo quòd quis possit ac debeat advertere malitiam vel ejus periculum, nec tamen advertat. Quia 1. malitia actus secundùm se ei meritò imputatur, qui debuit & potuit illam advertere, & vitare actum, cui annexa est. Nam ei malitia satis voluntaria est, & libera, cùm potuerit & debuerit ab eo vitari. 2. Ut malitia secundùm se imputetur, ex communi sententia sufficit consensus voluntatis interpretativus, cum scilicèt voluntas potest & debet repudiare objectum malum, & non repudiat. Ergo etiam sufficit advertentia interpretativa: nam ad peccatum imputabile non minùs requiritur consensus voluntatis, quam advertentia rationis. 3. Peccatum mortale est libera transgressio præcepti graviter obligantis. Sed ad talem transgressionem sufficit advertentia virtualis ac interpretativa: nam talis transgressio est libera, hoc ipso quòd posita est ex defectu advertentiæ actualis, quæ potuit & debuit haberi: hoc ipso enim talis transgressio ita posita est, ut potuerit non poni à voluntate. Advertentia virtualis & interpretativa est ea, quæ quidem non habetur, sed haberi potest ac debet. Sed qui legem violat, quam potuit ac debuit cognoscere, perinde se habet moraliter & in æstimatione prudenti, in ordine ad imputabilitatem etiam moralem (licèt non tantam, quando advertentia non est affectata) ac si eam actu cognosceret: ac proinde non excusatur à peccato etiam mortali. Paulo aliter. Advertentia interpretativa est ea cujus privatio est culpabilis, cùm ipsa potuerit ac debuerit haberi, ac proinde non excusat à peccato actiones & omissiones secutas contra legem; cùm ipsa sit culpabilis, nec tollat voluntarium indirectum, ac interpretativum, sufficiens ad culpam; nec culpa possit quemquam excusare. Igitur malitia actus meritò imputatur voluntati, hoc ipso quòd actus malus procedit à voluntate liberè & scienter, vel cum vincibili ac culpabili ignorantia aut inadvertentia agente. 5. Vincibilis ignorantia seu carentia cognitionis habitualis, non excusat à peccato. Ergo multò minùs excusat inconsideratio & inadvertentia vincibilis: nam (ut ait Suarez) ignorantia non refertur ad voluntarium vel involuntarium ratione habitualis scientiæ, qua privat, sed proximè & immediatè ratione actualis considerationis quam tollit; quia voluntas non movetur proximè & immediatè ab habituali cognitione, sed ab actuali. Inadvertentia autem erit vincibilis & voluntaria, hoc ipso quod potuit, & debuit pelli per advertentiam; sicut ignorantia habitualis est vincibilis & voluntaria hoc ipso quòd potuit & debuit depelli per inquisitionem veritatis.

Nota. 1. Equidem nihil est volitum quin præcognitum; & voluntarium est id, quod est à principio intrinseco cum cognitione; sed cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Nam ad voluntarium indirectum & interpretativum sufficit cognitio virtualis & interpretativa. Item cum actus moralis definitur actus qui liberè fit cum advertentia ad regulam morum, intelligi debet advertentia vel actualis, vel virtualis, & interpretativa; alioqui definitio mala est, cùm non conveniat omni actui morali, nempe peccato commisso ex ignorantia vel inadvertentia vincibili.

Nota. 2. Advertentia virtualis & interpretativa adest, cùm quis potest & debet advertere ad præceptum seu obligationem, vel malitiam actus, & tamen non advertit. Potest autem advertere, quando ex aliqua cognitione præsenti ejusdem vel alterius objecti, aut circumstantiæ, prudenter ac circumspectivè agendo, deveniret in cognitionem malitiæ, quam novit quidem habitu, sed actu non advertit. Tunc enim habet sufficiens principium discurrendi & considerandi an actus sit illicitus, vel illicitus. Et si hoc non cognoscit aut considerat, malè consultat, & imprudenter agit: unde meritò illi imputatur peccatum, quod inde sequitur. Nam in omni deliberatione humana primò considerandum est, utrum res liceat nec ne: eodem enim præcepto, quo tenemur vitare peccatum & servare legem, tenemur adhibere advertentiam & considerationem, cùm sine ea lex observari nequeat.

Hinc in iis, quæ intrinsecè mala sunt & contra Legem naturalem, ad virtualem advertentiam malitiæ moralis habitualiter notæ sufficit, ut consideretur ipsa actio secundùm se, seu ut quis rectè advertat quid agat. Nam hoc ipso facillimè excitari potest actualis cognitio malitiæ, utpote habentis cum illa intrinsecam connexionem, si consideratè & sine præcipitatione agatur, ut notat Suarez. In iis verò quæ non sunt per se mala, sed vetita solo jure positivo, quamvis non semper sufficiat consideratio ipsarum actionum secundùm se, cùm non habeant intrinsecam connexionem cum malitia, seu præcepto eas vetante, tamen si quis non laboret ulla ignorantia facti, sola objecti propositio si mul cum cognitione habituali præcepti regulariter sufficit ad excitandam cognitionem malitiæ, si

qua par est consideratione & mora in agendo procedatur. Possunt & alia principia deliberandi in talibus rebus occurrere, ut si quis non cogitans de die abstinentiæ, videat alios vesci cibis quadragesimalibus; vel die festo nihil cogitans de Sacro, audiat festivum campanarum pulsum, aut videat populum ad templum accurrentem. Ex his enim aut similibus excitari potest cogitatio præcepti: quæ tamen si adhibita sufficienti attentione & consideratione non habeatur, tunc inadvertentia erit naturalis, & invincibilis, qualis esse solet in timoratis & ex circumspectione agentibus: in aliis autem plerumque est vincibilis & culpabilis. Quòd si malitia non sit habitualiter nota: tunc actus est culpabilis, si ignorantia sit vincibilis, quia hæc non excusat à peccato.

Nota. 3. Cum aliqui Theologi dicunt ad peccatum mortale requiri advertentiam malitiæ, vel suspicionem aut dubitationem de illa; ut id cum veritate, & certissimis ipsorum ac omnium principiis consentiat, debet intelligi in sensu accommodo, nempe vel de peccato directè volito, & de peccato malitiæ ex certa scientia commisso: vel de advertentia malitiæ sive formali præsenti aut præcedente, sive virtuali & interpretativa, in specie vel in genere, in se vel in causa.

Quæst. V. *Quibus indiciis in dubio de consensu sufficienti ad mortale, cognosci potest eum fuisse datum, vel non?*

Resp. Traduntur à Doctoribus hæ regulæ. 1. Si dubitans de consensu præstito sit vir probus & timoratæ conscientiæ, seque ita habitualiter ac constanter dispositum sentiat, ut potiùs vellet mori, quàm mortaliter peccare; censendus est non dedisse sufficientem consensum, licèt aliquam fortè in repellenda tentatione negligentiam admiserit. At si sit homo pravus & peccatis assuetus, in dubio censendus est consensisse. Quia in dubio prudens præsumptio à consuetis ac communiter contingentibus & habituali dispositione sumitur: & quia prior summè detestans peccatum habitualiter, si illud admisisset cum pleno consensu, hanc mutationem ita advertisset, ut de ea nil dubitaret: posterior verò parvipendens peccatum, si non plenè consensisset, non dubitaret. Porrò non est signum imperfecti consensus, sed tantùm mutatæ voluntatis, contritio, quæ actum peccati statim cònsequitur.

2. Quando suborta cogitatione seu tentatione de facienda re mala, non facis, cùm facilè posses; signum est consensum in opus non fuisse perfectum, quia potentia executrix voluntati omninò obtemperat.

3. Sola perseverantia motus interni post advertentiam, non indicat sufficienter plenum consensum, sicut perseverantia motus exterioris membrorum illum arguit: quia his voluntas, non illis despoticè imperat.

4. Quando quis dubitat, vigilans an dormiens, sui compos an impos, quidpiam voluerit aut fecerit, probabile indicium est non plenæ deliberationis, quia hæc regulariter hominem de suis actibus certiorem reddit, & perfectè vigilans satis novit se vigilare, & sui compos de hoc non dubitat, nisi fortè mora temporis aliquam induxerit oblivionem.

Cæterùm cum hæ omnes conjecturæ veritatem non ostendant, est obligatio confitendi consensum illum dubium.

Quæst. VI. *An est mortale agere vel velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum?*

Resp. Affirm. *Ita omnes*. Quia 1. *Ad Rom*. 3. Graviter damnatur illud: *Faciamus mala, ut veniant bona*. 2. Voluntas mala est, hoc ipso quòd vult id quod malum est, ex quocumque motivo illud velit. Nam actus voluntatis sumit malitiam ab eo omni in quod fertur, ex Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Neque enim finis bonus malitiam objecti seu medii tollit, cùm ejus naturam non immutet. 3. Volitio finis honesti ut per medium illicitum comparandi, est mala. Nam tendit in objectum modo naturam rationalem dedecente, & contra legem; disconvenit enim naturæ rationali & legi prosequi bonum per medium illicitum. Imò volitio finis honesti per medium licitum, sed in circumstantia mala, est vetita & mala: nam disconvenit naturæ rationali & Legi divinæ, & finis honestus non potest nisi dedecenter & disconvenienter naturæ rationali appeti per medium licitum in circumstantia mala, verbi gratia velle celebrare Sacrum propter bonum finem in loco dedecenti. *Quod est secundùm se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum; quia ad hoc quod aliquid sit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrant, bonum enim ex integra causa, malum verò ex singularibus defectibus*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3.

Quæst. VII. *Quænam sunt peccata mortalia vel venialia ex genere suo?*

Resp. 1. Ex S. Augustino, Enchyrid. c. 78. *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio*. Et, cap. 79. *Sunt autem quædam quæ levissima*

ſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora; quis enim dicentem fratri ſuo, Fatue, reum gehennæ putaret, niſi Veritas diceret?

Reſp. 2. Id ſicut tota doctrina morum, repeti debet. 1. Ex Scriptura. Quæ enim ab illa dicuntur abominabilia, deteſtanda, execranda, Deo exoſa, digna morte, gehenna, excludere à regno Dei, vel ob quæ dicitur Væ; judicanda ſunt ex genere ſuo mortalia. 2. Ex traditione, quæ extat in ſcriptis Patrum. 3. Ex definitione & ſenſu Eccleſiæ, quæ ſemper eſt infallibilis in doctrina fidei & morum. 4. Ex ratione fide illuſtrata, & his principiis nixa. 5. Ex unanimi Doctorum conſenſu.

Reſp. 3. Peccatum mortale ex genere ſuo eſt illud, intra cujus objectum ſeu materiam datur aliquid grave, ſeu graviter repugnans rectæ rationi, vel fini Legis, qualia ſunt peccata contra virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem; contra religionem, juſtitiam, & alias virtutes graviter obligantes; item quæ nos graviter corrumpunt. Peccata verò, quæ leviter tantùm adverſantur naturæ rationali, vel præcepto leviter obliganti, & quæ non lædunt graviter charitatem Dei & ejus honorem, vel proximum quoad perſonam, res vel jura, nec nos ipſos corrumpunt, ſed continent præciſè aliquam levem inordinationem, ut mendacium officioſum, verbum otioſum, ſunt venialia per ſe & ex genere ſuo. *S. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *Duo ſunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt cùm aut jocamur, aut ut proſimus mentimur.* ait S. Auguſt. in Pſalm. 5.

Reſp. 4. Mortale ex genere ſuo duplex eſt: aliud ex toto genere ſuo, & aliud ex genere ſuo non toto. Peccatum mortale ex toto genere ſuo eſt illud, cujus omne objectum ſeu omnis materia eſt per ſe gravis, quia nempe quælibet ejus materia gravem inordinationem continet, vel per quamlibet ejus quantitatem læditur graviter virtus, quæ eſt finis præcepti gravis. Unde non poteſt eſſe veniale niſi ex imperfectione actus, ſeu ex defectu advertentiæ & conſenſus ſufficientis ad mortale. Talia ſunt ea, quæ ſunt directè contra aliquod attributum divinum, ut odium & contemptus Dei, hæreſis, deſperatio, blaſphemia, perjurium, &c. Nam hæc directè repugnant Dei bonitati, veracitati, miſericordiæ, majeſtati, excellentiæ infinitæ Dei, & per iſta graviter læduntur charitas, fides, ſpes, religio, &c. Talia item ſunt, quæ graviter diſconveniunt naturæ rationali, ſeu ex ſe gravem habent inordinationem, ut delectatio venerea extra conjugium, pollutio, &c.

Mortale verò ex genere ſuo, ſed non toto, eſt illud, intra cujus objectum ſeu materiam datur aliquid ex ſe grave & leve, ſeu graviter & leviter inordinatum ac prohibitum, quatenus per aliquam materiam graviter, & per aliam leviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti. Nam illa materia cenſetur gravis, per quam graviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti, & ea eſt levis, per quam leviter læditur talis virtus, ut patet in furto.

Quæſt. VIII. *An peccatum mortale ex genere ſuo fieri poteſt veniale, & viciſſim?*

Reſp. 1. Cùm ad mortale requiratur gravitas materiæ, & ſufficiens advertentia & conſenſus, ſequitur peccatum ex genere ſuo mortale, fieri veniale. 1. Ob levitatem materiæ, ut patet in peccatis contra juſtitiam, v. g. furto levi. Nam tunc leviter læditur juſtitia, quæ eſt finis præcepti vetantis furtum, & ſic tunc eſt levis inordinatio, & tranſgreſſio ac offenſa Dei. Peccata autem ex toto genere ſuo mortalia, non poſſunt fieri venialia ex parte materiæ, quia in quavis eorum materia reperitur gravis difformitas, & per quamlibet eorum quantitatem graviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti. Porrò materiæ levitas in iis, quæ levitatem materiæ admittunt, ex circumſtantiis, & præſertim ex quantitate materiæ, & ejus conducentia ad finem dijudicanda eſt. 2. Ob imperfectionem actus ex parte intellectus & voluntatis. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 88. art. 6. *Poteſt id, quod eſt ex genere mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus, quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis:* hoc eſt quia deeſt ſufficiens advertentia & conſenſus ad hoc, ut actus dicatur ſimpliciter liber & humanus. Actus autem ſeu conſenſus voluntatis imperfectus & ſemiplenus, ideòque inſufficiens ad mortale, eſt ille qui datur cum impotentia plenè advertendi ob impeditum rationis uſum, qualis eſt in ſemidormiente, modò hæc ſit omninò involuntaria: ſicut conſenſus dicitur plenus ac perfectus, cùm datur ab homine plenè ſui compote, & habente uſum rationis expeditum, & valente plenè advertere. Similiter advertentia imperfecta ſeu ſemiplena eſt ea, quæ procedit ab homine non perfectè ſui compote, nec habente uſum rationis expeditum, qualis eſt ſemidormiens. Sicut enim hic non habet perfectum judicium rationis, nec plenè advertere poteſt ad id quod agit: ita interdum ſit, ut quis ob ſubitam & vehemen-

men-

mentem passionem, aut distractionem ad res alias, non advertat nec advertere possit ad actum suum, quantùm requiritur ad mortale. Unde delectatio de objecto malo, quæ cæteroquin esset mortalis, potest defectu sufficientis advertentiæ esse solùm venialis. Advertentia verò perfecta & plena est ea, quæ procedit ab homine sui compote, & habente usum rationis expeditum.

Hinc triplex distinguitur motus, nempe primo primus, qui subitò ante omnem mentis advertentiam insurgit, nec ullatenus pendet à voluntate; & hic non est culpa secundum se: secundo primus, qui est cum aliqua, sed imperfecta advertentia, sufficiente quidem ad culpam venialem, non autem ad mortalem, qualis est in semidormiente: & motus plenè ac perfectè deliberatus, qualis est in vigilante, & plenè sui compote, & hic est mortalis, si sit graviter inordinatus & voluntarius.

Imperfectio tamen actus numquam impedit quominùs ea, quæ sunt ex objecto venialia, revera sint venialia, ut docet Suarez. Quia ad culpam venialem sufficit quodcumque voluntarium & liberum, sicut & quantulacumque inordinatio: secùs verò ad mortale: nam homo non potest ex qualicumque actione & quantumvis imperfecta constitui reus perpetui odii Dei, & damnationis æternæ, hoc enim repugnat bonitati, sapientiæ, ac convenienti gubernationi divinæ.

Resp. 2. Actus ex genere suo, seu objecto venialis vel indifferens, fit mortalis per accidens, seu per aliquid ei adjunctum.

1. Ex errore conscientiæ, quò quis putat id, quod agit, esse mortale, licèt re ipsa non sit. Nam tunc consentit in mortale apprehensum.

2. Ratione affectus graviter inordinati in rem aliquem leviter malam vel indifferentem, constituendo in ea finem ultimum: ut si ex affectu ad illam paratus sis illam velle etiamsi mortalis esset, vel peccare mortaliter potiùs quàm ab ea abstinere, vel illam comparare per medium graviter illicitum. Nam tunc eam præfers divinæ amicitiæ, & violas graviter maximum præceptum diligendi Deum super omnia.

3. Ratione finis mortaliter mali, ad quem ordinatur, ut adulatio seu laudatio ex se venialis, ordinata ad subornandam virginem. Nam talis actus continet affectum ad rem mortaliter malam, & medium malitiam finis contrahit.

4. Ratione gravis damni vel scandali, quod ex re levi secuturum prævidetur, vel prævideri potest ac debet, ut si ex furto rei levis prævideas alterum blasphematurum. Nam ob talem affectum actus graviter adversatur charitati: & causa participat malitiam sui effectus.

5. Ratione periculi incidendi in mortale, in quod quis experientia didicit se ex actione de se leviter mala vel indifferenti incurrere, puta si aspectus mulieris, vel colloquium inducat ad actum turpem, vel consensum in delectationem veneream; si ludus de se licitus sit occasio proxima pejerandi, blasphemandi, &c. Nam mortale est, exponere se morali periculo peccandi mortaliter: is quippe Dei amicitiam, & animæ salutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat, cùm potest; & eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam ejus probabile periculum vitare.

6. Propter contemptum formalem præcepti, vel regulæ, vel superioris qua superior est; ut si quis violat præceptum in re levi, quia præceptum est, sive quia renuit subjici præcepto, vel superiori. Talis enim inobedientia inducit contemptum potestatis à Deo derivatæ, & superioris ut minister Dei est, ejusque vices gerit: qui contemptus redundat in Deum, juxta illud, Luc. 10. *Qui vos spernit me spernit.*

Item omissio consilii evangelici ex contemptu, quasi Deus inutilia & vana consuleret, mortalis est. Nam est graviter injuriosa Deo, & Deus ipse consilii author contemnitur.

Quæst. IX. *An multa venialia possunt facere unum mortale?*

Resp. 1. Peccata venialia quantumvis multiplicata, non possunt per se efficere unum mortale, nisi eorum materiæ vel effectus uniantur. *Est communis sententia.* Quia 1. ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 5. per venialia à Dei gratia non excludimur. 2. Peccatum mortale, cùm sit contemptus Dei & aversio à fine ultimo, habet malitiam ordinis superioris, imò infinitam, quam proinde æquare nequeunt quævis venialia. 3. Sola multiplicatio non constituit peccatum in alia specie superiore à veniali. Item quantumcumque multiplicentur venialia, singula sunt, & manent in specie inferiore, habentque differentiam essentialem aliam, quam species superior. Ergo multiplicatio venialium non potest attingere speciem peccati mortalis, quæ est superior. Ex Patrum verò textibus sequitur tantùm multa venialia disponere ad mortale, non verò illud constituere.

Qui tamen proponeret omnia venialia occurrentia committere, vel ad hoc paratus esset, velletque sola mortalia vitare, secundùm Sanchez & Bonacinam mortaliter peccaret, etiamsi contemptus formalis deesset. Quia illius propositi objectum continet apertissimum peccandi mortaliter periculum quod talis vult subire, cum ex SS. Patribus & Doctoribus multa venialia deliberatè & ex proposito commissa, certò disponant ad mortale, & in praxi patet: quæ culpa mortalis adversatur præcepto charitatis.

Resp. 2. Si plurium venialium materiæ, vel effectus moraliter uniantur, & unum objectum grave constituant contra unum præceptum, tunc mortale est peccatum, cujus materia, licet secundùm se parva, tamen ob moralem conjunctionem cum objectis priorum, notabilis censetur, & effectum gravem malum producit. *Est communis sententia.* Quia tunc per hoc ultimum peccatum, ponitur complementum gravis materiæ, vel effectus graviter prohibiti; & illud ponens censetur velle aliquid graviter inordinatum ac prohibitum. Sic qui uno die festo plu ries laborat per quadrantem diversis horis, peccat mortaliter ultimo quadrantis labore, quo completur tempus notabile; quia isti omnes labores breves moraliter uniuntur; & tunc verum est dicere talem laborasse illo die festo tempore notabili, verbi gratia, duas aut tres horas. Sic ebrietas per ultimum scyphum completur. Item qui intemperanter cibum sumit, & ultima comestione agnoscit valetudinem graviter lædendam, peccat tunc mortaliter: nam jam vult objectum graviter dissentaneum naturæ rationali ac legi, & sibi notabile damnum.

Si verò plurium venialium materiæ parvæ & effectus non uniantur, nec in grave objectum coalescant: tunc omnia & singula peccata sunt venialia, nec efficiunt mortale: quia tunc materiæ illæ non conflant unum objectum grave, nec materiam sufficientem ad mortale. Sic qui pluribus festis per unum quadrantem laborat, non peccat mortaliter, secluso scandalo & contemptu: quia tunc sicut festa sunt diversa, neque efficiunt unum moraliter; ita & labores sunt diversi, nec unum inter se constituunt. Item qui in Quadragesima quotidie bolum panis extrà tempora comedit, non peccat mortaliter, quia comestio una die facta non continuatur, nec conjungitur moraliter cum comestione alterius diei, cùm obligatio abstinendi affixa sit singulis diebus, & transeat cum illis. Unde propositum comedendi singulis diebus Quadragesimæ bolum panis extra tempora, est per se loquendo solùm veniale, quia non fertur in illas omnes comestiones leves conjunctim sumptas, sed in omnes separatas, & singulis diebus vitandas, quæ cùm solùm sint vetitæ sub veniali, propositum non est de mortali. Idem dic de eo, qui plures inducit ad parum comedendum uno die jejunii, quia actio unius non unitur, nec facit unum moraliter objectum vetitum cum actione alterius. Unde inductio non est ad aliquid grave.

Quæst. X. *An & quomodo multa venialia disponunt ad mortale?*

Resp. 1. Multa venialia, si negligantur & continuentur, sensim disponunt hominem ad mortale. Constat 1. ex Eccli. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Et, Luc. 10. *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* 2. Ex consensu Theologorum, & ex Patribus docentibus venialia diligenter cavenda esse, ne labamur in mortalia. 3. Ex praxi & experientia.

Resp. 2. Multa venialia disponunt ad mortale. 1. Indirectè seu negativè, removendo id, quod mortalia impediret. Nàm & in peccante minuunt fervorem charitatis, & timorem Dei, ac horrorem peccati, & ex parte Dei impediunt providentiam illam specialem, qua tentationes ac pericula removebar, & liberalitatem qua uberes & potentiores gratias largiebatur.

2. Positivè: tum quia cùm mortale & veniale in hoc conveniant, quòd sint infractio Legis & ordinis; multitudo leviorum infractionum, maximè si deliberatè & ex gravi negligentia fiant, hominem disponit ad violandum Legem & ordinem in gravioribus: tum quia libido peccandi, & affectus erga rem venialiter malam, potest sæpiùs peccando ira crescere, ut in ea re constituatur finis ultimus, & ex affectu erga illam homo sit paratus violare præceptum gravius, vel illius violandi periculo se exponat. Venialia autem ejusdem speciei, magis adhuc per se ac directè disponunt ad mortale; cùm circa idem objectum specificè sumptum versentur, & pariant similem habitum. Sic levioribus furtis, contumeliis, detractionibus via sternitur ad graviores injurias, & comparatur consuetudo furandi, aut detrahendi, quæ magis adhuc in gravia objecta, utpote magis ad se allicientia, inducit, quàm in levia.

CAPUT III.

De Peccatis commissionis & omissionis.

Quæst. I. **Q**uid sunt & an differunt inter se talia peccata?

Resp. 1. Peccatum commissionis est actus positivus factus contra Legem eum prohibentem, sive est violatio præcepti negativi. Peccatum omissionis est omissio actus præcepti, sive violatio præcepti affirmativi.

Resp. 2. Hæc peccata, etiam cum eidem virtuti aut præcepto ex eodem motivo adversantur, sic moraliter inter se differunt, saltem secundùm gravitatem, ut in Confessione sigillatim explicandæ sint. Nam peccatum commissionis, cæteris paribus, est notabiliter gravius peccato omissionis: habet quippe notabiliter majorem disconvenientiam ac oppositionem cum natura rationali & Lege divina: magis enim, cæteris paribus, inordinatum est ac disconveniens naturæ rationali ac Legi æternæ, facere quod non debes, quàm non facere quod debes; & illud opponitur præcepto, *Declina à malo*: hoc autem, præcepto, *Fac bonum*. Sic odium Dei est longè gravior culpa, quàm omissio actus amoris Dei præcepti, licèt utrumque eidem præcepto charitatis opponatur; & qui utriusque reus esset, non satisfaceret præcepto confitendi dicendo se bis peccasse mortaliter contra debitam charitatem Dei. Item longè pejus est patrem contumelia afficere, quam præcisè ei honorem debitum non deferre.

Imò sunt qui docent, aliqua peccata commissionis & omissionis inter se differre secundùm gravitatem specificam, ut ista allata: quia censent ea habere inter se disconvenientiam & oppositionem cum natura rationali & Lege divina notabiliter diversam: nam quamvis eidem virtuti ac præcepto ex eodem motivo adversentur, tamen ei modo notabiliter diverso opponuntur.

Quæst. II. *Unde æstimanda est species & gravitas omissionis culpabilis?*

Resp. Ex specie & bonitate actus præcepti. Nam privatio eò pejor est, quò forma ei opposita melior est. Ergo omissio actus præcepti eò pejor est, quò actus præceptus melior est. Sic omissio orationis longioris præceptæ, est culpa gravior omissione orationis brevioris etiam præceptæ.

Quæst. III. *An actus cum omissione culpabili conjunctus, est peccatum?*

Resp. 1. Omnis actus, qui est causa, finis, vel occasio proxima omissionis malæ, contrahit malitiam omissionis, ut si omittas Sacrum ut studeas, vel dormias: quia prohibetur eodem præcepto, quo præcipitur actus omissus. Nam præceptum, utpote de se efficax hoc ipso quod præcipit actum aliquem, simul prohibet omnem actum, vi cujus sequitur omissio actus præcepti. Sicut enim præceptum obligat ad servanda omnia, quæ necessaria sunt ad ejus observationem; sic & ad vitanda omnia, quæ eamdem observationem impediunt. Item in illo actu continetur virtualis saltem voluntas omittendi. Ergo habet idem objectum cum omissione, & proinde eamdem malitiam, & repugnantiam eidem præcepto. Idem est si actus assumatur ut medium omissionis: nam media contrahunt malitiam finis. Hinc si actus sit aliunde malus, habet duplicem malitiam; ut si quis omittat Sacrum, quia tempore Sacri furatur. Si verò non sit aliunde malus, habet unam & eamdem malitiam cum omissione culpabili, cùm solùm habeat malitiam ab illa omissione, & eidem præcepto adversetur. Docet tamen Suarez, quòd si quis advertit se hoc tempore omittere, & ex nimio affectu ad illud opus de se licitum, velit nihilominus illud exercere & sic omittere; tunc actus ille habet malitiam specie distinctam: quia verè est contra rectitudinem propriæ virtutis, & quia constituitur ultimus finis in illo opere.

Resp. 2. Quando actus, qui fit tempore omissionis, non est causa, nec finis, nec medium, nec occasio omissionis, sed tantùm assumitur consequenter ad voluntatem efficacem omittendi ob alium finem, juxta multos non contrahit malitiam omissionis, nec proinde est peccatum, si aliunde non sit malus: ut si quis postquam decrevit omittere Sacrum ad aliquod leve incommodum vitandum, oret domi, vel studeat tempore Sacri, ut otium vitet. Quia Lex præcipiens aliquid, non vetat actum alium, nisi sit causa, vel medium, vel occasio omissionis actus præcepti; & supposita voluntate omittendi actum præceptum, alius actus materialiter & per accidens, se habet ad omissionem, & nullo modo in eam influit.

Quæst. IV. *Quandonam admittitur peccatum omissionis?*

Resp. 1. Peccatum omissionis externum admittitur eo solo tempore, quo urget præceptum faciendi actum. Quia hoc peccatum consistit in omissione actus debiti ex præcepto: actus autem non est debitus, nisi eo tempore, quo servandum est præceptum.

Internum verò committitur, dum quis expresè, aut virtualiter indirectè, vel interpretativè, vult omittere actum præceptum: nam tunc ponitur voluntas violandi præceptum.

Resp. 2. Qui ponit causam, ex qua prævidet probabiliter secuturam omissionem, tunc peccat, & contrahit malitiam omissionis: quia qui ponit causam omissionis, vult indirectè, vel saltem interpretativè ipsam omissionem: qui enim vult causam, censetur velle effectum qui ex illa sequitur. Præterea eodem præcepto, quo vetatur omissio, prohibetur etiam positio libera causæ illius. Hinc qui die festo manè se somno tradit, prævidens se somno sepultum iri tempore ultimi Sacri, tunc peccat contra religionem; etiamsi per accidens excitetur & postea Sacrum audiat. Nam tunc habuit voluntatem, saltem interpretativam ac virtualem, omittendi Sacrum, quamvis postea eàm mutaverit.

Idem dic de eo, qui scienter, aut non nisi cum ignorantia vel inadvertentia culpabili, exponit se morali periculo omittendi. Nam tunc contrahit totam malitiam omissionis, licèt postea omissio non sequatur; quia sic exponendo se morali periculo omittendi, saltem interpretativè voluit omissionem. Quòd si is, qui posuit causam omissionis, vel exposuit se morali periculo omittendi, postea possit præceptum, dum urget, implere, desistendo ab opere incompossibili, non implens præceptum, denuò peccat peccato omissionis; & tunc omissio ejus est in se libera eo modo, quo actus externus liber esse potest: quia tunc denuò vult saltem indirectè ipsam omissionem actualem. Porrò non contrahitur censura, nisi eo tempore, quo actus ex præcepto faciendus est: nam tunc solùm ponitur omissio externa, cui annexa est.

Resp. 3. Probabile est, eum qui posuit omissionis causam, qua factus est impotens ad implendum præceptum, peccare non solùm quando posuit illam causam, sed etiam dum reipsa actum præceptum omittit, si non retractet ejus causam culpabilem, cùm potest. Sic Sacerdos, qui Breviarium in mare liberè projecit, unde factus est impotens ad illud recitandum, non solùm peccavit projiciendo, sed etiam singulis diebus denuò peccat non recitando, quamdiu priorem culpam non retractat. Item qui ante Sacrum longæ viæ sine necessitate se dedit, unde factus est impotens ad audiendum Sacrum, peccat contra religionem, non solùm cùm se dedit longæ viæ prævidens impotentiam audiendi Sacrum inde secuturam, sed etiam postea dum celebratur Sacrum, nisi tunc eliciat contritionem. Ratio est, quia omissio actualis est imputabilis voluntati, quamdiu est voluntaria in causa non retractata, quæ possit retractari: tamdiu enim liberè continuatur, & ponitur voluntariè omissio, quamdiu potest retractari ejus causa, & non retractatur; nam est tunc in potestate hominis efficere ne sit ampliùs voluntaria ac moralis.

Sed quid si homo non possit retractare causam culpabilem omissionis, ut fit in somno vel ebrietate? An peccat non solùm quando posuit causam, sed etiam cùm præceptum urget?

Resp. Alii Affirmant, eo quòd talis omissio sit illi sufficienter voluntaria in causa non retractata. Alii probabilius negant, docentes talem omissionem nil per se malitiæ imputabilis addere culpabili positioni causæ ejus, eo quòd tunc omissio non sit voluntaria & libera nisi in causa, & voluntas tempore omissionis non continuetur liberè, nec ullum exercitium liberum habeat, cùm ne possit quidem ejus causam retractare.

Cæterum necesse est omnes omnino omissiones actuales confiteri, & non tantùm causam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua fidelium, ex qua necessitas materiæ confessionis potius quàm ex principiis metaphysicis metienda est, constat actiones & omissiones in causa mortaliter culpabiles, esse necessario confitendas, sive illæ secundùm se peccata sint, sive solùm effectus & objecta peccati in causa liberè posita commissi. Præterea id etiam necessarium est, vel ad explicandam sicut oportet peccati gravitatem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem restituendi, &c. vel ob periculum reservationis aut censuræ.

CAPUT IV.

De Ignorantia, & ejus peccatis.

Quæst. I. **Q***Uid est Ignorantia, & quotuplex?*

Resp. 1. Ignorantia latè est carentia cognitionis veræ in subjecto capaci. Strictè, ut hic sumitur, est carentia cognitionis debitæ, seu cognitionis eorum, quæ quis scire debet. Nam qui ignorat ea quæ scire non tenetur, non est in eo ignorantia, strictè loquendo, sed mera nescientia.

Dividitur 1. In invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis, quæ etiam inculpabilis vocatur, est ea, quæ morali dilig-

ligentia adhibita depelli non potest; Vincibilis est ea, quæ morali diligentia adhibita depelli potest.

2. In antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens est ea, quæ nullo modo fuit volita, & est causa actionis, quatenus ea sublata non fieret actio: ut cùm venator adhibita sufficienti diligentia ne hominem occideret, occidit amicum, putans esse feram. Concomitans est ea, quæ non est volita, nec est causa actionis, in quantum ea sublata adhuc fieret actio, quæ proinde non fit ex ignorantia, sed præcisè cum ignorantia: talis est in eo, qui, adhibita sufficienti diligentia ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem æque occidisset, si scivisset ibi latere. Consequens est ea, quæ volita est directè vel indirectè: ut cùm quis nescit talem diem esse festivum, quia aut expressè noluit aut neglexit inquirere. Unde est semper vincibilis; & quandoque est causa actionis, quandoque non, quia ea sublata quandoque adhuc fieret actio, quandoque non fieret.

3. In ignorantiam juris, & facti. Prior est, qua ignoratur jus aut præceptum aliquod. Posterior est, qua ignoratur id, quod fit, esse juxtà vel contra præceptum, & potest esse de opere vel aliqua ejus circumstantia: ut cùm quis nescit esse diem Veneris, quo comedit carnes.

4. In negativam, & positivam. Negativa est mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei absque judicio erroneo de illa re. Positiva est error, seu judicium falsum de aliqua re.

5. In habitualem, & actualem. Habitualis, est privatio cognitionis habitualis, & dicitur simpliciter ignorantia. Actualis est privatio debitæ cognitionis actualis, & meliùs dicitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio.

Quæst. II. *An ignorantia vincibilis est secundùm se peccatum?*

Nota. Ignorantia vincibilis, alia est affectata, seu directè volita, & est ea, quam quis directè & expressè vult ut liberiùs peccet, juxta illud Job 21. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Alia non affectata, & est ea quæ non est directè & expressè volita, sed est solùm volita indirectè, nempe in negligentia addiscendi. Hæc subdividitur in crassam seu supinam, & non crassam. Crassa est, cùm aut nulla adhibetur diligentia ad sciendum, aut non nisi pro rei gravitate valde exigua adhibetur: unde semper oritur ex gravi negligentia discendi. Non crassa est, cùm ad sciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, sed non adhibetur sufficiens.

Resp. Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, etsi non affectata, est secundùm se peccatum imputabile. *Est communis sententia*. Prob. 1. ex Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Et, Eccli. 23. *Ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea*. 2. Quia talis ignorantia est libera transgressio præcepti, seu omissio rei præceptæ. Nam omnia & singula præcepta obligant ad id, sine quo observari nequeunt, ideoque ad sui cognitionem comparandam, sine qua servari non possunt: præcipiens quippe finem, præcipit media per se necessaria ad illum. Igitur cùm cognitio obligationum tum omnibus communium, tum specialium, quæ ad cujusque statum, officium, & munus spectant, præcepta sit; talis cognitionis privatio vincibilis est transgressio præcepti; & quidem libera ac voluntaria saltem indirectè, nempè, in negligentia discendi, ideoque est peccatum. Unde ignorantia est peccatum, & mala imputabiliter ob negligentiam voluntatis, à qua manat. 3. Qui ignorat ea, quæ scire potest & debet, se exponit voluntariè morali periculo violandi præcepta quoties urgent, ideoque multoties peccandi. Ergo peccat gravissimè.

Observa. 1. Gravitas peccati ignorantiæ æstimanda est ex gravitate præcepti ignorati, & ex negligentia discendi. 2. Ut aliquid sit voluntarium interpretativè, sufficit ut tenearis illud vitare; nec facias, cùm possis, id quod est necessarium ad illud vitandum: hoc enim ipso tibi meritò imputatur quòd non vitaveris. 3. Ignorantia eorum, quorum cognitio ratione sui præcipitur, ut sunt mysteria fidei, est peccatum speciale oppositum virtuti fidei, quamvis fidei habitum non destruat. Ignorantia verò eorum, quorum cognitio requiritur solùm in ordine ad opus, est peccatum ejusdem speciei, cujus est transgressio præcepti ignorati: nam eidem præcepto ac virtuti opponitur, cum omne præceptum, utpote efficaciter obligans ad sui observationem, obliget etiam ad sui cognitionem & considerationem. 4. Peccatum ignorantiæ continuatur & multiplicatur, sicut peccatum omissionis restitutionis debitæ.

Quæst. III. *An quæ fiunt contra Legem ex ignorantia vincibili, sunt peccata imputabilia?*

Resp. 1. Actio vel omissio omnis contra Legem posita ex ignorantia vincibili, etiam non affectata, vel cum ea, est peccatum imputabile, etiam secundùm malitiam ignoratam, etiamsi putetur bona, ac proinde quælibet ignorantia vincibilis non excusat à peccato. *Ita omnes*. Prob. 1. ex Num. 15. *Si anima nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo; & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi*. Certè quæ non sunt peccata imputabilia, non indigent expiatione & venia, nec sunt simpliciter peccata coram Deo. Et, ex Luc. 12. servus ignorans voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, *vapulabit*. Et ex Act. 3. *Fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. Et 1. ad Cor. 2. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*. Ubi mors Christo à Judæis ex ignorantia illata esse dicitur, & tamen illis ad gravissimum peccatum imputata est, ut patet ex excidio urbis, & eversione ac reprobatione totius gentis. Item, ex Luc. 23. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Certè ubi est locus ignoscendi, ibi est peccatum imputabile. 2. Ex SS. Patribus, & speciatim Hieronymo & Augustino, qui hanc veritatem ut fidei dogma contra Pelagianos propugnarunt; & S. Augustinus, Ep. 154. sic ait: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantia, quando quisque bene fieri putat quod malè fit*. 3. Ex can. 16. dist. 37. & cap. 2. de fortil. 4. Quia ea, quæ cum vel ex ignorantia vincibili fiunt contra præceptum, sunt sufficienter libera ac voluntaria saltem indirectè & in causa, nempe in voluntaria negligentia addiscendi, & sic meritò ad culpam imputantur voluntati quæ potuit & debuit præceptum cognoscere & servare; tunc enim nullam habet justam excusationem. Nam culpabilis negligentia discendi quæ cognosci debent, non potest esse justa excusatio, cùm sit culpa; & qui vult causam, vult consequenter effectum, qui ex ea necessariò sequitur, & quem scit vel scire potest ex ea secuturum. Imò quæ contra Legem fiunt ex vel cum ignorantia vincibili etiam non affectata, sunt moraliter & æquivalenter voluntaria in se, etiam quoad malitiam moralem in ordine ad veram & gravem, quamvis non tantam imputabilitatem; quatenus qui culpabiliter ignorat, perinde se habet in æstimatione prudenti in ordine ad veram & gravem, etsi non tantam imputabilitatem, ac si actu sciret. 5. Si ignorantia vincibilis excusaret à peccato, melior esset conditio negligentis addiscere ea quæ potest & tenetur scire, quam adhibentis debitam ad ea discenda diligentiam, quod est absurdum.

Observa. 1. Ignorantia præcepti est vincibilis, cùm venit in mentem dubitatio de illo, vel aliquid, quo possit homo excitari ad inquirendam talis præcepti cognitionem, & omisit inquirere: nam tunc debuit & potuit illud cognoscere inquirendo.

2. Ut quis sit reus mortalis culpæ, non requiritur maxima negligentia, sed sufficit si omittatur diligentia moralis pro rei qualitate & gravitate necessaria. *Ita omnes, teste Sanchez*. Quia tunc culpa mortalis ei meritò imputatur, cùm potuerit & debuerit vitare id, quod est graviter malum.

3. Quoties ex vel cum ignorantia vincibili actio vel omissio mala deliberatè ponitur, toties fit novum peccatum distinctum numero à priori ignorantia & negligentia discendi. Quia tunc liberè fit denuò aliquid malum, cujus malitia imputatur voluntati ad culpam, cùm illam potuerit ac debuerit cognoscere & vitare, & voluntas perseveret velle saltem interpretativè ignorantiam. Hinc homo ignorans ea quæ necessaria sunt ad Judicis munus rectè obeundum, peccat graviter contra justitiam, tunc suscipiendo tale munus, & postea toties peccat actu mortaliter, quoties fert sententiam injustam. Nam liberè fert sententiam injustam, quamvis putans esse justam, & ejus injustitiam potuit & debuit cognoscere, & sic ea ipsi meritò imputatur: Imò cognoscit saltem confusè ex sua imperitia secuturas multas sententias injustas & ob eam adire periculum eas ferendi, aut saltem potest ac debet id cognoscere & considerare, & non judicare, ne se exponat periculo faciendi injuriam. Idem dic de Advocato, Medico, Superiore, Confessario, Opifice, &c.

Obj. Malitia actus ignorati non fuit volita, cùm non fuerit cognita. *Resp*. Fuit volita saltem indirectè in negligentia discendi, & interpretativè, quatenus liberè factus est actus malus, cujus malitia potuit & debuit cognosci ut vitaretur, quod sufficit ut imputetur voluntati ad culpam. Præterea malitia actus cognoscitur saltem confusè ab ignorante. Nam hoc ipso quòd scit se ignorare, cognoscit multa peccata ex sua ignorantia secutura, & se exponere periculo peccandi, cùm

cùm sit ineptus ad cognoscendum quid sit illicitum vel licitum; idque identidem considerat; vel saltem considerare potest ac debet. Quare non depellendo ignorantiam, vult saltem indirectè & interpretativè omnia ista peccata confusè cognita, ut ex illa secutura.

Dices. Negligentia addiscendi non fuit positivè volita. *Resp.* Fuit volita saltem interpretativè, nam potuit & debuit vitari; unde meritò imputatur voluntati, quòd illam non vitaverit, adhibendo diligentiam debitam & possibilem ad discendum ea, quæ homo scire tenetur. Ignorantia autem vincibilis est voluntaria & culpabilis in negligentia discendi: nam propter illam negligentiam meritò imputatur voluntati.

Resp. 2. Peccata ex ignorantia qualibet vincibili vel cum ea admissa, ejusdem sunt speciei cum peccatis scienter admissis circa idem objectum. *Est communis sententia*. Quia 1. Ignorantia & negligentia, & peccatum quod ex illa fit, adversantur eidem præcepto & virtuti. Nam quodlibet præceptum cognitionem & diligentiam in sua materia ex suo motivo injungit, cùm utraque per se sit necessaria ad illud observandum. 2. Actus sumit malitiam specificam ex objecto. Ergo actus ignoranter & actus scienter factus, si sint circa idem objectum malum, sumunt ab eo eamdem malitiam specificam.

Hinc qui ex ignorantia vel inconsideratione vincibili juris aut facti facit contractum injustum: peccat peccato injustitiæ, si omittat Sacrum præceptum, peccat contra religionem, &c.

Quæst. IV. *Quænam ignorantia minuit, vel auget peccatum?*

Resp. 1. Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. *Est communis sententia*. Prob. 1. ex Luc. 12. *Ille servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, hoc est minùs punietur. Et, Luc. 23. *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*.

2. Quia talis ignorautia minuit voluntarium; nam impedit ne mens peccatum in se apprehendat, & illud in se voluntas velit: & sic facit ut peccans minùs afficiatur ad malum.

Quando tamen negligentia discendi gravis est, ignorantia nunquam eò usque minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale, quia non tollit sufficiens voluntarium ad mortale. Enim verò Judæi qui ex ignorantia Christum crucifixerunt, & Apostolos persecuti sunt, profectò peccarunt mortaliter. Hinc S. Augustinus, lib. de grat. & lib. arbitr. c. 3. ait: *Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat ..... sed fortassis ut minùs ardeat*.

Resp. 2. Ignorantia affectata auget malitiam peccati. *Ita communiter, cum S. Thom.* 1. 2. q. 76. art. 4. Nam illud auget malitiam peccati, quod reddit illud magis voluntarium. At ignorantia affectata hoc præstat: quia per illam directè & expresè volitum est periculum peccandi, nempe ipsa ignorantia, ex affectu liberiùs peccandi. Imò expresè volitum est quodvis peccatum ex ignorantia sequi natum: nam per illam homo vult ignorare, ut liberiùs peccet. Et aliunde peccatum sufficienter cognitum est saltem confusè, nempe in ejus periculo directè volito. Hinc homo ob talem ignorantiam ut peccatum aggravantem arguitur Psalm. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret*. Præterea talis ignorantia in ordine ad imputabilitatem in æstimatione prudenti æquivalet certæ scientiæ.

Quæst. V. *An ignorantia invincibilis cujusvis Legis etiam naturalis, excusat à peccato formali seu imputabili?*

Resp. Affirm. Constat 1. ex S. Augustin. lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras*. Hinc paulo post docet ea, quæ malè fiunt ex tali ignorantia juris naturalis, non esse nisi impropriè & metaphoticè peccata; sicut lingua græca vel latina non dicitur nisi impropria lingua. 2. Ex S. Thom. 1. 2. qu. 76. art. 3. *Si sit ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato*. 3. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*. 4. Quia omne peccatum imputabile ut peccatum, est essentialiter voluntarium ut peccatum seu in ratione peccati, ita ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, ut docet S. August. Nam quod non est voluntarium, non potest imputari voluntati, cum nullatenus sit à voluntate. At actus ex ignorantia invincibili factus contra Legem, nullatenus est voluntarius prout oppositus Legi, & ut peccatum; cùm ejus malitia non cognoscatur,

nec cognosci potuerit vel in se vel in ejus periculo: voluntarium enim est id quod est à voluntate cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. 5. Quia alioquin homo tenetur ad impossibile, & damnari posset, quòd non servaverit præceptum, quod omnino non potuit servare, cùm illud non potuerit cognoscere, nec proinde velle servare.

Obj. 1. Ignorantia juris naturalis fuit voluntaria in causa sua, nempe in peccato originali, & voluntate Adami. *Resp.* Hoc non sufficit ad peccatum personale. Quia 1. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* 2. Cùm ad omne peccatum requiratur voluntarietas & libertas, ad omne peccatum personale requiritur voluntarietas & libertas personalis. 3. Alioqui ea, quæ malè fiunt in phrenesi & amentia, imputarentur ad culpam, cum utraque sit effectus peccati originalis sicut ignorantia.

Obj. 2. Ex reg. jur. *Ignorantia facti, non juris excusat.* *Resp.* Hoc intelligi debet quoad præsumptionem fori externi, in quo non præsumitur quis ignorasse inculpabiliter, quod debuit scire: non autem quoad forum internum.

Obj. 3. Conc. Palæstinum damnavit hanc propositionem Pelagii: *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato: quoniam non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem eveniunt.* *Resp.* Ibi agitur de oblivione & ignorantia vincibili, sed quæ non esset affectata, & directè procurata. Nam Pelagius docebat omnem ignorantiam, quæ non esset affectata, seu directè volita, vacare culpa, quia ex necessitate seu ex conditione naturæ, & innata infirmitate evenit; quod falsum est, nam ignorantia non affectata, nec directè volita, sed quæ adhibita morali diligentia vinci potest & debet, culpabilis est, cùm sit indirectè, ideoque sufficienter voluntaria in negligentia addiscendi. Et quamvis non oriatur à voluntate eam procurante, sed ex necessitate, tamen ejus perseverantia volita est indirectè in omissione voluntaria discendi; nec hæc ignorantia tunc necessariò manet nisi necessitate consequente.

Obj. 4. S. Augustinum variis locis. *Resp.* In iis locis quæ objici solent, loquitur de ignorantia vincibili, saltem cum ordinariis gratiæ auxiliis, & quæ oratione ac diligentia morali expelli potest. Similiter explicabis textus, qui ex S. Hieronymo & aliis Patribus objici possunt.

Ex actis collige, non excusari in actu nisi malitiam invincibiliter ignoratam, non autem quæ fuit cognita, vel vincibiliter solùm ignorata. Hinc occidens hominem quem invincibiliter ignorat esse clericum, reus est homicidii, non sacrilegii.

Nota. Moralis malitia actus voluntatis duplex est, nempe materialis, & formalis. Malitia materialis consistit in difformitate ac disconvenientia actus cum natura rationali & Lege divina. Formalis est materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium, & pœnam. Quòd si actus disconveniens naturæ rationali & Legi, fiat liberè & cum cognitione, vel saltem cum ignorantia aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipso malitia actus interni imputabilis est ad vituperium & pœnam; & sic actus est completè ac simpliciter moralis. Si autem non sic fiat, malitia materialis non potest imputari ad vituperium & pœnam, & sic actus non est nisi inchoatè & secundùm quid moralis. Nam actus malus adæquatè moralis, est actus disconveniens naturæ rationali, & Legi, imputabilis ad vituperium & pœnam. Porrò præter utramque actus interni malitiam est etiam malitia objectiva, quæ est specialis difformitas ac disconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali ut rationali, & Lege divina.

Quæst. VI. *An datur ignorantia invincibilis juris naturalis?*

Resp. 1. Non datur neque circa prima principia morum; quippe quæ sunt per se nota, & cuilibet rationis compoti per se obvia; qualia sunt ista: *Bonum est faciendum: malum fugiendum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus est colendus & amandus, &c.* Neque etiam circa præcepta, quæ vel per se nota sunt, vel facilè ex per se notis colliguntur, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, ac similia: tum quia & facili diligentia cognosci possunt; & natura ipsa ac conscientia, inquit Suarez, ita pulsat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari: Tum quia Apostolus, ad Rom. 1. & 2. ait gentiles contra ista peccantes esse dignos morte, & inexcusabiles, & perituros, habereque opus Legis scriptum in cordibus suis.

Resp. 2. Datur in aliquibus ignorantia invincibilis circa quædam præcepta particularia juris naturalis valde abstrusa, & remota à principiis. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex-

Experientia. Nam Theologi etiam sanctissimi & doctissimi, veritatisque studiosissimi, passim in re ad jus naturale pertinente inter se diffident, alii affirmando, alii negando aliquid esse contra jus naturale: quorum proinde aliqui errant, cum ex duabus opinionibus contradictoriis unam esse falsam necesse sit. At hi non errant nisi invincibiliter, cùm orationem, diligentiam debitam, & alia media ad assequendam veritatem necessaria adhibuerint. 2. S. Thomas, & S. Bonaventura de multis ad Legem naturalem pertinentibus inter se diffident. Ergo alteruter erravit in materia Legis naturalis: & tamen neuter ullam opinionem ante mortem retractavit. Ergo si non datur ignorantia invincibilis Legis naturalis in aliquibus, alteruter in gravi peccato mortuus est, cùm sit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina; sicque damnatus est. 3. Quia cùm aliqua præcepta sint valde abstrusa, & remota à primis principiis, a quibus sine longo ac difficili discursu deduci nequeunt, facilè ignorari possunt invincibiliter, præsertim à rudioribus, & hominibus tardioris ingenii, qui non sunt moraliter capaces longioris discursus, & quibus etiam sine illorum culpa possunt deesse occasiónes & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis. 4. Quia inter varios articulos hic ordine tertius, teste P. la Croix, confixus est Romæ, ann. 1685. die 8. Aug. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.*

Quæst. VII. *Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?*

Nota. Inadvertentia est privatio actualis attentionis. Inconsideratio est privatio debitæ inspectionis. Oblivio est privatio recordationis rei aliàs notæ. Unde differunt ab ignorantia habituali, quæ est privatio scientiæ habitualis. Possunt tamen comprehendi sub nomine communi ignorantiæ actualis, quatenus sunt privatio debitæ cognitionis actualis.

Resp. Illæ eodem modo se habent ad peccatum, quo ipsa ignorantia habitualis; ita ut harum quælibet vincibilis, sit peccatum secundùm se; & actio vel omissio mala, quæ ex illa sequitur, deputetur ad culpam: secùs, si invincibilis sit. Quia ad voluntarium & involuntarium se habent inadvertentia, inconsideratio, & oblivio perinde ac ignorantia habitualis. Nam sicut cognitio habitualis non dirigit immediatè actum voluntatis, sed solùm mediante cognitione actuali proponente objecta: ita nec quidquam facit ignorantia habitualis, nisi ratione ignorantiæ actualis, seu privationis cognitionis actualis.

Quare inadvertentia & inconsideratio vincibilis, quæ scilicèt potuit & debuit vitari, est peccatum. Nam homo tenetur considerate & prudenter procedere in actibus suis; & quodlibet præceptum obligat ad adhibendam advertentiam ac considerationem, utpote necessariam ad sui observationem. Ea verò quæ ex illa fiunt contra Legem, sunt peccata imputabilia: quia non tollit voluntarium indirectum & interpretativum, quippe sunt voluntaria etiam ut peccata in ipsa inadvertentia seu inconsideratione, quæ potuit & debuit vitari. E contra si sit invincibilis in homine habente cognitionem habitualem debitam, est prorsus inculpabilis, & excusant à peccato ea quæ ex illa fiunt contra Legem: quia malitia actus tunc nullatenus, ne interpretativè quidem, est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio.

Porrò inadvertentia seu inconsideratio culpabilis potest esse voluntaria. 1. In se ipsa, quando adest illa reflexio intellectus advertentis esse ampliùs considerandum, aut inquirendum, & voluntas vult agere sine majore consideratione. 2. In alio, nempe vel in actu positivo, quo quis vult aliud quod advertentiam impediat, v. gr. sequi passionem: vel in omissione diligentiæ, quæ posset & deberet adhiberi: vel in aliquo defectu habituali non ignoto, v. gr. in nimia præcipitatione in agendo, in negligentia ordinaria in attendendo, in prava consuetudine, quam quis emendare non curat.

CAPUT V.

De Concupiscentia, & peccatis infirmitatis, malitiæ, & habitus.

Quæst. I. **A**N *motus Concupiscentiæ sint peccata?*

Resp. 1. Inordinati concupiscentiæ motus, si libera voluntate excitentur, sunt peccata mortalia in materia gravi, & venialia in levi. Quia sunt inordinati & plenè voluntarii ac liberi. Ergo nil illis deest ad culpam materiæ commensuratam.

Resp. 2. Inordinati concupiscentiæ motus, quamvis à dæmone excitati, vel sua sponte necessariò exurgentes, accedente aliqua advertentia imperfecta, & consensu voluntatis im-

imperfecto, sunt peccata venialia: quia homo non potest absque culpa ullatenus, etiam imperfectè, admittere, vel approbare quod ex se malum ac inordinatum est, & disconvenit naturæ rationali. Non sunt tamen mortalia, etiamsi sint de re graviter illicita, propter imperfectionem actus. Accedente verò perfecta advertentia, si voluntas eos velit vel approbet, sunt peccata mortalia, ex *Rom.* 1. Quia mortale est velle perfectè, & approbare quod graviter ex objecto inordinatum est, & dedecet naturam rationalem: hoc enim à Deo graviter prohibitum est.

Resp. 3. Motus indeliberati concupiscentiæ, rationem ac voluntatem prævenientes, licèt graviter inordinati, non sunt peccata imputabilia, nullo accedente voluntatis consensu, etiam interpretativo. Constat, 1. Ex Conc. Trident. sess. 5. cap. 5. docente concupiscentiam non posse nocere non consentientibus; quinimò coronatum iri qui legitimè certaverit. 2. Ex his Baji propositionibus damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita precepto:* Non concupisces, 51. *Concupiscentia sive Lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.* 3. Quia tales motus nullo modo sunt voluntarii, ac liberi, voluntate ac libertate personali requisita ad demeritum personale: non enim possumus pro arbitrio voluntatis nostræ illos non habere.

Nota. Idem dici debet de omnibus pravis cogitationibus, & aliis motibus internis graviter ex objecto malis. Nam si actus illi sint penitus indeliberati, ac involuntarii etiam in causa, & à voluntate improbentur, nullatenus sunt peccata, quia nullatenus sunt voluntarii. Quòd si sint imperfectè deliberati ac voluntarii, sunt peccata venialia ob imperfectionem actus: si verò plenè deliberati sint & approbentur à voluntate, sunt peccata mortalia in materia gravi, quia sunt plenè voluntarii, & graviter mali.

Quæst. II. *An passio seu motus vehemens concupiscentiæ tollit peccatum, vel malitiam ejus minuit?*

Resp. 1. Est peccatum obsequi passioni, etiam antecedenti, hoc est, quam voluntas non excitat seu imperat, quando non tollit usum rationis, nec omnem deliberationem. Constat, 1. Ex Daniel. 13. *Concupiscentia vertit cor.* Et ad Rom. 7. *Passiones peccatum operabantur in membris nostris, ut fructarent morti.* Et, Eccli. 5. *Ne sequaris Concupiscentiam cordis tui. Deus enim vindicans vindicabit.* Hinc illud, Gal. 5. *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* 2. Quia est quid inordinatum, & tunc est liberum, nam voluntas potest ei non obsequi.

Tamen passio illa antecedens minuit malitiam peccati. Ita *S. Thom.* 1. 2. *qu.* 77. *art.* 6. Quia minuit cognitionem ac deliberationem requisitam ad libertatem, ideoque libertatem. Nam facit ut objectum delectabile appareat magis conveniens, & ut intellectus magis consideret rationem boni delectabilis, quàm rationem illiciti, quæ voluntatem à consensu avertere posset.

Sed non ita malitiam minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis, ut quando ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum; quia tunc voluntas potest simpliciter non consentire, & non obsequi passioni, cùm habeat sufficientem ad id deliberationem. Ita *S. Thom. art.* 8.

Si verò talis passio tollat totaliter usum rationis, vel advertentiam omnem impediat, impedit peccatum: quia tunc id, quod ex illa fit, non est liberum, vel voluntarium in se, neque in sua causa. Si tamen motus illi fuerint voluntarii in causa, in qua prævideri potuerint, ut in ebrietate, tunc actus mali ex iis sequentes imputantur ad culpam, cùm sint indirectè & interpretativè voliti.

Resp. 2. Passio consequens, seu liberè excitata, vel voluntaria in prava consuetudine non retractata, non minuit, sed potiùs auget peccatum, quod ex illa fit: quia non minuit, sed auget voluntarium & intensionem affectus. Ita *S. Thom. art.* 6. inde inferens: *Et sic verum est, quod quantò aliquis majori libidine vel Concupiscentia peccat, tantò magis peccat.*

Quæst. III. *Quid & quale est peccatum infirmitatis, & malitiæ?*

Resp. 1. Peccatum ex infirmitate est illud, quod procedit ex passione antecedente, seu quæ non est voluntaria in se, nec in causa, putà in prava consuetudine efficaciter non retractata, nec tamen tollit libertatem. Peccatum ex malitia est illud, quod fit ex pura libertate; sive quod neque ex ignorantia indirectè tantùm volita, neque ex passione antecedente committitur, sed ex mera electione voluntatis; & sic nihil habet quo minuatur ejus malitia. Unde peccatum procedens ex ignorantia affectata, vel ex passione liberè excitata, est etiam peccatum ex malitia,

aut

aut ei æquivalet; cum ejus prima radix sit sola prava voluntas, quæ passionem vel ignorantiam procurat, nec minuit libertatem.

Resp. 2. Peccatum ex infirmitate seu passione ex suo genere gravius est, quàm peccatum ex ignorantia non affectata. Quia talis ignorantia minuit liberum, & voluntarium, at passio antecedens minuit quidem liberum, sed auget voluntarium, nam auget voluntatis intensionem ac conatum. Omnium verò, cæteris paribus, ex suo genere gravissimum est peccatum ex malitia, quia omnium maximè voluntarium & liberum est.

Quæst. IV. *An peccata commissa ex prava consuetudine, quam quis emendare non curat, æquivalent peccatis malitiæ?*

Resp. Affirm. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 78. art. 2. ibi: *Manifestum est quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.* Quia peccans ex habitu, peccat ex majore inclinatione & intensione voluntatis. Nam, ut ait S. Thomas, habitus vertitur in naturam. Nec consuetudo tollit deliberationem saltem citam, quæ sicuti ad rectè agendum, ita ad actu peccandum sufficit, licèt sit imperceptibilis ob facilitatem & promptitudinem agendi; ut patet in homine assueto ad amandum Deum; qui audito ejus nomine statim prorumpit in amorem ex cita deliberatione, ut notat Suarez. Et quamvis peccarèt ex minùs perfecta deliberatione, hoc tamen non minuit ejus malitiam: quia defectus ille est ei voluntarius in causa, nempe in consuetudine non retractata efficaciter, & in negligentia illam tollendi. Quàm stultè igitur aliqui conantur excusare sua peccata, eò quòd ex pravo habitu oriantur, cùm inde augeantur! Unde Conc. Later. III. cap. 7. ait: *tantò graviora sunt crimina, quantò diutius animam infelicem tenuerint.*

Quæst. V. *Ad quid tenetur implicatus consuetudine peccandi mortaliter?*

Resp. Tenetur sub mortali illam efficaciter retractare & emendare. *Est communis sententia.* Quia mala consuetudo est occasio proxima & periculum mortale peccandi, imò & necessitas quædam moralis, in quam homo voluntariè se conjecit: *Dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*, ait S. August. lib. 8. Conf. cap. 5. mala quippe consuetudo vehementer pertrahit ad similes actus malos. At quisque sub mortali tenetur vitare & à se removere occasionem proximam, ac morale periculum peccandi mortaliter, cùm teneatur velle efficaciter vitare peccatum: alioquì censetur velle, saltem interpretativè, peccatum. Imò talis toties actu peccat, quoties ad pravam illam consuetudinem advertens, non proponit efficaciter illam corrigere. Nam tunc voluntariè retinet in se occasionem proximam peccati, & vult saltem interpretativè in morali periculo peccandi immorari, adeoque vult ipsum peccatum. Adde quòd pravus habitus, quem non statim curat evellere, necessitatem moralem peccandi augeat, & pariat cordis duritiam, obstinationem, desperationem, ac demùm impoenitentiam finalem.

Hæc procedunt etiam de consuetudine circa actus quosdam malos externos, verbi gratia, blasphemiam, juramentum falsum, licèt absque advertentia & animo blasphemandi aut jurandi prolata. Nam ex communi sententia, gravis est obligatio etiam ejusmodi consuetudinem tollendi: quia (ut ait Delugo) talia verba, etiam sic prolata, habent gravem turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle neque in se, neque in causa: quippe exteriùs sonant blasphemiam aut juramentum, & eum sensum generant apud audientes. Igitur sicut illicitum est Deum blasphemare, vel adducere in testem falsitatis, aut cum periculo falsitatis, & usurpare verba, quæ exteriùs sonant & significant audientibus blasphemiam vel perjurium: ita illicitum est velle in causa ponere illos actus; & præcipitur destructio causæ illorum, nempe consuetudinis: quæ consuetudo voluntariè permissa, est grave peccatum. Non velle autem efficaciter illam emendare, est velle indirectè & saltem interpretativè actus illos illicitos ex ea ortos. Adde quod ista grave scandalum parere apta sint.

Item motus alii subiti graviter inordinati; qui ex prava consuetudine quasi inadvertenter accidunt, non excusantur à mortali, quamdiu non adhibetur diligentia & conatus ut præcaveantur, & consuetudo corrigatur. Quia si non in se, certe in causa, nempe in mala consuetudine non retractata, vel negligentia, sufficienter noti & voluntarii sunt.

CAPUT VI.

De Peccatis merè internis, quæ scilicet consistunt in solis actibus internis, absque ullo opere & signo externo.

Nota. Actus voluntatis generatim dividitur in prosecutivum, & adversativum. Prosecutivus circa objectum illicitum tri-

triplex est. Primus est volitio efficax objecti, qua voluntas vult adhibere media, quæ sunt in ejus potestate, ad illud objectum assequendum, seu opus volitum exequendum. Secundus est desiderium, sed inefficax. Tertius est simplex delectatio, seu mera complacentia de objecto seu opere apprehenso, absque proposito exequendi, & desiderio assequendi; quæ est simplex quidam voluntatis affectus, quo res apprehensa tamquam jucunda placet, & grata atque accepta habetur.

Quæst. I. *An & quale peccatum est desiderium operis seu objecti mali?*

Resp. Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ, etiam inefficax, illicitum est, utpote prohibitum præcepto, *Non concupisces*, juxta sensum Ecclesiæ; & habet malitiam mortalem vel venialem, ac eamdem speciem, quam habet res vel actio in quam fertur. *Ita omnes.* Constat 1. Ex Prov. 15. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Et Ps. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et, Osee 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Quod indefinitè ac generatim dictum intelligi debet de omni affectu etiam inefficaci, cùm hic etiam tendat in objectum suum. Quia turpe ac inhonestum est velle & desiderare quovis modo aliquid turpe ac illicitum. Item omnis affectus prosecutivus circa aliquid graviter malum, graviter disconvenit naturæ rationali, & Legi divinæ prohibenti tale objectum; sumitque malitiam ac speciem ab objecto malo, ratione cujus opponitur rectæ rationi & Legi: objectum autem voluntatis est id omne, in quod ipsa fertur. Et verò ad mortale non requiritur consensus efficax in opus: alioquin approbans crimen alterius: sine voluntate illud patrandi, non peccaret mortaliter, contra illud, ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Hinc desiderium licèt inefficax occidendi, fornicandi, &c. est peccatum mortale injustitiæ, luxuriæ, &c. Desiderium verò leviter nocendi proximo, est veniale. Nam omnis actus internus sumit malitiam & speciem ab actu externo tamquam objecto.

Quæst. II. *An actus externus auget malitiam actus interni?*

Resp. 1. Actus externus per se non auget bonitatem vel malitiam formalem seu imputabilem volitionis efficacis, qua scilicet fit id omne quod est in potestate voluntaris. *Est communis sententia,* Prob. 1. Ex Genes. c. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, &c.* Et, Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ubi voluntas sola pro facto reputatur. 2. Ex S. August. in Ps. 57. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* Et, lib. 1. de lib. arbitr. cap. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse; non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* 3. Quia actus externus non habet ullam imputabilitatem ad meritum & demeritum sibi propriam, & distinctam ab imputabilitate actus interni: nam non habet libertatem nec rationem voluntarii distinctam à libertate actus interni, à quo imperatur, cùm immediatè procedat à potentia necessaria, & non sit liber, nisi quia imperatur ab actu interno. 4. Quia cùm actus internus efficax est, si actus externus non ponitur, ideo non ponitur, quia deest potestas illum ponendi: ac proindè quod tunc non ponatur actus externus, est omnino involuntarium. At quod est prorsus involuntarium non minuit imputabilitatem sive ad laudem & præmium, sive ad vituperium & pœnam, ut docet S. Thomas, 1. 2. quæst. 20. art. 4. & per se patet.

Nihilominus actus externus plura affert commoda, si bonus est: nam parit ædificationem, & quandoque etiam gratiam confert, ut Sacramentum & martyrium. Si verò malus est, plura affert incommoda: nam parit scandalum, infamiam, obligationem restituendi, & subjicit pœnis humanis ac censuris.

Resp. 2. Actus externus sæpissime auget per accidens, seu occasionaliter bonitatem vel malitiam actus interni, à quo imperatur: quia sæpissime est occasio cur augeatur bonitas aut malitia actus interni, vel multiplicetur actus internus, aut diutiùs duret. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem aut delectationem ortam ex actu externo: vel continuatur diutiùs propter longiorem temporis moram necessariam ad perficiendum opus externum, vel ob utramque causam sæpiùs iteratur. Hinc Sanctus August. lib. 13. de Trin. cap. 5. ait: *Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.*

Quæst. III. *An desiderium conditionatum, seu consensus conditionatus in opus malum, vel delectationem illius, est peccatum, & quale?*

Resp. 1.

Resp. 1. Desiderium conditionatum rei vetitæ, per se loquendo non est mortale, si conditio apposita aufert totam, vel saltem gravem operis malitiam. *Est communis sententia.* Quia talis affectus non est graviter inordinatus, neque secundùm se, neque ex objecto, à quo per conditionem gravis malitia verè excluditur. Non est autem per se peccatum desiderare præcisè objectum, à quo verè sublata est malitia.

Si tamen, ut sæpe fit, inducat periculum probabile consensus absoluti, erit mortale ratione talis periculi. Quia mortale est se exponere periculo probabili peccandi mortaliter: nam est velle interpretativè mortale peccatum. Imò seclusо tali periculo, ejusmodi desideria raiò vacant culpa saltem veniali, ratione inutilitatis, otiositatis, aut alicujus inordinati affectus.

Quòd si conditio non aufert malitiam, tale desiderium vel delectatio in re gravi est culpa mortalis, in levi venialis. Quia talis affectus tendit in objectum malum, & quidem absolutè, cùm apposita conditio non verè tollat malitiam ab objecto, etiam ut repræsentato; & sic malitia objecti in actum voluntatis tota transfunditur. Sive tunc est affectus admittendi malum, vel delectatio de illo, remanente tota objecti malitia.

Conditio autem aufert malitiam mortalem objecti, quando vel reipsa subest, vel possibilis est, & ea posita res seu actio non est ampliùs mala saltem graviter, ut contingit. 1. In iis quæ solo jure positivo vetita sunt. Hinc non peccat mortaliter, qui dicit: Vellem comedere, seu comederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset; vel optarem ne esset hodie prohibitus esus carnium, ut illis vesci possem. 2. In prohibitis quidem jure naturali, sed licitis tamen in aliqua circumstantia, si hæc pro conditione apponatur, v. gr. Si essem judex, hunc homicidam morte mulctarem, &c. Rectè tamen monent ejusmodi desideria esse periculosa & vitanda, atque (ut ait Cajet.) fatuas ac diabolicas tentationes. Et revera sunt plerumque occasio peccati, præsertim in materia periculosa, ut ex multorum lapsu constat, ut si dicas: Vellem uxorem ducere, si non essem Sacerdos.

At malitiam non tollit conditio, quando ea apposita adhuc manet objectum graviter inordinatum, ut si dicas: Vellem fornicari, si non esset infernus: Inimicum occiderem, si non essem Sacerdos. Unde peccas moraliter perinde ac si non poneretur conditio. Item quando conditio per se impossibilis est, ut si ea, quæ intrinsecè mala sunt ponantur non esse vetita; ut si dicas: Vellem furari, ni esset peccatum, vel ni Deus prohiberet: nam est verè consensus in objectum malum, & ut tale cognitum. Imò hoc optare est gravis culpa: nam est velle ut id, quod est per se malum, sit licitum, nec à Deo prohibeatur; ac proinde ut ordo naturæ pervertatur, ac lex æterna immutetur, atque ut natura rationalis non sapienter regatur à Deo: quod desiderium est graviter inordinatum, & pejus est quàm semel furari; nam pejus est furtum licere, quàm semel committi.

Resp. 2. Delectatio appetitus sensitivi de objecto graviter malo, etiam sub conditione, sub qua est licitum, v. gr. delectatio carnalis de culpa cum femina, si esset uxor, est mortalis: quia appetitus sensitivus semper fertur in objectum ut est in se, & omni conditione destitutum: nam imaginatio, cujus apprehensione movetur, quam sola sequitur nullam conditionem apponere potest, nec præscindere malitiam ab objecto. Imò juxta varios, quavis delectatio de objecto intrinsecè malo perinde mala est, posita quacumque conditione, ac foret illa sublata: quia delectatio est affectus complacentiæ de objecto ut præsenti, qui unicè pendet ex delectabili quod in objecto apprehenditur. Ergo si objectum sit malum, delectatio erit mala. Conditio autem quævis apposita nil operatur ad delectationem; nec tollit ejus malitiam, nisi tollat rationem quæ delectat, seu ipsam delectabilitatem.

Quæst. IV. *Quænam prohibentur præcepto isto:* Non concupisces?

Resp. Prohibetur tum quodvis desiderium, & complacentia objecti seu actus mali, & consensus pravis concupiscentiæ motibus; tum etiam desiderium habendi quodvis bonum proximi, sive uxorem, sive servum, sive fundum, &c. juxta Deut. 5. *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt*; ita ut sit mortale, proximi bonum notabile expetere cum ejus damno, vel appetere proprium commodum aut lucrum cum damno gravi proximi: nam hoc graviter repugnat charitati, vetanti ne alteri fieri velis quod tibi non vis fieri. Hinc (ut ait Catechismus Roman.) *Graviter peccant mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt; atque id ægrè ferunt, ut alii præter ipsos sint, qui vendant aut emant: quo cariùs vendere aut vilius*

illis emere possint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipsi lucrentur. Medici item, qui morbos desiderant: judices, advocati, procuratores, scribæ, qui causarum litiumque vim & copiam concupiscunt &c.

Quæst. V. *Quale peccatum est simplex delectatio morosa seu deliberata rei illicitæ?*

Resp. 1. Delectatio morosa seu deliberata admissa, de quolibet objecto vel opere mortaliter malo, est peccatum mortale, etiam secluso omni desiderio, proposito, conatu & periculo illud efficiendi; sumitque speciem & malitiam à tali objecto. Est communis sententia, & constat, 1. Ex Prov. 2. *Qui lætantur, cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum.* Et Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant à Deo.* 2. Ex S. August. lib. 12. de Trin. cap. 12. *Totus homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* 3. Naturæ rationali & legi divinæ disconvenit ac repugnat, quòd voluntas gratum & acceptum habeat id, quod naturæ rationali dissentaneum est, Deo displicet, & ab eo prohibetur. Ergo est peccatum grave vel leve, pro gravitate vel levitate malitiæ objecti. 4. Delectatio deliberata de objecto malo est effectus complacentiæ, & inclinatio appetitus in illud: nemo enim delectatur de eo, quod non amat. At omnis affectus in rem vel actionem mortaliter malam est mortalis: nam graviter naturæ rationali ac Legi divinæ adversatur, & sumit totam objecti malitiam, ex Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Ergo. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 8. *Nullus delectatur*, inquit, *nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus: Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur his, quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale.* Idque verum est, quamvis delectatio fit propter bonum finem: quia finis quantumvis bonus non tollit malitiam objecti.

Hinc mera complacentia de actu seu objecto mortali contra justitiam, v. gr. de furto, vel homicidio à se aut ab alio patrato, est peccatum mortale contra justitiam; est tamen minùs grave, quàm ipse consensus efficax in tale opus, ut docet S. August. loco cit. nam consensus efficax habet longè plus determinationis. Item mortale est contra castitatem, gaudere se amari amore libidinoso ab alio, quamvis non sic redamato. Delectatio verò de actu vel objecto veniali est venialis.

Non est tamen mortale, gaudere præcisè de objecto ex se non malo, sed sola Lege positiva vetito, quatenus non est de se malum, v. gr. de cogitato esu carnium die Veneris, non ut tali die posito aut ponendo. Nam neque objectum istud de se illicitum est, neque ipse actus delectationis merè internæ est prohibitus ab Ecclesia. Hæc tamen delectatio est venialis, quia includit affectum quemdam intemperantiæ, etiam deformiorem quàm si alio tempore contingeret.

Nota. Deliberata tristitia seu displicentia de opere bono est peccatum. Nam opponitur virtuti, cujus est actus; & naturæ rationali ac Legi divinæ disconvenit odisse bonum, & amare malum ei oppositum, gaudere de malo, & dolere de bono ejus contrario.

Resp. 2. Est mortale, gaudere de actu ex se mortali, sed qui à culpa excusatur ratione ignorantiæ invincibilis, vel defectu libertatis, ut de homicidio in somno patrato, de violatione jejunii ex ignorantia, &c. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.* Quia est delectatio voluntaria de objecto graviter illicito, cùm talis actus sit ex objecto mortalis. Nec delectatio excusari potest: nam ideo actus non fuit culpabilis, quia non fuit voluntarius. Sed nunc voluntas liberè eum approbat, & de eo gaudet sine ignorantia; quod graviter disconvenit naturæ rationali ac Legi. Quare hæc regula: *Talis est delectatio, quale ejus objectum*, intelligi debet, quando eadem causa opus excusans reperitur in delectatione.

Resp. 3. Ex communi sententia, delectatio deliberata de solo modo artificioso patrandi malum, qui ex se malum non est, vel de aliqua ejus circumstantia insolita, sed non mala, per se loquendo non est mortalis. Quia, 1. in parabola, Luc. 16. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* 2. Ex sensu communi hominum, qui crimini non vertunt, quòd quis delectetur de modo, quo ebrius tremulè incedit, quo quis ex equo decidit, vel de industria, qua fur subtiliter crumenam emungit, &c. & aliis non malis circumstantiis actuum malorum, qui simul quoad substantiam displicent. 3. Objectum talis delectationis non est malum.

Po-

Potest tamen consensus in ejusmodi delectationem esse culpa venialis, ratione otiositatis, curiositatis, aut similis inordinationis; imò & mortalis ratione scandali, vel periculi consentiendi in delectationem de ipso actu malo. Quòd si circumstantia vel modus esset malus, non liceret de eo delectari.

Quæst. VI. *An liceat gaudere de effectu bono secuto ex peccato?*

Resp. Per se loquendo licet, non tamen prout est à peccato: quia objectum talis gaudii non est malum, nec proinde ipsum gaudium. Sic Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum secuta ex peccato Adami: *ò fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Quæst. VII. *An delectatio de sola cogitatione seu cognitione rei graviter illicitæ est mortalis?*

Resp. Nego. Modò absit periculum consensus in objectum. Quia rei malæ cognitio, quæ est objectum talis delectationis, non est secundùm se mala; & Deus ipse cognoscit omnia mala & obscœna. Imò hæc cognitio sæpe est necessaria vel utilis Confessario aut Doctori. Delectatio autem specificatur à suo objecto directo & immediato. Quare si cognitio seu cogitatio sit vana vel inutilis, delectatio de ea erit venialis. Si vero cognitio sit utilis aut necessaria, delectatio de ea per se non erit culpa. S. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 8.

Hinc licet gaudere de scientia rei obscœnæ ob bonum finem, putà ad fungendum officio confessarii, medici. At cognitio rei obscœnæ ex affectu veniali, putà ex curiositate, etiam absente delectatione & periculo omni, est venialis: mortalis verò, si sit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo gravi, aut referatur ad finem graviter malum.

CAPUT VIII.

De Peccatis capitalibus.

NOta. Peccata capitalia sunt ea, quæ non solùm sunt per se peccata, sed etiam radix & causa impulsiva multorum aliorum peccatorum. Septem numerantur à Theologis post S. Gregorium, nimirùm superbia, avaritia, gula, luxuria, ira, invidia, acedia.

ARTICULUS I.

De Superbia.

Quæst. I. QUid est Superbia, & quale peccatum?

Resp. 1. Superbia est inordinata cupiditas propriæ excellentiæ & celsitudinis. Cupiditatis nomine intelligitur etiam amor, desiderium, complacentia. Ejus actus sunt. 1. Inordinata sui æstimatio, qua quis seipsum æstimat supra id quod est, & afficitur erga seipsum tamquam aliquid excellentius quàm revera sit. 2. Finem suum ultimum in propria excellentia constituere; & virtutem, scientiam, & alia ad excellentiam spectantia non appetere propter Deum saltem ultimatè, nec ad ejus gloriam referre, sed unicè & ultimatè propter suam satisfactionem ac excellentiam. 3. Ab aliis velle magnifieri, honorari, laudari: si non faciant, dolore irasci. 4. Judicio proprio pertinaciter adhærere. 5. Alios & aliena parvi facere, se & sua pluris æstimare, vel velle videri singulariter habere quæ possidentur. 6. Si putes te habere bona quæ non habes, vel majora quàm habeas, aut in eo ponas excellentiam ubi non est, & inde te extollas. 7. Si bona tua æstimes quasi ex te ipso habeas, & non à Deo. 8. Si bona tua accepta quidem à Deo credas, sed ea æstimes tamquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas. Tamen ad superbiam (ut notat Sanctus Thom.) non est necesse, ut quis revera judicet se bona à se ipso habere, aut propriis meritis absque Dei gratia obtinuisse (hoc enim esset hæreticum:) sed satis est quod consideratis bonis suis sine relatione ad Deum, perinde se gerat, & animo se extollat, ac si non à Deo haberet. 9. Nolle se subjicere suis superioribus, quasi id sit indignum. 10. Nolle etiam se Deo ejusque præceptis submittere, id æstimans tamquam contrarium dignitati suæ, & volens suo arbitratu vivere, quasi Deo non indigeat, aut ab eo non dependeat.

Resp. 2. Superbia ex genere suo est peccatum mortale. Nam, ad Rom. 1. *Superbi & elati* numerantur inter eos, qui *digni sunt morte*. Et, Prov. 8. *Deus arrogantiam & superbiam detestatur*. Ratio est, quia superbia adversatur charitati Dei, ejus honori, majestati & excellentiæ. Superbia est etiam radix omnis peccati, ex Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem*. Et S. Aug. l. 2. de peccar. merit. cap. 17. *Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est*.

Hinc superbia perfecta est semper culpa mortalis, ut 1. Quando præ superbia quis subjici renuit Deo, vel superioribus, eorumve præceptis etiam in re minima. 2. Cùm quis bona sua æstimat à se ipso habere, vel esse

esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita. 3. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis quæritur.

Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei & aliorum contemptu, nec subjici superioribus renuens, solùm plus justo se effert, agnoscendo se omnia Deo debere; est venialis; quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati.

Quæst. II. *Quænam sunt superbiæ remedia?*

Resp. Generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjumenta, speciatim verò hæc: 1. Sæpe humilitatem à Deo petere.

2. Sæpe considerare suum nihilum, suam effrænatam ad malum propensionem, suas pravas cupiditates, sua peccata, vitia, defectus, miserias tum corporis, tum animæ, infirmitatem, impotentiam sine Dei gratia actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia sunt instar nihil; omnia quæ habemus esse à Deo; nostra merita esse illius dona: *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. ad Cor. 4. Ex horum consideratione complacentiam sui coercere, seipsum contemnere; & ex sui contemptu humiliationes & quasvis afflictiones, tamquam sibi propter peccata debitas, libenter pro Christo suscipere & sustinere.

3. Meditari superbiæ pœnas, & humilitatis præmia, 1. Petri 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Matth. 23. *Qui se exaltaverit, humiliabitur, & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item & maximè exempla Christi, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem Crucis, & opprobriis satiatus est, quemque imitari debemus: *Frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri forma esset discipuli: & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus*, ait S. Leo Magn. serm. 5. de Nativ.

4. Omnia sua bona ac opera ad Dei gloriam sæpissimè actu referre, & crebrò exercere actus internos ac externos humilitatis, atque opera ac ministeria vilia & abjecta obire, infimum locum eligere, hospitalia visitare, pauperibus & ægrotis ministrare, &c.

Quæst. III. *Quænam sunt filiæ superbiæ, hoc est, vitia quæ à superbia tamquam radice oriuntur?*

Resp. Tres sunt: scilicet præsumptio, ambitio, & vanagloria.

I. *Præsumptio*, & hæc est inordinata cupiditas faciendi aliquid facultatem suam excedens. Mortalis est, 1. Ratione gravis injuriæ Dei, ut cùm Lucifer dicere præsumpsit: *Ascendam, & similis ero Altissimo.* 2. Ratione gravis damni proprii vel alieni, aut periculi talis damni: ut si præsumas exercere sine sufficienti peritia officium medici, advocati, judicis, confessarii, &c. 3. Cùm usurpatur dignitas, vel potestas, vel officium sæculare aut Ecclesiasticum, ut si audias confessiones, aut judices, aut exerceas actum ordinis sine potestate legitima. *De præsumptione opposita spei dicetur infrà.*

II. *Ambitio*, & est inordinata cupiditas honoris, vel dignitatis, aut potentiæ. Est autem inordinata, 1. Si appetas honorem quem non mereris, vel majorem quàm mereris, vel ob rem qua cares: ut si honorari cupias ob doctrinam, nobilitatem, virtutem, &c. qua cares: item si aspires ad officium, munus, quo es indignus. 2. Si appetas honorem propter se, non illum referendo ad Dei gloriam, vel utilitatem proximi. 3. Si appetas honorem ex re illicita, v. gr. duello. 4. Si nimio affectu honorem appetas.

Ambitio sæpe mortalis est, nempe vel ratione materiæ graviter malæ, vel damni gravis, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel medii graviter illiciti quod adhibetur, vel finis mortalis ad quem refertur, vel affectus graviter inordinati, ut si quis paratus sit peccare mortaliter ad honorem vel dignitatem obtinendum aut tuendum.

III. *Vanagloria*, & est inordinata cupiditas humanæ existimationis ac laudis. Proprius ejus actus est ordinata manifestatio propriæ excellentiæ sive veræ, sive fictæ. Est autem inordinata illa cupiditas, dum gloria quæritur ex simulata doctrinæ, peritiæ, aut virtutis excellentia, vel ex rebus malis aut indifferentibus, aut major quàm par sit, aut præcisè propter se, non referendo illam ad honorem Dei.

Vanagloria mortalis est, eodem modo quo dixi de ambitione, ut si quis velit gloriam, vel laudes admittat de re mortali, v. gr. fornicatione, vindicta gravi, &c. si in gloria humana ponatur finis ultimus, omnia ad illam referendo, &c. Sæpe tamen est solùm venialis, quia sæpe non graviter repugnat charitati, nec gravem continet inordinationem.

Cæterùm debitum honorem, gloriam, laudem, favorem hominum, non propter se, sed propter honorem Dei vel bonum proximi, acceptare aut moderatè expetere, non est

est peccatum, sed actus charitatis, ex Sancto Thom. 2. 2. quæst. 132. art. 1.

Quamvis vanagloria sit filia superbiæ, tamen à S. Thoma, post S. Gregorium, numeratur inter peccata capitalia, eo quòd ex ea septem alia immediatè oriantur, nimirum inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & inventio novitatum.

IV. *Inobedientia*, formalis scilicet & specialis, est peccatum, quo violatur præceptum superioris ex contemptu, sive quia præceptum est. Ex sententia communi, semper est mortalis, etiam in re minima: quia tunc contemnitur superior ut superior & minister Dei, ideoque Deus ipse contemnitur, juxta illud, Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit:* & quia tunc quis ita affectus est; ut nullo modo velit obsequi superiori, quidquid præcipiat.

Violatio autem præcepti non ex contemptu, sed ex alio motivo, putà ob delectationem vel utilitatem, aut difficultatem, est ex S. Thom. inobedientia generalis pertinens ad aliam speciem peccati. Estque mortalis vel venialis prout præceptum quod violatur, sub mortali vel veniali obligat: atque etiam prout motivum graviter vel leviter malum est, cum actus participet malitiam finis utpote per eum voliti.

V. *Jactantia*, qua quis verbis inordinate prædicat de se id, quod gloriam ac laudem apud alios parit, vel falsò parere putat, vel gloriatur de peccato. *Quandoque est peccatum veniale, quando scilicet aliquis de se talia jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum*, ait S. Thom. qu. 112. art. 2. Est verò mortalis culpa: 1. Si quis proferat aliquid contra gloriam Dei, ut illud Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum*. 2. Ratione gravis scandali, damni, contumeliæ, vel contemptus proximi. 3. Si fit de actione mortaliter mala: quia includit approbationem actus mali, quæ eamdem cum illo speciem habet: quia sicut laudare opus mortale, v. gr. duellum, ita & de illo gloriari est mortale, opponiturque eidem virtuti opus illud vetanti: nam quævis virtus non solùm obligat ad actum quem directè præcipit, sed etiam indirectè obligat & vetat ne ipsa contemnatur, aut irreverenter tractetur; contemnitur autem virtus, cùm quis gloriatur de ejus violatione, vel cùm ejus violatio laudatur in alio. Hinc glorians de peccato aliquo, vel illud laudans contrahit speciem talis peccati. *Sanchez, & alii.*

VI. *Hypocrisis*, & est simulatio virtutis, hoc est, factum quo quis mentitur se virtutem seu sanctitatem habere, quam non habet, vel majorem quàm habeat. Unde semper est peccatum saltem veniale, cùm sit mendacium facti. Sed mortale est, si habeat conjunctum vel contemptum virtutis, vel damnum proximi grave; item si simuletur sanctitas ob finem graviter repugnantem charitati Dei aut proximi, putà ut quis falsam doctrinam disseminet, ut decipiat proximum in re gravi, vel ut adipiscatur beneficium Ecclesiasticum, aut quodvis officium, etiam sæculare, quo indignus est. Si autem absit contemptus virtutis ac damnum proximi, vel honoris Dei, nec finis intentus repugnet graviter charitati, erit solùm veniale. *Ita S. Thom. quæst. 111. art. 4.*

VII. *Pertinacia*, & est perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam. Mortalis est quando illa veritas ad fidem, vel bonos mores, pietatem, pacem, bonum grave proximi pertinet; nam materia gravis est.

VIII. *Inventio seu præsumptio novitatum*, & est, cùm quis ex inani gloria præsumit nova excogitare. Novitatum inventio vel usus, mortalis est, si fidei, bonis moribus, pudicitiæ adversetur, vel pariat scandalum, aut grave damnum proximo. *His adde contentionem & discordiam, de quibus in Tract. de Charitate.*

Vanæ gloriæ remedia eadem sunt quæ superbiæ, quibus adde actus oppositos vitiis, quæ ab illa oriuntur.

ARTICULUS II.

De Avaritia.

Quæst. I. QUid est Avaritia, & quod peccatum?

Resp. 1. Avaritia est inordinata cupiditas divitiarum, hoc est, pecuniæ, & rerum pecunia æstimabilium, ut sunt agri, domus, pecora, &c. Mortalis est, 1. Cùm in divitiis finis ultimus ponitur, ex Ephes. 5. *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. 2. Cum quis ad divitias acquirendas, augendas vel conservandas adhibet media graviter illicita, & injurias, vel paratus est peccare mortaliter, aut ita peccat, v. gr. injustè alienum accipiendo, retinendo, eleemosynas debitas omittendo, &c. Hinc illud, Eccli. 10. *Avaro nil est scelestius .... Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam*. Est

peccatum capitale, quia est fons & origo multorum aliorum. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas*. 1. ad Tim. 6.

Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superfluè divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, sic avaritia est peccatum veniale, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 4.

Præcipua avaritiæ remedia sunt oratio, meditatio bonorum cœlestium, periculi ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis, &c. crebra & larga eleemosynarum largitio, resignatio in jactura bonorum, &c.

Quæst. II. *Quænam sunt filiæ Avaritiæ?*

Resp. Ex S. Greg. sunt hæ. 1. Obduratio cordis contra misericordiam, miseris & egenis non compatiendo, non opitulando, eos objurgando, debita durè exigendo à debitore, qui non est solvendo &c. Mortalis est quoties ex ea præceptum eleemosynæ vel charitatis graviter violatur.

2. Inquietudo cordis, quæ est inordinata & anxia applicatio mentis ad acquirendas vel conservandas divitias, cum inani timore ne non acquirantur, aut ne amittantur. Mortalis est, quando retrahit à spiritualibus vel aliis officiis, ad quæ graviter obligamur; vel cùm quis divinæ providentiæ diffidit.

3. Violentia, qua res aliena per vim in justam usurpatur. Mortalis est ex genere suo contra justitiam.

4. Fallacia sive dolus, qui est alterius deceptio sive verbis sive factis; & Fraus quæ est astuta deceptio proximi per sola facta. Utraque est ex genere suo mortalis contra justitiam, & sæpe confunditur.

5. Perfidia, qua fides in promissis, pactis, & rebus creditis violatur. Mortalis est in re gravi contra justitiam.

6. Proditio, quæ est manifestatio rei alicujus, vel personæ, in proximi damnum contra fidem ei debitam. Mortalis est ex genere suo contra charitatem & justitiam; & contingit tripliciter. 1. Circa personam; quo modo Judas Christum prodidit. Circa res, ut si miles declaret hosti modum capiendi arcem; vel si alterius vestem, pecuniam, &c. absconditam prædoni ostendas. 3. Prodendo alterius secretum tuæ fidei commissum.

ARTICULUS III.

De Gula.

Quæst. I. QUid est Gula, & quale peccatum?

Resp. 1. Gula est inordinatus appetitus vel usus cibi aut potus. Unde opponitur abstinentiæ, & sobrietati. Sumitur aliquando strictiùs prout continet inordinationem solùm in cibo & potu non ebriante. Ex S. Gregorio, committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita, id est, pretiosiora quàm conveniat tuo statui vel necessitati. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisitè præparata; juxta hunc versum.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Quod spectat ad qualitatem cibi & potus, hæc debet esse accommodata statui, conditioni, facultati, infirmitati, necessitati personarum, & loco ac tempori.

De quantitate autem cibi & potus non potest dari una certa regula omnibus secundùm eamdem mensuram. Sed plus & minùs exigitur secundùm varietatem complexionum & fatigationum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore quàm alio, secundùm dispositionem sui corporis ...... Tantum ergo potest, & debet quis comedere & bibere, quantùm credit se indigere ad sustentationem & executionem eorum, quæ sibi incumbit agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cùm autem ex delectatione cibi vel potus plus sumit, quam sibi dictat conscientia opportunum, tunc peccat, ait S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 1. §. 5. Peccat inquam, etiamsi vilissimi sint cibi & potus, ut paulo ante notat post S. Augustinum, qui, l. 10. Confess. cap. 31. ait: *Hoc me docuisti, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.*

Resp. 2. Peccatum gulæ mortale est in multis casibus: unde, ad Gal. 5. comessationes inter opera excludentia à regno Dei numerantur. Et 1. quidem, ratione affectus graviter inordinati, quo quis ita inhæret oblectationibus cibi vel potus, ut in iis finem suum ultimum constituat, juxta illud ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*: Idque quamvis solùm interpretativè, ut cùm quis ex affectu gulæ paratus est peccare mortaliter: nam hoc ipso quòd mortaliter peccat, Deum propter voluptatem deserit, hancque illi

illi suo facto præfert. Item cùm quis nil quærit aliud, quàm edendi & bibendi voluptatem, ad id cogitationes ac curas ferè omnes referendo: nam is vitæ finem in delectatione cibi vel potus ponit. (a) 2. Si quis bibat ad ebrietatem. 3. Si quis ob solam voluptatem cibo & potu usque ad vomitum scienter se ingurgitat: nam hoc, etiam seclusis scandalo & ebrietate, continet gravem inordinationem, ac periculum lædendi sanitatem, & graviter reprehenditur ab Isaia, cap. 28. *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque*. Idem dic, si quis postquam multùm comedit, ad vomitum se excitet, ut iterum ob solam voluptatem edat; nam hoc graviter dedecet naturam rationalem, præsertim elevatam, estque plus quàm bestiale. 4. Ratione gravis nocumenti, quod quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, aut creditoribus infert; sanitatem corporis graviter lædendo, se reddendo impotentem ad solvenda debita, filios vel filias in statu convenienti non collocando, item non opitulando gravem necessitatem patienti; aut si inde notabiliter ineptus fiat ad functiones aliquas, ad quas sub mortali tenetur, &c. 5. Si quis saltem extra necessitatem extremam, carne humana aut sanguine vescatur. *Ita communiter*. Nam hoc est contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem ac instinctum rectum naturæ: unde ab hoc tamquam à re valde inordinata & extremæ feritatis abhorruere Gentes omnes non penitùs barbaræ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc sic alterata est, ut diei nequeat carnis humanæ sumptio. 6. Ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter.

Extra hos casus peccatum gulæ est solùm veniale. *S. Thom. 2. 2. quæst. 148. art. 2.*

Quæst. II. *Quænam sunt gulæ remedia?*

Resp. Hæ 1. Considerare gulæ incommoda ac damna: nempe intellectum obnubilat, mentem deprimit, bona desideria extinguit, aggravat animam, reddit hominem ineptum ad sua officia, & exercitia spiritualia; impedimenta apponit gratiæ divinæ & gaudiis spiritualibus, vitam minuit, & morbos & multa peccata parit; aditum vitiis aperit, & intercludit virtutibus. Item cogitare quàm cito transeat cibi & potus delectatio, gravia autem mala ex gula orta maneant.

2. Vitare occasiones.

3. Sectari in omnibus temperantiam, nil ultra necessitatem convenientem edendo & bibendo.

4. Semper sibi in mensa subtrahere aliquid modicum, quod adhuc licitè sumi posset, & præsertim quod magis arridet palato.

Quæst. III. *Quid est ebrietas, & quale peccatum?*

Resp. Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque potestatis proximæ. Est peccatum mortale, ut inter omnes constat. 1. Ex Isa. 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam*. Et 1. ad Corinth. 6. *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*: Vox græca significat ebrios. Et, ad Galat. 5. ebrietas recensetur inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei. 2. Ex consensu Patrum & Doctorum. Pro omnibus sint, S. Basil. hom. 14. *Ebrietas dæmon est voluntarius.... Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica*, S. Ambros. lib. de Helia, cap. 14. *Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, mentis etiam crimen adjungit*. S. Hieron. epist. 83. *Qui inebriatur & mortuus & sepultus est*. 3. Quia est gravis inordinatio, est difformitas violenter adimere sibi potestatem proximam utendi ratione, exercendi opera virtutum, obeundi sua munera, vitandi malum, faciendi bonum; & subveniendi necessitatibus subitis animæ ac corporis; atque ita se ad brutorum stoliditatem abjicere, & imaginem Dei deturpare. Ebrietate autem hæc potestas sic amittitur.

Quare non licet se inebriare, sive ad vitandam mortem ab altero intentatam: nam (ut ait S. Augustin. serm. 232. vel S. Cæsarius) *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem occideretur*. Ebrietas quippe, sicuti fornicatio, non est medium ex se ordinatum ad vitandam mortem. Sive in medicamentum; quod tamen rarò & ferè numquam esse potest, cùm, teste Hypocrate, ebrietas sit valde periculosa corporis sanitati. Ita S. Antonin. part. 2. tit. 6. cap. 3. ibi: *Non excusaretur per hoc quis ab ebrietate secundùm Thomam, quamvis faceret causa medicinæ: & per consequens peccat mortaliter & sumens, nisi crederet ex illo potu non posse inebriari, & medicus, vel alius qui hoc sibi scienter consuleret, & propinaret hoc existimans*. Nam ebrietas quovis modo intentata ac procurata, semper graviter disconvenit

(a) Huc spectat propositio 8. ex damnatis ab Inn. XI. *Comedere & bibere usque ad saturitatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*.

nit naturæ rationali quà rationali, cùm violenter rationem perturbet, adimat potestatem ea utendi, & subveniendi necessitati animæ ac corporis, Dei imaginem fœdet, atque hominem ad statum bruti redigat.

Nec dic ebrietatem consistere tantùm in excessu vini, voluptatis causa. Nam quamvis voluptas in nimio potu non intendatur, tamen effectus recensiti semper sequuntur, & temperantia violatur; cùm immoderata potus vel cibi sumptio, præciso hoc vel illo fine, ei opponatur: neque enim ad violandam aliquam virtutem necesse est agere ex voluptate. Enimvero si duo, proposito præmio, inter se contenderent uter illorum plus vini biberet, & usque ad privationem rationis biberent absque voluptate, imò cum molestia, saltem quantùm ad excessum; nonne contra temperantiam peccarent, & ebrietatis malitiam contraherent? Et ideo SS. Patres excessum vini sine ulla exceptione semper damnant.

Ut autem ebrietas sit mortalis, sufficit quòd sit voluntaria indirectè vel interpretativè. Quare peccat mortaliter. 1. Qui expressè non vult se inebriare, sed tamen tantum bibit, quantùm potest, non satis attendens an sequatur privatio rationis, necne. 2. Qui probabiliter putans, vel suspicans secuturam privationem talionis si pergat bibere, vel de hoc dubitans, adhuc bibit: quia saltem se exponit periculo ebrietatis, & vult ebrietatem saltem interpretativè. Item si hoc periculum advertere possit, & negligat etiamsi privatio rationis solùm eventura sit post unam alteramve horam; cùm nempe ad aerem prodibit. 3. Qui ex amicitia vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabiliter prævidet inebriandum; quia invitat ad id quod alter sine mortali facere nequit; & eum vere inducit in ebrietatem, vel ejus periculum. Idem dic de iis, qui alios ad æquales haustus incitant vel cogunt, aut se invicem obligant, ex cap. 14. *de vita & honestate clericor.* ex Concilio generali Later. Nam saltem alios vel se conjiciunt in periculum probabile ebrietatis. Similiter de iis, qui ebriosis, vel ebrietati proximis vinum subministrant, & de iis, qui nòn impediunt ne alius inebrietur, cum commode impedire possunt.

Nota. 1. Ebrietas sic est peccatum grave respectu omnium, ut sit gravius in quibusdam personis, scilicet. 1. Mulieribus, ob turpitudinis & luxuriæ periculum tum in se, tum in aliis. 2. In iis, qui debent ex officio alios regere, ut sunt paterfamilias, magistratus, &c. 3. In Clericis præsertim sacro ordine insignitis, & maximè curatis, tum propter scandalum majus, tum quia ebrietas est libidinis fomes ac nutrix; tum propter damna quæ aliis oriri possunt, cùm Sacerdos ebrius fungi nequeat officio in necessitate occurrente: unde à multis Conciliis sub gravibus pœnis ebrietas illi speciatim prohibita est.

Nota. 2. Ebrietas perfecta cognoscitur. 1. Quando quis non novit discernere inter licitum & illicitum, vel non potest solita officia exequi. 2. Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit, quomodo domum redierit, &c. 3. Si ea fecit quæ nunquam integra mente solet: ut si turpia vel absurda protulerit, cùm aliàs sit pudicus & prudens; si jurarit, blasphemarit, vel familiam perturbarit, cùm alias sit modestus, & benignus, &c.

Quæst. IV. *An mala & peccata in ebrietate culpabili commissa imputantur ad culpam, ut cades, vulnera, blasphemia, &c.*

Resp. Affirmat. si prævisa sint ut verisimiliter secutura, vel prævideri potuerint. *Est communis sententia*. Quia sunt sufficienter voluntaria: qui enim vult causam, vult consequenter effectum saltem interpretativè, si hunc cognoscat vel cognoscere possit probabiliter ex ea secuturum: ad culpam autem mortalem sufficit voluntarium indirectum & interpretativum. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 77. art. 7. ibi. *Aliquid potest esse voluntarium vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam & non in effectum, ut patet in eo qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur quod per ebrietatem committit.*

Imò peccata, quæ probabiliter secutura novit ebrius, vel prævidere potuit, ei imputantur coram Deo, etiam si reipsa post non sequantur: quia istud est per accidens defectu objecti; & quia se exponere periculo probabili peccati mortalis, etiamsi illud non perficiatur, est peccatum mortale ejusdem speciei cum illo, cujus probabile periculum adire voluit: nam hoc ipso tale peccatum indirectè, vel saltem interpretativè, volitum est. Secùs de peccatis, quæ nullo modo prævideri potuerunt, quia nullo modo sunt voluntaria.

Quæst. V. *Quænam sunt filiæ Gulæ?*

Resp. Ex S. Gregorio hæ sunt ex parte animæ. 1. Hebetudo mentis, seu stupiditas orta ex crapula, est mortalis, quando quis

ex

ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda vel præstanda ea, quæ ad salutem ei sunt necessaria, aut ad quæ graviter obligatur. *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa, &c.* Luc. 21.

2. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obscœnas, actus turpes, choreas inhonestas, &c. Mortalis est, quando est inductiva ad consensum, vel actum, vel delectationem mortalem, aut ad aliquid scandalum pariens.

3. Multiloquium, in quo invenietur stultitia, nec deerit peccatum. *In multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10.

4. Scurrilitas, quæ excitat ad indecora, vel turpia agenda aut dicenda, risus movendi causa.

ARTICULUS IV.

De Luxuria.

Quæst. I. *Quid est Luxuria?*

Resp. 1. Est inordinatus appetitus vel usus venereorum, aut voluptatis venereæ. Esse peccatum mortale ex genere suo, inter omnes constat., 1. Ex Galat. 5. *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria ...... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* 2. Quia cum usus rei venereæ ex natura sua sit institutus ac necessarius ad conservationem ac propagationem generis humani, censetur res gravis: Ergo inordinatio in hac materia est in re gravi: Ergo mortalis.

Luxuria dividitur in perfectam seu consummatam, quæ consistit in voluntaria effusione seminis; & in non consummatam, in qua non intervenit effusio seminis. Consummata duplex est: alia naturalis, quæ est voluntaria seminis effusio, in qua servantur conditiones, quas postulat natura actus ad hominis generationem requisiti: alia innaturalis seu contra naturam, in qua conditiones illæ non servantur.

Quæst. II. *Quot sunt species luxuriæ consummatæ naturalis?*

Resp. Sex, nempe simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, & sacrilegium, quorum quinque ultimæ habent specialem & notabiliter diversam inter se difformitatem superadditam luxuriæ.

1. Simplex fornicatio est copula soluti cum soluta non virgine ex mutuo consensu extra matrimonium. Solutos voco, qui nullo vinculo seu impedimento ab ineundo inter se conjugio prohibentur. Dixi, *non virgine.* Nam ex S. Thom. quæst. 154. art. 6. *fornicatio est concubitus, qui fit cum mulieribus jam corruptis.* Fornicationem esse semper per se peccatum mortale, fide constat ex ad Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi & Dei:* Et, ex 1. ad Corinth. 6. *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* Et, ad Galat. 5. suprà citat. Esse verò intrinsecè malam graviter, patet ex eo quòd per se graviter repugnet bonæ ac debitæ educationi prolis, hæc enim requirit operam viri & fœminæ, qui sint inter se conjuncti Lege matrimonii: alioqui ex natura rei incerta esset & periculo exposita prolis institutio. Unde ejusmodi inordinatio est gravis, utpote in re magni momenti, qualis est bona prolis institutio. Et quamvis hoc incommodum posset impediri in aliquo casu, id esset per accidens, & nihilominùs debuit à Deo, authore naturæ generaliter prohiberi pro omni casu: nam alioqui homines cupiditate excœcati facile sibi fingerent & promitterent illud incommodum cessaturum in multis casibus, in quibus non cessaret, cum magno prolis damno. Imò numquam potest cessare hoc damnum & incommodum, quod est nasci extra matrimonium, & à parentibus Lege matrimonii non obligatis ad curandam & rectè educandam prolem. Unde Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Tam clarum videtur, Fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Cæterùm fornicatio cum concubina est cæteris gravior: quia concubinatu homo non solùm peccat, sed etiam manet in statu peccati, & in continua voluntate saltem virtuali peccandi. Quare concubinarius, quamvis mors immineat, absolvi non debet quin prius concubinam ejecerit, nisi ejiciendi tempus omninò desit, tunc enim sufficit verum ejiciendi propositum. Imò etiamsi eam domi non retineat, extra mortis articulum non est absolvendus antequam habeatur experientia de ejus continentia.

Item fornicatio fidelis cum infideli, est, secundùm omnes, longè gravior, quàm cum catholica. Imò juxta Delugo, & alios, hæc circumstantia mutat speciem, quia prohibitum est ab Ecclesia matrimonium cum infideli in honorem religionis catholicæ: atque ob periculum malæ educationis prolis, & nimii

amoris erga infidelem, & defectionis à vera fide, ita ob idem motivum censetur prohibita ab Ecclesia quævis copula cum infideli, quæ semper vergit in dedecus religionis, ac proinde talis fornicatio est non solùm contra castitatem, sed etiam contra virtutem religionis, ac cultus veri Dei.

Item fornicatio in Christianis habet peculiarem deformitatem. Nam corpora nostra per Baptismum & Eucharistiam facta sunt membra Christi, & templa Spiritus Sancti. 1. *ad Cor. 6.*

Copula verò cum alterius sponsa præter luxuriam, continet malitiam mortalem injustitiæ, positam in eo quod fides data violetur, & res alteri promissa & ex justitia debita, notabiliter corrumpatur. Quod idem de sponso affirmant multi, quia pariter violat in re gravi fidem datam.

2. Stuprum est concubitus, quo mulier virgo extra matrimonium defloratur, seu corrumpitur. Qui si fiat virgine coacta, vel per dolum seu fraudem seducta, præter malitiam fornicationis continet duplicem injuriam mortalem, unam factam virgini, cui honor virginitatis per vim vel fraudem adimitur; alteram ejus patri, in cujus custodia manet.

Quòd si nec invita, nec seducta fuerit, tamen ejus defloratio, præter fornicationis malitiam, continet tum injuriam illatam parentibus, qui jus habent tuendi integritatem corporalem suæ virginis, donec nuptui collocetur; juxta illud, Eccli. 7. *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum:* Tum malitiam contra pietatem illis debitam, præbendo iis gravissimam mœstitiæ ac ignominiæ causam, & ob periculum augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam. Item constituit fœminam in gravi periculo deinceps peccandi, & aufert signaculum virginitatis: cui multiplici malitiæ cooperatur stuprator. Quare circumstantia defloratæ virginitatis fœminæ, etiam absque vi, dolo, falsis persuasionibus, debet in confessione exprimi, præsertim cum sit verum stuprum, ex S. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 6.

Porrò est etiam stupri species cùm adolescens virgo à muliere vi vel dolo ad copulam pertrahitur. Nam tunc est illicita ac violenta virginis defloratio.

3. Raptus est cùm persona aliqua per vim abducitur ab uno loco in alium, concubitus illiciti vel alterius libidinis, aut etiam matrimonii causa, sive sit mas, sive fœmina, nupta aut innupta, virgo aut corrupta: sive vis inferatur soli personæ abductæ, sive parentibus solis, sive utrisque. Unde duplicem continet malitiam mortalem, unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam illatam personæ abductæ invitæ, vel saltem ejus parentibus aut tutoribus, dum constituta sub ipsorum custodia extrahitur ipsis rationabiliter invitis. Gravissimæ pœnæ in utroque jure contra raptores statuuntur.

4. Adulterium est concubitus personarum, quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia. Præter malitiam luxuriæ mortalem, continet gravem injuriam, tum contra conjugem, nam vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; nec uxor sui, sed vir, ex 1. *ad Cor. 7.* tum contra matrimonii statum & sanctitatem. Unde specialiter prohibetur à Deo, *non mœchaberis*. Et 1. Cor. 6. *neque idolis servientes, neque adulteri Regnum Dei possidebunt.*

Quòd si conjux adulterantis consentiat, adhuc concubitus erit contra justitiam. Quia est semper contra jus conjugii, & conjugis ut conjux est, cui cedere validè non potest, eò quòd ei competat non ad bonum privatum, sed ratione status, qui communis est. Unde cum cessio juris sit nulla, jus manet, & sic tunc violatur: ideòque semper est verum adulterium. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Triplex est adulterium. Nam vel est copula conjugati cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Si fœmina sit conjugata, gravius est peccatum, quàm si vir tantùm, propter incommoda graviora, nempe incertitudinem prolis, suppositionem prolis alienæ cum damno mariti & veri hæredis, & sæpe impedimentum generationis. Unde hæc circumstantia declarari debet, etiam ab adultero, quia ipse cooperatur fœminæ ad illam gravitatem majorem, & ad pericula ac damna inde sequi nata. Si verò uterque sit conjugatus, adhuc gravius est, quia est duplex adulterium, & duæ injuriæ mortales in utriusque conjugem, exprimendæ in confessione.

5. Incestus est copula personarum consanguinearum, vel affinium intra gradum prohibitum. Opponitur castitati, & pietati; nam præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis vel affinibus debitæ. Eò gravius scelus est, quò gradus est propinquior, qui proinde in confessione exprimi debet: nam consanguineis & affinibus pro diversitate graduum

duum diversus honor ac pietas debetur, & tunc violatur.

Item multò gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine v. gr. cum sorore propria, quàm cum sorore uxoris. Quia vinculum illud est multò arctius: nam plus est esse conjunctum ex proprio sanguine, quàm ratione sanguinis uxoris; consanguinitatis propinquitas, utpote immediata ac naturalis, major est propinquitate affinitatis, quæ est duntaxat mediata & voluntaria. Imò incestus in consanguinitate differt specie ab incestu in affinitate: nam reverentia debita consanguineis, quæ violatur, est notabiliter diversa à reverentia debita affinibus, cum habeat motivum notabiliter diversum, nempe communionem sanguinis & originem ab eodem stipite: ac proinde hi duo incestus habent turpitudinem notabiliter diversam.

Incestus verò spiritualis, qui est copula illicita inter personas impeditas ob cognationem spiritualem ortam ex Baptismo vel Confirmatione, continet tum malitiam propriam incestus, quatenus est copula inter personas vinculo spiritali conjunctas, cujus conjunctionis intuitu Ecclesia prohibuit inter illas matrimonia: tum malitiam sacrilegii, eo quòd prohibitio ista facta sit propter reverentiam debitam Sacramento, quæ reverentia violatur per talem copulam. Unde debet explicari cognatio spiritualis in specie, ut innotescat utraque malitia. *Ita De luge, Sanchez &c.*

6. Sacrilegium venereum est violatio rei sacræ per actum luxuriæ. Unde duplicem continet malitiam mortalem, unam contra castitatem, & alteram contra religionem, qua gravis irreverentia Deo irrogatur. Res autem sacræ, quæ sic violari solent, sunt persona voto castitatis etiam simplici obstricta, & locus sacer.

Quare sacrilegium est, 1. Omnis actus tum externus, tum etiam merè internus luxuriæ sive consummatæ, sive non consummatæ, à persona voto castitatis obstricta, vel ab alia cum illa aut circa illam commissus: ut sunt pollutio, copula, oscula, tactus, desideria, delectatio morosa, &c. Nam per tales actus violatur sanctitas personæ, quæ per votum castitatis corpus suum, & affectus suos omnes quoad voluptatem veneream Deo consecravit. Quòd si utraque persona sit sacra, erit duplex sacrilegium.

2. Omnis actus venereus illicitus exterior, etsi occultus, ut fornicatio, pollutio, & tactus impudici in loco sacro, nempe in Ecclesia vel cœmeterio. Nam sunt contra reverentiam loci sacri, & ejus intuitu ab Ecclesia prohibentur. Item copula conjugalis etiam occulta; quam non permittit sanctitas loci, & quæ in ejus reverentiam ab Ecclesia prohibetur.

Porrò tantò gravius est sacrilegium, quantò fœdior est luxuria: quia tantò magis repugnat reverentiæ debitæ rebus sacris.

Nota. Peccatum luxuriæ confessarii cum Pœnitente, continet malitiam duplicis sacrilegii, tum contra votum castitatis, tum contra reverentiam Sacramenti, quod per hoc redditur odiosum ac suspectum, maximè si sumitur ut medium ad peccandum. Imò licèt tale peccatum non sit propriè incestus, quia non contrahitur cognatio spiritualis, nisi ex Baptismo & Confirmatione, cap. 3. *de cognat. spirit. in 6.* tamen habet etiam malitiam tanquam incestus spiritualis: nam est incestus quidam similitudinarius, ex cap. *Non debet* 30. quæst. 1. ubi Cœlestinus Papa ait: *Non debet Episcopus, aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata. Si forte (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali, Episcopus quindecim annos, presbyter duodecim, &c. & deponatur, si tamen in conscientiam populi devenerit.* Et ex cap. *Omnes*, eod. *Quia per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter sacerdotem & mulierem confitentem, simile cognationi spirituali, ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset suæ spiritualis filia*, ait S. Thom. in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 2. ad 8. Hinc circumstantia hæc in confessione exprimi debet. *Sanchez, Deluge, &c.*

Quæst. III. *Quænam sunt species luxuriæ consummatæ contra naturam?*

Resp. Cum hæc peccata sint ea, in quibus non servantur conditiones, quas postulat natura actus venerei, ut ex eo possit fieri conceptio hominis, & hæ conditiones quinque sint, scilicet conjunctio duorum, eadem in utroque species, sexus diversus, organa seu vasa apta, & debitus modus, ideò sunt quinque ejusmodi peccata.

1. Mollities, seu pollutio propriè sumpta, quæ est voluntaria seminis effusio sine ullo concubitu: sive illud foras effundatur, ut in maribus, sive intus diffluat in matricem, ut in fœminis.

2. Inordinatus concumbendi modus, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum infertur, est peccatum mortale, cùm repugnet generationi, ad quam semen

ex natura sua ordinatum est; & quidem gravius pollutione, cùm ei superaddat inordinatum congressum. Quòd si modus debitus non servetur, sed vir succumbat: vel aversè accedat more pecorum, vel à latere stet aut sedeat, tunc modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas juxta communem sententiam, non est peccatum per se mortale; sed veniale grave, nec contra naturam, sed præter naturam. Dico, *per se*, quia potest esse, & est plerumque signum concupiscentiæ mortalis, cum sit ex sola libidine sine causa, ut dicit S. Thom. Sed nullum erit peccatum, si hoc fiat ex necessitate, cùm scilicet ob dispositionem alterutrius corporis conjuges non possunt servare modum ordinarium: nam tunc alter modus non est incongruus respectu illorum: sed conveniens, modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas.

3. Sodomia imperfecta, quæ est commixtio maris cum fœmina non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus.

4. Sodomia perfecta, quæ est commixtio duorum ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Nec refert in quo vase coeant masculi inter se, & fœminæ, sive in vase anteriori aut posteriori, sive in ore, aut quavis alia parte; cum Sodomiæ perfectæ malitia consistat in affectu ad sexum indebitum, & sit completa eo modo quo potest, dum est applicatio membri ad membrum ejusdem sexus. Præter malitiam mortalem graviorem pollutione, potest habere alias adjunctas, ut adulterii si fiat à persona conjugata vel cum illa, sacrilegii si cum sacra; incestus si cum consanguinea aut affini, &c. Debet autem pœnitens explicare in confessione an fuerit agens, vel patiens, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ fortè non intervenit ex parte patientis (quamvis plerumque interveniat utrimque; & cùm sic intervenisse noscitur, exprimi debet.) Nam diversa sunt peccata voluntariè pollui, & solùm cooperari pollutioni alterius: aliud enim est nòn cohibere delectationem propriam illicitam, aliud procurare alienam. *Delugo*.

Hæc sodomia est diversæ speciei ab imperfecta. Nam non servare in copula carnali debitum sexum, est deformitas contra rectam rationem, notabiliter diversa à deformitate, quæ inest congressui, quo non servatur debitum instrumentum seu vas, servato debito sexu.

5. Bestialitas, quæ est coitus cum bestia sive ejusdem, sive diversi sexus, est scelus cæteris gravius: nam magis dedecet naturam rationalem ad Dei imaginem factam; & diversitas speciei magis repugnat instituto naturæ. Ad hoc revocatur congressus cum dæmone in forma hominis vel bruti, qui præter malitiam luxuriæ contra naturam, est etiam contra virtutem religionis, propter commercium & societatem cum capitali hoste Dei.

Porro hæc omnia peccata inter se specie differunt; nam singula habent specialem & notabiliter diversam deformitatem castitati repugnantem. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: ***Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem***. Sunt etiam graviora aliis speciebus luxuriæ naturalis in ratione luxuriæ: nam per se magis sunt contra naturam & finem generationis. Aliquæ tamen ex his speciebus possunt esse graviores culpæ ex alia parte, ut scilicet involvunt malitiam alterius speciei contra justitiam, pietatem, religionem: nam simplex pollutio non est absolute majus crimen quàm concubitus cum matre, vel cum moniali.

Quæst. IV. ***An pollutio voluntaria est per se semper peccatum mortale?***

Resp. Affirmat. *Ita omnes*. Constat. 1. Ex 1. ad Corinth. 6. ***Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt***. Et, ad Ephes. 5. ***omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei***. Pollutio autem est vera immunditia ac impuritas, & quidem specialis. 2. Quia est intrinsecè mala, & crimen simplici fornicatione gravius. Nam graviter repugnat generationi & propagationi generis humani, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum: ideòque gravem continet inordinationem, quam Scriptura indicat, Genes. 38. ubi de Onam fundente semen in terra, ait: ***Et idcirco percussit eum Dominus; quod rem detestabilem faceret***. 3. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: ***Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali***.

Quare, secundùm communem Doctorum sententiam, nullo casu, etsi non voluptatis, sed solius mortis vitandæ causa, licet in se vel in alio quovis modo, pollutionem voluntariè procurare, admittere vel intendere, aut aliquid sumere ea intentione ut etiam in somno accidat. Nam ipse actus pollutionis indepen-

den-

denter à delectatione, secundùm se graviter repugnat generationi, quæ sola est finis seminis humani. Et ideo neque licet præbere, aut sumere medicamentum ad corrumpendum semen, illudque emittendum via ordinaria sine delectatione.

Porrò de distillatione, quæ est fluxus humoris quasi medii inter urinam & semen, idem sentiendum est, quod de pollutione, si fiat cum sensu delectationis venereæ. Cum autem fit sine ulla commotione spirituum genitalium, & absque omni carnali delectatione, de ea non est magis curandum, quàm de sudore, inquit Cajetanus.

Obj. Licet corporis sui partes abscindere ad vitæ suæ conservationem. Ergo, &c. *Resp.* Dispatitas est, quòd partes corporis per se & primariò ordinentur ad totum constituendum; unde de illis disponere licet ad totius conservationem. At semen solùm institutum est & ordinatum ad speciei propagationem: ideòque eo uti non licet, nisi modo ad speciei propagationem convenientem idoneo, & intra matrimonium. Addit Sanchez, quòd si ullo casu liceret seminis effusionem procurare extra actum conjugii, periculum esset ne ob vehementem voluptatem, quæ in ea sentitur, homines passione excœcati & illecti, eam licentiam facilè extenderent ad plures alios casus, in detrimentum speciei humanæ, & sæpissimè illum casum adesse sibi falsò persuaderent. Nam si simul voluptate frui, & onera educandæ prolis vitare liceret, impediretur propagatio generis humani. Unde ad commune bonum, & ad occurrendum periculis aliàs futuris, debuit pollutio jure naturali prohiberi in omni casu. At cùm abscissio membri sit de se molesta, periculum non est, ne extendatur ultra casus à natura concessos.

Dixi, *voluntaria*. Quia si pollutio non sit voluntaria nec in se nec in causa, ut sæpè fit in somno, vel quando ex causis naturalibus licitis oritur, non est peccatum, secluso consensu in delectationem. Nam omne peccatum imputabile est essentialiter voluntarium, vel directè, vel indirectè, aut interpretativè, in se vel in alio.

Pollutio tamen in somno facta mortalis est, si ante directè procurata est, vel si post somnum in ipsa evigilatione, cum plena advertentia placuit ob delectationem veneream. Aliàs non est peccatum, nisi indirectè procurata fuerit in excessu cibi vel potus, quia nemo potest peccare in somno, defectu libertatis. Ita *S. Thom. in* 4. *dist.* 9. *art.* 4. Quod si (ut multi docent) liceat evigilanti non impedire, sed permittere absolvi pollutionem jam in somno cœptam ad vitandum morbum, (modò absit periculum consentiendi in delectationem veneream, ad quod opus est oratione,) quia inquiunt, est præcisè pati ex necessitate effusionem seminis, non autem illam procurare; tunc saltem est obligatio reprimendi delectationem per positivam displicentiam internam; nam non licet se habere indifferenter ad illam. Certò autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in somno cœptam, addendo conatum, quia non præcisè patitur, sed positivè continuat illam. Imò dum pollutio naturaliter fluere sentitur, quovis tempore tenemur eam cohibere, alioqui displicentia interna, quam tenemur de venerea delectatione elicere, non est efficax.

Nota. Sæpe pollutio, præter propriam malitiam, habet aliam in confessione exprimendam, petitam, vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra vel conjugata: vel ex affectu ad aliam cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, malitiam habet fornicationis; si sacra, sacrilegii; si ejusdem sexus, sodomiæ; si conjugata, adulterii, &c. vel ex modo quo se polluit, si nempe fiat per tactus mutuos cum illa persona; nam hæc circumstantia pertinet ad speciem sodomiæ, si ambo sint ejusdem sexus, ad incestum si sint consanguinei aut affines, &c. idem dic de aliis luxuriæ peccatis.

Sed an liceat desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura levetur seu sanetur, non intendendo pollutionem ipsam nec delectationem veneream: nec aliquid adhibendo ut pollutio in somno sequatur?

Resp. Azot cum aliis negat: quia pollutio est mala ex objecto suo & natura: at non licet etiam ob bonum finem desiderare id quod ex objecto suo malum est. Affirmant alii cum S. Antonino, 2. part. tit. 6. cap. 5. ubi ait: *Appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantùm sine peccato, id est, sine hoc quod det operam, sed via naturali; non est peccatum*. Ratio quam affert Sanchez, est quia talis pollutio non procurata, sed via naturali proveniens, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed actus quidam & evacuatio naturalis, sicut sudor. Secùs de homicidio & fornicatione, quæ non sunt actus naturales, sed suapte natura liberi, & hominis voluntati subjecti.

Item controversia est utrum liceat de pollutione in somno inculpabiliter eveniente gau-

gaudere, præcisè ob levamen naturæ & salutem corporis; quamvis consentiant omnes licitum esse gaudere de bono effectu illo ex ea orto. S. Thom. *in 4. dist. 9. art. 4. q. 1. ad 5.* de pollutione nocturna & inculpabili, ait: *Si autem placeat ut natura exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Porrò constat esse mortale de illa gaudere propter delectationem veneream.

Quæst. V. *An est peccatum ponere actionem, ex qua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea?*

Resp. 1. Est mortale ponere sine urgenti necessitate actionem, ex qua tamquam causa proxima, prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, quamvis neutra aliunde intendatur, imò adsit propositum illos motus comprimendi cùm insurgent. Quia, 1. Lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem & delectationem veneream, simul obligat graviter ad vitandas & auferendas causas horum motuum proxime excitativas, & per se in illos notabiliter influentes, ubi abest necessitas tales causas honestans. 2. Meritò effectus censetur voluntarius, & imputatur ponenti causam proximam sine necessitate eam cohonestante. Hinc graviter teneris ejusmodi actionem inchoatam deserere statim ob insurgentem pollutionem, vel delectationem veneream: nam si pergas in illa actione, effectus secutus censetur in illa volitus: volitio enim continuandi causam, est virtualiter & moraliter volitio effectus. *Lessius, Valentia, &c.*

Causæ autem seu dispositiones proximæ horum motuum excitativæ, sunt actiones quæ per se sunt turpes, & natæ excitare motus venereos, aut turpitudinis speciem habent, nisi propriæ vel alienæ necessitatis titulis honestentur, ut aspectus & tactus partium pudendarum proprii vel alieni corporis, præsertim diversi sexus; lectio, auditio, locutio rerum valdè obscœnarum, & ad libidinem allicientium, quamvis ex sola curiositate fiat.

Dixi; *sine necessitate*; nam aspectus & tactus partium pudendarum alterius corporis ob necessitatem medendi, non est peccatum, secluso affectu pravo & periculo consensus in delectationem veneream. Nam in tali casu pollutio secuta non censetur voluntaria in causa, sed solùm permissa; quia adest justa ratio ponendi causam illam; & prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus. Neque enim tenemur motus illos naturales & per se involuntarios impedire, cùm adest justa causa non impediendi, & abest consensus periculum. Sic chirurgus exercens suam artem circa mulierem, non peccat, etsi prævideat pollutionem inde secuturam, modò absit periculum consensus in delectationem.

Resp. 2. Ex communi sententia, non est mortale contra castitatem ponere actionem, ex qua ramquam causa seu dispositione remora & per accidens, prævidetur secutura pollutio vel delectatio venerea, modò neutra intendatur, & absit periculum consensus in delectationem veneream. Quia, 1. Cùm illi motus facillimè & frequenter insurgant naturaliter, in æstimatione prudenti non censentur sufficienter voluntarii in causa remora, ut imputentur illam ponenti ex alio fine: sed è sola natura corrupta oriri censentur: alioqui enim homo teneretur abstinere à multis actionibus licitis ac necessariis, ne illos motus experiretur. Nec causæ illæ remotæ censentur moraliter illorum causæ, nec in illas consentiens censetur velle talem effectum propter summam facilitatem, quia illi motus excitantur ex naturæ corruptione. Sed potiùs illa effusio procedit è virtute naturali expellente. 2. Quia jus suum prosequenti, non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus.

Sanchez tamen ex communi docet tales causas sine justa causa ponere, esse veniale etiam contra castitatem: quia aliquantulum adversatur castitati, quòd sine utilitate honesta cogente ponatur causa remota, & per accidens motuum castitati inimicorum, & ad malum incitantium.

Causæ autem remotæ & per accidens horum motuum sunt eæ, quæ nec sunt per se turpes, nec ad luxuriam, sed ad alios fines licitos per se ordinantur, nec turpitudinis speciem habent; sed vel per se honestæ sunt, ut auditio confessionum: vel indifferentes, ut equitatio, esus calidorum, studium medicinæ, medicamenta, &c. Quare hæc accedente honesta & utili causa, & secluso periculo consensus, sunt licita, quamvis præter intentionem ex iis sequatur pollutio, vel delectatio venerea. Nam tunc illi motus censentur solùm permissi, non voliti, eo quòd nulla sit obligatio relinquendi opus honestum & utile, propter motum inordinatum & indeliberatum occasione illius ex naturæ corruptione, præter intentionem & secluso periculo consensus, exurgentem.

Quod si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream, (ut si pluries quis in tali occasione consenserit) tunc

is,

is, ex communi sententia, tenetur ab illa actione, quantumvis honesta & utili, v. g. auditione confessionum, abstinere: nam non licet se probabili peccandi periculo exponere.

Quæst. VI. *An est semper peccatum non expellere cogitationes de rebus venereis, sed in illis immorari?*

Resp. Qui immoratur cum plena advertentia in cogitatione de rebus venereis, si adsit delectatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum consensus in illam aut in rem cogitatam, peccat mortaliter ratione talis delectationis vel periculi: venialiter verò si advertentia sit solùm imperfecta ac semiplena, qualis est in semidormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex justa & honesta causa, v. g. ut tales res meliùs discernat ad confessarii vel medici munus rectè obeundum, non peccat, secluso periculo consensus in rem cogitatam & delectationem: quia talis cogitatio non est mala neque in se, neque in effectu aut ratione periculi: Erit autem venialis culpa, si hoc ex mera curiositate fiat seclusis delectatione venerea, & periculo consensus in rem cogitatam, & affectu in ipsam: quæ tamen omnia rarò absunt in cogitatione de his rebus absque fine honesto; nam hæc materia est valdè lubrica & periculosa.

Quæst. VII. *Quænam sunt peccata luxuriæ non consummatæ?*

Resp. Sunt desideria, delectatio morosa venerea, aspectus, amplexus & tactus impudici, oscula, verba obscœna, gestus turpes, &c. sine effusione seminis. Jam constat ex dictis, cap. 6. desiderium simplex etsi inefficax actus luxuriosi, habere malitiam mortalem ejusdem speciei; sic desiderium simplex copulæ cum conjugata vel consanguinea habet malitiam adulterii vel incestus. Nunc de cæteris agam.

Quæst. VIII. *An delectatio morosa venerea extra conjugium est mortalis?*

Nota. 1. Delectatio morosa est delectatio deliberata, sive delectatio post sufficientem advertentiam admissa, seu approbata, etsi unico instanti. Dicitur enim morosa, non à mora temporis quo durat, cum peccatum mortale unico instanti committi possit; sed voluntatis, quæ post advertentiam sufficientem ei immoratur, ea acceptando aut non rejiciendo. Hinc potest esse delectatio morosa quamvis instantanea, si nempe voluntas in eam advertenter per unicum instans consenserit.

Nota. 2. Triplex est delectatio, nempe spiritualis, merè sensibilis, & venerea. Spiritualis est ea, quæ in sola voluntate residet sine ullo motu sensibili in corpore, sive quæ est independens ab omni motu sensibili in corpore. Hæc delectatio, si sit de actu mortali, est mortalis, & sumit speciem ab illo ut objecto. Delectatio merè sensibilis est, quæ oritur ex proportione ac conformitate rei sensibilis cum organo sensus, sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas: qualis est delectatio, quæ percipitur ex tactu rei blandæ, ex gustu, ex musica, &c. Delectatio venerea est ea, quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum genitalium, seu generationi inservientium.

Resp. Omnis deliberata delectatio venerea vel minima, extra conjugium quæsita aut admissa, est mortale peccatum, nec potest esse veniale ex levitate materiæ. *Est communis Doctorum sententia.* Prob. Quia, 1. Omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ac tendit ad seminis effusionem, estque inchoatio quædam illius: nam in omni delectatione venerea fit quædam resolutio seminis, ejusque deductio ad partes venereas, ut testantur Aristotel. Galen. Hypocrat. & medici. Ergo cùm seminis effusio voluntaria extra actum conjugalem sit mortalis, ut patet ex dictis de pollutione & fornicatione, omnis actus ad illam ex se tendens & ordinatus, est per se mortalis: nam dispositio sumit suam speciem ac malitiam moralem à forma, ad quam disponit, motus à termino ad quem tendit, medium à fine, causa à suo effectu. 2. Inter omnes constat, moraliter & practicè loquendo, minimam delectationem veneream quæsitam, vel deliberatè admissam extra conjugium, habere annexum periculum proximum peccati mortalis; eo quòd difficillimum sit & moraliter impossibile in re tam lubrica dijudicare ac determinare materiam levem, & ob summam naturæ corruptæ in talia propensionem sistere in certa delectationis parvitate, ita ut animus leviore delectatione illectus, graviorem non appetat, nec admittat. Ergo certum est etiam speculativè, delectationem veneream vel minimam, quæsitam aut admissam, esse mortalem; cùm certum sit etiam speculativè omnem actionem, cui per se annexum est periculum morale peccati mortalis, esse mortaliter malam; nam *qui amat periculum, in illo peribit*. Eccli. 3. & qui vult morale periculum peccati, vult saltem interpretativè ipsum peccatum.

Obj. In furto, in excessu cibi vel potus datur

tur levitas materiæ. Ergo, &c. *Resp.* Disparitas est, quia rei vilis ablatio, levis excessus in cibo vel potu per se non ordinatur ad actum mortalem, nec inducit periculum graviter peccandi. At delectatio venerea vel minima ex se ordinatur ad effusionem seminis mortaliter malam extra conjugium, & per se inducit periculum consentiendi majori delectationi.

Nota. In societate nostra omnibus in virtute sanctæ obedientiæ prohibitum est, ne quis publicè, vel privatim sententiam huic oppositam, non modò ut veram & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut secundùm illam cuiquam consilium det. Ex Congregat. 9. Decreto 24.

Quæst. IX. *An peccat mortaliter, qui post sufficientem advertentiam negativè se habet ad delectationem veneream, eam neque approbando, neque reprimendo?*

Resp. Affirmat. Quia voluntas tenetur reprimere positivè motus illicitos delectationis & sensualitatis, saltem, per actum displicentiæ. Ita S. Antoninus, Suarez, Vasquez, Azor, Lessius & alii communiùs cum Sancto Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 6. ubi ait: *Contingere peccatum esse in ratione dupliciter. Uno modo, quando imperat illicitas passiones... alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum; sicut cùm aliquis postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominùs circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit.* Prob. Quia 1. Concil. Trident. sess. 5. canon. 5. definit concupiscentiam non posse nocere *non consentientibus, sed virtualiter per gratiam repugnantibus.* Ergo ut non noceat, non sufficit mera negatio consensus, sed requiritur repugnantia seu displicentia positiva. 2. Tales motus sunt ex objecto graviter inordinati, cùm juxta omnes, sit mortale illis positivè consentire: item sunt ex natura sua dispositiones proximæ ad opus mortale, ad quod valde pertrahunt & alliciunt appetitum: Ergo graviter disconvenit naturæ rationali & Legi divinæ se habere indifferenter ad illos; & voluntas, cujus est regere passiones secundùm rectam rationem ac Legem divinam, tenetur illos expressè ac positivè reprobare per formalem displicentiam. 3. Sicut non licet se habere indifferenter ad actus turpes ab alio circa se exercitos; ita nec ad motus turpes à dæmone vel ex naturæ corruptione in se excitatos. 4. Illis motibus per se annexum est periculum intrinsecum rei mortaliter malæ, & consensus in delectationem: nam ex se sunt dispositiones proximæ ad actum mortalem, nempe effusionem seminis, & per se vehementer alliciunt voluntatem ad consensum per sympathiam appetitus sensitivi cum rationali. Ergo requiritur positiva displicentia ad impediendum voluntatis consensum, sine qua non tollitur periculum consentiendi, cùm moraliter impossibile sit voluntatem diu se negativè habere circa objectum vehementer alliciens. Hinc illud, Prov. 4. *Omni custodia serva cor tuum.*

Imò sola illa displicentia non sufficit, sed illi motus prorsus expellendi sunt, præsertim deserendo actionem, quæ eos excitat, ni obstet causa justa. Tum quia tunc sola displicentia non videtur satis sincera, cùm vix discerni possit utrum sit vera displicentia, an fallacia voluntatis sibi imponentis, & illis motibus frui volentis. Tum quia homo tenetur impedire & expellere motus per se graviter inordinatos, saltem cùm abest justa causa eos permittendi. Hinc teneris sub mortali actiones etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscœnarum ex sola curiositate dimittere statim atque excitant in te pollutionem, vel delectationem veneream vehementem, ut docet Valentia. Ubi autem adest justa causa non sic expellendi, ut si probabilis timor sit, ne ex majore resistentia magis augeantur, aut illis depulsis graviores insurgant, vel si ad illos motus expellendos dimittenda esset actio honesta, necessaria vel utilis, v. g. auditio confessionum, studium casuum conscientiæ, tunc sufficiet displicentia vera: alioqui homines deberent semper esse anxii, & multa bona omittere.

Porrò medium aptissimum compescendi motus illos est mentem statim aliò avertere, & si perseverent, orare, signo crucis se munire, oculos ad imaginem Christi Crucifixi convertere, cogitare de ejus passione, de igne æterno, morte, &c. interdum de re indifferenti, aut negotio quod animum applicet, & à tali objecto avocet.

Quæst. X. *An delectatio morosa de actu luxuria, v. g. copula cogitata, contrahit non solùm malitiam substantiæ operis, sed etiam circumstantiarum cognitarum ei annexarum, & speciem mutantium?*

Resp. Affirmat. *Ita S. Antonin. Cajetan. Suarez, & alii.* Quia talis delectatio versatur circa opus ut cogitatum; ergo illius objectum est id omne quod cognoscitur; ac proinde non solùm opus, sed etiam circumstantiæ illi annexæ & cognitæ, sunt ejus objectum.

ctum. Actus autem sumunt speciem ac malitiam à toto objecto suo, & ad illam contrahendam sufficit voluntarium indirectum ac interpretativum. Hinc simplex delectatio deliberata de copula cogitata cum conjugata vel consanguinea, pertinet ad speciem adulterii vel incestus.

Quæst. XI. *An oscula, aspectus, tactus impudici sunt culpa mortalis in non conjugatis?*

Resp. 1. Ista omnia, imò & amplexus, oscula & tactus partium etiam honestarum, ut faciei, manus, sunt culpa mortalis, si extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ potest ex illis sequi, etiam ibi sistendo: idem dic de tactu partium proprii corporis. Est communis sententia, & constat ex dictis: nam mortale est, extra conjugium quærere aut advertenter admittere quamlibet delectationem veneream vel minimam, cùm hæc parvitatem materiæ non admittat, & ex se tendat ad seminis effusionem, ideòque ad pollutionem vel fornicationem in non conjugato.

Hinc (ut docet S. Antoninus) est etiam mortale permittere se tangi, etiam in facie vel manu, ab eo qui noscitur ad id moveri amore libidinoso, quia est cooperari & consentire alterius culpæ mortali. Digni autem sunt morte, non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, *ad Rom.* 1.

Resp. 2. Tactus partium pudendarum aut pudendis proximarum corporis, ejusdem vel diversi sexus, sunt mortales, si fiant vel admittantur sine necessitate medendi, etsi non ob delectationem veneream, sed ex sola curiositate vel joco. *Ita Sanchez, Layman, & alii communiter*. Quia, 1. Hi tactus ad delectationem veneream ex se tendunt, illamque valdè excitant, & sic sunt causa illius proxima, imò ex suapte natura ad effusionem seminis referuntur. Ergo simul cum illa graviter prohibentur: nam prohibita graviter re aliqua, prohibentur etiam graviter omnia, quæ per se ad illam excitant & ordinantur. Deinde causa participat malitiam sui effectus. 2. Hi tactus sunt impudici, & comprehenduntur nomine impudicitiæ, quæ ad Gal. 5. dicitur excludere à regno Dei.

Hinc seclusa necessitate medendi, tactum partium inhonestarum in se permittere ab alio fieri, est mortale, & quisque tenetur quantùm potest, omnino talia impedire in se, & illis resistere, cùm sint intrinsecè mala.

Item mortale est propria pudenda sine necessitate tangere, si delectatio venerea ex eo tactu oriatur & prævideatur: quia per se tendit ad pollutionem. Ita Sanchez, secùs dicens, si tactus ille ex curiositate, levitate, absque libidine & delectationis ac pollutionis periculo fiat; quia deficit animus libidinosus, nec intervenit ea turpitudo, quæ in tactu alieno; nec idem periculum. Hoc tamen non omnino vacat periculo nec peccato.

Resp. 3. Aspectus partium pudendarum alterius sexus, item concubitus viri cum fœmina, quamvis non animo libidinoso, sed ex sola curiositate vel levitate, mortalis est. Quia ad veneream libidinem & pollutionem in hac naturæ corruptione per se multum excitat, & periculum mortale consentiendi in delectationem veneream affert, & valdè honestati naturali adversatur. *Ita Sanchez, Reginald. Layman, &c.*

Aspectus verò pudendorum ejusdem sexus vel proprii corporis, aut coitus animalium ex sola curiositate vel levitate, seclusis affectu venereo, scandalo, & periculo pollutionis, ac delectationis venereæ, juxta multos est solùm venialis; quia nec graviter honestati adversatur, nec adeò ad luxuriam per se incitat. Potest tamen esse mortalis ratione periculi, spectata aspicientis speciali fragilitate, quod non rarò adest in juvenibus, quare ab his graviter deterrendi sunt. Et certò mortalis est, si fiat ex voluptate deliberatè quæsita.

Resp. 4. Amplexus, tactus & oscula etiam in partibus honestis, ob solam delectationem merè sensibilem & nondum actu veneream, sunt culpa mortalis inter personas diversi sexus libidinis capaces, saltem si fiant cum mora vel repetitione, quamvis non intendatur expressè delectatio venerea. Quia illi actus sic exerciti, per se non parùm excitant commotionem spirituum genitalium, & delectationem veneream, quæ necessitate quadam physica oritur ex tali delectatione sensibili, saltem repetita vel diuturna: & quia supposita propensione naturæ inordinata in voluptate carnis, non possunt sic usurpari absque delectatione morosa concubitus: aut saltem in hac naturæ corruptione ingerunt periculum morale delectationis venereæ, & consensus in illam; & sic sunt causaliter libidinosi, utpote libidinis causæ. Malitia autem talium actuum non ex fine solùm, sed etiam ex affectu, quem pariunt, sumi debet. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Resp. 5.

Resp. 5. Amplexus, contactus manuum, oscula in facie, si juxta morem patriæ fiant urbanitatis ac benevolentiæ honestæ causa, non sunt peccata per se, quia non sunt impudica, nec per se tendunt in actum venereum, & fiunt ob rationabilem causam. Ita communiter cum S. Thoma 2. 2. quæst. 154. art. 4. Si verò ista fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, juxta multos, sunt solùm venialia, modò absit omnis affectus libidinosus, & periculum peccati gravis tam in se quàm in alio, nec habita ratione constitutionis personarum, delectationem veneream multùm excitent.

Si autem ista sine causa exercita, longiora sint, aut crebrò fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia. Quia arguunt affectum ad libidinem, & excitant delectationem veneream, afferuntque morale periculum consensus in illam. Nam (ut rectè monent) in materia tam lubrica, quæ de se essent solùm venialia, si repetantur aut diutiùs protrahantur, fiunt mortalia, curiositate aut levitate degenerante in libidinem.

Quare admittens oscula morosa, aut crebra, aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter. Quià cooperatur affectui libidinoso alterius, qui satis per ista indicatur.

Nota. Oscula, amplexus ob delectationem veneream, tactus & aspectus impudici mortales supradicti, ex communi sententia sunt ejusdem speciei moralis ac actus consummatus, seu concubitus, ad quem suapte natura referuntur, quamvis hic non intendatur. Quia sunt dispositio proxima ad concubitum, & media per se ad illum tendentia; dispositio autem & media sumunt malitiam a suo termino & fine: ac proinde ista omnia contrahunt diversam specie malitiam, pro diversitate personarum, à quibus, & circa quas exercentur: ut malitiam sodomiæ, si cum simili sexu exerceantur: adulterii, si cum conjugata aliena, incestus, si cum cognata, &c. Nam cùm opera circa eas personas differant specie, ita etiam actus, qui sunt dispositio & media per se ad illa tendentia: quare circumstantia agentis & patientis exprimi debet in confessione. *Ita Sanchez*, *Lessius*, *& alii*. Impudicus verò sui ipsius tactus ad mollitiem pertinet, nisi aliò referatur ex intentione agentis.

Quæst. XII. *Quale peccatum est loqui, canere, legere, vel audire turpia & obscœna?*

Resp. Est mortale, si fiat extra conjugium ob delectationem veneream, cum probabili periculo illius in se vel in aliis, aut cum animo se oblectandi rebus illis. *Ita S. Antonin. Navarr. Sanchez, & alii communiter*. Quia delectatio venerea extra conjugium est ex objecto mortalis, cum sit mortale ei consentire. Ergo est mortale intendere vel procurare illam, aut ejus periculum probabile in se vel in aliis. Delectatio verò de actu turpi apprehenso est per se mortalis: ergo & illam verbis fovere.

Secluso autem omni affectu venereo, & periculo delectationis venereæ ac scandali, turpia loqui vel canere solùm ex levitate, vel legere aut audire ex mera curiositate, est saltem veniale. Nam hæc adversantur castitati, & prohibentur Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*. Et, c. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas*. Tamen juxta S. Antoninum, & alios non est mortale, quia non est per se gravis inordinatio. *De hoc nulli dubium est, quòd qui dicit verba turpia & lasciva hac intentione, ut se vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione & cogitatione turpium, extra matrimonium, mortaliter peccat... Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris, secundùm Thomam, permaximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis; tamen per accidens potest esse mortale ibi, ratione scandali seu ruinæ inde sequentis in mente alicujus: ut cùm audientes sunt debiles spiritu, & verba essent multùm lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lascivìis*, ait S. Antonin. part. 2. titul. 5. cap. 1. §. 8.

Sed quia in praxi rarò abest periculum turpis desiderii aut complacentiæ, sive in proferente ac legente, sive in audientibus sermones, cantiones, vel lectiones rerum turpium ac lascivarum in vel coram juvenibus aut aliis infirmis spiritu, rarò vacant culpa mortali, nam *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, 1. ad Cor. 15. *& præbent verba ad res ipsas ingressum*, ait S. Athan. Hinc obscœna proferens tenetur in confessione exprimere numerum eorum, quibus fuit occasio turpis desiderii vel delectationis. Qui verò alteri præbet occasionem sermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præstat authoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiam si rem narratam interiùs non approbet, nam complacentia vel approbatio exterior rei mortalis, est mortalis.

Idem

Idem est de gestibus turpibus ac de turpiloquiis, cum sint etiam signa ad luxuriam incitantia, & de turpibus spectaculis ac comœdiis. Qui autem libros turpes & amatorios habent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant.

Quæst. XIII. *An liceant oscula, amplexus, tactus, &c. in sponsis, & viduis?*

Resp. 1. Omnis delectatio venerea, aspectus & tactus turpis seu partium pudendarum, & quivis actus luxuriæ, sunt mortales in viduis & sponsis. *Ita Sanchez, & alii communiter.* Quia cùm omnis delectatio venerea & actus libidinosus suapte natura ordinetur ac tendat ad effusionem seminis & copulam, est mortalis in non conjugatis: cùm effusio seminis & copula sit in ipsis mortalis: nam medium à fine, & actio à termino ad quem tendit, malitiam ac speciem sumit. Cùm ergo copula tam sit sponsis ac viduis illicita, quàm aliis solutis: tam etiam iis illicitus est omnis actus turpis ac impudicus. Et verò cùm sponsalia sint solùm promissio futuri matrimonii, non traditio corporum, nullum tribuunt jus præsens in corpus alterius in ordine ad copulam hic & nunc exercendam; nec proinde ad actus qui ad illam per se ordinantur: sicuti munus judicis exercere hodie non licet ei, cui præcisè promissum est.

Itaque solùm licent sponsis amplexus & oscula honesta, juxta morem patriæ, amoris honesti significandi & fovendi causa. Hinc sponsi non debent relinqui soli, ob periculum actuum impudicorum, vel etiam copulæ, ut S. Carolus & Doctores passim monent.

Resp. 2. In sponsis ac viduis mortalis est voluntaria delectatio carnalis, seu delectatio appetitus sensitivi de copula futura aut præterita, vel de copula apprehensa sub conditione si adesset matrimonium. *Ita Sanchez, Azor, & alii communiter.* Quia delectatio carnalis, quæ ex cogitatione copulæ futuræ vel præteritæ, vel conditionalis oritur, est delectatio absoluta, præsens & conjuncta cum actuali commotione spirituum genitalium per se ordinata ad copulam præsentem: sive carnalis illa delectatio est delectatio venerea præsens & voluntaria, quæ ex se ordinatur ad copulam præsentem, ideoque semper mortalis est in non conjugatis. Nam copula præsens seu actualis semper est mortalis in non conjugatis: Ergo & omnis actus ad illam ex se ordinatus ac tendens. Et verò appetitus sensitivus sequitur imaginationem, quæ non potest præscindere, nec apponere conditiones.

Porrò sunt qui docent posse excusari à mortali eos, qui absque commotione venerea apprehendunt actum conjugalem ut præteritum vel futurum, approbantes quòd illum exercuerint aut exercituri sint; eo quòd non approbent illud opus, nisi quatenus fuit vel erit iis licitum; sed monet talem mentis apprehensionem, cùm vix possit esse sine delectatione venerea, esse statim rejiciendam, & numquam accersendam. Neque enim est in nostra potestate sistere in delectatione merè spirituali, dum certa objecta apprehendimus.

Quæst. XIV. *Quænam sunt filiæ Luxuriæ?*

Resp. Ex S. Gregorio & Thoma sunt octo, Quatuor ex parte intellectus, nempe cœcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia: quæ sunt mortales, cùm ideò præceptum aliquod in re gravi violatur. Et quatuor ex parte voluntatis. 1. Amor sui inordinatus, quo luxuriosus carnem suam & carnis voluptates ita diligit, ut in iis finem ultimum ponat, suas cogitationes ac curas ad illarum assecutionem referendo. 2. Odium Dei, qui voluptates illas graviter vetat & punit. 3. Affectus præsentis sæculi, hoc est, vitæ præsentis & rerum hanc oblectantium, quò ita istis inhæret, ut contentus esset in hoc mundo semper manere, de beatitudinis cœlestis consecutione haud solicitus. 4. Horror, & desperatio futuri sæculi: horror quidem, quia scit se post mortem impuris voluptatibus privatum iri, & earum locò supplicia acerbissima subiturum. Desperatio verò, quia obscœnas voluptates deserere quasi impossibile reputat. Hæc quatuor sunt mortalia.

Quæst. XV. *Quænam sunt remedia contra Luxuriam?*

Resp. Ista. 1. Oratio humilis & frequens, nemo enim potest esse castus, nisi Deus det. *Sap.* 8.

2. Mortificatio & custodia sensuum, maximè visus. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius... Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Eccli. 9. Et S. Aug. epist. 109. ait: *Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem.... Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* Unde illud S. Greg. M. l. 21. moral. cap. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiscere.*

3. Sobrietas, seu usus moderatus vini, quod non solùm modicum, sed etiam aqua permix-

mixtum sit præsertim in juvenibus: nam ex Proverb. 20. *Luxuriosa res vinum*. Item abstinentia seu moderatus esus ciborum, nam copia minima humorum & sanguinis suppediat materiam tentationum carnis, temperantia autem superfluitatem humorum impedit ac tollit. Unde Ezech. 16. dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus.... & fecerunt abominationes coram me.*

4. Vitatio occasionum, quales sunt familiaritates & colloquia inter personas diversi sexus, frequentatio improborum, lectio librorum obscœnorum, & amatoriorum, choreæ, comœdiæ, spectacula, &c. Hoc vitium vincitur fugiendo. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam*, ait Sanctus August. Et, *Qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. Quocirca monendi sunt parentes, ne umquam lectum communem permittant pueris diversi sexus, etiam fratribus & sororibus, nec patiantur secum liberos decumbere in eodem lecto, nec si grandiores sint, in eodem cubiculo: hoc enim perniciosum est eorum castitati, ut experientia constat.

5. Fuga otii: *Multam enim malitiam docuit otiositas*, Eccli. 33.

6. Frequens Confessio, & Communio cum dispositionibus.

7. Carnis macerationes, & jejunia, cilicium, catena ferrea, &c. Nam *hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*, Matth. 17. & contraria contrariis curantur.

8. Eleemosynæ, & alia charitatis opera, quæ valent ad obtinendas à Deo uberiores ac potentiores gratias.

9. Assidua piorum librorum lectio, & meditatio Passionis Christi, ac æternorum. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Eccli. 7.

10. Occurrente tentatione cogitare Deum adesse præsentem, justum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem; & sæpe animo volvere illud S. Gregorii: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.*

11. Initio tentationis fortiter resistere, & statim avertere cogitationem ad quidvis aliud licitum primò occurrens, sed præsertim ad Passionem Christi, &c. *Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, hoc est, primæ suggestioni non resistitur, totus interna cordis, dum non sentitur, illabitur*, ait S. Hieron. in Eccles. cap. 9. *Resistite diabolo & fugiet à vobis*, Jac. 4. Si nihilominus tentatio duret, orare, cogitare de morte, de pœnis inferni, &c. intueri imaginem Christi patientis; vel eum animo contemplari; signo Crucis cor munire; considerare neminem, quantacumque fame prematur, sumpturum esse cibum, si sciret venenum ei esse admixtum, ideòque sibi mortem illaturum: *Numquid potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Job 6. Quantò magis metus certæ mortis animæ deterrere debet.

12. Nascentem voluptatis sensum præsenti aliquo dolore accito extinguere.

Denique multùm juvabit habere stabilem Confessarium pium ac prudentem, ejusque pia consilia sequi: nam suggeret remedia, quæ pœnitenti erunt utiliora, & huic tentationi superandæ aptiora.

Nota. Ista remedia valent etiam contra alia vitia & tentationes.

ARTICULUS V.

De Ira.

Quæst. I. **Q***Uid est Ira?*

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Ira autem est inordinata dupliciter. 1. Ex parte objecti, cùm quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem quàm meruit, vel inferendam sine legitima authoritate; vel licèt sit justa, non tamen eam appetit ut justam, sed ut satiativam animi sui malevoli. Ira sic inordinata, est peccatum mortale ex genere suo, cùm sit contra charitatem & justitiam. Hinc, ad Gal. 5. ira numeratur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Potest tamen esse venialis ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ.

2. In modo irascendi, *utpotè si quis nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ. Et sic ira secundum se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis*, ait S. Thomas quæst. 158. art. 3. Potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiæ, injuriæ, convitii, maledicti, &c. quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

Quæst. II. *Quænam sunt filiæ iræ?*

Resp. Sunt. 1. Indignatio, quæ est animi commotio contra alium, ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat. Sæpe venialis est: mortalis verò ratione maledicti, contumeliæ, gravis odii, contemptus, vindictæ, vel scandali.

2. Tumor mentis, qui est æstus quidam excandescentis animi, & excogitantis diversas vin-

vindictæ vias. Mortalis vel venialis est pro qualitate vindictæ excogitatæ & expetitæ.

3. Clamor, qui est inordinata & confusa locutio, potest esse mortalis ratione convitii, maledicti, scandali, &c.

Denique blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnæ, seditiones, vulnera, homicidium. Quæ omnia sunt ex genere suo mortalia, utpote contra charitatem & justitiam.

Quæst. III. *Quænam sunt iræ remedia?*

Resp. Præcipua sunt considerare quàm sit injusta & perniciosa; orare; meditari mansuetudinem Christi; nil unquam agere & loqui ex motu vel in motu iræ, sed solùm postquam sedatus est; omni cura impedire iræ motum, & excitatum statim reprimere; exercere frequentes actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, &c.

ARTICULUS VI.

De Invidia.

Quæst. I. QUid est Invidia?

Resp. Est tristitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam nostram, quia nempe in eò bono ab eo æquamur vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Mortalis est ex genere suo: nam directè opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere: Et, ad Galat. 5. invidia dicitur excludere à regno Dei. Estque diabolicum vitium, ex Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Invidia autem sumpta pro habitu, est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad gaudium prædictum.

Nota. Ex S. Thom. 2. 2. q. 36. art. 2. tristitia de bono alieno potest contingere quatuor modis. 1. Cùm quis dolet de bono alicujus, v. g. potestate in quantùm ex eo sibi vel aliis damnum timet. Talis tristitia est licita, si inde timeas malum certò injustè inferendum, ob quòd liceret eum privare tali bono, si haberes potestatem ad id legitimam: secus, est illicita. 2. Potest quis dolere de bono alterius, non ex eo quòd ipse habet bonum, sed ex eo quòd sibi deest bonum illud, quòd alter habet, ita ut minimè cupiat alterum illo carere. Et hoc non est invidia, sed æmulatio, quæ si fit circa bona spiritualia & honesta, laudabilis est: si autem fit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa & sine culpa, prout bonum est dolenti proportionatum & necessarium, vel improportionatum & supervacaneum, & prout refertur ad bonum vel malum finem. 3. Cùm quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est. Quæ tristitia mortalis est, si fit de bonis supernaturalibus: vel si quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat; nam est Blasphemia. 4. Cùm quis dolet de bonis alicujus in quantum alter æquat aut superat ipsum bonis illis. Hoc est propriè invidia: *& istud semper est pravum, ut etiam Philosophus dicit in 2. Rhet. Quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi,* ait S. Thom.

Quæst. II. *Quænam sunt filiæ Invidiæ?*

Resp. Sunt. 1. Odium. 2. Delectatio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est sermo, quo sine justa causa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. Mortalis est contra justitiam, quia per illam grave damnum proximo injustè infertur. Nam quisque habet jus, ne per injuriam, seu sine justa causa privetur amicitia alterius, quæ est magnum bonum, juxta illud Eccli. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla comparatio, &c.* Hinc illud Eccli. 21. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur.* Et illud, 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Quare susurratio est gravissimum peccatum, ut patet etiam ex Prov. 6. ubi dicitur: *sex sunt quæ odit specialiter Dominus, & septimum detestatur anima ejus,* nempè, *eum qui seminat inter fratres discordias.*

Ad susurrationem mortalem sufficit quòd sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo, licèt referatur sine intentione eam dissolvendi: quia tunc ponitur injustè & voluntariè causa dissolutionis amicitiæ. Quare susurro tenetur restituere in quantùm potest, amicitiam injustè ab ipso ablatam, & alia damna inde secuta, perinde ac detractor famam, cùm sit causa injusta talium damnorum.

Alia sunt etiam mortalia ex genere suo. Unde, ad Rom. 1. inter eos, qui digni sunt morte, recensentur *pleni invidia, malignitate, susurrones, detractores, sine affectione, &c.*

Quæst. III. *Quænam sunt invidiæ remedia?*

Resp. Præter orationem sunt hæc. 1. Considerare te non ideò minus habere; invidiam invidenti nil prodesse; nam non ideò alter care-

carebit bono, quod tu invides, nec tu illud obtinebis, etiam si eo careat: quinimò gravissimum inferre malum, ptivando invidum gratia ac amicitia Dei, & beatitudine æterna; econtra gaudendo de bono proximi propter Deum, te mereri augmentum gloriæ æternæ, quod est bonum infinito majus omnibus bonis temporalibus. 2. Sæpe gaudere de bono proximi, quia est proximus, quem sicut te ipsum diligere debes propter Deum. 3. Gratificari ei cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias agere Deo propter beneficia ab eo in ipsum collata, &c. 4. Humilitas & contemptus gloriæ ac honoris humani: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*, ad Gal. 5.

ARTICULUS VII.

De Acedia.

Quæst. I. Quid est Acedia, & quale peccatum?

Resp. Acedia latè sumpta est quodvis tædium, seu animi remissio in exercitio virtutum, ob laborem, seu molestiam ac difficultatem adjunctam. Sic sumpta non est vitium speciale, sed generale: quia (ut ait S. Thomas) omne vitium refugit bonum virtutis oppositæ; estque contra illam virtutem, cujus actus refugit. Est autem peccatum mortale vel veniale, prout ex illa violatur præceptum in re gravi vel levi.

Acedia strictè sumpta est tristitia & tædium de divina amicitia apprehensa ut mala propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ & conservandæ per laboriosa virtutum exercitia, & voluptatum illicitarum fugam: unde fit, ut quis amicitiam illam non curet. Sic sumpta, est vitium speciale, & per se mortale, nam specialiter & graviter charitati Dei repugnat.

Quæst. II. *Quænam sunt filiæ Acediæ?*

Resp. Sunt 1. Malitia, qua quis odit bona spiritualia, & vellet ea non esse, aut qua ipsum pœnitet bonum fecisse; aut qua contemnit Dei beneficium, v. g. cupiendo non agnovisse Christum, non fuisse Religionem professum, &c. ob difficultates, quæ in Dei obsequio superandæ sunt. Est mortalis ex genere suo. 2. Pusillanimitas. 3. Desperatio. 4. Rancor, qui est indignatio & fastidium adversus eos, qui ad virtutum opera & fervorem inducunt, ideoque eos refugit. 5. Torpor, qui est languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum, & semper valde periculosum est, disponitque ad mortale.

6 Evagatio mentis in oratione aliisve exercitiis spiritualibus. Mortalis est in oratione vel exercitio spirituali graviter præcepto, si in parte notabili voluntariè duret, venialis verò in oratione non præcepta, nisi sit circa objecta graviter illicita, quæ placeant.

Quæst. III. *Quænam sunt Acediæ remedia?*

Resp. Præcipua sunt oratio, omnia religionis & pietatis exercitia, quotidiana meditatio rerum cœlestium, laborum, ac Passionis Christi & Sanctorum, perfectionum ac beneficiorum Dei; præmiorum fervidæ charitatis; brevitatis laborum, æternæ beatitudinis, damnorum temporis, &c. lectio librorum spiritualium; quotidiana auditio Missæ; frequens confessio & communio cum debitis dispositionibus, temperantia, fuga otii; macerationes carnis, &c.

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS
THEOLOGICIS.

Nota. 1. Virtus generatim rectè definitur habitus habilitans vel inclinans ad rectam operationem; & consequenter perficiens ac rectè disponens subjectum, cui inest. Unde ex S. August. lib. 83. quæst. q. 31. *Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus.*

Virtutes dividuntur. 1. In intellectuales, quæ intellectum habilem reddunt seu inclinant ad actum verum; & in virtutes voluntatis, quæ voluntatem habilem reddunt, vel inclinant ad actum honestum. 2. In theologicas, & morales. Virtutes theologicæ, de quibus hìc agitur, sunt eæ, quæ habent Deum pro objecto materiali immediato saltem primario, & aliquam ejus perfectionem pro formali, seu motivo saltem principali. Tres sunt, nempe Fides, Spes & Charitas. *De Virtutibus Moralibus suo loco.*

Nota. 2. Virtutum actus alii sunt eliciti, alii imperati. Actus elicitus alicujus virtutis est, qui ab illa immediatè procedit. Imperatus est actus pertinens ad unam virtutem, sed qui ex motu ac imperio alterius virtutis fit, & ab ea assumitur tamquam medium ad proprium finem assequendum.

PARS

PARS PRIMA.

DE FIDE.

CAPUT PRIMUM.

De natura & necessitate Fidei.

Quæst. I. **Q***Uid est Fides?*

Resp. Fides actualis est assensus supernaturalis & firmissimus, datus rebus à Deo revelatis propter Dei revelantis authoritatem, seu veracitatem. Hinc objectum ejus materiale sunt res omnes à Deo revelatæ: formale verò est authoritas Dei revelantis, per quam summè repugnat Deum falli & fallere: nam summa Dei authoritas in revelando, quæ idem est ac veracitas, est complexum tum ex sapientia infinita, qua Deus perfectissimè novit omnia ut sunt, nec potest errare: tum ex bonitate infinita, qua vult revelare res ut illas cognoscit, nec potest fallere. Quare Fides divina excludit omnem dubitationem, & formidinem saltem voluntariam. Fides habitualis est habitus per se infusus, elicitivus actuum Fidei cum auxilio gratiæ: sive est habitus per se infusus, permanenter habilitans ad actus Fidei eliciendos.

Nota. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis: imò cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus.* (a)

Quæst. II. *An & qualis actus Fidei est necessarius necessitate medii?*

Nota. 1. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo salus obtineri nequit, etiamsi illius omissio sit inculpabilis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod est præceptum, & sine quo perinde salus obtineri nequit, si culpabiliter omittatur, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur. Si tamen sit necessarium hac sola necessitate, ejus omissio inculpabilis non impedit salutem. Porro quidquid necessarium est necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si sit in nostra potestate: nam eodem præcepto quo tenemur procurare nostram salutem, tenemur etiam nobis comparare media ad salutem necessaria. Certum est autem habitus Fidei, spei, & charitatis esse omnibus, etiam infantibus, necessarios necessitate medii, *ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.* nam nemo unquam justificatur sine infusione habituum Fidei, spei, & charitatis. Sed nullus actus virtutis est Infantibus necessarius ad salutem, cùm nullius sint capaces, & tamen salvari possint.

Nota. 2. Aliquid credi potest, vel expressè, hoc est, distinctè, & secundùm se ac proprium conceptum; vel implicitè, id est, non distinctè, non secundùm se, sed confusè, & in alio in quo continetur: ut cum creditur quidquid Ecclesia credit, tunc creduntur implicitè omnia dogmata Fidei.

Resp. 1. Omnibus adultis est necessarium necessitate medii credere explicitè actu supernaturali Deum existere, providère saluti hominum, & justos remunerari vita æterna. Constat ex Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et, ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. *sine qua* (Fide) *nulli contigit umquam justificatio*. Nam Deus non vult salvare adultos, sine propria eorum cooperatione, quæ non potest sine tali Fide salutem procurare. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Requiritur autem explicita Fides Dei ut remuneratoris supernaturalis, nempe per vitam æternam in cœlo, quam solus Deus revelavit & promisit, quæque est supernaturalis merces.

Resp. 2. Nunc ab Evangelii promulgatione omnibus adultis necessaria est necessitate medii Fides explicita Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, passionem, mortem, & resurrectionem Christi Salvatoris nostri.

Prob. 1. Ex Joan. 17. *Hæc est vita æterna* (id est, *via* assequendæ vitæ æternæ) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti. Jesum Christum*. Et, ad Galat. 2. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per Fidem Jesu Christi. Et nos in Christo Jesum credimus, ut justificemur ex Fide Christi.* Ubi Apostolus agit de Fide In Jesum Christum, qualem habebat ac prædicabat, & docentur Fideles. At talis Fides est Fides explicita Christi ut veri Dei & hominis, pro salute hominum mortui, &c. Deinde Fides Christi

(a) Hæc propositio est 21. ex proscriptis ab Innoc. XI. at ad Id comprobandum, quod auth. asserit, opus est etiam duas antecedentes, ac sequentem recensere: 19. *Hæc enim voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium.* 20 *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* 22. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*

dum & credendum; idque exigit status ac professio hominis christiani, qui debet scire mysteria & doctrinam Christi, saltem quo ad substantialia capita, quæ ut omnibus cognoscenda & credenda Apostoli divino instinctu disposuerunt.

3. Sacramenta, saltem ea quæ debent aut volunt suscipere; eorum efficaciam & dispositiones necessarias ad ea debitè & utiliter recipienda: nam sine tali cognitione non possunt illa religiosè ac dignè suscipere: Item sacrificium Missæ: nam tenetur ei reverenter ac devotè interesse.

4. Tenentur scire omnia Dei & Ecclesiæ præcepta & omnes obligationes ad suum statum, munus ac officium pertinentes. Nam singula præcepta obligant ad sui cognitionem, cùm sine ea observari nequeant: præcipiens enim finem præcipit simul media ad illum necessaria. Imò, ut notat Delugo, cognitio & Fides mandatorum Dei necessaria est non solùm ex præcepto aliarum virtutum, sed etiam ex ipsa virtute Fidei, quatenus sunt veritates a Deo revelatæ, ut ab omnibus credantur, & in praxim reducantur: nam quando Deus aliquid universaliter præcipit, atque proponit & revelat, ut à subditis omnibus observetur, ipsa virtus Fidei obligat ad credendum positivè præceptum, & ad audiendum & cognoscendum illud. Neque hæc possunt sine gravi irreverentia contra authoritatem divinam omitti.

5. Orationem Dominicam: nam datur præceptum orandi; & hæc oratio præscripta est à Christo, Matth. 6. *Sic orabitis*. Et Ecclesia dicit in Missa: *Præceptis salutaribus moniti ..... audemus dicere: Pater noster*, *&c.* continetque omnia à Deo petenda.

Ex præcepto autem Ecclesiæ, & consuetudine vim Legis habente, tenentur omnes scire memoriter Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, & quidem lingua quam intelligant, atque etiam modum formandæ Crucis. Debent autem horum omnium sensum percipere, cum debeant ista scire, ut res Fidei credant, & servent præcepta. Idem videtur de Salutatione Angelica, ob consuetudinem Ecclesiæ curantis & exigentis ut discatur, & usum omnium fidelium, contra quem qui illam addiscere negligeret, ab omnibus meritò reprehenderetur.

Porrò hæc omnia tenentur pueri addiscere pro suo captu, cùm primum usum rationis assecuti fuerint. Quia tunc debent vitam suam ad finem ultimum dirigere, elicere actus Fidei, spei & charitatis, servare mandata, &c. Unde tenentur parentes ea tunc ipsos docere vel per se, vel per alios.

Hinc peccant mortaliter. 1. Omnes qui ista culpabiliter ignorant, vel discere negligunt. 2. Parentes, Domini, & superiores, qui non curant, ut liberi & subditi hæc omnia calleant. 3. Parochi, qui oves suas in iis diligenter non erudiunt, &c.

Nota. Parochi, confessarii & concionatores tenentur eam scientiam rerum Fidei & præceptorum habere, ut & aliis explicare, & difficultates saltem communes intelligere ac diluere possint; alioqui non possunt alios rectè instituere, ex Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Episcopi verò longè ampliorem & perfectiorem cognitionem habere debent, cùm ex officio teneantur Fidem explicare, tueri, & fallacias hæreticorum dissolvere, ex cap. 1. ad Tit. & 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum esse Doctorem*.

Quæst. IV. *Quandonam præceptum Fidei internæ obligat?*

Nota. Præceptum aliud est affirmativum, aliud negativum. Affirmativum est, quod aliquem actum positivum præcipit primariò & ratione sui; obligatque semper, sed non pro omni tempore: *Præcepta affirmativa* (inquit S. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 2.) *non obligant ad semper, etsi semper obligent. Obligant autem pro loco & tempore secundùm alias circumstantias debitas*. Præceptum negativum est illud, quod vetat aliquem actum; obligatque semper & pro omni tempore. In quolibet autem præcepto affirmativo divino, quo præcipitur actus virtutis, includitur præceptum negativum, quo prohibetur peccatum oppositum: nam ex affirmatione alicujus rectè infertur negatio contrarii illius.

Resp. 1. Duplex est Fidei divinæ præceptum; aliud affirmativum, quod nos obligat ad credendum certo tempore explicitè certas veritates revelatas, implicitè verò cæteras omnes, & ad ediscendas res Fidei. Aliud negativum, quod obligat ad numquam dissentiendum ulli rei à Deo revelatæ, nec de ulla dubitandum. Nam dissentire uni veritati vel minimæ sufficienter propositæ ut à Deo revelatæ, aut de illa deliberatè dubitare, est gravissima injuria in Deum, quasi in aliqua re falli aut fallere possit, & ejus testi-

monium non sit in omnibus etiam minimis infallibile.

Resp. 1. Præceptum Fidei obligat per se ad eliciendum actum Fidei. 1. Initio usus rationis, ubi res credendæ sufficienter propositæ sunt ut à Deo revelatæ: tunc enim assensus omitti aut suspendi nequit sine injuria gravi authoritatis divinæ: hoc ipso enim, quod Deus revelavit aliqua ut à nobis credantur, & talis revelatio nobis sufficienter proposita est, ita ut eam prudenter negare, aut de ea dubitare nequeamus; reverentia debita divinæ veracitati, quam cultu intellectuali supremo colere debemus, exigit ut rebus revelatis firmissimum assensum statim præbeamus, quem tunc sine gravi irreverentia negare, vel omittere non possumus. Præterea tenentur adulti, ubi primùm possunt, debitum mentis obsequium Deo præstare, atque se & omnia sua in Deum ut finem ultimum dirigere: ad quod necessaria est Fides actualis. Idem dic de infidelibus adultis: ubi primùm Fides Catholica sufficienter eis proposita est.

2. In quolibet probabili mortis periculo. Quia tunc maximè urget obligatio tendendi in Deum, eumque colendi per actus præcipuos virtutum. Deus autem, (ut docet S. August. enchir. cap. 3.) Fide, spe, & charitate maxime colitur. Præterea justus sicut vivere, sic mori debet ex Fide.

3. Sæpe in vita. Nam præceptum tam gravis momenti non pro aliquibus vicibus solùm, sed pro plurimis à Deo sancitum est; cùm actibus Fidei Deus maximè colatur, & vita justi per illos alatur ac conservetur, juxta illud ad Gal. 3. *Justus ex Fide vivit*. Hinc Innocentius XI. damnavit has propositiones. 17. *Satis est actum Fidei semel in vita elicere*. 65. *Sufficit ista mysteria* (Trinitatis & Incarnationis) *semel credidisse*.

4. Cùm gravis tentatio contra Fidem ingruit, quæ superari non posse videatur, nisi per contrarium actum Fidei. Nam cùm hoc præceptum Fidei prohibeat omnem dissensum ac dubitationem circa veritates revelatas, præcipit etiam media necessaria ad hæc vitanda.

5. Quando facienda est Professio Fidei exterior: nam sine actu interno non esset vera professio Fidei, sed illius simulatio.

6. Quoties quis in hæresim vel dubitationem voluntariam lapsus est. Quia actus Fidei explicitus ac formalis, necessarius est ad justificationem in adulto, qui Fidei habitu caret; & quia injuria primæ veritati illata resarcienda est.

Obligat autem per accidens, seu ratione alterius præcepti, ad quod servandum necessarius est actus Fidei. 1. Quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, quæ sine actu Fidei vinci posse non videtur: nam quisque tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum. 2. Quoties ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, purà spei, charitatis, religionis, pœnitentiæ, &c. Nam actus virtutum supernaturales necessario præsupponunt actum Fidei saltem implicitum, seu perceptibilem. 3. Actus Fidei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

ACTUS FIDEI.

Domine Deus omnipotens & incomprehensibilis! firmissimè credo te esse verum Deum, unum in essentia ac natura, & trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, rerum omnium Factorem, supremum Dominum ac Rectorem, & finem ultimum, super omnia colendum, & amandum; qui beatitudine æterna ac perfecta Fideles justos remuneras, malos verò æternis mulctas suppliciis. Credo secundam Personam, nempe Filium, factam esse hominem ex Maria semper Virgine: hunc Deum hominem pro salute nostra passum & mortuum esse, deinde tertia die resurrexisse, & postea cœlum conscendisse, unde descendet, omnes homines judicaturus secundùm cujusque opera: Neminem nisi per ejus merita salvari, nec ullum donum salutare accipere posse, & peccatores non nisi per ejus gratiam ac merita gratis justificari. Denique, mi Deus, credo generatim quæcumque revelasti ac promisisti, & quæcumque credit Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana, quæ sola vera est Ecclesia tua, & in qua sola salus obtineri potest. Hæc omnia firmissimè credo, quia tu ea revelasti, qui, cùm sis infinita sapientia, & summa bonitas ac sanctitas, nec falli, nec fallere potes.

CAPUT II.

De actu externo, seu Confessione Fidei.

Quæst. I. **A**N *extat præceptum confitendi exteriùs fidem suo tempore?*

Resp. Affirm. Constat, 1. Ex Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem*. Et, ex Luc. 9. infrà citand. 2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sit Sanctus August. lib. de fide & Symb. cap. 1. *Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ*. 3. Ex perpetuo usu ac sensu Ecclesiæ. Et verò ho-

honor authoritati Dei revelantis debitus, exigit, ut non solùm assensu interno, sed etiam professione externa ei adhæreamus, & nos subjiciamus.

Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet pro quolibet tempore negationem fidei, etiam merè externam: & quatenus affirmativum, præcipit confessionem externam pro certo tempore.

Quæst. II. *Quandonam obligat præceptum fidem exterius confitendi?*

Resp. Ex communi sententia obligat etiam cum vitæ damno, quoties per ejus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda; ut cùm prudenter speratur ex confessione Fidei conversio infidelium, vel confirmatio fidelium infirmorum, qui alias vacillaturi aut Fidem negaturi putentur, aut quando ex taciturnitate sequeretur contemptus religionis, vel scandalum, vel confirmatio in errore, perversio aliquorum; aut minueretur apud infideles existimatio de Deo vel religione Christiana; aut omissio confessionis censeretur implicita Fidei negatio. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 3. art. 2. *Confiteri*, inquit, *Fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: putà si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel quòd non haberet Fidem, vel quòd Fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem removerentur à Fide: in hujusmodi enim casibus confessio Fidei est de necessitate salutis.* Et ad 2. *in casu necessitatis ubi Fides pericli tatur, quilibet tenetur Fidem suam aliis pro palare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem: vel ad reprimendum infidelium insultationem.*

Prob. 1. Ex Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* At tunc non confiteri clarè & apertè Fidem cùm adest tam gravis causa eam exteriùs confitendi, est Christum & ejus doctrinam erubescere. 2. Quia actus cujuslibet virtutis, sive internus sive externus, præceptus est, cùm necessarius est ad finem præcepti, qui est charitas, juxta illud 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & Fide non ficta.* At in prædictis casibus professio Fidei necessaria est ad charitatem Dei, & proximi. Ergo.

Dixi, *clarè, & apertè*: nam qui utitur verbis ambiguis, quæ ab interrogante accipiantur pro negatione, erubescit sanè professionem doctrinæ christianæ, ut notant Suarez & Delugo.

Quisque etiam tenetur impedire, si potest, peccata contra fidem & religionem. Nam quælibet virtus obligat ad impedienda quæ illi adversantur; alioquin Deus afficeretur injuria. Quare si videas Dei nomen blasphemari, vel dogmata fidei impugnari, honorem Dei lædi, vel religionem contemni, sacras virgines vel templa profanari, &c. hæc impedire, si possis, teneris etiam cum periculo vitæ, nam tunc Dei honor debitus, & sacrorum reverentia, & charitas in Deum id exigunt. Secus, si prudenter judices oppositionem tuam magis obfuturam, quam profuturam.

Item tenetur veritates practicas non minùs quam speculativas à Christo traditas, facto & dicto profiteri, & tueri non solùm coram infidelibus, sed etiam coram mundanis hominibus, quando honor Christi, vel ædificatio proximi id exigit: nam generaliter Christus dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

Quæst. III. *An licet aliquando fidem exteriùs tantùm negare ad vitandum mortem, & dira supplicia?*

Resp. Numquam licet. Prob. 1. Ex Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* 2. Ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ id ut gravissimum crimen semper habuit, & Helcesaitas ut hæreticos damnavit, quòd dicerent id licere, modò fides in corde retineretur; & gravissimis pœnis mulctabat eos, qui in persecutionibus fidem Christi negabant tantùm exterius, ad mortem acerbissimam vitandam. 3. Illa negatio exterior est mendacium perniciosum in re gravissima; & gravem injuriam Deo infert, exteriùs protestando eum non esse summè veracem. Item dedecus est Domini, quòd servus dedignetur eum agnoscere ut Dominum, & eo ipso neget ei cultum debitum.

Hinc Catholicus à quovis interrogatus de sua religione, peccaret graviter contra fidem. 1. Negando se esse Christianum, vel Catholicum: qui negaret se veram Christi fidem tenere. 2. Respondendo se esse Turcam vel Judæum, aut Gentilem: quia hoc ipso negaret se esse Christianum. 3. Dicendo non esse Papistam, vel se esse Calvinistam, Lutheranum, &c. Quia hoc ipso negaret se esse Catholicum, quod est veram Christi fidem negare.

gare. At Sacerdos vel Religiosus, rogatus num sit Sacerdos vel Religiosus, peccaret quidem negando se esse, quia mentiretur; non tamen negaret fidem, quia non negaret se esse Catholicum, cùm multi laici sæculares sint Catholici (*a*).

Quæst. IV. *An liceat aliquando falsam Religionem simulare verbis aut factis?*

Resp. Numquam licet, nec proinde exercere actiones, quæ ex se, vel ex lege, vel ex communi usu sunt professio exterior falsæ religionis: ut genuflexio, vel thurificatio coram idolo, oratio ad Mahometem, &c. quamvis fiant simulatè, & ad vitandam diram mortem. *Prob.* 1. Ex perpetuo sensu & usu Ecclesiæ, quæ semper abhorruit à ritibus externis infidelium, & quæ tam graviter punit eos, qui simulatè solum idola adorabant, vel libellum à Magistratu infideli accipiebant, quo significaretur quamvis falsò, ipsos satisfecisse edicto sacrificandi idolis. 2. Quia sicut eodem præcepto affirmativo fidei præcipitur veræ Fidei internus assensus, & externa confessio; sic eodem præcepto negativo prohibetur falsæ Fidei internus assensus, & externa professio, quæ intrinsecè mala est, utpote mendacium facti perniciosum in re maximi momenti. 3. Qui simulatè exercet actionem, quæ est professio falsæ religionis, hanc exteriùs facto profitetur, & facto ostendit se esse falsæ religionis sectatorem, v. gr. Idololatram, Mahometanum, Judæum, vel Hæreticum; ac proinde facto & opere externo negat se esse Christianum vel Catholicum, quod semper est intrinsecè malum, & Deo graviter injuriosum.

Cæterùm neque Jehu, lib. 4. Regum, c. 10. laudatur, quod simulaverit se velle sacrificare Baal, sed solùm quòd domum Achab delevisset, & cultum Baal destruxisset. Neque Eli-

---

(*a*) Sanctissimus Pontifex Noster BENEDICTUS XIV. zelo, & doctrina celebratissimus, singulari studio abusus ad fidei, morum, rituumque integritatem pertinentes tollere, ac eliminare contendens, plura declaravit, definivit, & statuit, quibus non solum Anthoris nostri assertiones nonnullæ confirmari, ac illustrari possunt, sed etiam opus utilissima accessione locupletari. Hæc seligemus, ac propriis in locis indicabimus.

Quæ tribus antecedentibus quæstionibus exposita, & constituta sunt, mirificè confirmant, & explicant, *Decreta super pluribus disciplinæ capitibus, pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum Regionum*, quæ ita leguntur in Constitut. 89. incipien. *Inter Omnigenas* pag. 302. Tom. 1. Bullarii ejusdem Pontificis editi typis S. Congreg. de Propaganda Fide ann. 1746.

,, 1. Ordientes itaque a negociis Fidei, sine qua impossibile est placere Deo; omnibus & singulis illius Regni Fidelibus, qui Ecclesiæ Catholicæ communionem retinere cupiunt, districtè præcipimus, & jubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum & necesse est aliquandò, Christianæ Religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant, contra Evangelica præcepta, & instituta; præsertim verò, quæ protestationem includunt Mahumeticæ Sectæ; ideoque si circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere: Abominanda Infidelium Templa, quæ Moscheas vocant, frequentare: Ecclesiasticorum jejuniorum dies Carnium esu profanare, & hæc eo fine, ut Mahumetani credantur, prorsùs devitent. Hæc enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria, quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit.

,, 2. Multò verò magis, quum à publica potestate interrogantur, illicitum tibi esse scians Mahumeticæ Sectæ se addictos profiteri; sed illud noverint eum tempus, quo eos oportet, sumentes Scutum Fidei, non solùm corde credere ad justitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin si eum coram hominibus negare ausi fuerint, & ipse negabit eos coram Patre suo.

,, 3. Impius pariter, & illicitus est illorum Serviæ Christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua Turcarum sepulturis mandari cum istorum assistentia, & Mahumeticis adhibitis ritibus permittunt, aut jubent. Etenim si Christum in vita erubescere minime debent, quanto minùs quum ejusdem tremendo judicio sistendi sunt; ne & ipse eorumdem coram Æterno suo Patre erubescat.

,, 4. Munus itaque Episcoporum, Parochorum, & Missionariorum erit, seriò Christianos illos, qui supradicta, cum ingenti Fidei injuria, nefariè præsumunt, docere, & admonere; quod frustrà sibi de Christianæ Legis custodia, & zelo, deque Filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes facti sunt omnium rei: itaque ipsis apertè denuntient, quod quisquis metu cujuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, Fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem, quam Deum, & momentanea retinere, quam æterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat; alioquin a proprio Episcopo Canonicis pœnis, ad præscriptum etiam supradicti Albani Concilii, plectendus erit.

,, 5 Arcendæ pariter à Sacramentis Ecclesiæ sunt illæ Mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissæ, celantes Christianæ Religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni Religionis exercitio remotam; eisque à Pastoribus denunciandum est, ne salutis æternæ fiduciam collocent in ea Fide, quam, sine operibus mortuam, in corde tantum utiliter conservare posse sibi persuadent.

Elisæus permisit Naaman adorare Idolum per simulationem, sed solùm incurvare se, ut Rex illi inniteretur, dum coram Idolo genuflecteret: quia Naaman hoc obsequium civile tenebatur præstare Regi, qui solebat sive in foro, sive in templo, infiniti humero alterius, & quem de more sustinere non poterat Naaman, si Rege genuflectente ipse rectus staret, ideoque debebat se inclinare, ut Regem sustineret: quod erat obsequium merè civile erga Regem; & aliis adstantibus satis notum erat Naaman genuflectere obsequii civilis causa. Unde Elisæus solùm permisit Naaman exercitium officii civilis suo Regi exhibendi etiam cum hic sua idola adoraret.

Hinc numquam licet, 1. Cœnam hæreticam sumere, aut cum hæreticis in propriis ipsorum cæremoniis vel precibus communicare, v. gr. simul cum iis psalmos canere &c. quia id faciens censeretur cum illis communicare in falsa religione, & illam facto profiteri; & sic veram fidem virtualiter exteriùs negaret.

2. Interesse concionibus vel conventibus hæreticorum, non solùm cùm adest periculum subversionis, vel scandali; sed etiam quoties id censetur à vera fide defectio, aut simulatio defectionis. Item nec licet obedire principis edicto, quo præciperet subditis suis adire conciones hæreticorum, etiam si verbis protestaretur se nolle cogere quemquam ad religionem mutandum. Quia talis edicti observatio per se apta est ad Catholicos paulatim pervertendos, & ad conciliandam authoritatem hæresi, ac vilipensionem fidei Catholicæ, imò est honoratio exterior falsæ doctrinæ, quæ sic magno concursu auditur. Ideo Paulus V. Anglis bis rescripsit hoc non licere. Non peccat tamen, qui extra has circumstantias, & scandali ac perversionis periculum, ob aliquam causam justam templa hæreticorum ingreditur, ibique eorum conciones audit, non ut cum illis communicet, sed ut observet quid ibi agatur, vel prædicetur. Sed, ut notat Sanchez, mera curiositas non sufficit, ut licitè quis ejusmodi conciones audiat, sed requiritur aliqua causa gravis.

3. Seriò uti vestibus vel aliis signis, quæ solùm adhibentur ad professionem vel exercitium falsæ religionis: nam qui uteretur, falsam religionem hoc ipso profiteretur, & ita facto veram fidem negaret. Secùs de vestibus & signis, quæ distinguunt nationem ab alia.

De signis autem & vestibus, quæ distinguunt infideles à fidelibus, qualis est tobalia propria Turcarum, vel Romæ pileus flavus Judæorum, controvertitur. Toletus & alii multi negant unquam licete iis uti, quia illorum gestatio est professio externa infidelitatis. Certè nemo negare potest iis vestibus uti non licere, si nulla adest causa fidem occultandi: nam tunc meritò censeris negasse fidem, aut velle illius desertorem videri, quod est intrinsecè malum; tunc enim censeris ea uti ad te distinguendum à fidelibus.

Quæst. V. *An licet aliquando fidem veram occultare?*

Resp. 1. Non licet, quoties præceptum confitendi exteriùs fidem obligat, & urget. Patet: nam violatetur.

Resp. 2. Si quis à potestate publica, puta à principe, judice, magistratu, vel tyranno interrogetur etiam privatim, tenetur clarè & apertè confiteri fidem, etiam cum certo vitæ periculo. *Prob.* Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Alioqui Christum & ejus doctrinam erubesceret. 3. Qui à potestate publica etsi injustè interrogatus de Religione, profitetur se esse Catholicum, significat se magni facere Fidem catholicam, & pro eâ quodlibet periculum subire paratum esse: quod sane Fidei & Deo ejus authori valde honorificum est. Econtra si diffi[t]eatur Fidem, indicat se parvi facere Fidem catholicam: & sic Fidei catholicæ dedecus inferret. 4. Silentium in hac circumstantia per se & regulariter censetur signum, vel negatæ Fidei, vel erubescentiæ, vel timoris pœnæ, ob quam silens non vult fidem confiteri, aut saltem dat grave scandalum.

Quòd si à persona privata quis interrogetur publicè, tenetur etiam confiteri Fidem, quia alioqui subtraheretur magnus honor Deo ac religioni debitus, vel daretur scandalum proximo. Ita *Suarez.*

Multi docent eum, qui privatim à privato interrogatur, posse tacere, aut interrogationem eludere, dicendo, v. gr. Quid ad te? Quid me interrogas? modò inde nullum sequatur detrimentum honoris Deo debiti, aut scandalum proximi, spectatis circumstantiis. Sed hoc alii negant, quia censent repugnare præcepto absoluto confitendi Fidem. Porrò aliquando silentium ex circumstantiis in ordine ad scandalum vel ad dedecus religionis æquivalet negationi vel erubescentiæ: ut si te tacente alius respondet te Fidem negare, cui tamen ob verecundiam vel metum non contradicas. *Delugo.*

Resp. 3.

Resp. 3. Licet Christiano fugere, vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum Fidei detrimentum in aliis, vel scandalum oriatur. *Prob.* 1. Ex Matth. 10. *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* 2. Ex Apostolorum & S. Athanasii ac aliorum Sanctorum exemplo. 3. Quia præceptum confitendi Fidem, utpote affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed tantùm ubi honor Dei, vel utilitas proximi id exigit. 4. Fugiens extra necessitatem divini honoris, vel utilitatis proximi, Fidem non negat, imò quodam modo profitetur: non enim fugeret, si Fidem non retineret.

Hæc tamen fuga illicita est ei, cujus præsentia necessaria est ad confirmandos alios in Fide: nam talis ex charitate, vel etiam ex officio, si sit Pastor, tenetur ad manendum etiam cum periculo vitæ. Item Pastori non licet fugere, cùm oves ejus opera egent, quia tenetur ex officio eis providere, ex Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Secùs, si suis subditis vel communi bono utilius sit, ut ad tempus se subducat, & in eorum bonum se reservet, providendo eis necessaria vel per se occultè, vel per alium: nam tunc charitas fugam postulat.

Nota. Seclusa necessitate vel utilitate Fidei & proximi, confessio Fidei publica est illicita in his casibus: 1. Si quis temerè se exponat periculo suppliciorum, quæ fortè tolerare non poterit: quia tunc inprudenter se exponit periculo negandæ Fidei. 2. Si per eam detur infidelibus occasio peccandi, fidemque persequendi: nam per illam impeditur majus bonum, imò inferretur magnum periculum, ac damnum proximo & religioni. Unde illud, Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi, dirumpant vos.* Ita S. Thom. ad 3. addens, *Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publicè Fidem confiteri.*

CAPUT III.

De peccatis Fidei oppositis.

Tria vulgò numerantur, nempe infidelitas specificè sumpta, hæresis, & Apostasia.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est infidelitas?*

Resp. Infidelitas est carentia Fidei. Triplex est, negativa, privativa, & positiva.

Infidelitas purè negativa est carentia Fidei in eo, qui de Fide nilumquam audivit. Hæc non est peccatum, sed tantùm pœna peccati, ut constat ex Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, infidelitatis. Et ex hac Baji propositione damnata: *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Ratio est, quia omne peccatum est voluntarium vel in se, vel in alio. At hæc infidelitas non est voluntaria neque in se, utpote in se non cognita; neque in alio, quia nil faciunt infideles illi, unde cognoscant, aut cognoscere possint sequi infidelitatem illam. Nam ut aliquid sit voluntarium in alio, requiritur ut sit aliquo modo saltem confusè cognitum ut secuturum ex alio, quocum connexionem habet, & in quod voluntas directè ac immediatè fertur; vel saltem cognosci potuerit ac debuerit ut secuturum ex alio: alioquin non est voluntarium in illo, cùm nil sit voluntarium sine cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Quare ejusmodi infideles damnabuntur quidem propter peccatum originale & peccata personalia contra Legem naturalem commissa, non tamen propter infidelitatem.

Infidelitas privativa est carentia Fidei in eo, qui vel Fidem non vult audire, vel sufficienter propositè non assentitur, vel non inquirit, quando est sufficienter proposita ut teneatur inquirere, quamvis nec positivè dissentiat, nec errorem Fidei contrarium asserat. Est mortale peccatum, ex Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est.* Nam est omissio voluntaria medii ad salutem necessarii, & à Deo præcepti; atque reverentiæ authoritati Dei revelantis debitæ.

Infidelitas positiva seu contraria, est carentia Fidei in eo, qui Fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem Fidei, vel errorem Fidei contrarium asserendo. Est mortale peccatum contra Fidem: nam continet gravem injuriam ac contemptum primæ veritatis, seu authoritatis Dei revelantis.

Infidelitas positiva triplex est, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Paganismus est infidelitas, qua doctrina Fidei totaliter rejicitur. Ad hunc reducitur Atheismus, & Mahumetismus. Judaismus est infidelitas, qua doctrina Fidei in novo Testamento contenta rejicitur; sic tamen ut admittatur vetus Testamentum, continens illius figuras & promissiones. Hæresis est infidelitas, qua doctrina novi Testamenti non ex toto, sed solùm ex parte rejicitur.

tur. Porrò in hac etiam infidelitate non datur parvitas materiæ, cùm nulla possit esse infidelitas positiva sine contemptu authoritatis Dei revelantis, quæ exigit ut credantur res à Deo revelatæ, ubi primùm sufficienter propositæ sunt ut à Deo revelatæ.

Quæst. II. *An Infideles possunt cogi ad Fidem suscipiendam?*

Resp. 1. Certum est infideles baptizatos, sive hæreticos, sive apostatas, posse cogi ad Fidem Catholicam suscipiendam, & servandas Leges Ecclesiasticas, quamvis baptizati sint in infantia, vel in adulta ætate ex metu compulsi. Quia omnis baptizatus est subditus Ecclesiæ quoad ea, quæ ad salutem & religionem spectant.

Resp. 2. Infideles non baptizati, sive sint subditi principibus Christianis, sive non, compelli directè non possunt ad amplectendam religionem Catholicam. *Probat.* 1. Ex cap. 3. *de Bapt.* & cap. 9. *de Judæis*. 2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ numquam tali coactione sive per se, sive per principes Christianos usa est, quamvis id facile potuisset obtinere à principibus religiosissimis, puta Constantino Magno, Theodosio, & aliis, quibus innumeri infideles subjecti erant. 3. Quia Ecclesia nullam habet potestatem in non baptizatos, ex 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. Potestas verò sæcularis, utpote merè politica ac temporalis, non extenditur ad supernaturalia, ut est Fidei susceptio. Adde quòd Fidei ac Baptismi susceptio debeat esse voluntaria, alioqui non esset vera, sed ficta & sacrilega. Illud autem Christi, Luc. 14. *Compelle intrare*, significat adhortationibus adducendos esse homines ad Fidem.

Dixi, *directè*. Nam principes possunt, 1. Vetare infidelibus subditis cultum Idololatriæ: quia possunt prohibere id quod Legi naturali repugnat, & cogere ad illius observationem, & præsertim ad ea, quæ ad publicam morum honestatem spectant. Sic Constantinus Magnus tulit Leges contra Idololatras, quas approbat S. Augustinus. Nam princeps tenetur subditos dirigere ad finem gubernationis naturalis, qui est vivere secundùm rectam rationem. 2. Cogere illos ad audiendam Fidei doctrinam, negando illis jus habitandi in suis provinciis, vel exigendo majus tributum, justum tamen, quàm ab aliis, ni audiant; vel negando privilegia & gratias aliis concessas. Sic Gregorius XIII. constit. 92. statuit, ut Judæi ad audiendam singulis hebdomadis concionem de rebus nostræ Fidei cogerentur ab Ordinariis locorum, sub pœna interdicti cum fidelibus commercii, vel aliis mulctis.

Resp. 3. Juxta S. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 8. Ecclesia potest per principes Christianos compellere Infideles, ut non impediant prædicationem & propagationem Fidei: quia habet jus & potestatem prædicandi Fidem per totum orbem, Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Sed qui habet jus ad aliquid faciendum, habet potestatem non solùm illud exequendi, sed etiam compellendi per se vel alios, ut non impediatur ejus executio.

Quæst. III. *An licet cum Infidelibus communicare?*

Resp. Non licet in eorum ritibus, sacrificiis, orationibus, cultu superstitioso; quia talis communicatio est exterior quædam professio & approbatio falsæ religionis, ac proinde virtualis negatio veræ. At in civilibus, secluso periculo perversionis & scandali, licet, ex 1. Cor. 10. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate.*

Jure tamen canonico vetitum est omnibus Christianis, ne cum Judæis habitent, comedant, in balneo laventur, ipsis famulentur, & ab eis medicinam accipiant. Item ne officia publica iis committantur, *tit. de Judæis*. Ex Conc. gener. Lateran. Quod sancitum est tum ad tuendam dignitatem Christianæ religionis, tum ad vitandum perversionis periculum per familiaritatem cum Judæis, qui præ cæteris Infidelibus religioni Christianæ adversantur, & Christum blasphemare solent.

Quæst. IV. *An licita est disputatio de rebus Fidei cum hæreticis?*

Resp. 1. Prohibita est omnibus laicis, c. 2. de hæret. in 6. *Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel privatim de Fide Catholica disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Circa quod

Nota 1. Ibi comprehenduntur etiam laici docti, nam nullus excipitur. 2. Hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, si laicus sit doctus, ut si quis hæreticus Fideles perverteret, nec adessent clerici docti, qui Fidem tuerentur. Imò tunc Lege divina teneretur, ut saluti proximi consuleret, & Fidem despectam defenderet. Hoc multi extendunt ad causam magnæ utilitatis evidentis, quam Lex impedire non intendit. 3. Dicitur hæc prohibitio in locis, ubi hæretici grassantur, per contrariam consuetudinem esse abrogata, scientibus & non contradicentibus Prælatis.

Resp. 2.

Resp. 2. Jure naturali prohibita est cuilibet indocto, etsi clerico. Quia cùm non possint Fidem rectè tueri, nec objectiones solidè diluere, hæc disputatio hæreticos in errore confirmaret, & Catholicis dubitationem injiceret; & res Fidei periculo contemptus & minoris existimationis exponeret.

Resp. 3. Omnibus illicita est disputatio de rebus Fidei coram Catholicis indoctis & simplicioribus. Quia imminet periculum, ne illi, auditis hæreticorum argumentis, in Fide vacillent; nam facilè vim objectionum percipere solent, & ratiò ac difficilè solutionum, cùm res Fidei sint obscuræ, & supra rationem humanam: Unde illud, 2. ad Timoth. 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium.* Excipe, nisi simpliciores ab hæreticis sollicitarentur.

Quæst. V. *Quid est hæresis?*

Resp. Est voluntarius error contra aliquam Fidei veritatem, cum pertinacia in eo, qui Christianismum profitetur. Unde ad hæresim tria requiruntur. 1. Ex parte intellectus, judicium erroneum contra Fidem, seu directè oppositum alicui veritati revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ. Hinc qui exteriùs solùm negat Fidem absque judicio interno Fidei contrario, non est verè hæreticus, nec incurrit pœnas contra hæreticos latas. Nam quamvis graviter peccet contra Fidem, & in foro externo præsumatur hæreticus, tamen actus non habet malitiam hæresis, ob quam sub censura vetitus est.

2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia. Ita omnes, post S. August. Epist. 162. Nam Fides amittitur per hæresim, non per errorem simplicem, ut patet in aliquibus Sanctis, qui erraverunt circa aliquas Fidei veritates. Pertinacia autem illa consistit in deliberata voluntate dissentiendi alicui doctrinæ, quam quis scit ab Ecclesia Catholica teneri ut Fide certam, vel quæ ei sufficienter proponitur ut doctrina Ecclesiæ, seu ut à Deo revelata; quamvis errorem contrarium sensui Ecclesiæ teneat, non ut contradicat Ecclesiæ, sed ex quovis alio motivo: nam hoc ipso resistit authoritati Ecclesiæ infallibili, & testimonio Dei sufficienter proposito ex S. Augustino, lib. 4. contra Donat. cap. 16. ubi ait: *Constituamus ...... unum eorum id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est ..... existimantem ipsam esse Catholicam Fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica Fide resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.*

Hinc errans contra Fidem ex ignorantia, etiam culpabili, non affectata, sed animo parato ad credendum id omne quod Ecclesia credit, ubi primùm ejus doctrina ei proponetur, non est hæreticus, quamvis peccet contra præceptum sciendi res Fidei; quia deest pertinacia. Est tamen hæreticus qui errat in Fide ex ignorantia affectata, quam habet, vel quia parvi momenti esse judicat, quæ Ecclesia proponit credenda; nam tunc despicit authoritatem Ecclesiæ, nec illam credit qualem Fides docet esse; vel ut liberiùs erret in Fide; nam tunc error est illi voluntarius cum pertinacia, cùm velit errare in Fide, nec velit subjici authoritati Ecclesiæ.

3. Ex parte subjecti requiritur professio Christianismi, seu Fidei in Christum, ex S. August. qui lib. 18. de Civit. cap. 51. hæreticos vocat eos, *qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resistunt Christianæ.* Non tamen requiritur baptismus, ut quis sit hæreticus in foro Dei; nam habiti sunt ab Ecclesia ut hæretici, qui non erant baptizati saltem validè, ut Paulianistæ, qui verum baptismi ritum non servabant: ut constat ex Innocentio I. Epist. 22. & S. Hieron. dialog. contra Lucifer. & ex Concil. Nicæn. I. can. 19. jubente eos rebaptizari. Requiritur tamen Baptismus in foro Ecclesiæ, & ad subeundas pœnas hæresis; cum nemo sit ejus subditus, nisi per Baptismum, ex Conc. Trid. sess. 14. c. 2.

Nota ex Delugo. Ut aliquis sit hæreticus, sufficit, quòd taliter ei proponatur Ecclesiæ doctrina seu judicium, ut hoc prudenter negare nequeat, nec de eo dubitare, quamvis nolit credere tale esse judicium Ecclesiæ; nam hoc ipso pertinaciter respuit Ecclesiæ doctrinam sibi sufficienter propositam. Enim verò ad hæresim non requiritur, ut quis credat aliquid proponi ab Ecclesia habente authoritatem infallibilem in proponendo, & ei dissentiat; nam cum hoc judicio est impossibilis dissensus: alioqui crederet esse falsum id, quod simul credit proponi ab Ecclesia non potente proponere falsum, quod esset apertè sibi contradicere. Hinc hæreticus est, qui dicit: Ego credo omnia, quæ credit Ecclesia; sed non credo hoc dogma, quod puto non proponi nec credi ab Ecclesia: si taliter ei proponatur judicium Ecclesiæ circa tale dogma, ut non possit nisi imprudenter id negare, nec de eo dubitare, aut formidare. Item hæreticus est, qui adhæret propositioni ab Ecclesia damnatæ sub quacumque qualificatione, sive tamquam temerariæ, sive tamquam scandalosæ, vel falsæ, vel erroneæ, &c. quia propositioni sic

dam-

damnatæ adhærere non potest, quin simul judicet Ecclesiam fallibilem esse in decidendo: quod utique hæresis est.

Porrò hæresis est unum ex gravissimis peccatis, ut consentiunt omnes, teste Suarez. Quia, 1. virtus Fidei est virtus theologica, ideoque major omnibus virtutibus moralibus. Ergo peccatum illi oppositum est unum ex gravissimis: nam, ut docent Aristoteles & S. Thomas, illud est pessimum, quod optimo contrariatur. 2. Fides est fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. Ergo infidelitas expellendo Fidem, omnino privat hominem justitia à fundamentis. 3. Sicut Fides est radix cæterarum virtutum, ita infidelitas secum infinita affert vitia. 4. Hæresis est contemptus authoritatis divinæ seu veracitatis divinæ revelantis; & sic est immediatè ac directè contra Deum. Quare hæresis, cùm sit infidelitas commissionis, est maximum peccatum in specie infidelitatis, ideoque graviùs omnibus speciebus vitiorum moralium. Ita Suarez, & alii communiter. Hinc illud, ad Tit. cap. 3. *Hæreticum devita quia subversus est, & delinquit.*

Quæst. VI. *An dubius in Fide est Hæreticus?*

Resp. Qui de veritate aliqua, ab Ecclesia proposita & revelata dubitat deliberatè, judicando eam esse incertam, & posse esse falsam, est formaliter hæreticus. Ita communiter cum S. Thoma, qu. 10. art. 1. Ex c. 1. de Hæretic. ibi: *Dubius in Fide infidelis est.* Item ex Conc. Later. V. sess. 8. ubi damnantur tamquam hæretici, qui asserunt, vel dubitant animam hominis esse mortalem. Quia sic dubitans judicat veritatem Fidei ab Ecclesia propositam ut revelatam, non esse certam: item authoritatem Ecclesiæ in proponendis rebus Fidei non esse infallibilem: quod utrumque est aperta hæresis. Idem dic de dubitante per meram suspensionem assensus à voluntate imperatam propter motiva contraria. Quia talis æquivalenter judicat motiva contraria Fidei tantùm valere, ut incertam reddat veritatem illam, quamvis ab Ecclesia proponatur ut Fide credenda: siquidem assensum sibi imperare non audet ex metu errandi incusso per motiva contraria illi veritati. Ergo æquivalenter judicat Ecclesiam non esse infallibilem in rebus Fidei, & æquivalenter contradicit sensui Ecclesiæ judicantis veritatem à se propositam ut revelatam, firmissimè credendam esse propter authoritatem divinam. Ergo talis est formaliter hæreticus; cùm in æstimatione morali & in ordine ad hæresim formalem contrahendam perinde sit, sive formaliter, sive æquivalenter judices Ecclesiam non esse infallibilem, & contradicas scienter ejus judicio; nam ad hæresim formalem sufficit quodvis judicium erroneum contra Fidem cum pertinacia.

Dixi, *per suspensionem imperatam à voluntate.* Nam qui cogitans de rebus Fidei, intellectum ad alia averteret, & ita assensum suspenderet non ex metu errandi, sed præcisè ut intellectum aliis rebus applicaret; non esset ideo dubius in Fide, ut patet.

Quæst. VII. *Quænam sunt pœnæ contra Hæreticos latæ?*

Resp. Sunt, 1. Excommunicatio major ipso facto lata, can. *Achatius* 24. qu. 1. & cap. 9. & cap. 13. de Hæretic. Ex consensu Doctorum sufficit hæresis occulta, modò sit externa, hoc est, verbo, signo, vel facto, quamvis nemine præsente, declarata: nam tunc est verè externa, & per se exteriùs cognoscibilis. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris, si hæresis sit notoria. 4. Privatio beneficiorum & dignitatum, cap. 12. de Hæret. in 6. Item jurisdictionis spiritualis, cap. *Audivimus* 24. qu. 1. Et, cap. *Aperte* ibid. 5. Bonorum confiscatio, cap. 10. de Hæret. sed hoc non ubique viget. 6. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. cap. 2. de Hæret. in 6. ubi excommunicantur ii, qui hæreticos scienter tradunt sepulturæ Ecclesiasticæ. In Gallia tamen hæretici sola ipso facto excommunicatione majori cæterisque privationibus & inhabilitatibus ei annexis mulctari dicuntur; à qua excommunicatione Episcopi per se, vel per delegatos absolvunt ex antiqua consuetudine.

Nota. Credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum ipso facto in excommunicationem incurrunt, & privantur sepultura Ecclesiastica, cap. 13. *de Hæret.* ex Conc. Gener. Later. IV.

Quæst. VIII. *An licita est lectio libri Hæretici?*

Resp. Jure naturali prohibita est iis, quibus ex tali lectione imminet periculum perversionis: quales sunt infirmi in Fide, & præsumuntur esse rudiores, & in rebus Fidei parùm eruditi, & semidocti, imò & eruditi viri plurimi, quorum Fides interdum infirmior est, quam simplicium & rudiorum. Nam quisque ex charitate Dei ac sui tenetur periculum morale peccati, & salutis amittendæ vitare. Imò seclusо periculo perversionis est graviter illicita etiam doctis & firmis in Fide, quando est prohibita ab Ecclesia simpliciter & absolutè; quia Ecclesia eam prohibet non solùm

ob

ob periculum perversionis, sed etiam in odium & pœnam hæresis ac authoris hæretici. Præterea Lex fundata in præsumptione periculi obligat omnes qui non excipiuntur.

Lectio autem & retentio librorum quorumcumque hæreticorum prohibita est sub excommunicatione in Indice à Pio IV. & aliis Pontificibus edito, & in Bulla Cœnæ. Et quamvis hæc pœna (inquit Grandin Doctor Sorbonicus) non vigeat in tota Gallia, ubi non est promulgata Lex Indicis, nec Bulla Cœnæ, non desinit tamen peccare, qui sine licentia libros ejusmodi legit: sive quia eatenus receptus est Index quoad Libros prohibitos: sive quia vi Legum antiquioris Juris, prohibitio librorum hæreticorum in Gallia in suo vigore perseverat, transitque ad libros hæreticæ doctrinæ, qui nunc eduntur. Lectionem cujuslibet libri hæretici sub peccato mortali prohibitam esse in Gallia non tamen sub excommunicatione, Pastores Ecclesiæ Gallicanæ semper & ubique docuerunt, inquit eruditus recentior Gallus; addens, docere authores Gallos, Episcopos in Gallia esse in possessione concedendi facultatem legendi libros hæreticos & prohibitos.

Notanda sunt sequentia.

1. Nomine libri hæretici prohibiti, ex usu Patrum & stylo Curiæ Romanæ, comprehenduntur brevis scriptura, oratio, concio, disputatio, epistola de religione tractans. Nam sæpe æquale aut etiam majus periculum continent quàm liber grandior.

2. Ex communi sententia datur in tali lectione parvitas materiæ, sed hæc difficile designari potest. Videntur ad mortale sufficere quindecim lineæ, aut fortè pauciores; quia hæ communiter possunt continere materiam sufficientem ad perversionem. Imò juxta varios, non excusatur à mortali culpa & censura, qui legit paucas lineas libri hæretici, in quibus scit hæresim contineri: quia sunt partes substantiales libri hæretici ut hæretici, ideoque notabiles relativè ad finem prohibitionis; & æquivalent multis aliis, cùm contineant substantiam veneni. Quod videtur à nemine negari posse, si illæ paucæ contineant etiam approbationem propositionis hæreticæ. Item ex communi datur parvitas materiæ excusans à mortali in tempore quo retinetur liber prohibitus, nisi retineatur animo retinendi diutiùs.

3. Prohibito libro censetur qualibet illius pars prohiberi, quamvis nullum forte errorem contineat; præsertim cùm prohibitio fiat etiam in pœnam & detestationem errorις & hæreticorum.

4. Peccat & contrahit censuram, qui licèt ipse non legat, tamen, curat alium legere, ut ipse audiat: nam moraliter censetur ipse legere per alterius ministerium: *Quod enim quis facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum*. reg. 72. Juris in 6. Neque ad strictam verborum interpretationem confugiendum est, cùm de mente legislatoris rationabiliter dubitari nequit. *Ita Azor, Layman, &c.*

5. Non licet Bibliopolæ libros prohibitos emere & vendere: quia per hoc moraliter disseminaret errores, & esset multis occasio peccandi. Et quamvis deceptus sit emendo, non ideo licet revendere; sicut qui accepit falsam monetam, non ei licet eam tradere alteri pro mercibus; sed istud damnum casui attribuat: nam est merx substantialiter vitiosa & prohibita.

Quæst. IX. *Quid est Apostasia à Fide?*

Resp. Est totalis defectio seu recessus à Fide Christiana per baptismum suscepta. Iisdem omnino pœnis, quibus hæresis, subjicitur; nam est verè hæresis, cùm discedatur à Fide suscepta: quod autem discedatur totaliter, est augmentum quoddam in eadem specie.

Præter illam, triplex est alia Apostasia, nempe ab obedientia, ab ordine clericali, & à statu Religionis. Apostasia ab obedientia, si latè sumatur, reperitur in omni peccato mortali: si strictè; consistit in eo, quòd quis justis præceptis superiorum suorum se opponit, & obedire recusat. Apostasia ab Ordine consistit in eo, quòd quis sacro Ordine initiatus, deserit habitum clericalem, ut more laici vivat. Apostasia à Religione est recessus à statu religioso ad statum vitæ sæcularis, dimisso habitu Religionis, vel cum animo non redeundi.

PARS II.

De Spe.

Quæst. I. QUid est Spes?

Resp. Spes actualis est fiducia certa obtinendi beatitudinem æternam per media à Deo statuta: sive est actus, quo optamus, & certò expectamus à Deo per merita Christi beatitudinem æternam, seu possessionem Dei perfectam, & media illius assequendæ: eo quòd Deus sit summum nostrum bonum, auxiliator omnipotens, misericors & fidelis in promissis. Spes habitualis est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitivus.

Hinc 1. Spes est actus virtualiter duplex, sive est actus æquivalens duobus actibus, quorum

rum unus esset tantùm desiderium efficax beatitudinis, seu amor Dei ut summi nostri boni, & alter esset confidentia seu erectio voluntatis adversus difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxiliis & promissionibus divinis. Ac proinde Spei duplex est objectum formale, seu motivum, unum totale constituens: nam motivum desiderii est Dei bonitas relativa, cujus possessio potest nos perfectè beare: motivum verò confidentiæ seu erectionis, est Dei virtus auxiliatrix, seu multiplex Dei perfectio, nempe benignitas, misericordia, omnipotentia, & fidelitas in promissis factis propter merita Christi. *In Spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus.* Tit. 1. *Deus meus adjutor meus & sperabo in eum.* Psalm. 17.

Hinc 2. Spei objectum materiale primarium est Deus possidendus, secundarium sunt media salutis à Deo instituta, nempe gratia, & bona opera ex viribus gratiæ facta, sine quibus Spes esset mera præsumptio: Item bona temporalia, quatenus per bonum usum ex gratia Dei ad salutem conducere possunt: uno verbo, omnia quæ in oratione Dominica continentur. Deum autem possidendum, esse objectum primarium Spei, patet ex Genes. 15. ubi Deus dicit Abrahamo: *Ego .... merces tua magna nimis.* Et Joann. 3. *Nunc Filii Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est,* (& videndo fruitivè amabimus.) *Et omnis qui habet hanc Spem in eo, sanctificat se,* &c. Unde S. August. lib. 22. de Civit. cap. 30. ait: *præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui se ipsum, quo melius & majus nihil possit esse, promisit.*

Hinc 3. Ad Spem pertinet timor privationis gratiæ Dei, & ejus possessionis.

Dixi, *Certa*, scilicet ratione sui, & quantum est ex parte Dei: quia nititur omnipotentia, misericordia, & fidelitate Dei in promissis. Unde, ad Hebr. 6. dicitur *Anchora animæ tuta ac firma.* Est tamen incerta respectu nostri. Nam non sumus certi de nostra cooperatione, & perseverantia ad salutem necessaria. *Nescit homo utrùm amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta,* Eccli. 9. Hinc illud, ad Phil. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Possumus tamen & debemus sperare perseverantiam finalem: nam ad hoc sufficit, quòd sit certò futura conditionatè, nempe sub hac conditione, si non defuerimus gratiæ Dei. Est autem certò futura sub hac conditione; id enim docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 13. ubi de perseverantia finali loquens, sic ait: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

Quæst. II. *An datur speciale præceptum Spei?*

Resp. Affirmat. Constat 1. Ex Psalm. 4. *Sperate in Domino.* Et, 1. Petri 1. *Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Et, 1. ad Tim. 6. *Præcipe .... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* 2. Ex S. Aug. tract. 83. in Joann. *De Fide nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de Spe.* 3. Quia Spes est medium ad salutem necessarium: *Spe enim salvi facti sumus,* Rom. 8. Estque dispositio necessaria in adulto ad justificationem obtinendam, ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. Deus autem præcepit omnia media ad salutem necessaria, præterea Deus non vult salvare adultos sine propria cooperatione, quæ non fit sine Spe, per quam voluntas tendit in Deum ut suum summum bonum, & erigitur adversùs difficultates, quæ reperiuntur in virtutum exercitio. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Præceptum Spei obligat ad eliciendos suo tempore actus Spei, aliosque connexos, & ad adhibenda omnia media necessaria ad beatitudinem consequendam; prohibetque præsumptionem, desperationem, & incuriam salutis.

Quæst. III. *Quandonam præceptum Spei obligat ad eliciendum actum Spei?*

Resp. Obligat per se & ratione propriæ honestatis, 1. Initio usus rationis, quando quis novit æternam beatitudinem, ad quam destinati sumus: nam tunc debet tendere ad suam beatitudinem ac suum summum bonum, & rectè vitam suam instituere. 2. Quoties versatur in periculo desperandi, nisi actu Spei animum confirmet; nam eodem præcepto tenemur sperare, & non desperare. 3. Sæpe in decursu vitæ, ut semper homo sit bene dispositus & corroboratus ad bonum faciendum & peccatum vitandum. 4. In periculo mortis: nam tunc præcepta præsertim Deum immediatè spectantia, maximè urgent. Et tunc actus Spei necessarius est ad se confirmandum contra tentationes & dolores.

Ob-

Obligat autem per accidens. 1. Quando ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, ut orationis, pœnitentiæ, &c. quæ sine actu Spei exerceri nequeunt. 2. Quoties urget tentatio, quæ superari non potest nisi animus corroboretur, per actum Spei. 3. Actus Spei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

Quæst. IV. *Quanam sunt peccata Spei opposita?*

Resp. Sunt desperatio, præsumptio, & incuria salutis.

Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem, & media ad illam necessaria.

Præsumptio est inordinata fiducia obtinendi à Deo beatitudinem aliter quàm ipse statuit esse obtinendam. Est autem inordinata, 1. Cùm quis innititur propriæ virtuti & viribus, ut si præsumat obtinere gloriàm ex solis viribus naturæ per opera naturalia, ut faciebant Pelagiani. 2. Cùm quis inordinatè innititur omnipotentiæ & misericordiæ Dei, ut si speret quæ Deus negare statuit, v. gr. beatitudinem sine bonis meritis, ut faciunt Calvinistæ: vel si statuat perseverare in peccatis quamdiu bene valet, sperans se acturum pœnitentiam in articulo mortis, ut faciunt peccatores multi. Præsumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua alibi.

Ad incuriam salutis pertinet ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui.

Hæc peccata sunt per se mortalia, cùm sint opposita virtuti theologicæ, & graviter injuriosa Deo. *Ita duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes*, ait S. August. serm. 87. de verb. evangel. nov. edit.

Hinc mortale est, 1. Non velle efficaciter, nec optare possessionem Dei. 2. Deliberatè cupere perpetuò manere in hac vita, & magis amare bona creata, quàm possessionem Dei. 3. Ex nimio damnationis metu, & diffidentia de Dei gratia ac misericordia, absolutè cupere annihilari, vel numquam fuisse. 4. Desperare de obtinenda vita æterna & venia peccatorum, emendatione vitæ, vel auxiliis gratiæ necessariis. 5. Sperare salutem sine bonis operibus ex gratia factis, velut debitam ob dotes, aut opera naturalia, aut veniam peccatorum sine pœnitentia. 6. Velle perseverare diu in peccatis ex spe misericordiæ divinæ, aut post lapsum in unum mortale multa alia committere, eo quòd æquè facile fit obtinere veniam multorum quam unius, quasi Deus sua misericordia esset fautor criminum, contra illud, ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, &c.* Nam hæc & similia sunt divinæ bonitati, misericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ac ordinationi, vel justitiæ graviter injuriosa.

ACTUS SPEI.

Summopere, mi Deus, tui visionem ac fruitionem in cœlo desidero, quia tu es anima mea summum bonum & unica beatitudo: & confido me hac perfecta beatitudine fruiturum esse propter merita Salvatoris mei Jesu Christi, per bona opera ex ejus auxiliis facta: quia tu Deus es benignissimus, misericordissimus, potentissimus, & in promissis servandis fidelissimus, atque virtus mea auxiliatrix.

PARS III.

De Charitate.

CAPUT PRIMUM.

De natura Charitatis.

Quæst. I. *Quid est Charitas?*

Nota. Amor propriè dictus est affectus, quo voluntas adhæret bono præcisè quia bonum est. Dividitur in amorem Charitatis, & concupiscentiæ. Amor Charitatis seu benevolentiæ est ille, quo quis amat alterum propter ipsum, & bona illius tamquam bona illius, quia sibi complacet in illius persona propter propriam ejus perfectionem. Hic amor vocatur amicitiæ, quando persona amata similiter afficitur erga personam amantem. Amor concupiscentiæ est ille, quo quis amat seipsum, & bona sua tamquam sua, vel alium tamquam sibi bonum.

Resp. Charitas actualis, quæ præcipitur, est actus amoris benevolentiæ, quo Deum supra omnia propter se, & nos ipsos, & proximum sicut nos ipsos propter Deum efficaciter amamus, ex S. Aug. lib. 8. de Trin. c. 8. *Ex una eademque Charitate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum; nos autem & proximum propter Deum.* Charitas verò habitualis est habitus per se infusus actuum Charitatis cum auxilio gratiæ elicitivus: seu permanenter habilitans ad actus Charitatis eliciendos.

Quare ex communi sententia, Charitatis objectum materiale primarium est Deus, secundarium nos ipsi & proximus. Nam eodem ha-

habitu Charitatis, quo Deum amamus, etiam nos ipsos & proximum propter Deum diligimus; quia creaturæ intellectuales beatitudinis capaces, sunt aliquid specialiter ad Deum pertinens; & Charitas est perfecta amicitia cum Deo. Est autem perfectæ amicitiæ non solùm amare primariò eum, quocum primariò & per se contrahitur amicitia, sed etiam secundariò & propter illum diligere ea quæ ad ipsum pertinent. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & Charitas ejus in nobis perfecta est*. 1. Joan, cap. 4.

Objectum verò formale, seu motivum, est Deus ipse, quatenus in se bonus ac perfectus, sive infinita Dei bonitas absoluta, quæ adæquatè sumpta, est complexio omnium perfectionum possibilium, & infinitarum, sive ipsum esse divinum absolutè & in omni genere infinitè perfectum. Nam Charitas est amor benevolentiæ & amicitiæ erga Deum; & per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum, ut ejus bonum est, propter propriam ejus perfectionem. Hinc Charitas differt ab amore spei seu concupiscentiæ; quo amamus Deum præcisè ut nostrum summum bonum, seu quatenus nobis bonus est, & nos perfectè beare potest. Charitas verò est amor benevolentiæ & amicitiæ, quo amamus Deum, quia in se bonus est, seu propter suam infinitam amabilitatem: cùm enim Charitas sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideòque Deum ipsum prout est in se.

Quæst. II. *Quænam bona Deo velle debemus?*

Resp. Deo velle debemus bona tum intrinseca, tum extrinseca. Bona Dei intrinseca sunt omnes perfectiones possibiles infinitæ, quas Deus habet in se. Bonum Dei extrinsecum est gloria ejus extrinseca, quæ consistit in manifestatione ejus perfectionum, & in eo quòd perfectè cognoscatur, colatur, laudetur, & ametur à creaturis. Itaque cùm amare sit velle bonum, amare Deum est illi hæc omnia bona velle, scilicet velle illi per modum complacentiæ ac gaudii, omnes perfectiones infinitas, quas habet; velle per modum desiderii, seu optare efficaciter, & quantum in nobis est efficere, ut à nobis & omnibus creaturis cognoscatur, laudetur, colatur, & perfectè ametur.

Quæst. III. *An Charitas est virtus omnium excellentissima?*

Resp. Affirmat. Constat ex 1. ad Corinth. 13. *Major autem horum est Charitas*. Et, ad Colossens. 3. *Super omnia Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Ratio est, quia habet objectum & motivum omnium perfectissimum, attingitque Deum modo perfectissimo, nempe propter seipsum.

Antoine Theol. Moral.

Quæst. IV. *Quinam sunt Charitatis actus proprii & eliciti?*

Resp. Sunt amor, benevolentia, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, desiderium ejus gloriæ &c. odium & dolor circa malum bono divino contrarium ut tale, scilicet peccatum.

CAPUT II.

De Præcepto Charitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto Charitatis erga Deum.

Quæst. I. *An extat præceptum Charitatis erga Deum & ad quid obligat?*

Resp. 1. Extat præceptum amoris Dei speciale, & ab aliis omnibus distinctum. Constat, 1. Ex Matth 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum*. At mandatum quod est primum & maximum, est sanè præceptum speciale & ab aliis distinctum, & quidem primò & per se maximè datum, ita ut cætera omnia præcepta eo fine dentur, ut hoc ex omni parte perfectè observetur, juxta illud, 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti Charitas*.

2. Ex SS. Patribus, Pro omnibus sit S. Aug. qui, lib. 1. Conf. cap. 5. ait: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?*

3. Ex propositione damnatâ ab Alexandro VII. supra cit. & ex hac ab Alexandro VIII. damnata ut hæretica: *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis*. Quæ propositio fuerat jam antè à S. Facultate Mussipontana speciali decreto damnata.

Quia cùm Deus sit objectum summè amabile propter se, & finis ultimus rerum omnium, non potuit sapienter non præcipere creaturæ amoris capaci & liberæ, ut seipsum supra omnia propter se amet. Præterea (ut ait S. Thomas) id quod est finis, per se debitum est, cùm habeat rationem boni per se. At Charitas Dei est finis omnium præceptorum, cùm Deum tamquam finem attingat im-

immediatè & modo perfectissimo, nempe supra omnia propter se ipsum & ut in se est: Ergo est per se maximè debita.

Resp. 2. Hoc præceptum, prout est affirmativum, obligat ad eliciendum certis temporibus actum internum supernaturalem amoris Dei supra omnia propter se: ut constat ex illis verbis, *Diliges ex toto corde*, in sensu proprio significantibus internum dilectionis affectum, qui (ut exponunt Patres & Doctores) sit amor benevolentiæ efficax & appretiativè summus, vi cujus homo Deo, utpote summè amabili ac bono, adhæreat supra omnia propter se, ipsi omnia bona velit & faciat ea quæ Deus ab illo saltem graviter exigit, se suamque beatitudinem & cætera omnia ad Dei gloriam referat, malitque privari omni bono creato, & pati omne malum, quàm Deum offendere saltem graviter.

Itaque amor, qui primo & maximo mandato præcipitur, debet esse. 1. Internus, verus, ac propriè dictus, ut patet ex his verbis præcepti, *Diliges ex toto corde*.

2. Debet esse appretiativè summus in adhæsione, ita ut Deum plus amemus quàm nos ipsos & creaturas omnes, malimusque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quàm Deum offendere saltem graviter. Constat 1. ex Patrum ac Theologorum & totius Ecclesiæ consensu. 2. Ex his verbis præcepti, *Ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: in quo sensu explicantur à S. Aug. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 11. ubi ait: *Summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil ampliùs diligere debeamus; idque significatur & exprimitur quod dictum est*: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente. Tum ex Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, Et, *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*. Et ad Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? .... Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei*. 3. Quia hunc amorem exigit summa ac infinita excellentia bonitatis divinæ. Enimverò cùm Deus sit per suam essentiam infinitè bonus & perfectus in omni genere excellentiæ: atque finis ultimus rerum omnium, ideòque infinitis titulis magis diligendus quàm quodlibet aliud bonum; nulla creatura potest ei affectu & adhæsione præferri aut æquari sine gravi ejus injuria ac contemptu. Præterea amor qui à Deo præcipitur, debet esse proportionatus Deo summè bono, & amabili: at talis non esset, si Deus non plus amaretur quàm quælibet creatura, quæ præ Deo nihil est. Igitur cum amabilitas sit mensura amoris, utpote ejus motivum, summa amabilitas exigit amorem summum appretiativè.

3. Amor Dei præceptus debet esse efficax & universalis in suis effectibus, hoc est, debet ita voluntatem afficere ac disponere, ut semper sit parata ad servanda omnia præcepta, & vitandum omne peccatum, saltem mortale. Unde amor ille Dei continet propositum saltem virtuale efficax servandi omnia alia præcepta. Nam amor ille non est solùm complacentia de divinis perfectionibus, sed est etiam amor seu affectus voluntatis efficax, efficaciter movens ad facienda ea, quæ Deo placent, & ipse exigit saltem graviter & ad vitanda ea quæ ei displicent: amor enim qui præcipitur, est amor *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, ut habetur Deuteron. 6. qui sanè amor est efficacissimus. Amare autem efficaciter est bonum velle & facere amato, nec eum offendere saltem graviter. Præthereà amor non potest esse appretiativè summus, nisi Deus & ejus amicitia præferatur omni bono creato; ita ut malimus omne bonum creatum amittere, & quodvis malum pati, quàm Deum offendere graviter, & ejus amicitiam amittere, ideòque efficaciter parati simus ad nullum præceptum saltem in re gravi umquam violandum. Quare præceptum Charitatis obligat ad Dei amorem tum affectivum, tum effectivum, & ad servanda omnia alia præcepta, ut constat ex Joan. 4. *Si diligitis me, mandata mea servate .... Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. Et, 1. Joan. 5. *Hæc est Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*. Hinc transgressiones aliorum præceptorum sunt etiam communi ratione contra Charitatem, ejusque habitum destruunt, si sint in re gravi.

4. Amor Charitatis erga Deum debet esse purus in suo motivo. Nam ejus motivum est Deus ipse absolutè ac in se spectatus, seu Deus ut est in se infinite bonus ac perfectus; sive est ipsa Dei amabilitas infinita & bonitas absoluta, ita ut Deus super omnia ametur propter seipsum, seu quia in se bonus ac perfectus est. Ita Theologi communiter. *Prob.* 1. ex S. Aug. qui

qui lib. 1. de Doctrina Christ. c. 27. ait, Deum diligendum esse propter seipsum. Et lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Ex una eademque Charitate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum.* Et in Psalm. 53. *Deus noster laudetur voluntate, ametur Charitate; gratuitum sit quod amatur & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, non propter aliud.* Ex S. Bern. lib. de diligendo Deo: ubi ait: *Causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere .... Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua nempe vera Charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est ....., verus amor præmium non requirit, sed meretur.* Et, Epist. 11. *Est qui confitetur Domino quoniam potens est, & timet sibi: & est qui confitetur quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt. Sola qua in filio est Charitas, non quærit quæ sua sunt.* Et ex S. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 8. & quæst. 23. art. 5. ad 2. ubi ait: *Charitate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter à Charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia.* Et art. 6. *Fides & spes attingunt quidem Deum, secundùm quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni: sed Charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat.* 2. Ex ipsa Ecclesiæ doctrina tradita in catechismis, in quibus Charitas definitur Virtus, per quam amamus Deum supra omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum. Ergo Charitatis motivum est Deus simpliciter, ideòque absolutè & in se consideratus. 3. Quia Charitas est amor benevolentiæ & amicitiæ erga Deum. At per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum ut ejus bonum est, propter propriam ejus perfectionem. Et verò quis putet se ab alio amari ut amicum, si sciret se solùm ab eo amari, quia ei bonus ac benignus est? Præterea Charitas, cum sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideòque Deum ipsum prout est in se.

Equidem debemus etiam amare Deum ut nostrum summum bonum, quod nos perfectè beare potest. At hic amor non est amor Charitatis, sed spei, nec sufficit; nam tenemur insuper Deum supra omnia amare propter se, seu quia est ipse infinitè bonus ac perfectus, atque nos ipsos & beatitudinem nostram referre ad ejus gloriam; & hic est proprius actus Charitatis: *Est enim Charitas amicitia honesta, qua amicus ametur propter se*, ait Toletus. Et ita docet S. Thom. 2. 2. qu. 17. art. 8. ubi ait: *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundùm se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat; sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem.* Quare Filiucius ex aliis docet esse mortale Diligere Deum principaliter, propter beatitudinem, ita ut si hæc deesset, Deus non diligeretur supra omnia. Licitum est tamen ac bonum diligere Deum propter mercedem æternam tamquam finem minus principalem.

Resp. 3. Hoc præceptum prout est negativum prohibet pro quolibet tempore omnem generaliter Dei offensam, ita ut omnia peccata mortalia sint contra Charitatem, ejusque habitum destruant; nam per quodlibet peccatum mortale creatura præfertur Deo super omnia diligendo: specialiùs tamen & magis directè vetat odium Dei.

Quæst. II. *An tenemur etiam amare Deum supra omnia intensivè, seu cum majore intensione, vehementia & conatu, quàm omnes creaturas?*

Resp. Communiter negant Theologi. Quia intensio est Charitatis perfectio solùm accidentalis, & sine majori illa intensione servatur præceptum de ordine Charitatis, eo modo, qui satis sit, ut Charitas erga Deum sit re & opere efficacior, quàm amor cujuslibet objecti. Quod autem præcipuum est in Charitate, est ut sit efficax erga Deum, qui affectu & opere propter se præferatur omnibus creaturis. Præterea cùm Deus amatur appretiatione summa, amatur modo actum amoris constituente in gradu excellentiæ, ad quem nullus pertingere potest amor erga creaturam ordinatus, etiamsi infinita intensione amaretur: & sic tunc Deus amatur modo proportionato suæ excellentiæ, ideoque modo sufficiente ad impletionem præcepti.

Præceptum autem diligendi Deum ex toto corde intelligunt de totalitate appretiationis, non intentionis. Appretiatio verò consistit non in vehementia & conatu affectus, sed in libera prælectione & prælatione.

Certè quando affectus erga creaturam actu obsistit amori Dei appretiativè summo; tunc opus est maximo conatu voluntatis ut Deus super omnia ametur.

Quæst. III. *Quandonam præceptum Charitatis obligat ad amandum Deum?*

Resp. Sub mortali obligat per se ad eliciendum actum internum amoris Dei super omnia propter se. 1. ubi primum, moraliter loquendo, quis rationis usum adeptus est, & habet sufficienter Dei notitiam, quam quidem tunc quisque sibi comparare tenetur. *Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 6. Toletus, Layman, & alii multi.* Nam recta ratio dictat, creaturam rationalem, ubi primùm, moraliter loquendo, capax est cognitionis & amoris Dei, eum debere amare ut rerum omnium finem ultimum, propter quem facta sunt omnia, & ad quem proinde omnes se suaque omnia ac totum vitæ cursum referre debent, & consequenter Deum super omnia propter se amare, atque implere debere primum & maximum mandatum. Præterea quando præcepta non determinant tempus, censentur obligare pro præsenti, seu primo quoque tempore, quo commodè impleri possunt: alioqui posset quis semper in futurum usque ad mortem suam differre eorum observationem, & sic eludere præcepta. Unde Cajetanus & Navarrus dicunt teneri omnes hoc omissionis peccatum confiteri, in dubio an tunc actum Charitatis elicuerint, necne.

2. In quovis probabili periculo mortis, quamvis Sacramenta suscepta sint. *Ita communiter.* Tum quia hic actus sæpiùs ratione sui præceptus est, & tempus maximè necessarium est articulus mortis. Tum quia homo instante termino viæ tenetur perfectè tendere in finem suum ultimum. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur*, ad Rom. 14.

3. Quando est periculum labendi in mortale, nisi actus amoris eliciatur; & ingruit gravis tentatio, quæ non putetur posse aliter superari: nam ex Charitate Dei tenemur ejus offensam vitare, & media ad hoc necessaria adhibere.

4. Sæpissimè in decursu vitæ, ut satis patet tum ex natura Charitatis, quæ est finis omnium præceptorum & actionum; & quæ (ut ait S. August. in Psalm. 121.) vacare non potest in anima amantis: nam Charitas est amicitia quædam cum Deo: amicitiæ autem divinæ ratio, denique bonitas infinita exigit, ne diutiùs amorem erga Deum differamus, & rarò eliciamus; sed ut quamprimùm possumus, & sæpissimè in vitæ curriculo Deum amemus. Tum ex verbis præcepto additis, quibus Deus jubet illud ferè semper habere in mente, videlicet ut actus amoris sæpissimè eliciatur, Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ:* Et verò nullus est habens jus exigendi ab alio amorem, qui petat ut semel tantùm aut rarò ametur; sed is exigit potiùs, ut sæpe affectu effectuque ametur. Ergo à fortiori jure Deus amoris erga se actum sæpiùs tota nostra vita iteratum à nobis exigit. Præterea omissio amoris Dei per tempus notabile includit quemdam contemptum divinæ amicitiæ. Hinc ab Innocentio XI. damnatæ sunt hæ propositiones. *6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum. 7. Tunc solùm obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam qua justificari possimus.*

Quoties autem intra annum obliget per se, non potest facilè determinari. Scotus putat adultos obligari ad illum actum singulis diebus Dominicis & festis. Quam opinionem ait Cardenas noster, non esse contemnendam; quia cùm constet hunc actum frequenter in vita eliciendum esse, & tempus definiendum sit ex judicio prudenti; videtur prudens designatio temporis esse dies cultui divino dicatus; cultus enim optimus est actus Charitatis, ut docet S. Augustin. Idem Cardenas asserit esse mortale, si intra mensem integrum omittatur. Suarez verò lib. 1. de orat. cap. 30. docet divina præcepta affirmativa, ut Charitatis, & similia, obligare ut actus eorum non multo tempore differantur: in particulari autem judicare quando sit nimia dilatio, vel quæ sit debita frequentia, prudenti arbitrio relictum videri ex natura rei.

Obligat verò ex virtute Religionis, quando quis culpæ mortalis conscius, deficiente confessario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conficere, aut suscipere. Nam tunc obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit actum Charitatis. Requiritur etiam hic actus ad justificationem extra Sacramentum.

Ex

Ex dictis collige parentes & parochos graviter teneri suos docere obligationem & modum eliciendi actus Fidei, Spei, & Charitatis: Confessarios vero teneri curare, ut poenitentes in mortis periculo hos actus eliciant.

Not. Ex Delugo, praecepta Fidei, Spei, & Charitatis sunt in aliquo sensu supernaturalia, & in aliquo etiam sensu naturalia. Sunt supernaturalia tum ex parte objecti, tum ex parte suorum actuum: nam impleri nequeunt nisi per actus supernaturales, quatenus Deus elevavit hominem ad finem supernaturalem, per tales actus supernaturales consequendum. Sunt verò naturalia ex parte obligationis, quia ex suppositione quod Deus elevaverit hominem ad finem supernaturalem consequendum per actus supernaturales; eo ipso absque alio novo praecepto, & ex natura rei obligatur homo ad eliciendos actus supernaturales necessarios ad finem illum obtinendum: nam ex obligatione diligendi Deum & seipsum, obligatur ad comparandum finem illum adeo sublimem ac perfectum, & consequenter ad adhibenda media necessaria ad talem finem. Quare Lex naturalis ad tales actus supernaturales obligat in hypothesi elevationis: in statu autem naturae purae esset obligatio amandi Deum super omnia propter se actu naturali.

Quaest. IV. *An ex praecepto Charitatis teneamur omnes actiones nostras referre ad Deum?*

Resp. Affirm. Prob. 1. Ex S. Aug. lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 22. ubi ait: *Haec regula dilectionis divinitùs constituta est:* Diliges proximum sicut te ipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quae confers. Cùm autem ait*, toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat*. 2. Ex S. Thom. 1. 2. quaest. 100. art. 10. ad 2. ibi: *Sub praecepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo praeceptum Caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*. 3. Quia ex praecepto Charitatis tenemur amare Deum, ut finem ultimum rerum omnium, & Deus non amatur ut finis ultimus rerum omnium, nisi omnia in ipsum referantur.

Porrò omnes actiones nostras generatim ad Deum ex affectu Charitatis referre tenemur tunc tantùm, cùm urget praeceptum amandi Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium. Nam praeceptum Charitatis non obligat ad referendum omnes actiones & omnia in Deum, nisi obligando ad amandum Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium. Quare non tenemur omnes omnino actiones singillatim elicere ex motivo seu affectu Charitatis, alioqui omnia opera infidelium, imo & fidelium in statu peccati manentium essent peccata, quod est error ab Ecclesia damnatus: item actus, quo quis detestatur peccatum praecisè ob metum poenalem, esset malus; quod repugnat cum Conc. Trid. sess. 7. can. 8. & sess. 14 c. 4. tum S. Aug. qui, in Psalm. 127. ait: *Ille timor nondum castus praesentiam Domini & poenas timet, timere facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est.* Praeterea Alexander VIII. damnavit has propositiones: 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo.* 11. *Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.* Denique actus eliciti ex motivo aliarum virtutum sunt boni ac liciti, alioqui non essent actus virtutis. Et evidens est omne bonum honestum esse honestè diligibile propter se praecisè. Quid enim magis rationi consenraneum est, quàm amare quae sunt rationi & naturae rationali consentanea qua talia?

Tamen dum non referimus ex affectu Charitatis actiones nostras ad Deum, tunc tenemur eas ad ejus gloriam referre virtualiter, seu implicitè, & ex intentione seu natura operis (ut ajunt) agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis & honestatis. *Prob.* 1. Ex 1. ad Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Id esse praecepti satis indicat verbum imperativum, *Facite*, quod in sensu proprio sonat imperium seu mandatum, dum materia id patitur, & docet S. Thom. in epist. ad Colossens. cap. 3. ubi ait: *Quidam dicunt quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*. 2. Ex S. August. in Psalm. 65. *Quo fine facias, vide. Si eò id facis ut tu glorificeris, hoc prohibuit: si autem ideo ut Deus glorificetur, hoc jussit*. Et, ex S. Basil. in Reg. interrogat. 195. ubi ait: *Omnia propter Deum ex Dei mandato facienda*. Idem docent alii Patres. 3. Quia debemus Deo omnes actiones nostras ex titulo Creatoris, ac Redemptoris, & vi supremi ejus domi-

dominii, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quàm cuivis Domino temporali opera servi. Ergo omnes actus nostri debent ad Dei obsequium referri, saltem ex natura operis. 4. Quia (ut aliàs probatum est,) semper tenemur agere propter finem honestum, ideoque ex motivo alicujus virtutis. At omnis honestas & actus virtutis ex natura sua refertur & ordinatur ad Deum tamquam ad regulam, fontem ac finem omnis honestatis, & ex se tendit ad Dei gloriam, cùm sit conformis ejus voluntati, eique placeat.

Actus Charitatis.

Domine Deus, te ex toto corde meo & super omnia diligo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni & summo amore dignissimus. Proximum quoque meum sicut meipsum propter te diligo.

Articulus II.

De Præcepto Charitatis erga proximum.

Quæst. I. An datur præceptum diligendi proximum, & ad quid obligat?

Resp. 1. Extat præceptum speciale diligendi proximum non tantùm actu externo, sed etiam interno, & amore benevolentiæ, quo ei velimus bonum quatenus ejus bonum est. Constat ex Matth. 22. *Secundum autem* (mandatum) *simile est huic; Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et ex Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et 1. Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dilectio autem est affectus voluntatis, quo volumus bonum personæ amatæ. Hinc Innocentius XI. damnavit has propositiones. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Resp. 2. Hoc præceptum complectitur omnes creaturas rationales ejusdem nobiscum beatitudinis capaces. Nam ii omnes & soli Charitate divina amari possunt & debent, quibus debemus & possumus propter Deum velle summum bonum beans, in cujus communicatione & capacitate fundatur dilectio Charitatis. Ac proinde complectitur omnes Angelos ac homines beatos, animas in purgatorio detentas, & omnes homines viatores, sive sint justi, amici, consanguinei, Catholici; sive peccatores, inimici, extranei, & infideles: sunt enim hi omnes nobis proximi communione capacitatis ejusdem beatitudinis ac hæreditatis æternæ, quam jam beati possident, & ad quam alii destinantur, & quam possunt consequi quamdiu in via sunt. Ideòque amandi sunt amore benevolentiæ, tendentis ad unionem quæ intercedere debet inter fratres & cohæredes. Unde tenemur omnes omnino homines in universali amare, nullo excepto; in particulari verò hos determinatè, quibus opitulari debemus, vel in quos odium deponi nequit, nisi singillatim actu interno diligantur.

Hinc soli dæmones & homines jam-damnati excipiuntur: quia Charitas est amor benevolentiæ, quo volumus præcipue beatitudinem æternam, & quæ ad eam conducere possunt. At hoc non licet damnatis velle: nam amor ille repugnat Charitati erga Deum, qua approbamus ejus justitiam, inquit S. Thom. quæst. 25. art. 11.

Resp. 3. Hoc præceptum, ut affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiæ affectivo & effectivo, sicut nos ipsos amamus, non quidem secundùm omnimodam æqualitatem, sed secundùm similitudinem, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. ubi ait: *Cum dicitur sicut teipsum, non est intelligendum quantum ad hoc quòd aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi;* ita ut idem bonum proximo velimus, & ei quantum possumus procuremus in necessitate, quod tenemur nobis velle, & rationabiliter volumus: & quidem principaliter beatitudinem æternam, ac media ad eam assequendam necessaria, secundariò autem bona temporalia necessaria ad vitam corporalem convenientem, & quatenus ex auxilio gratiæ ad salutem conducunt; eaque quantum possumus, ei procuremus in ejus necessitate. *Velle debemus, ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est,* ait S. Aug. lib. 1. de Doctrin. Christian. cap. 29. Et lib. 1. de morib. Ecclesiæ, cap. 26. postquam hoc præceptum retulit, sic prosequitur: *Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecte amore diligat Deum. Non enim eum diligis tamquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.*

Obligat autem ad eliciendum sæpe in vita actum internum amoris supernaturalis erga pro-

proximum propter Deum, & ad exercendum externum seu effectivum amorem, positum in opitulatione proximi, sive spirituali, sive corporali: nam amare est bonum velle & facere cùm possis, juxta illud, 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Præterea internus amor proximi præceptus est in bonum ac utilitatem proximi: at non potest prodesse proximo, nisi per beneficia & auxilia.

Dixi, *propter Deum*, hoc est, quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ut capax dilectionis, & possessionis ejus, ut ab ipso creatus, redemptus, &c. ita ut Deum in ipso amemus, &c. & quia id Deo summè bono & amato placet. *Propter hoc ex Charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi & secundum naturalem Dei imaginem & secundum capacitatem gloriæ*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 44. art. 7. Nam amare proximum propter aliquam utilitatem temporalem, vel quodvis aliud motivum naturale, non est actus Charitatis. *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, Charitatem non habet*, ait S. Greg. homil. 38. in Evangel. Et S. Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 27. ait: *Omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus verò propter seipsum*. Et lib. 2. cap. 7. *In eo se exercet omnis divinarum scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus quàm diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere: proximum verò tamquam seipsum, id est, ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum*. Et verò debemus diligere alios sicut Christus nos dilexit, ex Joan. 15. suprà cit. Christus autem omnes dilexit propter Deum.

Hinc objectum formale seu motivum Charitatis erga proximum est infinita Dei bonitas absoluta, seu amabilitas, quæ sicut movet ad amorem Dei, movet quoque ad amorem proximi propter Deum; eo quod ad Deum pertineat, & Deus amet omnes homines, etiam peccatores, quamdiu sunt in via, volendo illi summi boni, nempe sui ipsius fruitionem, eis conferendo media ad eam assequendam sufficientia, aliaque bona, velitque ut omnes amemus.

Resp. 4. Hoc præceptum, quatenus est negativum, vetat pro quovis tempore odium, & omnes actus oppositos amoris benevolentiæ, ne scilicet proximo umquam velimus, optemus, inferamus malum spirituale, nec etiam temporale, saltem ut ipsius malum, & sine justa causa & auctoritate. Quod addo, quia ex justa causa & authoritate potest inferri malum temporale proximo ob finem bonum, v. gr. aliqua punitio à superiore correctionis causa, vel à Judice ob crimina ex motivo justitiæ. Hinc nunquam licet odisse ullum hominem, quamumvis improbum, ex displicentia personæ, ei optando malum quatenus ejus malum est, aut gaudendo de ejus malo vel dolendo de ejus bono ut ejus bonum est. (*a*)

Duæ autem sunt regulæ generales duplicis hujus præcepti à Scriptura traditæ, & lumine naturali notæ. 1. Pro affirmativo: *Omnia quæcumque vultis* (rationabiliter) *ut faciant vobis homines, & vos facite illis; Hæc est enim Lex & prophetæ*, Matth. 7. 2. Pro negativo: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, Tob. 4. Hinc S. August. lib. de vera relig. cap. 46. ait: *Ea est regula dilectionis, ut qui sibi vult bona provenire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non vult, illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines servat*.

Quæst. II. *An teneamur diligere inimicos, id est, eos qui nos, vel nostros oderunt, vel aliqua injuria affecerunt?*

Resp. 1. Præceptum Charitatis erga proximum obligat etiam erga inimicos, perinde ac si tales non essent. *Ita omnes*. Quia nihilominus sunt verè proximi, utpote ejusdem nobiscum æternæ beatitudinis capaces, per quam capacitatem nobis societate quadam conjunguntur. Quare tenemur eos non solùm non odisse, sed etiam positivè diligere amore effectivo, non quidem ut sunt inimici, sed ut sunt homines beatitudinis capaces, & quia Deus vult ut illos amemus. Et constat etiam ex Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Quæ verba, juxta Ecclesiæ & Patrum interpretationem, continent

(*a*) Authoris assertio magis, ac magis confirmatur ex tribus ab Innoc. XI. damnatis Propositionibus, quarum proscriptione demonstratur nos nequidem indirectè posse malum proximo optare, aut de ejusdem malo gaudere. 13. ita se habet: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

14 *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

verum præceptum, quod est etiam juris naturalis. *Grave preceptum, sed grande præmium*. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. *Audisti opus, expecta mercedem:* ut sitis (inquit) filii Patris vestri, qui in cœlis est. S. August. serm. 317. alias 92. de diversis.

Resp. 2. Ex Charitate obligamur erga inimicos generatim ad ea omnia, ad quæ tenemur erga proximum modo supra explicato; siquidem sunt verè proximi nostri. Speciatim verò tenemur. 1. Omne in illos odium, ac vindictæ affectum rejicere ac deponere; atque omnes offensas ex corde iis remittere, ita ut ob offensam illis non malè velimus, sed ea non obstante semper parati simus iis exhibere debitæ internæ dilectionis signa, etsi veniam non petant, imò in odio contra nos persistant, ex Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Et, Eccli. 10. *Omnis injuriæ proximi ne memineris; & nihil agas in operibus injuriæ*. Unde nunquam licet iis velle malum ut eorum malum, nec de malo ut eorum malo gaudere, vel de eorum bono ut eorum bono dolere: hæc enim sunt odii actus. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ni fortè videat Dominus, & displiceat ei*. Proverb. 24. *Si de prosperitate affligitur, & de calamitate se odientis lætatur, constat quod non amat*, ait S. Greg. lib. 22. in Job, cap. 6. neque licet à Deo vel hominibus vindictam injuriæ expetere ex displicentia personæ, multo minus eam sumere. *Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere .... nulli malum pro malo reddentes*. ad Rom. 12.

2. Tenemur eos non excludere ab actu interno Charitatis, quem erga proximum elicimus, sed eos in eo generatim includere; imò in particulari hos numero ac determinatè diligere, quoties periculum est ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, eisque malum optemus, ut sæpe contingit, nisi illud odium actu amoris & oratione cohibeatur; nam tunc ille amor est medium necessarium ad servandum præceptum.

3. Tenemur inimicis ex interno affectu præstare communia dilectionis signa, & beneficia, quæ aliis ejusdem status & conditionis præstare solemus, qualia quæ Christiano debentur à quovis Christiano, concivi à concive, cognato à cognato, pauperi à divite, superiori à subdito, &c. *Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 9.* Nam tenemur inimicos diligere, eis benefacere, & pro eis orare, in particulari quidem quando occurrit necessitas; & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alios homines in communi amamus, vel aliis hominibus benefacimus, aut pro eis oramus in communi, etiam absque obligatione. Hinc non licet inimicum excludere à communibus orationibus, vel eleemosynis, à resalutatione, à responsione ad interrogata, mercium expositarum venditione, &c. Nam talis exclusio esset vindicta privato illicita, & in talibus circumstantiis signum odii præbens scandalum; ideòque de se adversatur Charitati, & quidem graviter. Specialia autem benevolentiæ signa, & beneficia non tenemur eis præstare, per se loquendo, nisi iis indigeant; sed solùm esse parati ad præbendum quando egebunt. Quia præceptum de exhibenda benevolentia non obligat pro omni tempore, sed tantùm in casu indigentiæ proximi, juxta illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ..... & Dominus reddet tibi*. Enim verò ex præcepto Charitatis non aliter tenemur per se loquendo, amare inimicos atque alios homines; nam non magis sunt proximi nostri quàm alii homines. Non tenemur autem per se loquendo, amare alios homines in particulari ex lege Charitatis, nisi in casu necessitatis: & extra casum necessitatis sufficit si eos amemus in communi, & eis communia benevolentiæ signa exhibeamus. *Diligere inimicos in generali, est in præcepto: in speciali autem non est in præcepto, nisi secundùm præparationem animi; ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret*. S. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 8.

Dixi, *per se loquendo*. Nam ob circumstantias quasdam potest esse ratio obligationis ad ista specialia præstanda inimico, ut periculum scandali ex omissione, inimici necessitas spiritualis vel temporalis, exhibitio specialium signorum amoris ex parte ipsius. Item si per aliqua specialia beneficia vel signa amoris certò possis saltem sine gravi incommodo, inimicum tibi & Deo reconciliare, ad ea teneris; quamvis ille prior offenderit, & nolit inimicitiam deponere, nisi tu eum sic prævenias, juxta illud ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Quia ex Charitate tenemur grave damnum proximi, præsertim spirituale, licèt ex ejus culpa obveniens, impedire vel tollere, cum possumus saltem sine nostro gravi incommodo. Imò jux-

juxta Suarez & alios, si inimicum ante offensam solebas salutare, alloqui, cum eo conversari &c. tametsi illa sint specialia dilectionis signa, teneris eadem præstare, nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel excusent, ut si specialis illa benignitas inimico non sit profutura. Quia istorum recusatio extra circumstantias speciales censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem & scandalum præbet, & Charitati adversatur. Item tenemur specialia beneficia & amicitiæ signa inimico exhibere, si ipse ea nobis priùs exhibeat: nam horum omissio censetur moraliter vindicta, & signum inimicitiæ, quæ præcepto negativo vetatur.

4. Tenemur inimico veniam petenti non solum offensam condonare ex animo, nempe odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum rejiciendo ac deponendo, (ad quod obligamur etiamsi non peteret,) sed etiam externa benevolentiæ & reconciliationis signa exhibere, habita ratione circumstantiarum. Tunc enim horum omissio esset quædam odii declaratio, vindicta, & scandali causa. Excipe nisi sit pater, vel quivis superior, qui quandoque potest justæ correctionis causa erga liberos vel subditos benevolentiæ signa differre, modò intus Charitatem servet.

5. Tenemur inimicis in necessitate sive spirituali, sive corporali opitulari, & damnum in honore, fama, corpore, vel rebus impedire, saltem dum sine nostro gravi damno possumus. *Benefacite his qui oderunt vos*, Matth. 5. Nam ad id tenemur erga proximum.

Porrò qui alterum injustè offendit, tenetur veniam petere, nam id exigit ratio justitiæ. Quòd si duo mutuò se offenderunt, tunc si offensio sit æqualis gravitatis, tenetur reconciliationem petere qui priùs offendit; quia qui primus læsus fuit, priùs jus habet exigendi satisfactionem: si offensio sit inæqualis, tenetur ille qui graviùs offendit, nam gravior offensio prævalet priori minùs gravi; & sic priùs compensanda est. Et excessus ille est quasi nova injuria, quæ novum jus læso dat exigendi satisfactionem. *Petat veniam, qui fecit injuriam; det veniam, qui accepit injuriam, ut non possideamur à Satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum*, ait S. Aug. serm. 210. alias de diversis 74.

Resp. 3. Non tenemur remittere inimico satisfactionem debitam, ut honoris, famæ, vel pecuniæ: quia eam exigere non est vindicta, sed usus juris. Quippe injuriam passus habet jus ad congruam satisfactionem, & jus illud per legitimam potestatem prosequendi. Et hæc compensatio seu restitutio non expetitur quatenus est malum inimici, sed quatenus in nostrum bonum justum cedit, & malum nostrum injustum expellit. Imò adversus illum licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, modò id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine: civilem quidem, ut damnum illatum compenset, vel pro injuria satisfaciat: criminalem verò ex amore publicæ justitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum reip. damno. Qui tamen uterque procedendi modus ordinariè non vacat periculo, cùm pauci amore justitiæ aut boni communis ducantur, plurimi verò vindictæ explendæ desiderio. Ita S. Thom. 2. 2. q. 108 art. 1. ubi ait: *Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod Charitati repugnat, quâ omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc, quòd odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc quòd ille peccavit priùs in ipsum. Hoc enim est vinci à malo, quod Apostolus prohibet*, Rom. 12. *dicens*. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & Dei honorem; potest esse vindicatio licita aliis debitis circumstantiis servatis.*

Æquam tamen ad arbitrium prudentum satisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex Charitate: nec tunc licet judicem interpellare, nisi reus sit reip. noxius, vel periculum sit, ne alios similiter injuria afficiat. Nam extra hos casus actionem civilem instituere, & inimicum sumptibus onerare, est contra Charitatis Legem, vetantem ne alteri facias, quod tibi non vis rationabiliter fieri.

Quæst. III. *An vindicta, seu redditio mali pro malo, facta Authoritate privata, semper est illicita?*

Resp. Affirmat. Constat 1. Ex Eccli. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindi-*

dictam .... Memento novissimorum, & desine inimicari. Et, ex Matth. 7. supra cit. Et, ex Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes... Non vosmetipsos defendentes* (hoc est ulciscentes, ut habet vox græca) *Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus, &c.* Et, 1. Thess. 5. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*. 2. Quia vindicta privata authoritate illata, est non solùm contra Charitatem, sed etiam contra justitiam; tum quia est usurpatio alienæ potestatis, nempe superioris, ad quem solùm punitio pertinet, tum quia quisque habet jus, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet authoritatem & jurisdictionem in ipsum. Imò numquam licet expetere punitionem inimici etsi justam, & legitima authoritate factam, quatenus ejus malum est: nam hoc est actus odii numquam liciti.

CAPUT III.

De Ordine Charitatis.

Quæst. I. AN *ordo in Charitate servari debet?*

Resp. Affirmat. *Ita omnes*. Prob. 1. Ex Cant. 2. *Ordinavit in me Charitatem*. 2. Ex S. Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana c. 27. *Ille justè & sanctè vivit .... qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum; aut non diligat quod est diligendum; aut ampliùs diligat quod est minùs diligendum; aut æquè diligat quod vel minùs vel ampliùs diligendum est... Et si Deus omni homine amplius diligendus est, ampliùs quisque debet Deum diligere quàm seipsum. Item ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum: quia propter Deum ista omnia sunt diligenda; & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo*. 3. Ex S. Thom. 2. 2. q. 44. artic. 8. *Modus qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub præcepto, quod datur de actu virtutis. Ordo autem Charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cùm accipiatur secundùm proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est, quòd ordo Charitatis debet cadere sub præcepto*. 4. Quia objecta diligenda & optanda, non sunt æqualia inter se. Ergo debet esse inter illa ordo, ut Charitas sit recta. 5. Deus vult, ut aliquos, nempe qui nobis sunt conjunctiores, plus diligamus.

Duplex autem est ordo in Charitate servandus, alter in personis, alter in bonis. In personis homo amare debet. 1. Deum utpote principium ac finem ultimum rerum omnium, & summè bonum ac perfectum. 2. Seipsum. 3. Cæteros homines. In bonis primum locum tenent bona spiritualia, seu supernaturalia, nempe gloria, seu beatitudo æterna, gratia, virtutes, bona merita. Secundum bona naturalia & bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas, &c. Tertium bona externa, ut honor, fama, divitiæ, &c. Item bonum commune majus est bono privato; quia bonum commune est bonum totius, & bonum privatum est bonum partis; sicut autem totum est majus sua parte, ita bonum totius majus est bono partis, ideòque ei præferendum.

Quæst. II. *An & quomodo quisque seipsum magis diligere debet quàm proximum?*

Resp. 1. Unusquisque tenetur seipsum magis diligere simpliciter & absolutè, quàm proximum. Ita S. Thom. quæst. 26. artic. 4. & quæst. 44. art. 8. ad 2. *Prob.* 1. Ex Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum*. Ubi dilectio sui proponitur ut Regula & exemplar amoris proximi. Regula autem prior & potior est quàm regulatum. Quare præceptum diligendi seipsum includitur in præcepto dilectionis proximi. 2. Quia ex ordine Charitatis homo magis inclinatur ad sui dilectionem quàm proximi, estque sibi magis conjunctus. Unde illud, Eccli. 4. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*

Hinc 1. Quisque tenetur se magis diligere in bonis spiritualibus quàm proximum, ita ut sibi potius velit & comparet Dei gratiam, amicitiam, virtutes, & beatitudinem æternam, quàm cuilibet alteri, cùm hæc bona sint omnium maxima & maximè necessaria. Quod indicant hæc Christi verba, Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, &c.* Quibus verbis Christus significat debere nos ante omnia saluti nostræ providere.

2. In quacumque corporali necessitate æquali licet sibi potius subvenire, quam alteri privato: nam nemo tenetur diligere proximum magis quam seipsum, sed solùm sicut seipsum, *Non est de necessitate Charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere. Sed quòd aliquis spontè ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem Charitatis*, ait S. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 5. ad 3. Imò juxta multos, tenetur seipsum magis dilige-

re quoad vitam temporalem, & bona ejus conservationi necessaria, quam proximum parem vel inferiorem: quia (ut ait S. August. lib. de mendac. cap. 6.) *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum: quod sana doctrina regulam excedit.* Præterea per se loquendo Charitas magis inclinat subjectum suum ad sui conservationem, quàm ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suæ præfert, agit contra inclinationem Charitatis, ideòque contra ordinem Charitatis; & consequenter peccat contra Charitatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem præcisè ob bonum vitæ proximi, quæ ut talis non debet præferri vitæ propriæ; sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exurgit ex alio titulo, v. g. si vitam exponat pro altero, cujus vita sit utilior ad promotionem gloriæ Dei; si pro parente, insigni benefactore, &c. ad insigne opus pietatis, gratitudinis, &c. Nam, inquiunt, actus virtutis christianæ, qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum verò S. August. allatum explicant, si vita amittatur ob vitam proximi præcisè sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis.

Dixi. *Privato:* nam subditus tenetur vitam propriam certo periculo exponere pro salute reip. vel principis sui, aut alterius personæ reip. necessariæ. Nam membrum periculo exponi, imò & abscindi debet pro conservatione totius; & quælibet pars bonum totius suo privato præferre tenetur.

Resp. 2. Unusquisque ex Charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm seipsum in corporalibus. Tum quia quilibet tenetur diligere proximum sicut seipsum, at quilibet tenetur seipsum magis diligere secundùm animam quàm secundùm corpus: ergo similiter, &c. Tum quia anima proximi secundùm rectam rationem magis amabilis est quàm corpus proprium: nam ipsa longè præstantior, quàm corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale Charitatis; estque capax possessionis Dei, non corpus proprium, & in ipsa Deus magis glorificari potest quàm in corpore proprio. Hinc

Resp. 3. Tenemur præferre salutem æternam proximi bonis omnibus nostris temporalibus, & vitam nostram corporalem certo periculo exponere pro salute proximi in necessitate extrema spirituali positi, hoc est versantis in periculo damnationis æternæ, à quo se eripere non possit sine ope nostra, quando est spes illum juvandi. Est communis sententia, & constat. 1. Ex Joann. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* At Christus nos ita dilexit, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum salute amiserit. Item, ex 1. Joann. 3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ lex obligat saltem in extrema necessitate spirituali, alioqui nunquam obligaret. Ex S. Aug. lib. de mendac. cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere; hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim, & ait: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem sicut & ego dilexi vos.* 3. Quia tenemur amare proximum sicut nos ipsos. Ergo sicut in periculo salutis, quo non possemus liberari sine jactura vitæ, tenemur ex Charitate nostri vitam amittere potius quàm salutem æternam: ita, &c. Præterea salus æterna proximi est bonum longè excellentius & amabilius vita nostra temporali, ideòque ei in necessitate anteponendum secundùm debitum ordinem Charitatis.

Hinc teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ damno, si alius non adsit qui id faciat. Item si scias aliquem existentem in peccato mortali interficiendum in somno, vel nil cogitantem, teneris cum vitæ periculo ei subvenire, modò prudenter judices te illi profuturum: nemo enim tenetur ad opus prorsus inutile cum proprio gravi damno.

Resp. 4. In gravi necessitate spirituali communitatis teneris ei subvenire etiam cum vitæ periculo. *Ita Suarez, Delugo, Azor, & alii.* Quia talis necessitas semper conjuncta est cum necessitate extrema aliquorum privatorum: nam multi in illa necessitate probabiliter peribunt. Et quia ipse per se est gravissimum malum, cui meritò succurri debet cum jactura vitæ alicujus privati. Imò gravis necessitas spiritualis communitatis non minoris æstimanda est quàm extrema alicujus privati.

Hinc si quis hæresim alicubi spargat, teneris cum periculò vitæ impedire si possis, & nemo alius impediat. Item si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret Sacerdote, & aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris cum periculo vitæ illi opitulari. Quod ad alios similes casus ob eamdem rationem extendi debet.

Quæst. III.

Quæst. III. *Quis ordo erga proximos inter se servandus est?*

Resp. 1. Magis diligere debemus affectu complacentiæ sanctiores: quia sunt amiciores & conjunctiores Deo, & secundùm se amabiliores. Item velle illis majorem gloriam, quia habent majorem gratiam sanctificantem, quæ est mensura gloriæ.

Resp. 2. Quoad amorem affectivum simul & effectivum, quo alteri benefacimus, consanguinei secundùm varios gradus in pari necessitate præferendi sunt quoad bona temporalia, & spiritualia aliis licet melioribus, quia ad hoc inclinat Charitas, propter naturalem conjunctionem, quæ cùm sit prior ordine naturæ, & præsupponatur omnibus aliis, sitque firmior & immobilior, utpote in natura ipsa fundata, priorem locum postulat in dilectione quoad bona amicis appetibilia. Enimverò ordo Charitatis non invertit ordinem naturæ, sed potius illum perficit. Post hos cæteri secundum varias conjunctiones affinitatis, amicitiæ, societatis præferendi sunt extraneis; nam ratio dictat magis diligendos esse conjunctos quam extraneos, & conjunctiores quàm minùs conjunctos, & Charitas ad hoc inclinat. *Cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictiùs tibi junguntur*, ait S. Aug. lib. 1. de Doctrin. Christ. c. 28. Patria tamen seu Resp. præferenda est parentibus: quia est totum cujus sunt partes parentes, qui proinde tenentur vitam pro illius salute exponere; cùm totum parti, & bonum totius bono partis præferendum sit.

Resp. 3. Cæteris paribus ex consanguineis præferendi sunt propinquiores. Nam si propter naturalem conjunctionem teneris magis diligere consanguineos cæteris paribus: teneris etiam, cæteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem, magis diligere consanguineos propinquiores.

Item ex consanguineis æque propinquis tenemur magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes: nam hoc ipso, cæteris paribus, sunt magis diligibiles. Hinc,

Resp. 4. Inter ipsos consanguineos. 1. Pater & mater in necessitate extrema, ubi vita periclitatur, præferendi sunt filiis, & uxori, & aliis omnibus. Ita S. Thom. qu. 26. art. 11. quia præter communionem sanguinis, habent eminentiam principii, sunt enim principium nostri esse, quod est ingens beneficium, & fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. Extra necessitatem extremam, & ubi agitur de conservatione proprii status, uxor & filii non emancipati, juxta multos præferri debent parentibus, propter arctiorem in communi victu & vitæ societate conjunctionem viri & uxoris, indicatam Genes. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, &c.* Et quia bonum familiarum & reipub. id postulat. Unde S. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 9. ad 1. ait: *Filiis magis debetur cura provisionis.* 2. Cæteris paribus, pater præferendus est matri, quia est principalior ac nobilior causa nostri esse naturalis, cùm sit præcipua causa generationis; estque familiæ caput, & ad eum magis spectat cura liberorum: unde major ei honor & amor debetur, S. Thom. ibidem. 3. Uxor præferenda est filiis, quia est una caro cum marito, & principium liberorum. 4. Filii sunt præferendi cæteris omnibus, quia sunt conjunctiores, cùm à substantia parentum procedant: fratres cognatis ob majorem sanguinis conjunctionem.

Hinc in naufragio, vel alio mortis periculo, filius tenetur patrem præ aliis omnibus liberare, uxorem præ filiis, &c.

Inter extraneos verò meliores præferendi sunt aliis; nam ob majorem sanctitatem sunt Deo similiores & conjunctiores, ideoque magis amabiles: justus peccatori, fidelis infideli ob majorem conjunctionem spiritualem. Item persona publica, vel bono communi valde utilis, præferenda est privatæ: quia bonum commune, utpote bonum multorum, præferendum est bono privato, quod est unius vel paucorum: Item, cæteris paribus, benefactor aliis præferendus est.

Hæc intellige in pari necessitate. Nam extraneus in majore necessitate positus, præferendus est propinquo longè minùs indigenti: cùm enim præceptum Charitatis non obliget ad benefaciendum aliis, nisi sint in aliqua necessitate, magis & potius obligat ubi major est necessitas. S. Thom. q. 31. art. 3. ibi: *In aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quàm etiam patri non tantam necessitatem patienti.* Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti: quia tunc necessitas extranei est major ob indigentiam boni magis necessarii; & quia sicut tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quam nos ipsos in corporalibus, ita & tenemur magis diligere extraneum in spiritualibus, &c.

Porrò obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cùm nascatur ex præcepto

cepto Charitatis gravissimo, & ejus materia ac finis sit gravis.

Quòd si possis omnibus subvenire, teneris.

CAPUT IV.

De Eleemosyna.

Quæst. I. QUid est Eleemosyna?

Resp. Est sublevatio alienæ miseriæ propter Deum. Sive est auxilium proximo indigenti datum ex compassione propter Deum. Estque opus misericordiæ imperatum à Charitate. Misericordia autem est virtus, quæ nos ex compassione inclinat ad subveniendum alienæ miseriæ, ex S. August. lib. 9. de Civit. c. 3. Illi per excessum opponitur nimia cordis mollities seu indulgentia; per defectum cordis durities & crudelitas.

Eleemosynæ, seu opera misericordiæ ac Charitatis magis vulgata, & ad quæ cætera reduci possunt, sunt quatuordecim. Septem corporalia, nempe visitare infirmos & carcere detentos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, peregrinos hospitio suscipere, & sepelire mortuos. Et septem spiritualia, nempe præbere consilium, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensam, ferre patienter injurias & molestias ac defectus proximi, pro omnibus orare, juxta hos versus.

Visito, pote, cibo, redimo, tego, collige, conde.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Quæst. II. *An extat præceptum Eleemosynæ & quandonam obligat sub mortali?*

Nota 1. Necessitas seu indigentia proximi triplex est. Prima extrema, ex qua imminet mors vel mutilatio, nisi ei succurratur. Secunda gravis est, cùm homo, nisi ei subveniatur, non potest vitare grave malum, ut captivitatem, gravem infamiam, amissionem status vel dignitatis, jacturam notabilem bonorum, vel magnam miseriam, quæ reddat vitam graviter molestam. Tertia communis, quæ parit aliquod incommodum in necessariis ad vitam vel statum, ita tamen ut non reddat vitam nimis miseram vel molestam, spectatis statu & conditione patientis. In hac versantur plerique mendici triviales.

Nota 2. Bona triplicis sunt generis. Nam. 1. Alia sunt necessaria naturæ seu vitæ, illa videlicet, sine quibus conservari non potest vita nostra, & aliorum quorum cura nobis incumbit. 2. Alia sunt necessaria statui, sine quibus non potest quis convenienter vivere secundùm conditionem & statum præsentem propriæ personæ, vel aliarum, quarum cura ei incumbit, & hæc iterum duplicia sunt: quædam enim sunt necessaria ad statum simpliciter, ea nimirum sine quibus aliquis suo statu excideret: quædam dumtaxat ad status decentiam modestiæ christianæ consentaneam. 3. Alia non sunt necessaria, sed superflua vel vitæ, vel statui, vel utrique.

Nota 3. Necessarium statui, complectitur bona, quæ requiruntur ad sustentanda onera familiæ, ad alendos famulos, ad filios educandos, & in statu honesto juxta suam conditionem collocandos, filias dotandas, ad honestas donationes, moderata cum amicis convivia, hospitalitatem; item ad illum statum servandum in quolibet casu calamitoso probabiliter eventuro, ut sunt morbi, bellum, sterilitas, &c. Dico, *probabiliter:* nam non debet attendi ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum: *hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet.* Matth. 6. *sed debet dijudicari superfluum & necessarium secundum ea quæ probabiliter & ut in pluribus occurrunt*, ait S. Thom. qu.32. art. 5. ad 3. Quare multi habent superflua. *Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ*, ait S. August. in Psalm. 147. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Nota 4. De necessariis vitæ non est obligatio faciendi Eleemosynam: quia suam suorumque vitam quisque potest, & ordinariè debet alienæ vitæ præferre, ut exigit ordo Charitatis. Excipe, nisi persona indigens sit necessaria bono communi, quod semper proprio anteponendum est.

Resp. 1. Extat præceptum divinum naturale ac positivum dandi Eleemosynam, obligans sub mortali. Constat. 1. Ex Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ubi damnantur, qui Eleemosynam omisere. Et, 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?*

2. Quia lex divina Charitatis graviter obligat quemque ad proximum diligendum sicut seipsum, ideòque ad illi indigenti opitulan-

tulandum: nam amare proximum est ei bonum velle, & facere quantum possumus, quando ille nostra ope eget. *Ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud* Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Ad hoc autem quod velimus & operemur bonum alicujus requiritur quod ejus necessitati subveniamus; quod fit per Eleemosynarum largitionem; & ideo Eleemosynarum largitio est in præcepto.* S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5.

Hoc præceptum extenditur ad quælibet opera misericordiæ, & subsidia tum corporalia, tum spiritualia, quibus proximus indiget, cùm fundetur in Charitate, qua tenemur diligere proximum sicut nos ipsos, & ei facere quod nobis fieri rationabiliter vellemus. Et verò si tenemur subvenire proximo in necessitate corporali: multò magis etiam tenemur in necessitate spirituali; nam longè potior cura habenda est salutis animæ, quam vitæ corporalis, quæ propter illam amittenda est, cùm salus animæ consistat in consecutione perfectæ ac æternæ felicitatis, & in vitatione infelicitatis æternæ. Quare quidquid dicetur de Eleemosyna corporali, idem cum proportione applicari debet spirituali. Præterea lex Charitatis in proximum obligat ad amandum hominem, qui cùm constet corpore & anima, potest secundùm utrumque ope nostra indigere; & sic obligat ad subveniendum proximo in ejus corporalibus & spiritualibus necessitatibus. Ita S. Augustinus, lib. de moribus Ecclesiæ, c. 27. ubi ait: *Homo igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit qui hominem diligit.*

Triplex autem est necessitas spiritualis, scilicet extrema, cùm proximus sine nostra ope non potest sibi necessaria ad salutem providere; gravis, cùm potest quidem sine nostra ope sibi talia providere, sed non sine magna difficultate, vel incurrit gravissimum periculum peccandi ob paupertatem, ignorantiam vincibilem, pravam consuetudinem, vel occasionem valdè allicientem ad malum; & communis, cui potest ipse providere sine magna difficultate.

Resp. 2. Quilibet in extrema necessitate proximi tenetur sub mortali ei subvenire non solùm de superfluis statui, sed etiam de necessariis ad statum decentiam. *Est communis & certa sententia*, inquit Platellius. Quia Charitas ordinata exigit, ut vitam proximi plus diligamus quàm decentiam status nostri, & huic illam præferamus, ac proinde, ut jacturam decentiæ status patiamur pro vita proximi servanda. Imò tunc etiam adjuvandus est proximus ex bonis quodam modo ad integritatem status necessariis. *Ita Suarez, Valentia, Sanchez, & alii multi.* Nam juxta ordinem Charitatis vita proximi præferenda est cuidam integritati status proprii. Et verò amissio integritatis status non reddit hominem miserum, & nemo prudens ad hanc amissionem avertendam exponit se morali periculo mortis; imò hanc amissionem quilibet facilè patietur ad servandam suam vitam.

Hinc teneris sub mortali, proximo in tali necessitate subvenire cum dispendio bonorum etiam gravi, inquit Toletus; & ob hanc causam detrahere de status tui splendore, ornatu, integritate, famulorum numero, & aliis sumptibus.

Resp. 3. In gravi necessitate proximi quisque sub mortali tenetur ei subvenire de bonis statui superfluis. *Est communis certa sententia.* Prob. Quia 1. hæc verba Christi: *Esurivi & non dedistis mihi manducare, sitivi, &c.* important præceptum Eleemosynæ in necessitate non extrema, sed frequenti, quam indicant fames, sitis, &c. Et Christus ibi insinuat multos damnatum iri ob Eleemosynam egentibus denegatam, ideòque indicat præceptum subveniendi proximo in frequenti & satis ordinaria necessitate. Idem significant hæc verba, Luc. 3. *Qui habet duas tunicas det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* 2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sint S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum fame laborare, ærumnam perpeti, præsertim si mendicare erubescat, & non adjuves, &c.* Et, S. Aug. tract. 5. in 1. Epistol. Joan. *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, à creditore angustiatur, non habet ipse, habes tu... Quid ad me pertinet, fortè dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* 3. Quia juxta omnes, quisque tenetur ex Charitate proximum gravi malo liberare, cum potest sine suo gravi incommodo: nam quisque debet amare proximum sicut seipsum, & ei facere quod sibi fieri rationabiliter vellet. Non est autem grave incommodum dare superflua. 4. Nolle succurrere amico in gravi, sed solùm in extrema necessitate, est per se dissolutivum amicitiæ. Ergo non subvenire gravi necessitati proximi est contra Charitatem pro-

proximi, & Dei, cui fit & denegatur id quod fit vel denegatur pauperi, juxta illud Matth. 25. *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Imò in gravi necessitate proximi quisque tenetur ei subvenire de bonis ad integram status decentiam aliqualiter necessariis. *Ita Suarez, Valentia, & alii communiùs*. Prob. tum ex 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?* Non dicit substantiam omnino superfluam, sed absolutè substantiam; nec dicit necessitatem extremam, sed necessitatem simpliciter. Tum quia quilibet tenetur amare proximum sicut se ipsum *opere & veritate*; ideoque illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate, ut jubet Christus, Matth. 7. At quisque rationabiliter vellet malo valdè gravi liberari cum aliquo incommodo alterius longè minori, qualis est diminutio aliqua decentiæ status, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, de lautitia mensæ, de supellectili aliquid etiam notabile detrahit. Nam *talis decentia non consistit in aliquo indivisibili: quia multis additis homo non excedit status sui conditionem; multis etiam subtractis conditio sui status decenter conservatur. Statur in hoc prudentis arbitrio & discretioni, quæ docet de omnibus*, ait S. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 4. Et verò nolle pati aliquod incommodum ad liberandum tam gravi malo proximum, non est illum amare sicut seipsum.

Porrò S. Thom. sub necessitate urgenti, gravem etiam comprehendit.

Hoc à fortiori intelligi debet de necessitate gravi spirituali, videlicet, cùm proximus non potest sine magna difficultate salutem consequi, vitare peccatum & periculum peccandi, nisi ei subveniatur ex bonis illis, vel sustentatio suppeditetur sacerdotibus, qui illos in spiritualibus adjuvent: nam tunc Charitas obligat ut cum aliquo damno temporali subvenias. *Qui diligit proximum, agit quantum potest ut salvus corpore salvusque animo sit; sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est*, ait S. Aug. lib. 1. de morib. Eccl. cap. 28.

Hinc peccant mortaliter divites, qui tempore caritatis annonæ nihil de status sui splendore, ornatu, & mensæ lautitia detrahunt, & sinunt pauperes inedia confici; vel qui in dubio de necessitate extrema aut gravi proximi, debitam diligentiam non adhibent ad veritatem indagandam, nam exponunt se periculo violandi præceptum Charitatis non subveniendo proximo in necessitate.

Resp. 4. Est gravis obligatio faciendi Eleemosynam de superfluis vitæ & statui, etiam in communi pauperum necessitate. Ita communiter. *Prob.* Quia. 1. Scriptura præceptum Eleemosynæ non restringit ad extremam & gravem necessitatem; immo hæc Christi verba, *Esurivi, sitivi, &c.* important communem etiam necessitatem, quam patiuntur communiter pauperes: esuries enim & sitis communibus pauperibus convenit. Idem significant ista, 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facilè tribuere, communicare, &c.* Ideòque non expectare extremam vel gravem necessitatem ad tribuendum. Pondera has voces *præcipe* & *facilè*. 2. Patres docent simpliciter superflua divitum esse pauperum, tanquam eis debita ex mandato Dei. S. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 12. *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum.... debitum igitur reddis, non largiris indebitum*. S. Hieronym. Epist. ad Hedib. *Si plus habes quàm tibi ad victum vestitumque necesse est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris*. S. Aug. in Psalm. 147. *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res aliena possidentur, cum superflua possidentur*. S. Gregor. lib. 3. pastor. cap. 22. *Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus*. Idem docent SS. Basil. Chrysostom. & S. Thom. 2. 2. quæst. 87. art. 1. ad 4. ibi: *Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud, Luc. 11. Quod superest, date Eleemosynam*. Quare etsi divites sint superfluorum Domini respectivè ad alios homines, non tamen respectivè ad Deum, cujus sunt dispensatores, & qui illis hæc bona dedit, ut ea in pauperes impenderent. Nam juxta SS. Patres laudatos, superflua impendi debent in pauperes non solum ex Charitate erga proximum, sed etiam ex justitia erga Deum, qui ea bona in hunc dumtaxat finem dedit. 3. Unusquisque tenetur diligere proximum sicut seipsum, & illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri. Matth. 7. At vellemus rationabiliter nobis succurri in necessitate communi ex bonis superfluis alterius,

4. Alio-

4. Alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem, imò & extremam. Item grave detrimentum inferretur Reip. relinquendo ei totum onus alendi pauperes.

Hinc peccat mortaliter, qui ex superfluis nullatenus aut non sufficienter subvenit necessitatibus etiam communibus pauperum. Nec excusantur divites, qui solùm post mortem volunt relinquere bona pauperibus: quia ante mortem urget præceptum eleemosynæ, & interim proximus patitur miseriam.

Nec dic divitem posse reservare superflua ad se evehendum in altiorem statum, ad quem natus est. Nam non potest, nisi satisfecerit debito Charitatis, & subvenerit occurrentibus pauperum necessitatibus.

Resp. 5. Tanta Eleemosyna danda est, quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem, ut patet ex ratione & fine præcepti Eleemosynæ, & quidem ab uno & eodem, si possit, & alii non possint aut nolint dare.

Præterea observanda sunt sequentia.

1. Eadem est obligatio præstandi gratis operam quamlibet, qua indiget pauper, v. gr. opificium, laborem, auxilium, patrocinium, &c. quia eadem est ratio ac de pecunia vel alimentis subministrandis. S. Thom. 2. 2. quæst. 71. art. 1.

2. Si alius adsit, qui succurrat, non obligaris: nam tunc pauper non indiget ope tua. At si alii, etsi ditiores te, non subveniant, tu teneris: nam tunc pauper indiget tuo subsidio, perinde ac si tu unus posses opitulari. Nec requiritur evidentia omnimoda necessitatis proximi: sed sufficit, quòd eam possis prudenter judicare adesse, nec certò scias alium ei subventurum.

3. Prælati, Parochi, & superiores tenentur ratione officii inquirere necessitates corporales & spirituales suorum subditorum: quia illorum curam ex officio gerere debent, & erga illos parentum vicibus funguntur: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est ... pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*, ait Concilium Trident. sess. 23. cap. 1. Alii verò non tenentur inquirere: *Non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subveniat; sed eis qui sibi occurrunt*; (vel quos aliunde novit) *misericordiæ opus impendat*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 71. art. 1.

Quæst. III. *An præcepto Eleemosynæ satisfit per mutuum, venditionem, vel alium contractum onerosum?*

Resp. 1. Si proximus sit tantùm pauper secundùm quid, hoc est, si hìc & nunc careat necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem certam ac proximam habendi ex fundo, agro, successione, vel ex industria propria, &c. satisfit ei mutuando, non numerata pecunia vendendo, &c. id quo indiget. Quia talis non est absolutè ac simpliciter pauper & egens, cùm indigeat solùm pro definito aliquo loco & tempore; nec indiget ipsa re ut gratis danda, sed solùm mutuatione rei. Ergo non teneor ei dare absolutè & simpliciter. Sic Charitas sufficienter exercetur erga peregrinum hìc versantem, dando ei unde necessitati subveniat, cum onere restituendi cùm erit in patria, ubi bona multa habet. Sic sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti.

Resp. 2. Si proximus sit absolutè pauper, ita ut nullibi bona habeat, nec spem proximam ac certam habendi; tunc est obligatio ei dandi necessaria gratis & absque onere restituendi. *Ita Azor, Valentia, Sanchez, & alii multi*. Prob. 1. Ex Luc. 14. *Cum facis convivium, voca pauperes: & beatus eris quia non habent retribuere tibi*. Et, ex c. 10. ubi Samaritanus in exemplum debitæ Charitatis adductus, gratis opitulatur. 2. Quia nomine Eleemosynæ Scriptura & Patres intelligunt liberalem & absolutam donationem factam pauperi; & hanc significat verbum *do*, simpliciter & absolutè prolatum. Enim verò, vendere, locare, mutuare non est Eleemosynam facere: alioquin cùm divites pauperibus vendunt, dicerentur eis Eleemosynam facere. 3. Patres suprà citati docent bona superflua divitum deberi pauperibus. Charitas exigit, ut proximo absolutè & simpliciter egenti subveniamus modo consentaneo Charitati, quæ non quærit quæ sua sunt; & ejus miseriam absolutam levemus absolutè ac sine ullo onere & gravamine.

Quæst. IV. *Ex quibus bonis facienda est Eleemosyna?*

Resp. Ex solis bonis propriis, quorum libera administratio habeatur, non ex alienis sine consensu Domini. *Est communis, & certa sententia*. Quia nemo potest donare id quod suum non est, vel cujus alienatio ei prohibita est; nisi careat propriis, & proximus in necessitate extrema versetur, in qua omnia sunt communia quoad usum. Alioqui fit injuria Domino, vel administratori. *Honora Dominum de tua substantia*. Prov. 3. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum .... Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui* victi-

victimat filium in conspectu patris sui. Eccli. 34. *Dicit tibi Deus: Jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo, si non habes quod des de tuo, meliùs nulli dabis, quàm alteros spoliabis*. S. Aug. serm. 178. aliàs 19.

Hinc extra necessitatem extremam, 1. Famuli & ancillæ non possunt ex rebus dominorum, nec filii ex parentum bonis Eleemosynas facere sine eorum consensu expresso, vel racito, aut prudenter præsumpto; cùm non sint Domini bonorum illorum. 2. Religiosus non beneficiatus, nec ullam habens administrationem, cui annexa sit potestas faciendi Eleemosynam, nullam potest largiri sine licentia Superioris expressa, vel tacita, qualem censetur habere iter faciens, aut in studiis versans extra Monasterium, ex pecuniis ei datis, vel (ut ait S. Thom.) *probabiliter præsumpta*. Quòd si habeat beneficium cum plena administratione, non indiget ad hoc licentia Prælati, quia potestas, imò & obligatio erogandi Eleemosynas ex bonis sui beneficii est annexa suo muneri. 3. Uxor non potest de bonis communibus & fructibus dotalibus facere Eleemosynas extraordinarias sine consensu mariti, ad quem pertinet illorum administratio. Potest tamen eo invito vulgares & modicas spectatâ facultate facere, quales solent fœminæ ejusdem conditionis & facultatis, saltem nisi vir sufficientes largiatur; quia id censetur pertinere ad debitam uxoris sustentationem, quam præstare vir tenetur, nec circa eas est rationabiliter invitus. Tutores verò & curatores possunt juxta multos, facere modicas Eleemosynas ex bonis quæ administrant: quia pertinet ad rectam bonorum administrationem, ut aliquid ex eis erogetur in Eleemosynam, & hoc cedit in bonum pupilli & minoris, qui consentire debent. Item minor & pupillus possunt facere eas, quas alii ejusdem conditionis & facultatis facere solent, saltem si tutor aut curator nullas ex eorum bonis faciat: quia tutor vel curator consentire debet; & in hoc differunt à filiis familias, quòd habeant dominium bonorum; non tamen majores facere possunt, cùm non habeant liberam bonorum suorum administrationem.

CAPUT V.

De Correctione fraterna.

NOta. Correctio seu correptio fraterna est admonitio, qua quis Proximum ex Charitate conatur revocare à peccato. Hinc differt. 1. A correptione judiciali, quæ fit authoritate publica, & ad castigationem delinquentis; ob bonum commune potiùs ordinatur, quàm ad ejus emendationem, estque actus justitiæ vindicativæ. 2. A paterna, qua superior cum authoritate absque forma judicii corripit delinquentem, ad eum emendandum, & ad tollendum scandalum: nam hæc supponit specialem ad id authoritatem in faciente: nec solùm ad bonum delinquentis, sed etiam ad bonum commune ordinatur.

Quæst. I. *An extat præceptum Correctionis fraternæ, & quos ac quando obligat?*

Resp. 1. Extat tale præceptum. Constat 1. Ex Eccli. 19. *Corripe proximum, ne fortè iteret*. Et, 2. ad Thess. 3. *Corripe ut fratrem*. Et, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*. Quod de omni peccato intelligendum est; ibi enim species ponitur pro genere: nam ratio cur Christus præcipit corrigere peccantem contra nos, est quia vitam animæ peccando perdidit, ut docet S. Aug. & patet ex his verbis: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Immo multi Patres per tò *in te* intelligunt *coram te*. 2. Ex cap. 13. *de judic.* &c. *Facientis*, dist. 86. & ex Patrum ac Doctorum consensu. 3. Quia Lex charitatis obligat ad subveniendum miseriæ proximi, præsertim gravi. Maxima autem miseria est peccatum; & proximus est in necessitate spirituali saltem aliquali, ob quam indiget Correctione, quatenus sine ea peccatum vitare, aut ab eo resurgere non potest nisi difficulter, ob peccati nempe illecebras & determinationem pravæ suæ voluntatis, vel ob ignorantiam aut inadvertentiam vincibilem. Unde Correctio fraterna est moraliter necessaria; quod sufficit, ut sit in præcepto, quando fructus ex ea speratur.

Resp. 2. Hoc præceptum obligat sub mortali ad corrigendum proximum de quavis culpa mortali non emendata, quæ est gravissimum malum: nam materia gravis est.

Secundùm Cajet. Valent. Layman, & alios, obligat etiam per se loquendo ad eum corripiendum de veniali. Nam charitas exigit, ut quodvis proximi malum, quantumvis in suo genere exiguum, impediamus vel tollamus, saltem cum facillimè & sine ullo incommodo nostro possumus: sicut obligat ut nullum malum quantumvis leve ei inferamus. Sed hæc obligatio est solùm sub veniali, ob parvitatem materiæ; nisi sit periculum morale ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel magnum damnum spirituale Ordini Religioso. Quare ex consensu Doctorum, Superiores Religiosorum tenentur

sub mortali impedire & corrigere culpas veniales, per quas notabiliter læditur Religiosæ disciplinæ vigor: quia notabilis jactura disciplinæ, etiam per defectus leves, est grave malum Religionis, quod Superior tenetur ex officio avertere & tollere.

Dixi, *per se loquendo*; nam sæpe non est obligatio respectu venialis, eo quòd sæpiùs talis Correptio potiùs obesset quàm prodesset: præsertim sæcularibus: nisi fiat erga aliquem perfectionis suæ studiosum, aut valde familiarem, aut ab eo qui ratione officii peculiarem curam gerere debet proximi.

Resp. 3. Hoc præceptum obligat omnes & singulos, etiam æquales, inferiores, laicos, peccatores, quando utiliter corripere possunt sine suo gravi damno. *Ita communiter*, S.Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 4. *Prob.* 1. Ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum*. Quod dirigitur ad eum omnem, qui proximi peccatum novit. Et, ex Eccli. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo*, adjuvando scilicet in omnibus necessitatibus tum corporalibus, tum maximè spiritualibus, 2. Ex can. *Tam* 24. qu. 3. *Tam Sacerdotes, quàm reliqui Fideles omnes summam curam habere debent de his qui pereunt: quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur*. Et, ex c. 12. de hæret. ubi Innocentius III. ait: *Cùm aliquid sit fratrem peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere secundùm regulam evangelicam*. 3. Quia hæc obligatio oritur ex charitate & misericordia, quæ sicut ad eleemosynam corporalem, sic etiam ad spiritualem obligat omnes qui possunt illam facere. Unde etiam subditus tenetur corrigere superiorem: nam præceptum Correptionis fraternæ obligat ad subveniendum per Correptionem omni proximo in miseria spirituali constituto, nec ad hoc requiritur jurisdictio, sed sufficit conjunctio charitatis, quæ, cæteris paribus, debet esse major ergà superiores, qui etiam sæpe magis indigent, cùm in majoribus obligationibus, & periculis versentur, ut notat Suarez. Debent tamen corrigi seorsim, & magis obsecrando, quàm arguendo, juxta illud, ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*: nisi ex ejus peccato periculum gravis scandali vel fidei immineret; tunc enim publicè corripiendus esset superior ad tollendum scandalum.

Porrò superiores, ut parentes, domini, pastores, prælati, ad corrigendos subditos magis obligantur tum ex charitate, cùm charitatis ordo id postulat, & sunt magis idonei; tum etiam ex justitia, ratione officii, unde illud, 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum... curam non habet, est infideli deterior*. Hinc eorum obligatio ad plures actus se extendit, nam tenentur de eorum peccatis inquirere, ut illa corrigant, & eorum bonum spirituale promovere quantùm possunt. Debent enim ipsi pervigilare, quasi rationem pro animabus eorum reddituri, ex Hebr. 13. Imò debent punire suos subditos etiamsi nulla sit spes emendationis, ut scandalum tollatur, & alii deterreantur, & sic bono communi provideatur.

Resp. 4. Ut hoc præceptum obliget, ex communi sententia, requiruntur sequentia.

1. Ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel esse in proximo periculo peccandi; alioqui temeraria esset Correctio vel monitio: at nullus actus temerarius præceptus est. Porrò nemo inquirere tenetur nisi superior. Sed ut superior teneatur inquirere, sufficit suspicio, vel dubia cognitio. *Ita communiter*. Quia cùm teneatur ex officio vigilare super gregem suum, etiam tenetur occurrere malis dubiis.

2. Ut sit periculum ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut putetur non aliter facile emendandus: alioquin non esset indigentia spiritualis, ideoque nec locus eleemosynæ spirituali. Præceptum autem subveniendi proximo non obligat, nisi in ejus necessitate seu indigentia.

3. Ut sit probabilis spes emendationis, ex Prov. 9. *Noli arguere derisorem*. Nam desperato fine nemo tenetur ad medium inutile; & Correctio non est præcepta, nisi prout conducit ad emendationem proximi, quæ est ejus finis intrinsecus. Et verò tunc Correctio esset imprudens: nemo autem obligari potest ad actum imprudentem. Ita S.Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 6. ibi. *Duplex est Correctio delinquentis. Una quidem pertinet ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda, propter turbationem ejus qui corripitur; tum quia si, propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat: tum etiam quia si incorrigibilis sit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur.... Alia est Correctio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem: & ideo ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum; quia ea, quæ sunt ad finem,* de-

debent regulari secundùm id, quod exigit ratio finis.

Excipe, nisi redargutio necessaria vel utilis sit ad honori Dei vel famæ proximi consulendum, aut scandalum aliorum impediendum; ut cùm quis blasphemias vel errores profert, aut detrahit proximo. Tum enim fieri debet correctio, etiamsi nulla sit spes emendationis delinquentis; ne tacendo videaris approbare malum; & quia teneris injuriam Dei & grave malum proximi impedire cùm potes. At tunc non erit strictè Correctio fraterna peccantis, sed alius actus charitatis Deo vel alteri proximo debitus.

Porrò non est omittenda Correctio propter aliquam tristitiam delinquentis, vel etiam iram cum aliqua levi culpa, si tandem speretur emendatio. Quia hæc per accidens sequuntur, & ad impediendum majus malum permitti possunt. Item Correctio fieri debet, si decursu temporis, licèt non statim, fructus speretur. Ita S. August. Epist. 10. aliàs 87.

4. Ut non adsit alter magis idoneus, vel dignitate aut ætate superior, qui commodiùs possit & velit corrigere: nam tunc peccans non indiget tua Correctione. Quòd si ille tertius aptior nolit, teneris perinde ac si tu unus esses qui posses corrigere: nam tunc tua Correctione peccans indiget.

5. Ut opportuno tempore fiat, quando scilicet fructus probabiliter sperari potest: nam alioqui non prodesset, sed potiùs obesset. Præterea, ut ait S. Thom. qu. 33. art. 2. *Actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quòd sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, & quomodo debet, & secundùm quod debet.* Quare non semper facienda est statim atque peccatum cognitum est.

Sed quid si dubitetur, sit ne profutura Correctio?

Resp. Si de fructu dubites, & simul certò scias obfuturam non esse, teneris corrigere, quia sicut in morbo corporali, ita & in spirituali remedium quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio an sit profuturum, si nullum certius adsit: & quia adest materia Correctionis & fieri potest ut obtineatur ejus finis. Si verò dubites non modò sit ne profutura Correptio, sed etiam num sit nocitura, eam omittere debes: quia cùm Correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cùm æque imminet peccatum proximi ac ejus emendatio. Excipe, nisi alioqui moriturus esset in mortali: nam tunc, etiam in dubio de peccato mortali, ipse admonendus esset, ne proximus damnetur in æternum.

Quæst. II. *An corripiendus est, qui peccat ex ignorantia?*

Resp. Corripiendus est, & docendus, 1. Si ignorantia sit culpabilis: quia est in gravi miseria spirituali, cùm hæc ignorantia sit peccatum, nec excuset à peccato. 2. Si malè agat ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani, quando fructus speratur. Quia talis ignorantia est magnum quoddam proximi malum ac miseria, & varia incommoda afferre potest, ut scandalum, habitum pravum, &c. imò & periculum postea peccandi formaliter: nam sæpe contingit ignorantiam fieri vincibilem ex invincibili, ideòque non ampliùs excusare à culpa. Præterea id exigit studium ac reverentia legis, cujus violatio facilè impediri potest. Et multò magis, si ex illa ignorantia oriatur scandalum; vel irreverentia Dei, aut religionis, aut damnum tertii, ut si quis rem alienam bona fide retineret. 3. Si sit invincibilis ignorantia medii necessarii ad salutem: quia talis ignorantia conjuncta est cum evidenti periculo damnationis.

Quæst. III. *Quis ordo Correctionis fraternæ servandus est?*

Resp. Per se loquendo servari debet, secundùm omnes, ordo à Christo præscriptus, scilicet ut proximus corripiatur primùm secretò, deinde coram uno aut duobus aliis, si secreta monitio non profuerit: tum verò res ad Prælatum Ecclesiæ seu superiorem deferatur, Matth. 18. *Corripe eum inter te & ipsum solum .... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos.... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Quia dis ordo est præcepti tum positivi; nam hæc verba *Adhibe, dic*, tam præceptum sonant, quàm illud *Corripe*; & Christus eodem tenore verborum substantiam præcepti & ordinem in ejus executione servandum statuit: tum etiam naturalis; nam lex naturalis præcipit ut proximum corrigamus sine detrimento illius famæ, si fieri possit; vel certè cum minimo quod sufficiat ad correctionem, si sine aliquo fieri nequeat Correctio. Neque enim licet proximi famam lædere sine necessitate. Igitur si sufficit secreta monitio, non licet adhibere testes, si unus testis sufficit, non licet adhibere plures: si testes non sufficiant, deferendum est peccatum ad superiorem, qui pro sua authoritate compescere poterit peccatum; quod neque tu, neque testes coercere potuistis.

Dixi, *per se loquendo*. Nam cùm præceptum

ptum hoc sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed quando charitas & recta ratio dictat. Unde hi casus ab omnibus excipiuntur, in quibus peccatum proximi statim deferendum est superiori.

Quando peccatum proximi est ita publicum, ut non censeatur infamari per denuntiationem factam immediatè superiori. Nam tunc cessat ratio servandi famam; & tunc non solùm emendatio fratris, sed etiam reparatio scandali per punitionem procuranda est. Ita S. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. ad 2. addens; *Si autem nondum in publicum devenit, sed est in viam deveniendi, tunc etiam denunciandum est, ut scandalo futuro occurratur.*

2. Quando peccatum, etsi occultum, cedit in damnum communitatis, ut proditio, hæresis quæ ut cancer serpit, falsificatio monetæ, veneficium, &c. & non constat impeditum iri per secretam monitionem, ita S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. Nam bonum commune præferendum est privato, & illi sufficienter providendum, etiam cum infamia nocentis. Item si peccatum cedat in grave damnum tertii privati; ut si quis furtum grave vel necem alterius machinetur, ad turpia sollicitet, &c. nisi constet hoc malum impeditum iri per secretam monitionem, ex cap. 4. *de furt.* Quia secundùm ordinem charitatis præferri debet innocens nocenti voluntariè lædenti. *Quædam peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel spirituale.... & quia ille qui sic occultè peccat, non solùm in se peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denuntiationem ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7.

3. Quando prudenter judicatur non profutura tua monitio, nec aliorum inferiorum. Nam tunc duo priores actus essent inutiles, & proximus tunc eget Correptione superioris ut patris, cui tunc revelatur ut singulari personæ, quæ tenent locum testis idonei, & quæ magis potest prodesse quàm alii. S. Thom. q. 33. art. 8. ad 4. & charitas exigit ut bonum spirituale præferatur famæ.

4. Si alter satisfactionem tibi debitam deneget, tunc potes illam petere à superiore: quia jure tuo uteris.

5. Quando proximus cessit jus quod habet ne defectus & peccata denuncientur superiori, non præmissa monitione secreta, ut fit in nostra Societate. Nam quisque potest juri ac favori suo renunciare, cap. 6. *de privil.* nisi id vergat in aliorum damnum. Ordo autem Correptionis fraternæ in peccantis favorem constitutus est, & fundatur in jure famæ, cujus quisque Dominus est. Porrò non licet delictum grave subditi perfectè emendatum sine relapsus periculo deferre superiori: quia sine causa subditus apud superiorem infamaretur.

Ex dictis sequitur eum peccare mortaliter. 1. Qui ex timore ne proximus offendatur, & ne ipse inde aliquod leve damnum patiatur, omittit in re gravi Correctionem, quam putat profuturam. 2. Qui sine justa causa non servat ordinem à Christo præscriptum. 3. Qui corripit vel denunciat non ex charitate, ut proximus emendetur, sed ex odio gravi, ut confundatur ac deprimatur.

CAPUT VI.

De Peccatis Charitati specialiter oppositis.

NOta. Licèt omnia peccata Charitati generaliter adversentur, & ideo quodvis mortale ejus habitum destruat; sunt tamen quæ illi specialiter opponuntur, & directè pugnant contra ejus actus. Qualia sunt odium, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, scandalum: quæ sunt mortalia ex genere suo, cùm directè ac specialiter opponantur Charitati, & excludant à regno Dei, ad Gal. 5.

§. I.

De Odio Dei & proximi.

Quæst. I. QUid est Odium?

Resp. Odium est aversio objecti. Duplex est, unum inimicitiæ, quo alicui personæ ex ejus displicentia volumus malum, quatenus ejus malum est; alterum abominationis, quo rem vel personam aversamur ut malam præcisè, vel ut malam nobis aut aliis.

Quæst. II. *Quale peccatum est Odium Dei?*

Resp. Omne Odium inimicitiæ erga Deum est peccatum omnium gravissimum: quia per se immediatè, directè & formaliter avertit à Deo, & opponitur directè actui Charitatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, & ejus habitui. Nam ex Aristotele, illud est pessimum, quod optimo est contrarium. Item omne Odium abominationis erga Deum est intrinsecè malum & mortale; quia est graviter injuriosum Deo, quasi in eum cadere possit ali-

aliqua malitia, vel defectus seu ratio, ob quam aversione dignus sit, cùm tamen Deus sit essentialiter in omni ratione infinitè bonus & perfectus.

Hinc gravissimum scelus est optare, ut Deus non sit, ut careat aliqua perfectione, v. g. scientia, justitia, omnipotentia, &c. aut de illa dolere. Item gaudere de offensa Dei ut tali, &c.

Quæst. III. *Quale peccatum est Odium proximi?*

Resp. Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo. Nam directè opponitur Charitati proximi, & graviter prohibetur præcepti diligendi proximum, ex 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, ut si ex levi displicentia personæ leve malum optetur. Aliud est de Odio Dei, quod semper est mortale, nec admittit levitatem materiæ, cùm vel levissimum malum Deo optare sit Deo graviter injuriosum, quasi in eo reperiatur aliqua ratio aversionis.

Odium verò abominationis erga proximum, si sine justa causa & inordinatè concipiatur, est culpa gravis, vel levis pro gravitate vel levitate materiæ. Interdum tamen culpa vacat, & est laudabile, dum scilicet non adversatur Charitati, sed procedit ex amore benevolentiæ erga Deum, vel eum quem sic aversamur, aut alterum proximum, servato ordine debito Charitatis: ut cùm quis aversatur peccatorem, non qua homo est, sed qua peccator est, seu quòd peccator sit, in eo aversando ejus peccatum ut ejus malum est, juxta illud, Prov. 29. *Abominantur justi virum impium.* Nam sic odisse nil aliud est quàm odisse peccatum in ipso; & tale odium conjunctum est cum Charitate, qua eidem volumus salutem & ejus media, ac alia bona, quibus indiget.

Quæst. IV. *An semper est peccatum optare malum proximo, vel de eo gaudere?*

Resp. 1. Numquam licet optare & imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo ut tali, vel dolere de ejus bono ut ejus bonum est. *Ita omnes.* Quia hæc sunt actus odii & inimicitiæ, & repugnant Charitati; ideòque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati.

Item non licet optare etiam inefficaciter malum proximi quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo etsi inculpatè advenienti, vel dolere de ejus bono, quamvis non ex displicentia personæ, sed præcisè propter bonum minus nostrum, vel alterius proximi. Quia hi actus repugnant debito ordini Charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus & altioris ordinis præferre nostro minori & inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innocentio XI. damnatis 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum est absolutò desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Resp. 2. Ex S. Thom. in 3. dist. 33. art. 1. ad 4. *Quia Charitas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos quàm inimicos, & bonum commune multorum quàm bonum privatum unius; potest aliquis salva Charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus, secundùm quod per malum pœna impeditur frequenter malum culpæ ejus.*

Igitur, 1. Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, verbi gratia morbum, & de illo gaudere præcisè propter ejus bonum spirituale, v. gr. ut peccare desinat & resipiscat: quia secundùm ordinem Charitatis, bonum spirituale præfertur temporali.

2. Licet sic optare mortem justè obventuram hæresiarchæ vel malefactori Reip. noxio, & de ea gaudere, non quatenus ipsis malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, & ob multorum bonum, quòd præferendum est bono unius privati.

3. Licitè optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ. Quia bonum Ecclesiæ vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis.

4. Licet optare malefactori pœnam meritam

tam per judicem infligendam, vel ut ipse aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi aut aliis; nam hoc est consentaneum Charitati; vel quia expedit reip. & bono communi, nam est actus pietatis erga remp. vel ut jus læsum resarciatur, nam est actus justitiæ. At, ut dixi, numquam licet optare aliis vel sibi majus malum ad vitandum minus; quia hoc est contra debitum ordinem Charitatis. Hinc peccant mortaliter, qui sibi mortem deliberatè optant ex gravi impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias.

Quæst. V. *Quid dicendum de Maledictione?*

Resp. 1. Ex dictis constat esse mortale proferre maledictionem gravem ex animo ut malum grave eveniat, v. gr. Diabolus te rapiat. Utinam mortuus sis, &c. Imò sibi vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis sine animo ut eveniat, sæpe mortale est, sive ratione contumeliæ gravis spectata personæ qualitate, sive ratione scandali. Sic parentes graviter peccant liberis suis præsentibus grave malum oretenus ex ira imprecando: nam suo exemplo eos docent sibi invicem, vel aliis malum grave imprecari, & iræ servire. Nec à mortali excusatur, qui durante passione, grave malum evenire deliberatè voluit, etsi statim postea noluisset, imò doluisset, si evenisset: quia revera passioni iræ deliberatè consensit in re gravi. Item mortale est seipsum ex ira deliberatè dæmoni devovere, ob fœditatem ac perversitatem rei. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex effectu pensantur.* S. Thom. 2. 2. quæst. 76. art. 3. Hinc confitens maledictionem interrogari debet, an ex animo malum grave sibi, vel alteri imprecatus fuerit, an cum scandalo vel contumelia, & quale malum in specie optaverit; nam maledictiones sunt diversæ speciei pro diversitate malorum optatorum; actus enim voluntatis mali sumunt speciem etiam ex objecto materiali.

Resp. 2. Maledictio gravis effusa in non subditum præsentem, non solùm Charitati, sed etiam justitiæ repugnat. Nam est etiam gravis & injusta læsio honoris proximi, seu contumelia, idèoque obligat ad satisfactionem.

Nota. Maledicere creaturis irrationalibus, quatenus sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maledicere illis in quantum sunt creaturæ Dei, est blasphemia. Maledicere verò eis secundùm se consideratis *est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.* Ita S. Thom. quæst. 76. art. 2. Hoc tamen ultimum censetur solùm veniale per se, ut si rusticus equis suis mortem vel diabolum optet.

§. II.

De discordia, contentione, schismate, rixa, & seditione.

I. Discordia est dissensio voluntatis à voluntate alterius in iis, quæ quis tenetur velle ex Charitate Dei vel proximi. Opponitur concordiæ, quæ consistit in voluntatum consensione. Estque peccatum mortale ex genere suo, ex Gal. 5. ubi *dissensiones* numerantur inter opera carnis, de quibus ibi dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tum quia Prov. 4. Deus *Detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* Tum quia specialiter opponitur Charitati, cujus est voluntates unire. Sed ad hoc requiritur, ut scienter quis dissentiat à bono Dei vel proximi, in quo debet consentire, ut docet S. Thom. qu. 37. art. 1. addens non esse peccatum discordiæ, cum unus æstimat hoc esse bonum, & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; alius autem habet contrariam opinionem: nisi hujusmodi discordia fit cum errore circa ea, quæ sunt de fide aut necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur.

II. Contentio est altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contradicit. Est peccatum mortale ex genere suo, sicut alia quæ sunt contra Charitatem. Unde, ad Gal. 5. *Contentiones* numerantur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Contentio autem semper est mortalis. 1. Si impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave bonum proximi spectans. Si tamen veritas non impugnetur seriò, sed solùm exercitii causa, ad illustrandam explicandamque veritatem, vel ad explorandam doctrinam alterius, secluso scandalo & modo inordinato non est peccatum. 2. Si contentio fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, conviciis, contumeliis. Est autem solùm venialis, seclusis conviciis ac scandalo, si materia sit levis vel inordinatio sit solùm in modo, v. g. si solùm fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium.

III. Schisma est voluntaria separatio bapti-

ptizati ab unitate Ecclesiæ: sive est subtractio ab obedientia Ecclesiæ, vel Summi Pontificis ejus capitis in spiritualibus, vel etiam separatio voluntaria à solis membris Ecclesiæ. De hoc sic ait S. Thom. qu. 39. artic. 1. *Est speciale peccatum ex eo quod intendit se ab unitate separare, quam Charitas facit, quæ non solùm alterum alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Et ideò propriè Schismatici dicuntur, qui propria sponte & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant ... Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput scilicet Christum, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

Schisma aliud est purum, quod Charitati solùm & paci ac obedientiæ opponitur, quale est in iis, qui cùm credant unam esse Sanctam Ecclesiam sub visibili capite Romano Pontifice constitutam, & quidquid Ecclesia Romana credit: tamen ex malitia voluntatis, seu superbia, nolunt cum quadam rebellione Papæ subesse ac obedire; vel reliquis Ecclesiæ membris uniri esse. Et aliud cum hæresi conjunctum, ut cùm quis se *separat ab obedientia Papæ, quia non credit ejus potestatem*, ait Toletus.

Porrò omnes hæretici sunt etiam Schismatici, cum ab unitate Ecclesiæ se separent, contrariam doctrinam sectando. Schismaticum esse, qui non à Papa, nec ab universis Ecclesiæ membris, sed solùm à suo Episcopo Papæ unito & verè subjecto, se separat, vel etiam à solis fidelibus membris illius diœcesis, docent Bellarminus, Valentia, & alii, ex S. Cypriano, in Can. *Scire*, qu. 9. 1. Quia hic etiam implicitè & indirectè se separat à Summo Pontifice ac reliquis Ecclesiæ membris, quatenus Episcopus, ejusque subditi habent subordinationem & connexionem cum Papa & aliis Ecclesiæ membris, ut quædam pars cum suo capite ac reliquis ejusdem corporis partibus. Sic manus à brachio separata, hoc ipso etiam separatur à capite & à toto corpore.

Est autem Schisma gravissimum scelus, ut constat ex Patribus, cùm lædat præclarissimum quoddam bonum commune; nempe ipsam Ecclesiæ unitatem. *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quòd à Christianitate disjunctus est, non habebit vitam: sed ira Dei manet super eum*, ait S. Augustinus cum multis aliis Episcopis, in Epistol. 152. quæ est Concilii Zettensis.

IV. Rixa est pugna manuum & verborum inter privatos, cùm scilicet aliqui ex ira invicem se percutiunt authoritate privata. In aggressore est peccatum mortale ex genere suo, cùm sit contra Charitatem & justitiam, & ad Gal. 5. *Rixa* numerentur inter opera carnis excludentia à regno Dei. *In eo autem, qui se defendit potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali, secundùm diversum motum animi ejus, & diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec propriè potest dici Rixa ex parte ejus. Si verò cum animo vindictæ vel odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum. Sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii vel vindictæ se immiscet, vel cum multum non excedit moderatam defensionem. Mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum*. S. Thom. 2. 2. quæst. 41. art. 1.

V. Seditio est bellum aggressivum unius partis reip. adversùs aliam, vel adversùs principem suum. Est semper mortalis, nam semper graviter adversatur unitati, paci, ac bono communi, & etiam justitiæ, cum authoritas bellandi resideat in solo principe, vel rep. libera.

§. III.

De Bello.

Quæst. I. **A**N *Bellum etiam offensivum potest esse licitum?*

Resp. Affirm. Quia 1. Luc. 3. S. Joan. Bapt. rogatus à militibus quid sibi ad salutem esset agendum, non jussit eos militiam deserere, sed ne quemquam concuterent. 2. Deus, Deut. 23. Leges belli gerendi dedit. 3. Principi summo & reip. liberæ licet jus suum tueri ac repetere. Cùm autem careant superiore, à quo jus suum obtinere possint, debuit iis jure naturæ competere potestas ad jus sibi dicendum, & cogendam partem adversam ad sibi satisfaciendum: alioqui non posset communitas perfecta in pace conservari. De defensivo per se patet, cùm jure naturæ unicui-

que liceat injustam vim vi repellere cum debita moderatione.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ut Bellum sit licitum?*

Resp. Ex S. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 74. & 75. ex S. Thom. 2. 2. qu. 40. & communi Doctorum sententia, hæc tria.

1. Potestas suprema, quæ residet vel in rep. libera, vel in principe supremo, cui cura reip. commissa est. Nam qui habent superiorem, possunt ejus authoritatem implorare ad injuriæ compensationem; & sic bellum non potest esse iis licitum.

2. Causa justa, quæ est dumtaxat gravissima injuria principi vel subditis illata, quam tollere, vel pro ea satisfacere pars adversa recuset. Ex S. Aug. in *c. Dominus*, 23. q. 2. ibi. *Bella justa definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas quæ Bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.* Nam Charitas & justitia exigunt, ut sine gravissima & necessaria causa non inferantur aliis gravissima damna, qualia fiunt in Bello, quòd si majora incommoda, quàm commoda, præsertim respectivè ad honorem Dei & bonum religionis catholicæ secutura prævideantur, à bello abstinendum est: quia secundùm debitum ordinem rerum & Charitatis, honor Dei, bonum Ecclesiæ, salus æterna proximi præferri debent bono temporali status politici.

3. Recta intentio, ut non geratur bellum ex odio, avaritia inordinata cupiditate amplificandi imperii, sed ad publicam quietem ac justitiam servandam, vel ad opitulandum injustè oppressis.

Porrò licet etiam aliis tanquam sociis auxilium præbere principi habenti justam causam bellandi, & hic uti aliorum auxilio, quamvis sint diversæ religionis, modò absit scandalum & periculum Fidei ac sacrilegiorum, sicut Judas Machabæus fœdus cum Romanis iniit. 1. Mach. 8. Nam per se loquendo licet alium in re justa juvare. At non licet in bello etiam justo advocare infideles & hæreticos in auxilium, vel iis opem ferre, quando adest periculum scandali, sacrilegiorum, incrementi hæreseos, & detrimenti veræ religionis. Quia salus æterna proximi, & præsertim multorum, præferenda est cuilibet bono temporali; & principes tenentur supra omnia Christo servire; ejusque regnum quod est Ecclesia catholica, quam sanguine suo acquisivit, quantùm possunt, integrum conservare, imò & amplificare. *Major vobis Fidei causa debet esse quàm regni, ampliusque pro parte Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quàm pro omnium securitate terrarum. Subsequentur enim omnia prospera, si primitùs quæ sunt Deo chariora serventur... pro vestri enim imperii salute geritur quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ religionis observantia laboratur*, ait Sanctus Cœlestinus I. Epist. ad Theodos. Imper. in actis Concil. Ephes.

Cæterum quamvis non possit dari bellum utrimque justum ex natura rei, cùm circa idem non possint esse jura contraria; fieri tamen potest, ut neutra pars peccet bellando, ob ignorantiam invincibilem.

Quæst. III. *Quænam ante bellum, & in ipso bello fieri debent, ac licent?*

Resp. 1. Ante bellum tenetur princeps rem diligenter examinare cum viris probis ac peritis, & habere certitudinem saltem moralem de justitia causæ. Nam cùm ex Bello gravissima sequantur mala ac incommoda, etiam innocentibus, Charitas & Justitia exigunt ut non inferatur, nisi planè constet de causa justa & sufficienti. Et verò si non licet hominem privatum in dubia causa punire; multò minùs licet multos & totam remp. Quòd si justitia sit dubia, & alter sit in possessione, certa injustitia est bellare: quia in dubio melior est conditio possidentis. Deinde tenetur parti adversæ justitiam causæ & suas prætensiones proponere, ut illa possit satisfacere injuriæ illatæ, vel restituere ablata sine alio damno: nam Bellum sine necessitate geri licitè nequit, propter ingentia mala, quæ cum eo conjuncta esse solent. Ex S. Aug. in cap. *Noli*, 23. qu. 1. *Pacem habere debet voluntas, Bellum necessitas.* Hinc æqua satisfactio oblata acceptari debet: alioqui Bellum sine justa causa & necessitate fieret.

Resp. 2. In Bello justo licita sunt ea omnia & sola, quæ juxta consuetudinem christianorum necessaria sunt ad assequendum finem Belli, scilicet vel ad recuperanda injustè ablata, vel injuriam justè vindicandam, & ad securitatem reip. stabiliendam. Nam cùm finis licitus sit, licita sunt etiam media per se ad illum necessaria, non autem alia quæ proximo nocent, cùm nemini sine justa causa damnum inferre liceat.

Hinc 1. Licet occidere hostes pugnantes & resistentes, non tamen innocentes qui non pugnant, ut sunt clerici, senes, mulieres, pueri, rustici, opifices, &c. quamvis sint partes reip. hostilis: quia nunquam licet directè occidere innocentes. Neque enim resp. po-

potest puniri in suis membris, nisi secundùm id quod ejus dominio subest, qualis non est vita civium. Indirectè tamen & per accidens possunt interfici, ut cùm urbs expugnari, vel nocentes seu milites vinci nequeunt, nisi cum periculo & occisione innocentum. Quia bonum publicum, quod ex victoria speratur, est majus bonum quam vita aliquorum, quorum mors præter intentionem sequitur. Et alioqui non posset contra nocentes Bellum geri, & sic causa bellantium frustra esset justa.

2. Licet spoliare bonis cives etsi non pugnantes, qui sunt membra reip. hostilis, si hoc necessarium sit ad finem Belli. Quia cùm sint pars reip. ipsa justè punitur in illis, & debilitatur privatione bonorum quæ ejus dominio subjiciuntur.

3. Licet uti insidiis & stratagematibus, ex Josue, cap. 8. &c. *Dominus* supra cit. quia non sunt mendacia, sed occultatio veritatis.

4. Civitas capta dari sine gravi necessitate non potest in prædam, propter multa scelera & mala, quæ in tali deprædatione à militibus committi solent. Et si detur, tenentur duces diligentissimè curare ne scelera committantur.

5. Ea quæ caveri nulla prudentia possunt, ut veneno inficere puteos, aquas, glandes, non licent: quia sunt contra jura Belli & gentium. Item christiani à christianis capti non possunt fieri servi, nam id ex consuetudine gentis christianæ receptum est, in honorem religionis christianæ, & libertatis, quam per Christum consecuti sumus: unde esset contra jus gentis christianæ.

6. Non licet victori retinere urbes captas & alia bona immobilia hostium, nisi quatenus & debitam compensationem vel satisfactionem non excedunt, vel necessaria sunt ad securitatem in posterum contra victos stabiliendam. Nam compensatio debet esse commensurata debito, & pœna culpæ, alioqui est injusta.

7. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, si æqua satisfactio offeratur, securitas sufficiens præstetur, & compensentur impensæ Belli; quia tunc cessat causa continuandi Belli, quod proinde jam foret illicitum.

Resp. 3. Jure naturali nihil fieri licet contra justitiam, jus gentium, fortitudinem, charitatem, & veram religionem. Et Fides data hostibus servanda est, ex S. August. in cap. *Noli.* Nam hæc obligat jure naturali & gentium; & hoc necessarium est ad pacem ac bonum commune regnorum. Nam si fœdera publica inter regna & principes non obligarent, nec necessariò servanda essent, nulla pax aut societas inter genus humanum consistere posset. Quod intellige, nisi hostes ipsi fidem fregerint: nam tunc est quædam compensatio, & pacta censentur fieri sub hac conditione, si alter promissis steterit, nec fidem fregerit.

Resp. 4. Tenentur Princeps & ejus duces militibus justa stipendia solvere, & impedire omnia crimina, quæ impedire moraliter possunt, curareque ne proprii subditi iniquis vexationibus graventur, alioqui tenentur ad compensanda damna secuta ex omissione solutionis, vel diligentiæ debitæ, cùm sint eorum causa contra proprium officium & justitiam.

Resp. 5. Ex communi sententia bona justo bello capta, si sint immobilia, cedunt principi aut reip. Si mobilia, sunt capientium, nisi ex consuetudine regionis ea dividenda sint inter milites, aut una pars cedat principi. Tamen bona injustè acquisita ab hostibus, restitui debet eorum dominis, ex l. 20. §. *de captivis*, cùm jus habeant in illa, nec sint hostium.

Quæst. IV. *An Repræsaliæ licitæ sunt?*

Resp. Affirm. Positis certis conditionibus. Quia authoritate publica usurpari possunt per compensationem bona subjecta dominio reipquæ in culpa est, dum non procurat reparationem injuriæ à suis membris illatæ alterius reip. civibus. Sed hæ conditiones requiruntur. 1. Ut constet de injuria illata. 2. Ut princeps vel magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget. 3. Ut fiant authoritate principis civium læsorum. 4. Ne plus damni inferatur quàm justa satisfactio requirit. 5. Ut non fiant in personas Ecclesiasticas, & earum bona, cap. unic. *de injur. in 6.*

§. IV.

De Scandalo.

Quæst. I. **Q***Uid est Scandalum?*

Resp. 1. Generatim duplex est, nempe activum & passivum. Scandalum activum est dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem peccandi. Sub dicto vel facto comprehenditur etiam omissio externa: nam qui omittit agere vel loqui quod debet, aliis est scandalo.

Dicitur minùs rectum, hoc est, quod vel malum est, ut si turpia loquaris coram adolescente; vel mali speciem habet, ut si mulierem suspectam domi tuæ aleres, licet cum

ea nec peccares, nec periculum tibi esset cum ea peccandi; aut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Unde illud, 1. ad Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Scandalum passivum est ipsa ruina seu peccatum proximi, ex occasione facti vel dicti vel omissionis alterius commissum. Dividitur in scandalum pusillorum seu infirmorum, quod oritur ex ignorantia vel infirmitate peccantis; & in pharisaicum seu merè acceptum, quod oritur ex ipsa malitia peccantis. Sic vocatur, quia Pharisæi ex insigni malitia occasionem peccandi ex sanctissimis Christi dictis & factis sumebant.

Quæst. II. *An scandalum est speciale peccatum?*

Resp. 1. Dare scandalum directè, inducendo scilicet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa ut peccet & pereat, sicut facit dæmon, sed propter utilitatem vel voluptatem aliquam propriam, aut alterius, est peccatum speciale contra charitatem. Nam Lex charitatis in Deum & proximum, vetat ne offensam Dei & malum spirituale proximi quovis modo procuremus. Præterea hoc directè opponitur præcepto correctionis fraternæ, cùm sint contraria revocare proximum à peccato, & eum in illud inducere.

Imo talis inductio habet duplicem malitiam in confessione exprimendam, unam contra charitatem, & alteram contra virtutem, cui repugnat opus illud malum; nam singulæ virtutes obligant directè ad suos actus eliciendos, & indirectè ad non procurandam sui violationem in aliis. Præterea inducens consentit peccato ad quod inducit: Ergo illius reus est: nam, ex Rom. 1. eadem pœna æterna digni sunt qui faciunt, & qui consentiunt facientibus.

Hinc 1. numquam licet petere ab alio vel ei suadere id quod ipse non potest sine culpa præstare; nam hoc esset inducere in peccatum.

2. Qui fœminam induxit ad fornicationem, peccat tum contra castitatem, tum etiam contra charitatem: cùm fuerit ei causa ruinæ: unde hæc circumstantia inductionis in confessione explicanda est. Idque etiamsi ipsa fuerit parata ad malum; nam non est hic & nunc in actuali voluntate peccandi, sed solùm in habituali: unde sine tua inductione hic & nunc non committeret hoc peccatum.

3. Consilium pravum specificatur à peccato, quod consulitur, & est etiam contra charitatem.

4. Laudans alium de peccato commisso, vel vituperans quòd non commiserit, tenetur explicare speciem peccati, circa quod fuit laus vel vituperium. Nam illæ laudes vel vituperia sunt exhortationes ex se ordinatæ ac aptæ ad inducendum in peccatum, & ad complacendum de illo si commissum est: quare sumunt ab illo suam specialem malitiam tanquam ab objecto.

Resp. 2. Dare scandalum indirectè tantùm, non intendendo peccatum alterius, nec ad illud inducendo, sed præcisè faciendo vel dicendo coram illo aliquid malum, vel mali speciem habens, est peccatum mortale ex genere suo, & speciale contra charitatem. *Ita S. Antoninus, Navar. Suarez, Valentia, & alii multi.* Prob. Ex Matth. 18. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Ubi Christus loquitur de scandalo simpliciter & generaliter. Et, ex Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur; jam non secundùm charitatem ambulas;* ubi agitur de cibis Lege veteri abrogata vetitis, ideòque jam licitis. Et, ex 1. ad Cor. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, &c.* Ubi ut grave peccatum contra charitatem reprehenditur scandalum indirectum, quo fideles plenè instructi carnes idolo immolatas comedebant coram infirmis falsò putantibus id esse de se illicitum, qui inde præter intentionem comedentium impelli poterant ad eas contra conscientiam erroneam comedendas. 2. Quia secundùm omnes; Lex charitatis in Deum & proximum obligat ad cavendum & impediendum etiam in aliis peccatum, quod est offensa Dei & maximum malum proximi. Item obligat ad proximum à peccato per correptionem fraternam retrahendum: ergo à fortiori obligat ad non conjiciendum eum per scandalum in peccatum vel ejus periculum. Et verò ad contrahendam malitiam aliquam sufficit ut liberè fiat id, quocum conjuncta est, & cognoscitur vel cognosci potest ac debet esse conjuncta: nam tunc illa malitia est saltem interpretativè volita.

Imò hoc scandalum indirectum, ex communi sententia, contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occasio, exprimendam in confessione. Tum quia dans illud, vult saltem interpretativè tale peccatum alterius, volendo sine justa causa id ex quo prævidet secuturum, vel ejus periculum: tum quia virtus omnis non solùm vetat actus sibi contrarios, sed etiam ne detur aliis occasio illos ponendi.

Et

Est autem mortale, si detur occasio culpæ mortalis; veniale verò, si detur solùm occasio venialis, secluso periculo gravioris mali: nam quamvis peccatum veniale sit gravius malum quolibet temporali, est tamen leve in suo genere, & reparatu facile.

Hinc peccant mortaliter contra charitatem & castitatem. 1. Qui imagines, vel statuas nudas faciunt, vel palam exponunt: nam hæ æque saltem inducunt ad peccatum, quam sermo obscœnus. 2. Qui scribunt, imprimunt, recitant, tradunt libros amatorios, cantilenas turpes, &c. Item qui componunt, vel agunt comœdias obscœnas, aut periculosas ratione verborum, factorum, aut gestuum. Nam hi omnes sunt causæ ruinæ multorum. Nec refert quòd eam non intendant, nam dant ei sufficientem causam. Item qui sua præsentia eas approbant, iis consentiunt, & cooperantur solvendo mercedem agentibus. 3. Fœminæ quæ nudum pectus gestant: nam hæc denudatio apta est scandalum parere in firmis, eos ad complacentias & desideria prava inducendo: & christianæ modestiæ ac sanctitati repugnat. Nec potest excusari consuetudine, utpote contraria præcepto divino. 4. Puella, quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei, à quo putat se turpiter concupiscendam, quamvis id faciat ex mera vanitate, & sine animo ejus amorem excitandi. *Ita communiter*. Item mortaliter peccant, qui alios vexationibus inducunt ad blasphemias, contumelias graves, imprecationes, &c. nam cooperantur ad peccatum.

Præterea observanda sunt sequentia.

1. Peccatum scandali hoc ipso committitur, quòd datur proximo occasio peccandi, quamvis is reipsa non peccet; nam ad hoc satis est, quòd peccatum proximi ex tua actione, vel omissione minùs recta in talibus circumstantiis, spectata ejus fragilitate, se qui probabiliter possit. Nam tunc ei creas probabile periculum peccandi; & quòd tunc non sequatur peccatum, per te non stat, sed per ipsum: sicut mortaliter peccat, qui explodit catapultam cum periculo occidendi hominem, licèt nullus reipsa occidatur.

2. Peccatum coram aliis commissum habet malitiam scandali tunc solùm, quando est periculum probabile, ne ii, coram quibus committitur, inde impellantur ad peccandum. Hinc blasphemia coram solis Religiosis non habet rationem scandali. Qui verò publicè peccat, tenetur eam scandali circumstantiam confiteri ratione periculi, cui se incitandi multos ad peccandum suo pravo exemplo exponit, ut rectè docent Azor, Sanchez, & alii.

3. Numerus eorum quibus scandalum datur, debet in confessione declarari; sicut numerus hominum uno ictu occisorum. Nam numerus se habet ut objectum peccati, illudque in suo esse individuali constituit; & non solùm aggravat, sed etiam multiplicat peccatum.

4. Actus venialis, vel ex objecto indifferens potest esse mortalis ratione scandali, quando à tali persona & coram talibus fit, ut probabile sit periculum ne inde alii ex infirmitate, vel ignorantia sumant occasionem peccandi mortaliter, ex cap. 2. *de novi oper. nunt.* Nam, ex 1. ad Cor. 8. supra cit. comestio carnis idolo immolatæ, quæ per se licita est, fit mortalis ratione scandali.

5. Cùm sit actio de se licita, quæ aliquam speciem mali habet, tollitur scandalum, declarando justam causam agendi, quando hoc sufficit ad amovendam suspicionem omnem mali. Sic comedens carnes die vetito ob rationem occultam, impedit scandalum, hanc aperiendo.

6. Quamvis juxta multos liceat, non auferendo occasionem peccati, permittere unum peccatum, ut impediantur plura, verbi gratia, liceat hero non auferre occasionem furandi famulis, aut filiis, quos ad furandum propensos ac paratos novit, ut sic deprehensi puniantur & resipiscant, eo quod tunc rationabiliter permittat furtum unum ut vitentur plura; non licet tamen talia ultrò ponere, aut pericula objicere: quia esset positive cooperari peccato, & occasionem præbere, ac creare alteri periculum peccandi, quod non licet.

Quæst. III. *An tenemur omittere opus de se non malum, nec speciem mali habens, ob scandalum passivum aliorum vitandum?*

Resp. 1. Non tenemur illud omittere ob scandalum ortum ex malitia, cùm adest rationabilis causa, ut utilitas magna nostra, vel aliena, etiam temporalis. *Ita S. Thom. qu. 43. art.* 8. Quia cùm scandalum illud ex sola malitia scandalizati oriatur, ei soli imputatur: alioquin quivis per suam malitiam posset impedire commoda aliorum. Si tamen nulla esset necessitas vel notabilis utilitas opus illud faciendi, omitti deberet: quia tenemur ex charitate impedire peccatum proximi, etsi ex sola ejus malitia secuturum, cùm nulla adest justa causa illud permittendi. *Layman, Valentia, & alii.*

Resp. 2. Ad vitandum scandalum passivum

ex

ex infirmitate vel ignorantia ortum, tenemur omittere opus utile non malum, nec mali speciem habens, vel saltem differre donec proximus moneatur ne scandalizetur, cùm id sine gravi incommodo possumus. Nam ex Lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi infirmi, cùm possumus sine gravi nostro incommodo seu damno. Ex Eccli. 17. *Mandavit illis unicuique de proximo suo*. Hinc mulier, quæ prævidet aliquem in particulari ex suo aspectu sumpturum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare ejus conspectum, cùm potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi actionem de se licitam, nec habentem per se aut communi prudentum judicio speciem mali, ne quis generatim ac indeterminatè sumat inde occasionem peccandi; nam alioquin hoc esset onus intolerabile, & obnoxium innumeris scrupulis. Hinc mulier, ad vitandum periculum vagi ac indeterminati scandali, non tenetur abstinere ab ornatu honesto & ordinario secundùm suam conditionem; secùs de extraordinario nec convenienti.

Quæst. IV. *An omitti debet opus bonum ad vitandum scandalum passivum pusillorum seu infirmorum?*

Resp. 1. Ad vitandum scandalum numquam licet facere actionem prohibitam lege naturali: quia numquam licet facere actionem intrinsecè malam, seu dedecentem naturam rationalem. Neque etiam licet omittere actum lege naturali præscriptum, in iis circumstantiis in quibus præcipitur: quia omissio talis actus est intrinsecè mala, cùm lex naturalis non præcipiat nisi id quod necessarium est ad honestatem morum, spectatis omnibus circumstantiis. Constat etiam ob scandalum aliorum nunquam posse omitti ea, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem: quia (ut ait S. Thomas, quæst. 43. art. 7.) *Secundùm ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius.*

Item non licet ob scandalum passivum omittere opus bonum in detrimentum fidei, vel boni communis spiritualis. Quo spectat illud S. Gregor. homil. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.*

Resp. 2. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, multi putant debere prætermitti præcepta merè positiva, præsertim humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret vel tibi, vel aliis. Sic si te ituro ad Sacrum die festo excitanda sit cædes, vel gravis rixa, non debes ire. Item si mulier prævidens in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum ex infirmitate, tenetur omittere sacrum etiam die festo semel aut iterum: quia cùm præcepta omnia charitati deserviant, & ei tanquam fini subordinentur, non obligant in iis circumstantiis, in quibus charitas dictat omittendam eorum observationem, ut impediatur grave peccatum proximi.

Resp. 3. De bonis operibus, quæ sunt solùm consilii, docet S. Thomas 43. artic. 7. ea omitti non debere, ad vitandum scandalum ex mera malitia acceptum, juxta illud, Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt, &c.* Nam Pharisæi scandalizabantur quòd Christus cum publicanis & peccatoribus comederet, nec propterea id omisit. Et alioqui quivis sua malitia possent bona spiritualia aliorum impedire.

Si verò Scandalum ex infirmitate aut ignorantia oriatur, occultari debent, vel interdum differri, donec ratio sic agendi proposita sit. Nam ex lege charitatis tenemur proximi ex infirmitate, vel ignorantia lapsuri ruinam impedire, cum facilè possumus. At tunc facilè possumus, cùm tale opus non sit præceptum, nec necessarium, & illud differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum charitatis magis meritorium, quàm foret ipsum opus quod omittitur.

Quòd si post redditam rationem non desinant inde scandalizari; tunc scandalum ex mera malitia oritur, & sic propter ipsum non esse dimittenda bona opera, docet S. Thomas, *ibid.*

Quæst. V. *An licet minus peccatum suadere volenti committere gravius, quando aliter gravius impediri nequit?*

Resp. Id non licet loquendo de suasione, aut alia inductione directa. Tum quia semper per se malum est inducere ad peccatum quodvis, etsi leve: nam numquam licet facere malum, nec proinde illud consulere, ne quidem ut eveniant bona, ex Rom. 3. Tum quia qui consulit minus peccatum, etiamsi consulat ad impediendum majus, in peccatum illud minus consentit, illudque approbat, quod est intrinsecè malum. Tum quia suadens esset moralis causa peccati minoris, ad quod alter non erat determinatus: ideòque ei meritò imputaretur. Porrò illud effatum, *E duobus malis minus eligendum est*, non habet locum in peccatis, quæ liberè fiunt, & vitari possunt; sed in his solum malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit.

Ta-

Tamen peccata inæqualia committere volentem deterrere licet à graviore, tacendo de alio minùs gravi, quia hoc est dumtaxat suadere omissionem gravioris.

Quæst. VI. *Quandonam est peccatum scandali vendere vel dare alteri rem aut operam de se licitam, qua malè usurus prævidetur, vel probabiliter putatur?*

Resp. 1. Peccatum est, quando denegari potest sine gravi damno. Quia secundùm omnes, teste Delugo, quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, si potest saltem sine gravi incommodo: Ergo à fortiori tenetur non suppeditare materiam vel operam, qua usurus est ad peccandum: nam charitas est velle bonum dilecto, & removere malum illius. Deinde quisque tenetur peccantem corripere, scandalum amovere: ergo & à fortiori materiam peccandi non præbere. Præterea talis meritò censetur saltem interpretativè velle ruinam alterius.

Hinc mortaliter peccant caupones, qui secundam refectionem bene pransis, vel carnes die jejunii præbent hospitibus, quos sciunt vel prudenter judicant non habere dispensationem, nisi fortè ex denegatione gravissimum malum ipsis immineat, ut mors, incendium, vulnera, &c. Secùs, si ista præbeant viris honestis petentibus, de quorum dispensatione non certò iis constet: nam in dubio debent præsumere esse legitimè dispensatos. Item qui præbent vinum copiosum iis, quos eo inebriandos prævident; nam sine justa causa omittunt impedire peccatum proximi; imò materiam peccandi suppeditant, cùm moraliter possint & debeant iis denegare. Nec lucrum est quærendum ex casu in quo est alterius peccatum, nec est tanti momenti, cùm tamen ebrietas sit damnum maximum animæ & corporis, & scandalosum, ac sæpe nocendi injustè aliis occasionem & causam afferat. *Ita Sanchez, Valentia, & alii.*

Idem dic de iis qui vendunt venenum aliis, quos non constat bene usuros, verbi gratia, ad confectionem medicinæ vel colorum, aut merces iis qui abusuri sunt. Neque hi excusantur eo quòd si non vendunt, alii venditurі sunt, quia isti peccabunt vendendo; non licet autem peccare, eò quòd cæteroquin alii sint peccaturi; neque factum aliorum immutat tuam cooperationem.

Neque etiam excusantur eo quòd ii quibus ista tradunt, jam sint animo parati ad peccandum: quia adhuc cooperantur actui externo malo, quo prava illa voluntas executioni mandatur. At peccatum est non solùm velle malum facere, sed etiam facere & exequi malum, & ejus executioni cooperari: nam lex non solùm voluntatem furandi, v. gr. se inebriandi, &c. sed etiam ipsum furtum actuale, ipsam ebrietatem, ejusque cooperationem vetat; & actio externa seu executio rei illicitæ dedecet naturam rationalem, estque illicita, & contra legem divinam.

Resp. 2. Non licet præbere operam vel rem aliquam, quæ in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvat, & ad illud determinatè ordinatur. Quia tunc est moraliter cooperari peccato alterius. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem; *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam hæ actiones in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvant & ordinantur. Quare qui eas ponit, meritò censetur velle peccatum alterius, & ei consentit. Hinc etiam non licet famulo gladium præbere hero suo alterum occidere volenti, furanti scalam admovere, meretricem domum deducere, litteras amatorias ipsi deferre, &c. Nam hæc & similia ad peccatum proximè concurrunt seu conducunt.

Resp. 3. Licet rem & operam ex se licitam, nec per se ac proximè ad peccatum concurrentem præbere ea abusuro, si adsit causa justa & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum Reip. vel Ecclesiæ. Nam tunc ista suppeditans, in æstimatione prudenti non censetur cooperari alterius peccato, sed solùm illud permittere ex urgenti causa, ob quam non tenetur illud impedire; & peccatum soli malitiæ abutentis imputatur.

Hæc autem causa tantò gravior & urgentior debet esse. 1. Quantò gravius est peccatum, quod non impeditur. 2. Quantò subministratio tua minùs remotè illud attingit. 3. Quantò probabilius est, te non suppeditante, alterum non executurum peccatum. Item ex communi sententia, requiritur major causa quando alter non est paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. 4. Si abusurus fit contra justitiam: tunc enim requiritur tantum malum vitandum, quod ex charitate non tenearis subire, ad impediendum tale damnum tertii: nam strictiùs tenemur impedire peccata alterius, quæ nocent aliis, quàm

quæ non nocent: in his enim solus peccans damnum spirituale voluntariè subit, in illis autem insuper innocens damnum invitus patitur.

Hinc 1. Parochus potest & debet Eucharistiam ministrare peccatori occulto eam publicè petenti.

2. Excusantur caupones vinum vendentes militibus abusuris ad ebrietatem, si denegare non possint sine damno vitæ, vel bonorum omnium.

3. In necessitate licet ab alio petere, quod potest sine peccato facere, quamvis prævideatur peccaturus, v. gr. mutuum quo indiges, ab usurario.

TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Religio est virtus, qua Deo ut rerum omnium principio, cultus debitus ac supremus exhibetur. Per cultum intelligitur testificatio excellentiæ divinæ, cum submissione nostra erga Deum. Religio non est virtus theologica; sed moralis, cùm habeat pro objecto materiali actus, quibus Deus colitur, & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in præstando cultu Deo debito ob summam ejus excellentiam: quæ excellentia divina est titulus seu ratio, ob quam honestum est præstare Deo cultum supremum. Est tamen Religio virtutum moralium præstantissima, quia ejus objectum immediatiùs & perfectiùs tendit in Deum, quàm objecta aliarum virtutum moralium.

Actus præcipui Religionis sunt adoratio, sacrificium, oratio, devotio, quæ est prompta & efficax voluntas præstandi ea quæ ad Dei obsequium pertinent: item laus Dei, gratiarum actio, votum, juramentum, administratio & susceptio sacramentorum, &c.

Porrò tenemur Deum colere non solùm actibus internis, sed etiam externis. Nam cùm spiritu, & corpore consistemus, tenemur utriusque actibus colere Deum, utpote utriusque principium.

CAPUT PRIMUM.

De Adoratione, Oratione, & speciatim de Horis canonicis.

Quæst. I. **Q***Uid & quotuplex est Adoratio? Resp.* Adoratio latè sumpta est actus, quo testificamur alterius excellentiam, & nostram erga illum submissionem ob ejus excellentiam. Hinc complectitur, non solùm excellentiæ alterius significationem, qui est propriè honor, sed etiam submissionem, & hujus testificationem, quam utramque superaddit honori. Consistit formaliter tum in voluntate testificandi excellentiam alterius, & se illi submittendi, hujusque submissionis signum exhibendi ob ejus excellentiam; tum in exhibitione talis signi.

Adoratio latè sumpta dividitur. 1. in latriam, quæ exhibetur Deo ob increatam & infinitam ejus excellentiam; in duliam, quæ exhibetur Sanctis ob eorum creatam excellentiam supernaturalem; in hyperduliam, quæ sanctæ Virgini Dei Matri ob singularem ejus supra omnes Sanctos & Angelos excellentiam supernaturalem creatam exhibetur; & in politicam, quæ defertur viris, principibus, sapientibus, &c. ob creatam excellentiam naturalem, ut potentiam, sapientiam, &c. 2. In absolutam, qua persona adoratur propter excellentiam sibi intrinsecam; & in relativam, qua aliquid adoratur ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam, vel conjunctionem.

Adoratio verò strictè sumpta est cultus latriæ soli Deo debitus, consistens in actu quo testificamur increatam ac infinitam Dei excellentiam, & nostram summam submissionem erga illum, agnoscimusque supremum ejus in res omnes dominium, juxta illud Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Constat autem. 1. Solum Deum adorandum esse cultu latriæ, Sanctos verò colendos esse cultu duliæ, & B. V. cultu hyperduliæ. Nam adoratio debet esse commensurata excellentiæ, cùm propter illam exhibeatur. 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & reliquias colendas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt: adoratio enim imaginis consistit in signo aliquo externo submissionis ac reverentiæ exhibito imagini propter excellentiam prototypi, ad testificandum submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, hujusque excellentiam ac superioritatem agnoscendam, ex Concil. Trident. sess. 25.

Quæst. II. *An & qualis Oratio sit præcepto? Resp.* Oratio latè sumpta est ascensus mentis in Deum: sive quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus fidei, spei, amoris, laudis, gratiarum actio, &c. Strictè sumpta, est petitio decentium Deo facta,

facta, sive immediatè, sive mediante Sanctorum intercessione. Duplex est oratio, scilicet mentalis, quæ fit sola mente, & vocalis, quæ non solùm mente fit, sed etiam voce exprimitur. Hæc dividitur in privatam, quæ fit a persona privata ac privato nomine; & in publicam, quæ fit à communitate, vel à Ministro nomine communitatis. Hinc recitatio breviarii privatim à Clerico facta, est oratio publica; quia nomine Ecclesiæ & tanquam ejus legatus eam fundit.

Resp. 1. Oratio frequens est omnibus adultis præcepta. *Prob.* 1. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, hoc est oportet orare frequenter & perseveranter. Et, c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante Filium hominis.* 2. Quia sine oratione debita non obtinentur auxilia omnia necessaria ad observanda omnia mandata & ad vincendas tentationes; ex Jac. 4. *Non habetis propter quod non postulatis:* & imprimis donum perseverantiæ non est præparatum adultis nisi orantibus, ut docet S. Aug. lib. de dono persever. cap. 16. Quare Catechism. Rom. ait: *Preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit (Deus) ad id, quod optaremus consequendum; præsertim cùm quædam esse constet, quæ nisi ejus adjumento non liceat impetrare.*

Hinc oratio est adultis necessaria etiam necessitate medii ad salutem, cùm Deus statuerit non dare gratiam perseverantiæ & alia quædam necessaria, nisi orantibus.

Præceptum autem orandi obligat in gravi necessitate ac tentatione propria vel proximi, & sæpissimè in vita; quia continuo Dei auxilio egemus, & ad illud obtinendum instituta est oratio tanquam medium ordinarium.

Resp. 2. Oratio debet esse pia & honesta: alioqui non esset actus religionis, nec cultus Dei. Ut talis sit, debet fieri cum intentione, attentione, fide, fiducia, humilitate, devotione, decenti ac pia corporis compositione, & de rebus necessariis, vel conducentibus ad salutem & ad gloriam Dei: ita ut res de se indifferentes non petantur, nisi quatenus ex Dei ordinatione & cum ejus gratia possunt conferre ad ejus gloriam & salutem nostram.

Porrò mortale est petere à Deo rem malam vel auxilium ad illam, quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi esset author vel fautor peccati.

Quæst. III. *Quinam obligantur ad Horas canonicas?*

Nota. Horæ canonicæ sunt oratio vocalis publica authoritate Prælatorum Ecclesiæ constituta, ut quotidie certis Horis nomine Ecclesiæ recitetur, ad laudandum & precandum Deum.

Resp. Secundùm omnes Doctores, ad eas sub mortali singulis diebus obligantur. 1. Omnes insigniti aliquo ex sacris Ordinibus, etsi non beneficiati; imò etiam excommunicati & degradati, cùm nullo privilegio ab hoc onere liberentur, nec æquum sit ut commodum ex delicto reportent. Subdiaconi autem incipiunt obligari ipso die suæ ordinationis, saltem ad partem respondentem Horæ, in qua ordinantur: nam cùm obligentur ratione Ordinis sacri, statim illo suscepto obligantur.

Porrò sunt qui docent, Clericum, qui totum officium recitavit antequam ordinem vel beneficii possessionem caperet, teneri iterùm recitare partem officii respondentem Horæ in qua cœpit obligari. Tum quia observatio præcepti supponit obligationem contractam: tum quia Horæ canonicæ recitantur à Clericis nomine Ecclesiæ: & ante Subdiaconatum vel beneficii adeptionem, officium non recitatur nomine Ecclesiæ, cùm nondum quis sit minister ad hoc deputatus.

2. Omnes Religiosi & Moniales professi & ad chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti, & ad triremes damnati: nam hi manent verè religiosi, ideòque obstricti obligationibus religionis, quibus si possunt satisfacere, tenentur; culpa enim nemini debet suffragari. Hæc obligatio in Clericis non beneficiatis, & Religiosis ac Monialibus recitandi etiam privatim, si in choro non recitaverint, oritur præsertim ex antiqua & universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente & fundata in eorum statu ad Dei cultum instituto, & constat ex communi usu & consensu totius Ecclesiæ, ut docet Suarez. Dixi, Professi ad chorum destinati, nam non obligantur Novitii, Conversi, Laici, Religiosi Societatis Jesu antequam sint in sacris, Religiosi militarium Ordinum, &c.

3. Omnes Beneficiarii, non solùm ex religione, ut supradicti; sed etiam ex justitia: quia sub hoc onere beneficium eis collatum est, & ab iis acceptatum.

Hinc peccat mortaliter, qui ex prædictis uno die officium totum vel partem ejus notabilem omittit sine justa & gravi causa excusante; ut constat ex consensu Doctorum & totius Ecclesiæ. Nam violat præceptum in re gravi ad religionem virtutem præstantissimam

mam pertinente. Pats autem notabilis & sufficiens ad mortale juxta omnes censetur una parva Hora, v. gr. Nona, vel qualibet pars officii ei æquivalens: imò juxta varios media pars unius Horæ parvæ. Item qui interruptim per totum officium omittit quantum est integra Hora parva, peccat mortaliter, quia partes pertinentes ad unum totius diei officium coalescunt motaliter in unum, & conflant unam notabilem quantitatem.

Cæterùm explicandus est in confessione numerus Horarum omissarum: quia omissio plurium vel sunt plura numero peccata, vel unum pluribus æquivalens: & per plurium omissionem saltem multùm aggravatur culpa, & variatur judicium de illa. Præterea numerus Horarum est quid se tenens ex parte objecti, & constituit peccatum in suo esse individuali.

Quæst. IV. *Quænam requiruntur ad debitam recitationem Horarum?*

Resp. 1. Quoad officii qualitatem ex Bulla Sancti Pii V. *Quod à nobis*, Sæculares & Regulares tenentur sub mortali servare formam Breviarii Romani: alioquin suæ obligationi non satisfaciunt. Excipiuntur Capitula & Monasteria, quæ ducentis ante hanc Bullam annis habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Episcopi seu Prælati, & universi Capituli consensu assumere Romanum. Qui autem ab hoc tempore habent Breviarium proprium sui Ordinis vel Dioecesis suæ, tenentur illud etiam privatim recitare: nam Bulla tales relinquit dispositioni juris communis, quod quemque obligat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ, ex cap. 13. & cap. 14. dist. 12. & ex Clem. 1. de celebratione Missarum, ubi Clemens V. permittit Clericis & Monachis, ut officium recitare possint juxta formam officii Cardinalium aut Episcoporum, cum quibus vivunt.

Qui utuntur Breviario Romano, non obligantur extra chorum ad officium Beatæ Virginis, nec ad officium Defunctorum diebus in rubrica præscriptis, ex Bulla citata. Tenentur tamen sub mortali ad officium Defunctorum, 2. Novembris, item ad Litanias in festo Sancti Marci, & diebus Rogationum, si non intersint processioni: nam ex communi sensu, & consuetudine, censentur pars officii illorum dierum, vel alterum officium eodem die præceptum. In Ecclesiis verò, ubi erat consuetudo officium parvum Beatæ Virginis recitandi, hanc servari vult Pius V. ibidem.

Qui non utuntur Breviario Romano; ad ea omnia tenentur, ad quæ ante Bullam Pii tenebantur, nam à nulla re eximuntur per Bullam, & exceptio firmat regulam in casibus non expressis.

Tenetur autem quisque recitare officium proprium diei, alioqui non satisfacit præcepto, licèt aliud etiam æque longum, v. gr. officium de feria loco officii de Sancto, vel contra recitaverit. Tum quia Ecclesia non officium in genere, sed hoc officium in individuo, seu officium tale proprium hujus diei, prout hos psalmos, has preces, & lectiones continet, præcipit; cujus obligatio est tali diei affixa, & sic cum eo transit. Unde quamvis substantia præcepti in genere sit de septem Horis; tamen substantia præcepti in particulari pro tali die est de septem Horis talibus, quæ scilicet constent talibus psalmis, lectionibus, &c. Tum quia Bulla Pii V. præcipit officium diei juxta formam Breviarii Romani, ad quam pertinet distributio officii per dies feriales, & festos tempori accommodatos: tum quia aliqua officia de aliquibus Sanctis injunguntur de præcepto recitanda tali die, cùm antea essent ad libitum. *Ita Sanctus Antoninus, Tolet. Bellarmin. Bonacina; Reginald. de Moya, &c.*

Porrò Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.*

Hinc qui scienter officium mutat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum beneficii, cùm non satisfecerit etiam quoad substantiam, præcepto recitandi officium debitum & ab Ecclesia præscriptum. Qui verò inadvertenter officium aliud recitavit, tenetur eodem die officium proprium persolvere, & recitare, quæ omisit, si sine gravi incommodo possit. Qui autem in aliquibus Horis erravit, ubi id advertit, tenetur supplere quod omisit, & reliquas Horas legere juxta officium eo die currens.

Nota. Qui per errorem, etsi inculpabilem, hodie recitavit officium crastinum, cras debet iterum idem officium recitare: quia per legem tale officium pro tali die determinatum est. Item officium de Sancto, die suo omissum, secundum multos, non debet alia die non impedita recitari; quia officia sicut jejunia diebus suis affixa sunt, & rubricæ solùm excipiunt casum, quo dies illi impediuntur altiori festo.

Resp. 2. Quoad tempus, in recitatione publica servanda est recepta cujusque Ecclesiæ consuetudo. In privata verò ad vitandam mortalem culpam sufficit si recitetur officium totum à media nocte usque ad alteram mediam

diam noctem. Quia in privata recitatione temporis variatio non est gravis inordinatio; & obligatio servandi tempus præscriptum, si quæ fuit gravis, imminuta est per consuetudinem in privata illa recitatione. Ita S. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 4. ibi: *Non videtur de se esse mortale, quandocunque quis tardè dicat officium, dum non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem*. Immo ob justam causam, v. g. iter, negotia, legitimam occupationem, licet in illa privata recitatione antevertere, vel protrahere tempus præscriptum, quod quidem ex consuetudine magnam habet latitudinem. Nam quod fit ex justa causa, rationabiliter & prudenter fieri censetur. Sine causa tamen tempus debitum ac proprium notabiliter variare est veniale, ut v. g. si legas Primam, vel etiam juxta Layman Tertiam post meridiem, aut Vesperas ante meridiem, excepta Quadragesima: quia est contra consuetudinem communem, & congruentem rationem temporis: Sexta & Nona ante vel post meridiem dici possunt.

Ex consuetudine licet Matutinum cum Laudibus recitare pridie, ab eo circiter tempore, quo sol est propior ad occasum quàm ad meridiem, ut videre est in tabula de tempore inchoandi Matutinum pro die sequenti, Romæ edita typis Rever. Cameræ Apostolicæ, hic post indicem posita. Secùs de aliis Horis, quia consuetudo id non permittit: nec obligatio affixa diei, potest impleri ante illum diem, cum ante illum diem nondum fit; & patet in aliis præceptis de jejunio, auditione Sacri, &c. Obligatio autem recitandi officium est affixa diei in honorem, quem tali die Deo exhibere debemus juxta præscriptum Ecclesiæ. Præterea qui uno die omisit officium, non tenetur aliud alio die recitare, quia obligatio affixa diei transit cum ipso die: Ergo nec potest diem prævenire, cùm par sit ratio.

Secundum multos, non est mortale extra chorum celebrare Missam ante Matutinum & Laudes: quia inquiunt extra chorum non est gravis obligatio ista præmittendi; nec est gravior inordinatio in inversione ordinis inter Matutinum & Missam, quàm in inversione ordinis inter Horas ipsas, quæ solum venialis est, cùm tamen major sit ordo inter ipsas Horas, quàm inter eas & Missam, nec consuetudo præmittendi recepta est sub mortali, eò quòd nulla sit necessaria connexio & dependentia inter Missam & Matutinum. Verùm hæc opinio tuta non videtur; nam est gravis obligatio recitandi etiam privatim Matutinum cum Laudibus ante celebrationem Missæ. 1. Ob consuetudinem vim legis habentem. 2. Quia in rubricis Missalis Romani inter defectus in ministerio Missæ ponitur, quòd celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. 3. Julius III. in Bulla *Sacra* concedit Societati Jesu privilegium postponendi officium celebrationi Missæ *ex legitimis & justis causis*, in quo onerat conscientiam Superiorum illud dispensantium: quod inane & illusorium esset, si nulla foret obligatio.

Resp. 3. Quoad ordinem, est veniale sine justa causa ordinem Horarum invertere, v. g. Tertiam ante Primam recitare, ut constat ex communi Doctorum sensu. Quia hoc est contra ordinem ab Ecclesia præscriptum: & ad modum præcepti pertinet ordo Horarum. Tenemur autem præceptum non tantùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum servare. Hæc tamen inversio extra chorum non est mortalis citra contemptum: quia præceptum observatur quoad substantiam omnes Horas dicendo intra diem naturalem. Imò nec est venialis si fiat ex inadvertentia, aut ex causa legitima, nec est obligatio repetendi, ut si quis ab ægro invitetur ad recitandas secum Vesperas, cùm necdum Nonam persolverit. Nam cum hic ordo & modus non pertineat ad substantiam officii, censetur Ecclesia permittere eum mutari, cùm adest rationabilis causa.

Resp. 4. Quælibet Hora recitari debet continuatè: nam unitas uniuscujusque Horæ, & usus Ecclesiæ id exigunt. Deinde est aliqua irreverentia cœptam orationem sine causa interrumpere: si enim vituperabile est sermonem cum terreno principe inchoatum sine justa causa abrumpere; à fortiori si id fiat erga Deum Regem regum. Facta tamen sine causa interruptio, juxta multos est solùm venialis in officio privato, quia hic defectus non est in substantia, sed solùm in modo accidentario: cùm singuli psalmi, lectiones & orationes per se suam habeant completam significationem. Quod si subsistit justa causa, ut si ex officio, vel obedientia, vel charitate aliquid faciendum occurrat, quod non possit commodè differri; tunc nulla culpa erit, nec repetenda priora, nisi pauca dicta sint: nam tunc rationabilis est interruptio.

Secundùm multos, Matutinum licitè separatur à Laudibus; imò juxta aliquos, unum nocturnum ab alio per duas circiter horas. Sed videtur obstare præsens Ecclesiæ consuetudo contraria; & Azor ad hoc exigit justam & ra-

& rationabilem causam; quia tres nocturni cum Laudibus habentur tanquam officium unius Horæ, ac proinde simul recitari debent.

Resp. 5. Quoad modum, officium recitari debet *studiosè & devotè*. Ita Concil. gener. Lateranen. IV. capit. *Dolentes* de celebrat. Missar. ubi Clericis strictè præcipit: *in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè*. Studiosè, inquit Glossa, quantum ad officium oris, & devotè quantum ad officium cordis. Enimverò hoc exigit vera ac religiosa oratio & laudatio Dei. Itaque officium recitari debet tum *studiosè*, hoc est, integrè & perfectè, absque præcipitantia, contractione, & abscissione syllabarum: tum *devotè*, id est, cum intentione orandi ac laudandi Deum, & debita attentione mentis, ac reverentia tam interna, quàm externa.

Item pronuntiatio debet esse articulata & sensibilis, seu per se audibilis recitanti, ita ut recitans, seclusis impedimentis, seipsum audire possit. Nam oratio vocalis, prout à mentali distinguitur, debet habere sonum distinctum: omnis autem sonus est per se audibilis, cùm sit objectum auditus. Ita *Medin. Navarr. Reginald. Sanchez, &c.*

Quæst. V. *An ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio & attentio interna, & qualis?*

Nota. Intentio hìc est volitio orandi & laudandi Deum. Attentio duplex est, externa, & interna. Attentio externa consistit in attentione ad prolationem verborum, ut distinctè ac integrè pronuntientur, excludentem omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, & evagationem sensuum circa objecta distractiva. Attentio interna est advertentia mentis vel ad sensum verborum, vel ad Deum, aut res divinas.

Resp. 1. In recitatione officii requiritur intentio seu voluntas orandi, vel explicita, qua quis initio velit expressè orare; vel saltem implicita, qua velit præcepto satisfaciendum præcepto Ecclesiæ: in hac quippe volitione implicitè includitur intentio Deum orandi & laudandi, cùm id quod Ecclesia præcipit, sit laus Dei, & oratio. Nam cum recitatio externa officii sit indifferens, ut est oratio, studium, exercitium memoriæ, &c. debet ab intentione orandi tanquam à forma determinari, ut sit oratio & cultus Dei, qualis præcipitur. Et verò recitatio officii ex alia intentione, v. gr. studendi non est vera oratio vocalis, nec actus religionis. Præterea oratio est locutio cum Deo, & non loquitur cum Deo, sicut nec cum homine, qui non intendit cum eo loqui.

Resp. 2. Ad satisfaciendum præcepto requiritur quoque non solùm attentio ad verba, ut distinctè ac integrè pronuntientur, & quæ excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna; ita ut qui pingendo, scribendo, ludendo, comœdias spectando, fabulantes audiendo, &c. Horas memoriter recitaret, non satisfaceret præcepto: sed requiritur etiam attentio interna ad Deum seu res divinas, vel ad sensum verborum vel saltem ad verba ut laudes Dei, orationem & pias affectiones continentia, considerando Deum præsentem cum pio humilique ad ipsum affectu, & intendendo per illa Deum orare ac laudare, atque omnem voluntariam distractionem rejiciendo. Ita *Reginald. Azor, Layman, Valentia, Suarez dicens, hanc esse communem sententiam*.

Prob. Quia. 1. præcipitur oratio vera, quæ sit actus religionis gratus Deo, & utilis Ecclesiæ. At sine attentione interna oratio non est verus Dei cultus: nam omnis cultus Dei fieri debet in spiritu & veritate, & non solo corpore, ex Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Nec est vera oratio, cùm omnis oratio ex S. Damasceno, lib. 3. de fide cap. 24. sit ascensus mentis ad Deum; sed est quædam species hypocrisis, & simulatio orationis, ex Matth. 15. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me*. Neque est utilis: *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intente in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri?* ait S. Aug. sermon. 29. in Psalm. 118. *Quomodo te audiri postulas à Deo, cùm te ipse non audias?* ait S. Cyprian. lib. de orat. Dominica. Enimverò qui utilis esset ejusmodi Oratio, utpote injuriosa Deo! *Ipsas superfluas* (res) *cogitare, injuria est ejus cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum*. Ita S. August. in Psalm. 85.

2. Cap. *Dolentes* supr. cit. præcipitur devotio simpliciter. At devotio externa sine interna excludente omnem distractionem voluntariam, non est devotio, sed simulacrum devotionis; sicut homo pictus non est verus homo, sed simulacrum hominis. Deinde hæc verba Concilii (*quantum eis Deus dederit*) signi-

significant devotionem indigentem gratia Dei, ideòque internam: nam solam externam solent habere hypocritæ.

3. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. jubet ut officium recitetur *reverenter*, *distinctè*, *devotè*, quæ tria frustra addidisset, si præciperet tantùm reverentiam externam. Et ideo multa Concilia, ut Trevir. II. Burdigal. anno 1583. Bituric. ann. 1584. Narbon. & Conventus Melodun. disertè præcipiunt ut officium recitetur *attentè & devotè*; & Concil. Coloniense, *elevata mente in solum Deum*. Item Clerus Gallican. ann. 1700. ut absonam & verbo Dei contrariam damnavit hanc propositionem: *Precepto satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat*.

Hinc peccat mortaliter qui per notabilem officii partem voluntariè distrahitur, perinde ac si partem illam omitteret; cùm recitatio sine attentione debita non sit recitatio religiosa quæ præcipitur; nec vera oratio. Item peccat, qui recitat in loco distractionibus exposito, v. gr. foro publico, vel loco ubi est frequens concursus, clamor, aut strepitus profanus hominum, aut ubi habentur disputationes, ut expressè docent Bonacina, Castropal. &c. Nam cùm teneatur ad attentionem internam, tenetur etiam ad removenda ejus impedimenta; & aliàs voluntariè se exponit periculo non attendendi.

Obj. Ex his sequitur, quòd distractio voluntaria in oratione non præcepta vacet culpa; quia per illam destruitur substantia orationis vocalis, & sic tunc solùm cessat ratio. *Resp.* Negat. Quia est irreverentia contra Deum, exteriùs Deum alloqui, ac profiteri se Deum colere, & id non facere interiùs, sed alia animo volvere, estque simulatio cultus divini. Est etiam irreverentia orationem inchoatam sine causa interrumpere.

Nota. Sufficit attentio virtualis, quæ est attentio ad Deum resve divinas initio orationis habita, & virtualiter perseverans in processu orationis: quamdiu non revocatur, neque expressè per volitionem expressam non ampliùs attendendi, neque implicitè per distractionem voluntariam; ut si advertens te distrahi, mentem non revoces ad Deum vel res divinas. Nam cum attentione illa virtuali subsistit vera oratio, & actus humanus religiosus, & sæpe attentio actualis non est in nostra potestate. Hinc non teneris repetere quæ involuntariè distractus recitasti, cum virtualiter attenderis. Imò melius est, si non repetas, ad vitandam anxietatem & perturbationem in recitatione officii. Sed ubi quis advertit se distrahi, tenetur mentem statim revocare ad Deum resve divinas, vel ad sensum verborum: alioqui tunc habet virtuale propositum non attendendi, sicut ille, qui occupat se in rebus exterioribus, quæ non patiuntur secum interiorem attentionem.

Quæst. VI. *An satisfacit, qui legit cum socio extra Ecclesiam?*

Resp. Affirmat. Quia id congruit cum publico usu Ecclesiæ, & recitantes sibi commune faciunt quod alternatim recitant. Sed tunc singuli debent alternos Psalmorum versus distinctè & integrè, & voce audibili à socio recitare; ita ut unus non legat suum versum priusquam alter integrè absolverit suum, & audiatur ab alio. Nam socius non communicat in parte, quæ anticipatè dicitur, & quam non audit; & sic non potest attendendo illam facere suam: ideòque tenetur supplere antequam suam ipse partem recitet; non enim satisfacit præcepto nisi devotè & attentè recitando partem officii, & aliam audiendo. Si plures quàm duo simul legant, debent, facto solùm duplici choro, alternatim recitare, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; aliàs fieret contra usum Ecclesiæ. Secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam legere potest.

Quæst. VII. *Quænam excusant à lectione Horarum?*

Resp. Sequentia. 1. Gravis infirmitas, ita ut sine notabili incommodo, seu nocumento, vel incremento morbi, aut periculo gravi recitari nequeant, ex cap. 3. dist. 91. In dubio, ex communi sententia consulendus est medicus probus & peritus, & illius judicio standum: quia ratione officii & peritiæ in arte, hoc judicium ad illum pertinet. Si ipse dubitet, opus est tunc dispensatione Superioris: qui si adiri nequit, & medicus suspicetur grave nocumentum sequi posse, docent tunc ægrum excusari, quia Ecclesia non obligat tunc ad se exponendum periculo gravis damni. Qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tenetur, si socium commodè habere queat, quia sic potest moraliter observare præceptum, & obligatus ad finem, eo ipso obligatur ad usum mediorum saltem facilè comparabilium. Imò Suarez, Bonacina, & alii docent beneficiatum tunc teneri conducere socium, cum quo recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex beneficio colligat; quia fructus illos percipit ut officium persolvat, & per illos potest sibi comparare medium persolvendi.

2. Gravis & repentina occupatio, quæ sine

scandalo vel notabili damno proprio aut alieno omitti, vel differri nequeat. Nam Ecclesia non præsumitur velle obligare cum tanto gravamine. Quando tamen aliqua occupatio, vel ægritudo impedit, vel impeditura prævidetur tempore legitimo, tunc est obligatio anteponendi, vel postponendi Horas intra eumdem diem. Quia obligatio cadit in totum diem, & durat per singulas ejus partes, poteftque impleri quoad substantiam quavis illius hora. Ergo si una pars diei est impedita, dici debet officium quavis alia.

3. Recitandi impotentia, ut cœcitas, vel carentia Breviarii inculpata, si aliud haberi nequeat: nam nemo tenetur ad impossibile. Quo casu si totum officium, aut parva Hora memoriter dici possit, dici debet. Nam generaliter loquendo, qui non potest totum officium recitare, sed potest partem ejus notabilem, vel unam parvam Horam, v. g. Primam, vel Tertiam, aut Completorium, ad eam sub mortali tenetur: tum quia Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Tum quia hoc præceptum obligat ad omnes & singulas Horas, & quævis Hora est per se oratio Canonica integra, ab aliis distincta, confertque notabiliter ad finem præcepti. Porrò carens officio particulari tenetur recitare officium commune, vel simile.

4. Legitima dispensatio Papæ. Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos & Superiores Ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi; & hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates, & impediendum grave nocumentum.

CAPUT II.

De observatione Festorum.

Nota. Præceptum tertium Decalogi de sanctificatione sabbati, est partim morale, partim cæremoniale, ut docet Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. Morale, quatenus homo jure naturali tenetur aliquod vitæ suæ tempus impendere cultui divino, ac rebus divinis. Cæremoniale, quantum ad designationem temporis; & secundùm hanc rationem mutatum est ab Apostolis, à quibus sabbato substituta est dies Dominica, quæ est prima hebdomadæ, in memoriam Resurrectionis Christi. Qui hac die à laboribus vitæ suæ, Passionis & ignominia mortis gloriosus requievit. Item aliquot festorum observatio ab Ecclesia præcipitur in memoriam beneficiorum Dei, & in honorem Sanctorum, in quorum sanctitate & victoria ac mercede, Dei bonitas, potentia ac liberalitas laudatur, & ad quorum imitationem fideles excitantur. Quibus quidem diebus Festis Ecclesia præcipit eundem cultum, qui diebus Dominicis præcipitur; in hoc enim consistit festivitas diei, & constat ex sensu & praxi Ecclesiæ.

Præceptum autem de sanctificatione Festorum per se omnes sub mortali obligare constat, tum ex consensu Doctorum & fidelium; tum quia ejus materia est gravis & ad cultum Dei pertinet. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. *Preceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Quæst. I. *Quænam opera sunt vetita diebus festis?*

Resp. 1. Prohibentur omnia opera servilia, exceptis iis, quæ jure aut consuetudine legitimè sunt permissa, ut coquere cibos, aut alia id genus ob necessitatem, cap. 3. *de Feriis*. Opera autem servilia dicuntur opera corporalia, quæ ad necessitatem vel commodum corporis, aut ad aliquid corporale, à servis aut mercenariis exerceri solent, videlicet omnia opera artium mechanicarum, & ruralia, ut fabricare, suere, arare, &c. Quibus opponuntur opera liberalia, quæ ad animum excolendum spectant, ideoque digna homine libero, ut legere, scribere, docere, &c. *Nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati, puta si quis doceat verbo vel scripto*. S. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3.

Porrò quando opus est verè servile, non refert utrum fiat ex recreatione, an ex lucro: quia intentio operantis non mutat naturam operis. Deinde operari spe lucri commune est omnibus. *Opera autem in quantum sunt communia & servis & liberis, servilia non dicuntur*. S. Thom. ibid.

Nota. Venatio & piscatio sunt opera servilia. Nam sunt actiones corporales, per se & primariò ordinatæ ad utilitatem corporis, & ad aliquod opus corporeum, scilicet ad captionem & occisionem ferarum, & piscium. Idem dic de opere pingendi, cùm sit opus corporale immediatè ordinatum ad artefactum sensibile assimilandum rei veræ, soleatque à mercenariis, seu iis qui lucrum ex arte quærunt, fieri. Et in Conc. Meldensi an. 845. expressè prohibentur pictura & venatio. De piscatione constat ex c. *de Feriis*, ubi specialiter sub certo onere conceditur facul-

cultas halecia piscandi ob necessitatem.

Scribere verò, & pulsare instrumenta musica, non sunt servilia: nam scriptio ordinatur ad animum instruendum; cùm sit quædam locutio permanens, ex se ordinata ad conceptus mentis declarandos, seu ad instruendam mentem propriam vel alienam: pulsatio autem instrumenti musici ordinatur ad delectationem animi. Idem multi dicunt de transcriptione, tum quia per se ordinatur ad mentem instruendam, & exprimendos animi conceptus; tum quia transcribere nil aliud est quàm scribere, quod alius vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Aliud est de impressione, nam quæ ad eam immediatè ac per se concurrunt, ad instruendam mentem non deserviunt, sed ad efficiendum quoddam artefactum corporale seu sensibile.

Quamvis autem itineratio, si præcisè consideretur, ut est processus ab uno loco ad alium, sive pedibus, sive equo aut rhedâ, non sit opus servile, cùm hoc sit naturale, & commune omnibus; tamen servile est ducere jumentum; currum, aut navigium mercibus onustum; item imponere onera, ea tollere, & alia hujusmodi. Quare non licet vectoribus iter die festo inchoare, quamvis continuatio itineris ante festum suscepti iis permittatur, vel ob publicam necessitatem, vel ob damnum quod paterentur ex mora.

Resp. 2. Cap. 1. & ult. *de Feriis*, & Pii V. constit. *Cùm Primum*, vetita sunt insuper. 1. Opera judicialia seu forensia, quæ cum aliquo strepitu fiunt, hoc est, actiones quæ ad decisionem causarum spectant; ut reum citare, testes examinare, formare processum, exigere juramentum judiciale, exhibere instrumenta, proferre aut exequi sententiam, &c. Hæc enim strepitum judicialem continent. 2. Mercatus, nundinæ (a) & celebratio contractuum; ita ut non

(a) Ad Mercatum Nundinasque quod attinet SS. D. N. BENEDICTUS XIV. duas Constitutiones edidit; priori, quæ incipit *Paterna Charitatis*, tom. 1. pag. 378. statuit, Senogalliensium Nundinarum tempore abstinendum esse Diebus Festis ab operibus servilibus: altera verò quæ incipit *Ab eo tempore*, pag. 582. decernit

„ Primò. Mercatus, & Nundinas Festis diebus non licere; Nundinas autem intelligimus, quæ sunt de rebus majoribus, & semel in anno fiunt, vel rarò in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: Mercatus vero, qui fiunt in rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus, & fiunt singulis septimanis, & ab hominibus de vicino ibidem convenientibus: verba sunt Venerab. Servi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, *in egregio opere de eruditione Religiosorum Prædicatorum lib.* 2. *Tract.* 2. *num.* 92. *pag.* 351. *Editionis Romanæ*. Id autem pronunciamus, non quia vendere ac emere sit opus servile, ideoque vetitum Diebus Festis; sed quia actiones hujusmodi impediunt, & distrahunt Christifideles à cultu divino, ad quem Dies Festi sunt instituti.

„ Secundò: Antiquum professo esse abusum Mercatuum, itemque Nundinarum iisdem diebus.

„ Tertiò: Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas.

„ Quartò: Hujusmodi justas, sanctasque leges caruisse effectu.

„ Quintò tandem: Quia malum universale est, ac altè radices egit; opus prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet. Quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; & si minæ quandoque intententur, servandum est exactè monitum sapientissimum S. Augustini in Epistola 22. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, qui agens de auferenda conviviorum licentia totam passim Africam fœdè occupante sub inani obtentu honorandi Festa Sanctorum Martyrum, scripsit: *Non asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo, quam jubendo; magis monendo; quam minando; Sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita priùs movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores; quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.*

Circa finem verò: „ Inter nundinas, quæ in Provinciis nostris aguntur, illustriores, ut benè nostis, sunt Senogallienses protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam regeremus, non sine mœrore intelleximus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus divino cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Constitutionem nostram de Nundinis Senogalliensibus publicavimus, qua præter cætera jussimus, ut Diebus Festis Apothecæ clauderentur; neque matutinis horis, aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nuntiatur, contractus fierent. Imminutum verò hac de causa sæcularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis, & immunitatibus, opportunè multiplicavimus: Exequutioni debitæ jussa nostra hoc anno mandata; meliorem, atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magno omnium Civium, & bene moratorum hominum solatio.

„ Id ipsum, Ven. Fratres, & vos agite. Constituite, Auctoritate nostra, matutinas, & vespertinas horas, quibus Festo Die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missæ Sacrificio, & Divinis Officiis intersint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plenè, & exactè impleantur. Nos autem per publicum Edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit, ut temporalia negotia paucarum horarum spatio, propter Dei cultum, & animarum salutem, intermissa, integri diei accessione commodè peragantur.

non liceat die festo negotiari etiam privatim, inire contractus permutationis, emptionis, locationis, &c. quia intelliguntur nomine mercatus: nisi ex consuetudine approbata aut ex justa ac necessaria causa excusentur. Ratio prohibitionis horum operum est, quia animam multum distrahunt, & avocant à rebus divinis, ad quas Festa destinantur, atque ut animus his expeditus possit Dei obsequio, & piis operibus vacare.

Violatio autem hujus prohibitionis est ex genere suo mortalis, cùm pertineat ad religionem, & ordinetur ad finem gravissimum, qui est Dei cultus. Hinc est mortale duas horas sive continenter, sive interruptè laborare; nam est tempus notabile. Imò non pauci docent laborem unius horæ esse mortalem, præsertim si opus sit valde servile & defatigans. Ita *Azor*, *Reginald. Bonacin. Grandin.*, *&c.* Opus tamen servile potest esse veniale ex brevitate temporis. In Mercato verò, & præsertim in placito materiæ, quantitas non solùm ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur. Sic brevis agitatio litis in re magni momenti, & prolatio sententiæ, est gravis culpa.

Resp. 3. Choreæ, saltationes, & theatrici ludi diebus præsertim festis damnantur à SS. Patribus, & prohibentur à multis Conciliis. Tum quia retrahunt à divino cultu, & piis operibus, quibus dies festi specialiter destinati sunt: tum quia sunt ordinariè multis, præsertim juvenibus & puellis, occasio peccandi: nam in choreis ex mutuo aspectu, colloquio, manuum contactu, instrumentis musicis, & mutuo sibi invicem placendi desiderio valdè commovetur concupiscentia ad libidinem, excitantur turpes cogitationes, & cupiditates, venereæque delectationes, & excitatæ facilè admittuntur. Item à multis Episcopis, & Principibus meritò vetitum est, ne caupones vel alii tempore divini officii & concionis loci incolas ad potandum vel ludendum recipiant. Hocque per se malum est, cùm sit cooperari violationi Festorum, ac scandalo, & præbere facultatem peccandi. (*a*)

Quæst. II.

(*a*) Inverecunda spectacula festis potissimum diebus frequentari solita idem SS. Pater sequenti Constitutione prohibuit; quam integram referendam duximus, quod ea explicetur ac confirmetur Auth. doctrina.

„ Nihil profectò Nobis ad vigilias Dominici Gregis assiduè excubantibus accidere potuit acerbius, nihilque quod minùs hac tempestate opinaremur, quam ut deformes, & inverecundi Ethnicorum mores, à quibus Christiani hominis pudor, & modestia semper abhorruit, denuo isthic invecti essent, ac veluti postliminio restituti. Quamvis enim minimè Nos lateret, scelestos olim Lupercalium Administros, sacra Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam persolventes nudos huc illuc per Urbem discurrisse; Sanctumque Pontificem Gelasium Prædecessorem nostrum tanta communium impudentia, ac obscænum morem execrantem, literas dedisse Andronico Senatori, Populoque Romano acri nefarii ritus assertori: Nihilo tamen minus memoriæ proditum est, quinto post Christum sæculo exeunte, Theodorico Italiæ Rege, & Anastasio Orientis Imperatore, pestem illam penitùs fuisse sublatam, & extinctam. Nunc verò multorum relatu, (quod dolentes dicimus), certisque indiciis admonemur, profanum morem, perpetua involvendum caligine, è tenebris antiquitatis rursus emergere, ac in vestris Diœcesibus fœdè revocari, cum ad Sanctorum Patronorum Festa solemniter recolenda, Pueri, ac interdum etiam Adolescentes, cursu in spem Bravii nudi contendere jubeantur, maxima utriusque sexus, ac omnium ætatum spectante frequentia: Quæ quidem spectacula eo nequitiæ magis, ac improbitatis prorsus evenerunt, quo magis, non impuro alicui, ut antea, Numini, sed piæ, castæque Sanctorum memoriæ nuncupantur.

„ §. 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissimè habita fuiat apud veteres Lupercalia, eadem Festi Christianorum dies isthic celebrantur; nec minus injuriæ in illis verecundia passa est, quam in his hodie morum honestas habeat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliæque id genus licentiæ liberiùs vacet; sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos una cum Christo Regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.

„ §. 2. Dedecet præterea membrorum nuditas, atque ita dedecet, ut veterit Ecclesiastica Disciplina Salvatoris Imagines nudo penitus Corpore in Tabulis, vel Simulacris expressas: Et quamvis nudo Corpore Christum Cruci suæ affixum, & illorum temporum mores, & gravium Scriptorum auctoritas suadeant; adhuc Christianorum Pietas à tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnæ (ut literis consignatum est) in stadio apud Græcos, in Circo apud Romanos usui fuere, atque in illis Disco, Lucta, & Cestu strenuè certatum est; utque veterum testantur Monumenta, interdum nudi, interdum etiam fascia tecti homines dimicarunt. In vestris igitur Diœcesibus, Venerabiles Fratres, nonnihil priscæ licentiæ adhuc remanet: Et cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines; cumque ex industria sæpius, sæpius verò ex violento motu nudi penitus circumagantur: Facilè quisque conjicere potest, quam absonum, & indecorum sit, his ludis aditum non intercludere.

„ §. 3. Quapropter ne injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur, districtè per hæc scripta mandamus, ut turpes, & obscœnæ hujusmodi exercitationes, Puerorum, & Adolescentum nudorum cursus, luctæque quocumque nomine, vel occasione exhibendæ, à vestris Diœcesibus eliminentur. Et quia inobedientiæ delictum, mixti, ut ajunt, Fori videri potest: Curabimus diligenter, ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragrati, in eos, etiam qui nostro

Quæst. II. *Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opus servile, vel forense, aut contractum?*

Resp. Sequentes. 1. Necessitas propria vel aliena, spiritualis vel corporalis, quæ præverti non potuit; ut cum sine gravi damno opus aliquod omitti aut differri nequit. Ex Matth. 12. & cap. ult. *de Feriis*. Sic excusantur. 1. Pauperes etiam die festo sine scandalo laborantes, audito officio, quando aliter se & familiam sustentare nequeunt. 2. Famuli & ancillæ jussu dominorum laborantes, si omittere non possint sine gravi damno, nec ad id cogantur in contemptum legis vel religionis. Si tamen id frequenter contingat, eos deserere debent, ut monet Suarez. 3. Instauratores pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, si sine gravi jactura boni communis differri opus nequeat. 4. Ruri laborantes ad vitandum imminens damnum, ut si ob pluviam imminentem, fœnum, vel segetes colligantur, vehantur, &c. Sed in his casibus petenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho, juxta consuetudinem, quando potest adiri, ne quis facilè hac in re decipiatur, & fingat necessitatem ubi non est, præsertim si labor fiat publicè, ut scandalum vitetur. Quamvis autem multi excusent sartores, qui vestes, quas aliis diebus perficere non potuerint, perficiunt diebus festis, quando urget earum usus ob celebritatem exequiarum, aut nuptiarum; certè peccant si in eam necessitatem sua culpa se conjecerint, ut non rarò accidit.

2. Pietas in Deum, per quam licent opera ad Dei cultum proximè pertinentia, ut altare instruere, templa ornare, &c. Ita Catech. Rom. Ideo Christus, Matth. 12. dicit sacerdotes in templo sabbatum violare, & sine crimine esse. Non licet tamen verrere templa die festo, nec parietes eorum ornare peristromatis, quando pridiè commodè fieri potest. Aliàs dicunt esse veniale. Neque licent ea, quæ ad Dei cultum remotè spectant, ut conficere ornamenta etiam gratis, construere templum, &c.

3. Charitas erga proximum. Sic licet parare medicamenta infirmis tunc egentibus, non tamen pauperibus danda per anni cursum, saltem si hoc fieri possit alio tempore. Nam ex Matth. 12. licet die sabbati benefacere proximo indigenti. Cùm enim charitas sit finis præceptorum, nulla debent ejus exercitium impedire. Præterea tenemur diligere proximum sicut nos ipsos: si ergo ob propriam necessitatem licet, etiam licebit ob necessitatem proximi.

4. Consuetudo ab Episcopis permissa. Sic venatio & piscatio moderata ex recreationis causa extra officia divina, necnon emptiones ac venditiones rerum parvi momenti, præsertim ad victum quotidianum necessariarum, clausa officina, dicuntur in variis locis permissæ. Item excusant Barbitonsorem, qui sciente nec vetante Episcopo artem suam exercet erga rusticos & opifices, qui aliis diebus eum adire nequeunt aut nolunt, alioquin se ac suam familiam sustentare non possent. *Observatio sabbati quoad circumstantias temporis, & modi, & loci pro maxima parte relicta est determinationi Prælatorum, quæ cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitimè toleratis*, ait Gerson in regulis moralibus.

5. Dispensatio legitima Papæ, vel Episco-
i,

„ nomine Civitatibus temporaliter præsunt, rigidè, „ & condignè animadvertant; sicque fore speramus, „ ut fœda hæc corruptela, utroque percussa gladio „ radicitus evellatur.

„ §. 4. Verum quia impioribus etiam Causis Vindices non desunt, & perpugnaces Assertores, si qui „ forte sint, qui impudenter exprobrent, hujusmodi „ ludos Pontificum Antecessorum tolerantia, ac diuturno usu invaluisse: hi probè sciant, nullum ex „ temporis lapsu deploratæ causæ comparari præsidium. Et ne longe à vestris Diœcesibus petantur „ exempla, in memoriam revocent, Choreas etiam „ quasdam mulierum, & virorum publicè eo die „ haberi solitas, quo S. Xisti Pontificis, & Martyris „ Alatrinæ Civitatis Patroni recolebatur, jussu Episcopi providè vetitas fuisse; Et edictum Episcopi, licèt acri calamo Romanæ Curiæ Advocatorum impetitum, die 2. Aprilis 1694. à Congregatione negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, strenuè fuisse propugnatum. Ceterùm cum Sancto etiam „ Gelasio objiceretur, antiqui moris fuisse Lupercalia; Sanctissimus Pontifex Consuetudinem pudoris „ inimicam, & honestati detrahentem reprobavit, „ ratus Prædecessorum suorum leges saluberrimè institutas non defuisse, sed hominum fraude, & malitia leges ipsas fuisse contemptas.

„ §. 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta „ Prædecessorum nostrorum vigilantia egregiè, ut par „ est, sentimus, & abusum nec illorum incuriæ, sed „ subditorum inobedientiæ ducimus referendum; sic à „ vobis spectabiles Ecclesiarum vestrarum Antistites „ à quavis negligentiæ nota vindicetur: Quanti Dei „ honorem, Sanctorum cultum, & animarum salutem „ facitis, Venerabiles Fratres, vos hortamur, & obtestamur, ut corrupti hujusmodi mores, specie „ quadam lætitiæ invecti, reformentur; utque credita „ vobis oves ab impuro, prophanoque Ritu declinantes, ad piam, & fructuosam festos dies celebrandi rationem traducantur. Nos interea in optati eventus auspicium, Apostolicam Benedictionem „ ex animo Vobis impertimur. Datum Romæ apud „ Sanctam Mariam Majorem die 12. Augusti 1742. „ Pontificatus Nostri Anno Secundo.

pi, vel etiam Parochi ex consuetudine ob gravem & justam causam, quando non datur facilis accessus ad Episcopum.

Quæst. III. *An per quodvis mortale peccatum graviter violatur hoc præceptum, ita ut circumstantia Festi addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem, in confessione exprimendam?*

Resp. Multi negant. Quia. 1. Peccatum non est opus servile propriè, sed solùm metaphoricè: nam non est opus proprium servorum, sed commune omnibus etiam nobilibus: verba autem præcepti sunt proprie accipienda. 2. Hoc repugnat praxi & persuasioni fidelium ac confessariorum: nam nec pœnitentes hanc circumstantiam confiteri solent, nec de ea interrogari. Fatentur quidem peccatum esse magis contra finem præcepti, nempe cultum Dei in genere, quàm sit opus servile: sicque explicant textus Patrum objici solitos. At negant esse contra substantiam præcepti prohibentis opera servilia, & cultum illum specialem, qui tunc præcipitur per abstinentiam ab opere servili. Jam verò, inquiunt finis præcepti non semper est præceptus. Item fatentur quòd circumstantia illa diei sacræ per se addat malitiam venialem.

Alii affirmant, & probant. 1. Ex S. August. serm. 22. *Ille verò observat sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur; omne opus servile non facietis. Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Ex S. Gregor. Nyssen. homil. 7. in Eccles. *Quærendum est ergo quid sibi velit præceptum otii sabbati? ... ut nihil agamus illorum, quorum opus est vitium.* Ex S. Thom. qui 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. dicit expresse, peccata contrariari observantiæ sabbati, & magis agere contra hoc præceptum, qui peccat mortaliter, quàm qui laborat. Et ex S. Antonino, part. 1. tit. 14. cap. 4. §. 4. ibi: *Talis circumstantia, scilicet in die festo, trahit peccatum in aliam speciem. Nam fornicans in Festo, facit contra duo præcepta, scilicet: Non mœchaberis, & illud de sanctificatione sabbati.* 2. Ex cap. 1. de Feriis, *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Et, ex canon. 1. dist. 5. ex lib. de vera & falsa pœnitent. *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore: oportet enim pœnitere fornicantem ..... Si in loco sacro .... si in tempore orationi constituto, aut festivitate Sanctorum .... Omnis ista varietas confitenda est & deflenda.* 3. Quia omne opus servile prohibetur. Peccatum autem est opus maximè servile, juxta illud, Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 4. Dies festi sunt tempus ab Ecclesia determinatum ad implendum præceptum divinum naturale, præscribens ut homo sæpe Deum colat, & ad hoc se liberum ac expeditum præstet, vitando scilicet ea quæ eum impediunt à divino servitio, quale est omne opus servile, & præsertim peccatum, quod magis servitium Dei impedit, quam opus manuale. Quòd si pœnitentes hanc circumstantiam non confiteantur, dicunt hoc provenire ex defectu instructionis.

Alii verò, quibus assentior, distinguunt, & docent peccata, quæ includunt oppositionem specialem, vel afferunt impedimentum sanctificationis festorum, ut cum reddunt hominem incapacem applicationis ad divina, ut ebrietas quæ longo tempore privat potestate proxima vacandi rebus divinis, item seditio, &c. prohiberi hoc præcepto, & contrahere malitiam mortalem contra religionem: secus de aliis. Patres autem supra citati videntur posse intelligi de fine præcepti, vel de sensu ejus mystico.

Quæst. IV. *Quænam opera diebus festis exercenda sunt?*

Resp. 1. Generatim opera religionis, pietatis, & charitatis, ut sunt interesse officiis divinis, Missæ, & Vesperis, orare, pie meditari, libros spirituales legere, audire conciones, sacramenta suscipere, visitare infirmos & carcere detentos, &c.

Prob. 1. Ex Deut. 5. *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum. Hoc verbo* (inquit Catech. Rom.) *ostenditur sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, & sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem sabbati tum plenè & perfectè celebramus, cùm pietatis & religionis officia Deo præstamus.* Dies autem Dominica substituta est ab Apostolis sabbato, cum obligatione eam sanctificandi, ac colendi Deum, & Ecclesia alios festos dies cum eadem obligatione instituit. 2. Ex S. Gregorio, lib. 11. Epist. 3. ubi ait: *Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum.* Et ex Nicolao I. ad consulta Bulg. cap. 11. *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* Et ex Const. 5. Pii V. *Antiquorum canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes in diebus præ-* fa-

fatis (festivis) *Ecclesias frequentent, divinis officiis devotè intendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, ... non fiant, profanas negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant*. 3. Ex multis ... aliis præcipientibus, ut fideles doceantur diebus festis, qui Dei cultui dicati sunt, vacandum esse divinis officiis, concioni, & piis operibus. Et ex Catech. Romano, qui ait: *Parochus diligenter doceat quibus in operibus & actionibus Christiani diebus festis exercere se debeant*: tum varia opera religionis & charitatis suprà dicta recenset. 4. Quia solidus dies sanctificandus est, & Deo consecrandus: ergo non solùm matutinis, sed etiam pomeridianis horis Deo vacandum est. *Debet ergo die festo insisti operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & Eleemosynis, & hujusmodi*, ait Sanctus Antoninus, part. 2. tit. 9. c. 7. §. 4. addens quòd abstinere quidem ab opere servili, & Missam audire sit in præcepto obligante sub mortali, non tamen vacare Deo pro majore parte diei, quamvis non sic vacare peccatum sit, scilicet veniale. Quare Rituale Tullense docet fideles non posse sine legitima excusatione abesse à Vesperis. Enim verò pomeridianum tempus sanctificari debet per illarum auditionem; ideò enim ubique solemniter diebus festis canuntur, & ad illas populus convocatur.

Resp. 2. Speciatim omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ, & ex variis Conciliis. Imò omnes jure divino & naturali, supposita institutione hujus unius Sacrificii, tenentur sæpe in vita interesse Missæ Sacrificio; quia jure naturali tenentur Deo supremum cultum internum & externum sæpe exhibere per Sacrificium ab ipso institutum. Unde Ecclesia solùm determinavit tempus: & addidit aliquas preces ac cæremonias sacras, ut dignè ac devotè celebretur.

Quæst. V. *Quænam requiruntur ad implendum præceptum auditionis Missæ?*

Resp. Sequentia. 1. Ut audiatur Missa integra. Constat tum ex sensu & praxi Ecclesiæ, tum ex c. 62. de consecrat. dist. 1. ibi: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*. Hæc obligatio est sub mortali culpa, ut constat ex fidelium & Ecclesiæ consensu: nam materia ejus est ex suo genere gravis: & ad virtutem religionis gravissimam & ad supremum Dei cultum pertinet.

Hic autem canon Conc. Agathensis ab universali Ecclesia receptus est, & ejus legem ac consuetudinem continet. Die autem Dominica cæteri dies festi pari ratione comprehenduntur, cùm æquè sint divino cultui addicti. Porrò ibi fit mentio sæcularium, sed ampliativè, non exclusivè, & subintelligitur vox *etiam*; & Ecclesiæ sensus ad omnes extendit, ex cap. *Omnes*, ead. dist. Hinc juxta omnes, mortale est sine justa causa excusante omittere partem Missæ notabilem, ut tertiam: veniale verò si pars exigua sine causa omittatur. Nam præcipitur auditio Missæ non solùm quoad sacrificium, sed etiam quoad totam liturgiam, scilicet preces, lectiones, actiones & cæremonias sacras, quæ in ea fiunt. Unde, cap. *Omnes fideles* de consecr. dist. 1. dicitur: *Qui autem non perseverant in oratione usque dum Missa peragatur .... convenit communione privari*.

Porrò juxta multos, peccat solùm venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem Missæ interest, quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi sententia omissio initii Missæ, & aliorum usque ad Evangelium inclusivè, imò secundùm multos etiam exclusivè, est mortalis: quia hæc pars omissa notabilis est respectu Missæ. Imò est mortale abesse solo tempore consecrationis: nam est pars maximè notabilis & principalis, cum in ea consistat essentia Sacrificii, & Ecclesia præcipiat Missam principaliter quoad sacrificium. *Tunc fiunt Missæ, quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur*, ait S. Cæsarius. Idem dicunt aliqui de communione Sacerdotis: quia vel est essentialis pars sacrificii, vel saltem est de illius integritate, & complemento substantiali, ac proinde est pars notabilis: pars enim notabilis æstimari debet non solùm ex diuturnitate, sed etiam ex dignitate operis; nec leve censeri debet abesse ab essentia, vel integritate ac complemento Sacrificii, cui toti interesse teneris. Hinc qui potest solùm interesse consecrationi, & reliquæ parti Missæ, ad id tenetur: nam illa pars est principalis, & continet essentiam Sacrificii, nec principale sequitur accessorium. *Delugo*.

Cæterùm tota Missa ejusdem Sacerdotis audienda est, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quare non satisfacit, qui plures partes simul à diversis audit: nam Ecclesia præcipit, ut audiatur Sacrum per modum totius successivi, cum revera tale sit: nam Missa est totum ex partibus successivis coalescens, & Innocentius XI. damnavit hanc propositionem:

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. Neque etiam satisfacit, qui duas partes à duobus Sacerdotibus successivè audit: quia partes diversarum Missarum non faciunt unam Missam integram, cùm ad se invicem non ordinentur, non communicentur inter se, sed disjunctæ maneant, & sint partes diversarum Missarum non constituentes unam in ratione sacrificii vel actionis sacræ. At præcipitur auditio Missæ integræ. *Delugo & alii.*

2. Requiritur intentio audiendi Sacrum tamquam actionem sacram, qua Deo supremus cultus defertur, & quæ sit saltem implicita ac virtualis intentio offerendi per Sacerdotem & cum Sacerdote illud sacrificium, seu communicandi sua assistentia oblationi, sacrificiis, orationibus, & aliis actionibus sacris. Nam per illam intentionem auditio Missæ debet determinari ex parte audientis ad actum religionis, & cultum supremum, alioqui auditio non esset religiosa qualis præcipitur: si enim quis interesset Sacro ex mera curiositate spectandi, non faceret actum religionis, nec servaret præceptum.

3. Requiritur præsentia corporis humana; ut patet ex verbo *Audiendi*, & ex sensu ac usu Ecclesiæ: nam ideò necesse est adire locum, in quo Missa celebratur. Sufficit tamen, si quis ex signis quibusdam colligere possit quid à sacrificante agatur, spectata loci natura, sitque per moralem conjunctionem pars ejus multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris. Hinc sufficit Sacrum audire ex quovis templi loco, ex quo possis saltem mediantibus aliis percipere quid geratur, imò ex gradibus vestibuli, si propior accessus sit impeditus, quamvis per accidens sacrificans non videatur, nec audiatur.

4. Requiritur moralis ac pia præsentia: ita ut quis sit non solùm corpore præsens, sed etiam animo piè intentus in res divinas, seu in Deum ipsum per preces, oblationes Sacrificii, laudem, amorem, &c. Nam præcipitur auditio Missæ religiosa, qua Deus colatur. At Deus non colitur verè sine attentione ad divina, & pia aliqua affectione: nam *Deum in spiritu & veritate oportet adorare.* Jo. 4. Quare Concil. Trid. sess. 22. non permittit Sacrum fieri in privatis domibus, *nisi priùs qui intersint, decenter composito corporis habitu, declararint se mente etiam, ac devoto cordis affectu non solùm corpore adesse.* Et Clerus Gallican. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *Ecclesiæ præcepto* (audiendi Missam) *satisfit per reverentiam exteriorem animo licèt voluntariè in aliena, imò in prava cogitatione defixo.*

Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, vel res alias fixè considerat, vel voluntariè distrahitur, peccat mortaliter, nisi aliam postea Missam audire statuerit. Satisfaciunt tamen, qui quoquo modo ministrant Sacro, etsi occupentur quærendis è sacristia necessariis, v. gr. vino, thure, &c. Quia hæc ordinantur ad Missam, & fiunt in loco, qui communicat templo, unde non censentur moraliter abesse. Item satisfaciunt, qui occupantur pulsandis organis, vel follibus attollendis: quia hæc ordinantur ad solemnitatem officii, nec tollunt advertentiam ad ea, quæ in ara geruntur. Qui verò notabili tempore Missæ confitetur, non satisfacit præcepto: nam caret attentione ad Missam requisita, videlicet attentione ad Deum, divinave mysteria; qualis esse nequit in narrandis, & investigandis peccatis, eorumque circumstantiis, & in colloquio cum Confessario. Ita *Suarez, Delugo, Azor, &c.*

Nota 1. Communiter docent non esse jure communi obligationem audiendi aut faciendi tria Sacra die natali Christi, neque audiendi Sacrum feria quinta, & sabbato, aut officium feria sexta majoris hebdomadæ.

Nota 2. Circa parochiæ frequentationem hæc habet Concil. Trident. sess. 22. *Moneant* (Episcopi) *populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis, accedant.* Et sess. 24. cap. 4. *Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Clerus verò Gallican. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur.* (a)

Quæst. VI. *Quænam excusant ab auditione Sacri?*

Resp. Excusant. 1. Impotentia non solùm phy-

(a) Vide tamen Tractatum de Synodo Benedicti XIV. lib. 7. cap. 64. ubi num. 12. & 13. traditur, *Neminem in Parochia propria teneri interesse concioni: quod proinde in Synodis non est præcipiendum.* & ibid. num. 7. usque ad 11. *nunc cuicumque integrum esse Missam audire quocumque die in quacumque Ecclesia, & sic satisfieri præcepto, dummodo non in Capella, aut Oratorio privato audiat.*

physica, sed etiam moralis; quando scilicet audiri non potest sine gravi damno, scandalo, vel periculo: ut constat ex communi interpretatione & consuetudine. Hinc excusantur infirmi, quibus graviter obesset foras prodire. Qui tamen ex privilegio possunt audire, vel celebrare in oratorio domus suæ, ad id tenentur. Nam non habent moralem impotentiam; & præcipiens aliquid, simul præcipit omnia media ad illud necessaria tum ordinaria, tum extraordinaria, saltem non valde difficilia. Ita *Delugo*. Nec universim verum est neminem teneri uti privilegio: teneris enim uti quoties ejus usus est necessarius ad servandum aliquod præceptum, quod per talem usum sit moraliter possibile.

2. Charitas; ut si infirmus egeat præsentia alterius. Nam (ut docet S. Bern. in lib. de præcept. & disp.) quod propter charitatem introductum est, non obligat cum ejusdem charitatis dispendio.

CAPUT III.

De Voto.

Quæst. I. QUid est Votum?

Resp. Est promissio deliberatè facta Deo de bono meliori, & possibili. Dixi, *Deo facta*; nam Votum est actus latriæ soli Deo debitus in testificationem supremæ excellentiæ illius, ut authoris bonorum omnium, vel in signum gratitudinis debitæ primo ac supremo Benefactori. S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 5. ad 3, ubi ait, Votum factum Sanctis sic intelligendum esse, *ut ipsa promissio facta Sanctis vel Prælatis, cedat sub Voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel Prælatis promittit*. Quare promissio facta Sanctis est solùm materia Voti; & ut sit propriè Votum, debet ei adjungi tacitè vel expressè alia promissio, qua promittimus Deo nos id facturos quod promittimus Sanctis: alioqui promissio pertineret solùm ad duliam.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ad valorem Voti?*

Resp. Ex communi, sequentia.

1. Volitio se obligandi: nam nemo sponte suscipit obligationem sine voluntate se obligandi. Neque enim ad Votum sufficit propositum quamvis firmum, ex cap. 3. *de Voto*. ubi dicitur, in metu mortis proponens animo quòd Religioni habitum esset aliquando suscepturus, si plus non est in Voto processum, transgressorem judicari non posse, si non impleat quod dixit. Nam propositum est simplex voluntas faciendi vel omittendi aliquid; promissio verò superaddit voluntatem se obligandi alteri. At ex eo quòd voluntas proponat aliquid, non hoc ipso vult se obligare, & obligatur. Sufficit autem intentio virtualis & implicita se obligandi, ut cùm quis sciens Votum obligare, deliberatè vovet, quamvis de hac obligatione actu non cogitet; vel ignorans voti naturam, vult tamen Votum facere prout in se est, ut solitum est fieri, seu facere quod alii faciunt, dum vovent; nam tunc virtualiter & implicitè se obligare vult. Idem dic de eo, qui recipit Ordinem sacrum, ignorans illi annexum esse Votum castitatis; nam qui vult statum aliquem, vult virtualiter & implicitè onera illi statui annexa. Neque requiritur ut dicatur expressè, *Promitto*, *voveo*, *me obligo*, *&c.* sed satis est, quòd hoc dicatur æquivalenter & implicitè, etiam interiùs. Ut si dicas cum intentione te obligandi: *Domine redde mihi sanitatem, & vivam castè*: vel, *Si convaluero, dabo talem Eleemosynam*. Econtra verbum *Promitto*, nisi adsit intentio vovendi, significat simplex propositum, ut patet in actu contritionis, quo aliqui promittunt fugam peccati, nec tamen vovent.

II. Advertentia & deliberatio, qualis sufficit ad culpam mortalem directè voluntariam. Quia votum est actus simpliciter humanus, in se liber, tamquam in hominis arbitrio de se relictus, ex cap. 6. *de Voto*, ubi dicitur, quòd *universis liberum sit arbitrium in vovendo*. Præterea nemo tenetur sibi obligationem ex genere suo gravem imponere, nisi plenè advertat quid agat. Quare si quis ex subito animi motu, lingua mentem præveniente dicat, *Voveo*, non obligatur.

Talis autem deliberatio sufficit ad Votum: nam deliberatio, quæ sufficit ad ligandum se reatu æternæ damnationis, sufficit etiam ad se ligandum Deo vinculo promissionis.

Item valet Votum temerè & imprudenter, imò & illicitè, puta cum inani gloria factum, modò finis malus non redundet in ipsam materiam. Nam ad valorem Voti sufficit ut fit de re meliori & possibili, & fiat cum sufficienti cognitione ac libertate. Hinc patet omnes & solos rationis usu præditos & sufficientis deliberationis capaces, posse vovere in materia sibi licita, ex c. 2. *de Voto*.

III. Requiritur, ut promissio sit voluntaria. Nam Votum est actus moralis ac liber, quo Deus colitur. Quare nullum est Votum factum ex errore circa rei promissæ substantiam

tiam; cùm talis error impediat ne objectum sit cognitum, ac proinde ne sit volitum. Idem dic de Voto simplici facto ex errore circa causam finalem: quia censetur factum sub tacita conditione, si causa finalis subsistat, & quia sublato motivo volendi non est volitio. Hinc si voveris jejunium pro salute patris, quem falsò putabas ægrotare, non valet Votum. At valet Votum, si error sit dumtaxat circa aliquam circumstantiam non mutantem notabiliter rem promissam; ut si voveris castitatem, falsò putans esse servatu facilem; vel circa causam solùm impulsivam, ut si voveris dare eleemosynam Petro pauperi præ aliis, quia falsò putas esse pium. Nam talis error non impedit consensum absolutum circa substantialia. Votum verò solemne non irritatur per errorem vel dolum circa motivum extrinsecum: tum quia per illum non irritatur matrimonium carnale, ergo nec spirituale cum Christo, tum quia qui statum aliquem assumit, censetur velle absolutè illum assumere, etiamsi intercedat error vel dolus, qui non sit circa substantialia.

Item secundùm communem sententiam, metus gravis injustè incussus ad extorquendum Votum, irritat quodvis Votum, vel jure naturali, eo quòd Deus non acceptet Vota injuriosè extorta, cùm nemo probus promissionem sibi tali modo factam acceptaret; & ne det occasionem injustæ coactioni: vel saltem jure canonico, ex cap. 1. *De iis quæ vi, &c.* Nam licèt ibi agatur solùm de susceptione & professione Religionis, tamen sic receptum est, ut etiam extendatur ad Votum simplex: ita ut saltem usu & consuetudine Vota quælibet ex metu gravi facta, irrita sint. Sed quia hoc non est omnino certum de Votis simplicibus, nam Suarez & alii dissentiunt; ideò in praxi tutior pars est, vel Votum servare, vel petere dispensationem. Porrò certum est valere Votum etiam solemne factum ex metu sponte suscepto, ut naufragii, mortis, pœnæ æternæ, & c. 17. *de Regular.* vel ex metu justè incusso: quia tunc Votum est simpliciter voluntarium, & nulla intervenit injuria. Valet etiam quodvis Votum ex metu levi, etsi injustè incusso; quia non irritatur ab Ecclesia, & est sufficienter voluntarium; sibique vovens imputare debet quod tali metui cesserit.

IV. Ut sit de meliori bono, id est, de eo, quod omnibus spectatis ad salutem utilius & Deo gratius est, quàm directè oppositum seu negatio illius. Quia Votum debet esse gratum Deo, cùm sit actus quo colitur, & quia promissio seu pollicitatio alteri oblata non parit obligationem, nisi ab eo acceptetur: at non potest Deo placere, nec ab eo acceptari voluntas se obligandi ad relinquendum id, quod melius est & ipsi gratius. Imò hoc est illicitum, & contra reverentiam Deo debitam, quia offertur ei aliquid, quod ei placere nequit: quod est illi quodammodo illudere, nisi ignorantia excuset.

Hinc invalidum est Votum. 1. De Matrimonio contrahendo, quia melior est Cœlibatus. Si tamen matrimonium judicaretur remedium voventi necessarium ad vitandam incontinentiam, juxta multos valeret votum, quia melius est nubere quàm uri, 1. Cor. 7. Idem dicunt si quis voveret pauperculam vel perditam uxorem ducere. 2. De re illicita, quæ promissio est mortalis contra religionem, ob gravem irreverentiam contra Deum: nam promittere Deo rem ipsi ingratam est ei minari. Idque juxta Suarez, Lessium, Reginald. etiamsi res illa sit solùm venialiter mala, & ut talis cognoscatur à vovente; quia est facto attribuere Deo approbationem peccati saltem venialis, & innuere Deo placere peccatum, eoque coli: quod est graviter injuriosum Deo, & directè repugnat ejus summæ sanctitati ac bonitati. 3. De re optima, sed ad obtinendam rem malam, vel ad gratias agendas pro re malà obtenta, v. g. vindicta, non autem præcisè pro bono effectu secuto ex peccato. Nam Deus non acceptat aliquid, ut sit author peccati, & illud promoveat, vel in gratiarum actionem pro eo, quasi fuerit author peccati, nam esse authorem peccati etsi venialis; repugnat bonitati ac sanctitati divinæ. Valet tamen Votum de actione bona sub conditione turpi adjecta in ejus odium, ut de eleemosyna danda si peccaveris: quia quod directè promittitur; est bonum melius & ordinatur ad actum bonum, nempe in odium & vindictam peccati, si committatur. 4. De re, quæ omnibus spectatis est indifferens; nam nil confert ad cultum Dei, nec ei placet. Imò tale Votum est cultus vanus ac superfluus, ideòque peccatum saltem veniale. Ut autem res indifferens fiat honesta, debet non solùm referri ad finem honestum, sed etiam ex se, vel ex circumstantiis esse apta ad finem illum consequendum, cùm relatio extrinseca rem non immutet. Igitur superstitiosum & nullum est Votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ, vel carnes assas in honorem S. Laurentii. Porrò executio Voti illiciti continet eamdem malitiam quam ejus emissio: quia executio ex obliga-

gatione Voti, est Voti facti approbatio.

V. Ut sit de bono possibili. Nam inepta & illusoria esset promissio rei, quæ præstari non posset; & nemo obligari potest ad impossibile. Hinc irritum est Votum numquam peccandi venialiter, etiam cum deliberatione imperfecta. Nam hoc ita impossibile est in hac vita cum auxiliis ordinariis, ut numquam vitentur omnia peccata venialia sine speciali privilegio, ex Conc. Trid. sess. 6. can. 23. Votum autem requirit, ut quod promittitur, prævideatur esse faciendum, & fieri posse moraliter. Docent tamen valere Votum numquam peccandi ex proposito & perfecta deliberatione, quia hoc est possibile cum divina gratia absque privilegio; & tale Votum à viris sanctis & doctis quandoque factum legimus.

VI. Ut vovens non sit jure positivo inhabilis ad vovendum.

Nota. Laudabiliter posse voveri Deo aliquid ad quod jam obligamur; & per tale Votum novum vinculum induci est omninò certum, inquit Lessius, tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, ubi vovetur non solùm abstinentia à nuptiis, sed etiam abstinentia ab omni voluptate illicitâ extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. Tum quia opera præcepta sunt Deo gratissima: ergo possunt illi promitti; & hæc promissio novam obligationem affert: nam debitor potest se pluribus nominibus ad idem obstringere, sicut creditor pluribus titulis potest idem exigere à debitore. Quare violatio talis Voti duplicem habet malitiam, unam contra præceptum, & alteram contra religionem ob Votum.

Quæst. III. *Quotuplex est Votum?*

Resp. Dividitur 1. in reale, personale, & mixtum. Votum reale est, quo promittitur pecunia vel res pretio æstimabilis, quæ actio voventis nón sit. Personale est, quo promittitur actio personalis aut omissio ipsius voventis, ut Votum castitatis. Mixtum est, quo promittitur & actio vel omissio personalis, & aliquid pretio æstimabile ab ea distinctum, ut si voveas ire ad B. Virginem Lauretanam, ibique munus offerre. 2. In temporale, quod est ad certum tempus; & perpetuum, quod censetur fieri, cum nullus est obligationi constitutus finis, ut si dixeris: Vóveo deinceps castitatem. 3. In absolutum, quod fit sine conditione: & conditionatum, quod fit sub aliqua conditione, v. g. Voveo eleemosynam, si pater convaluerit: unde non obligat nisi posita conditione; sed ea posita statim obligat, quia obligatio desinit esse suspensa. Porrò nullum est Votum factum sub conditione repugnante naturæ & substantiæ Voti, vel rei promissæ, ut si proficearis Religionem, ea conditione ut aliquid proprium retineas. 4. In solemne quod ab Ecclesia approbatum & absolutè ac in perpetuum acceptatum est; & simplex, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiæ, saltem in perpetuum.

Quæst. IV. *An, quomodo, quos & quando Votum obligat?*

Resp. Obligatio Voti ex suo genere gravis est, ita ut ejus violatio in materia gravi sit mortalis. Ita omnes. Constat 1. Ex Ps. 49. *Redde Altissimo Vota tua*. Et, Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde*. Et, 1. ad Tim. 5. de viduis quæ continentiæ Votum violaverunt, dicitur: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. 2. Ex traditione, & sensu Ecclesiæ. 3. Ex cap. 6. de Voto. *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire*. 4. Quia hæc obligatio pertinet ad gravissimam virtutem religionis, qua quis tenetur reddere Deo obsequium promissum, & ab eo acceptatum; ideóque specialiter ipsi debitum. *Maxime debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti, & ideo maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quadam infidelitatis species; unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio*, ita S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. Præterea violatio fidei Deo datæ in re gravi continet gravem irreverentiam in Deum, propter summam ejus majestatem. Hinc S. Aug. Epist. 127. aliàs 45. ait. *Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priùs quàm esses voti reus, liberum fuit: quamvis non sit gratulabunda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate deterreo*.

Materia autem illa Voti est gravis, de qua posset dari præceptum sub mortali obligans: seu quæ per se vel ex circumstantiis notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis. Hinc qui semel non implet Votum jejunandi, confitendi, vel audiendi Sacrum, &c. peccat mortaliter; cùm

hæc

hæc materia gravis sit, & sufficiens ad mortale in præcepto Ecclesiæ.

Votum tamen ex communi aut ferè communi sententia obligat solùm sub veniali in re levi. Quia Votum est quædam lex privata, quam quis sibi imponit, & species quædam pacti: lex autem & pactum non imponunt obligationem nisi proportionatam materiæ. Deinde omissio fidelitatis & justitiæ in re parvi momenti non censetur gravis injuria & offensa. Præterea res ex omni parte levis non est capax obligationis gravis; nec pendet à voluntate hominis obligationem gravem alligare rei, quæ non est capax illius; nec Deus videtur acceptare talem obligationem irrationabilem. Unde qui vovisset singulis diebus anni dare unum assem pauperibus, peccaret solùm venialiter semel, aut bis omittendo. Secus, si decrevisset non implere Votum, quia materia talis Voti collectivè sumpta gravis est.

Porrò non pauci docent voventem posse in re gravi se obligare solùm sub veniali, si expressè velit, (exceptis votis status religiosi, quæ sunt per se vota graviter in perpetuum obligantia, & nisi Ecclesia aliter statuerit:) tum quia cùm obligatio voti voluntariè assumatur, pendet à voluntate voventis, nec ex lege divina oritur, nisi dependenter à voluntate promittentis: tum quia votum est lex privata, quam vovens liberè sibi imponit; legislator autem potest in materia gravi vel se tantùm se obligare sub veniali. Constat autem voventem rem gravem obligari sub mortali, nisi expressè voluerit se obligare solùm sub veniali: nam quisque censetur se accommodare capacitati materiæ & usui communi, nisi constet aliud expressè intendisse.

Cæterum violatio Voti præter malitiam irreligiosæ perfidiæ, & infidelitatis erga Deum involvit deformitatem sacrilegii, saltem secundùm quamdam eminentiam: quia per voti violationem id quod fuit Deo per promissionem dicatum, ei denegatur.

Resp. 2. Quando non constat de alia speciali voventis intentione, non aliter obligat Votum in quavis materia, quàm si esset lex de ea re à Deo, vel ab Ecclesia lata. Quia Votum est quædam lex, quam homo sibi imponit circa materiam illam promissam: imò fit communiter juxta hanc intentionem. Hinc Votum jejunandi, audiendi Sacrum, obligat ad modum præcepti Ecclesiastici de eadem re, ideòque eodem modo servandum. Et vovens excusatur à talis voti impletione in iis circumstantiis, in quibus excusaretur à præcepto Ecclesiæ, nisi contrarium expressè vel virtualiter intenderit.

Resp. 3. Ex communi sententia, Votum personale solum voventem obligat, nec per alium impleri potest: quia res promissa est propria actio, vel omissio voventis, non alterius. Hinc si non possit illud per se exequi, non tenetur alium substituere, nisi id expressè intenderit. Votum verò reale obligat voventem ad persolvendum per alium de propriis bonis, si per se ipsum implere nequeat; quia res promissa est bonum temporale voventis, quod potest ejus nomine per alium tradi. Item hæredes, secundùm omnes, tenentur exequi Vota realia defuncti, secundùm vires hæreditatis, salva legitima hæredis necessarii, cap. 6. *de testament.* & l. 2. §. *de pollicit.* Nam hæres debita bonis annexa solvere tenetur ex justitia, ratione rei acceptæ cum tali onere, & ex contractu implicitè inito per acceptationem hæreditatis: hæreditatem enim adeundo, sicut commoda ejus & omnia jura defuncti acquirit, ita etiam debita & onera realia bonis annexa in se suscipit. Bona autem Deo promissa, sunt ipsi speciali jure debita. Quòd si sint plures hæredes, quisque tenetur pro rata, juxta portionem hæreditatis quæ ei obtigit, nisi res debita & legata possideatur ab uno, vel obligatio sit individua.

Idem est de Voto mixto quoad partem qua personale est ac de Voto personali, & quoad partem qua reale est ac de Voto reali: cùm sit verè personale quoad unam partem, & reale quoad aliam. Hinc obligat hæredes non qua parte est personale, sed qua parte est reale: ut si quis peregrinationem, & statuam argenteam vovit, tenetur hæres ad statuam dandam, non item ad peregrinationem, nisi eam promiserit, aut hac lege hæres institutus fuerit.

Qui autem vovit factum alterius, tenetur curare quantum potest, ut alter impleat: hoc enim censetur intendisse. Iste alter tamen nullatenus ad id tenetur, nisi consenserit: nam Votum obligat eum solum qui promisit. Hinc liberi non obligantur Votis parentum eos religioni devoventium, nisi ea rata habuerint, cap. 14. *de Regular.* Si verò populus vovit festum vel jejunium consentiente Episcopo, ad hoc tenentur posteri, non vi Voti, sed ex præcepto Episcopi approbantis, & ita implicitè præcipientis illud festum, aut jejunium.

Resp. 4. Impleri debet Votum tempore à vovente præfinito: nam promisit rem tali tempore, unde illam tunc reddere tenetur. Hinc qui vovit jejunium tali die, peccat mortaliter, si eo die non jejunet, perinde ac si die

ab

ab Ecclesia statuto non jejunaret, quamvis proponeret alio die jejunare. Quòd si ex impotentia vel negligentia, Votum tempore præfinito non impleatur, debet postea impleri, nisi ex intentione voventis, aut Voti natura, res promissa sit affixa certo die in devotionem illius ad honorem Sancti, vel mysterii, cujus tunc memoria celebratur: ut si quis voverit jejunium vigilia alicujus Sancti principaliter in illius honorem: tunc enim obligatio cum die extinguitur: quia tunc intentio fuit se obligandi ad actum hoc tempore faciendum, non alio; & res promissa est dependenter ab hoc tempore ac per modum unius. Quando autem tempus non ipsius temporis intuitu & devotione constitutum est, censetur adjici ut terminus non ad finiendam obligationem, sed ultra quem non sit differenda; & sic statim postea impleri debet. Nam cùm voveris non ultra eam diem differre, es semper in mora differendo, & teneris semper implere: quia perseverat debitum, quoad substantiam, duasque obligationes contraxisti, unam faciendi opus, alteram faciendi tali tempore: unde hac non impleta, manet illa principalior, quæ semper urget.

Si verò nullo definito tempore absolutè voveris, teneris Votum exequi quàm primùm commodè & rectè potes judicio prudenti. Nam statim moraliter loquendo exigitur à Deo, ex Deuteron. 23. *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et, Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Deinde res absolutè & sine dilatione promissa statim debita est, ex l. 14. §. *de regul. jur. In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Igitur culpabilis est omnis mora, quæ rationabili causa non cohonestatur. Non est tamen continuò mortale differre ad valde breve tempus, modò Votum brevi postea persolvi queat. Nam potest esse materiæ parvitas in mora illa, sicut in aliis rebus. Hæc omnia communem doctrinam continent.

Porrò si Votum fuerit negativum, seu de omissione, toties peccatur, quoties fit actio omittenda: quia Votum illud instar præcepti negativi obligat pro toto tempore pro quo factum est, & omnis omnino omissio promissa est.

Sed an vovens, votum implere ante tempus à se præfinitum tenetur ob impedimentum futurum?

Resp. 1. Quando opus vovetur ut proprium onus certi diei, seu temporis, ex communi sententia non tenetur vovens prævenire, etiamsi prævideat impedimentum pro illo die. Quia non vovit actum, nisi tali die faciendum, unde ante illum non obligat Votum. Idem dic quando terminus seu dies additur non solùm ad differendam executionem sed etiam ad suspendendam obligationem usque ad talem terminum: quia res non est promissa ante illum, nec vovens intendit se obligare nisi ex tali die.

Resp. 2. Quando terminus solùm ponitur ad differendam solutionem, & non ad suspendendam obligationem, tunc ex communi sententia vovens tenetur Votum persolvere ante terminum, si prævideat impedimentum pro illo futurum, quia tunc Votum, statim ac fit, obligat absolutè ut intra terminum designatum opus fiat. Unde obligat determinatè pro illo toto tempore, pro singulis verò partibus quasi disjunctivè. Et ideò vovens tenetur absolutè implere Votum in aliqua parte hujus temporis. Ergo si prævidet futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur in priori facere, quod est prævenire terminum. Et alioqui contra promissionem dilatio fieret ultra tempus præfinitum. Item licet terminus temporis sit constitutus ad finiendam solutionem, si opus promissum non est proprium onus alicujus determinatæ partis totius temporis usque ad illum terminum, tenetur vovens implere Votum ante terminum illum, si ante illum impedimentum prævideat: ut si quis vovit jejunare sex dies mensis, non designando illos, limitando tamen obligationem ad mensem, ita ut cum illo extinguatur in omni eventu; tunc si prævideat futurum, ut post decimum diem mensis jejunare nequeat, tenetur in prioribus diebus totum Votum implere, & ita prævenire terminum: quia tunc totum tempus mensis est tempus absolutæ obligationis, quæ debet impleri in parte ejus possibili. Quæ omnia confirmantur exemplo præceptorum, v. g. confitendi singulis annis. Ita Suarez, addens teneri voventem in omnibus casibus vitare impedimentum, ut Votum suum tempore promisso impleri possit: nam Votum obligat saltem implicitè ad non ponendum impedimentum, cùm hoc sit necessarium ad implendam rem expresè promissam: alioqui obligatio Voti esset inefficax & inanis.

Quæst. V. *Quid dicendum in dubio circa Votum?*

Resp. Sequentia. 1. Nullus tenetur Voto, de cujus emissione dubitat, si post diligens exa-

examen nulla ei appareat probabilis conjectura, quod Votum illud fecerit. Quia obligatio Voti, quæ voluntarie suscipitur, sine rationabili fundamento, adeòque irrationabiliter affirmaretur. Nemo autem tenetur obligatione, quæ nullo fundamento rationabili nititur.

2. In æquali utrimque probabilitate Votum servari debet. *Ita Azor, Vasquez, Thyrsus Gonsalez, &c.* Quia tunc non potest prudenter negari Votum factum fuisse. Deinde in dubiis tutior pars eligi debet; alioquin talis se exponeret periculo peccandi: nam cum detur lex certa non violandi Votum, hoc ipso quod dubitat an voverit aliquid, dubitat an illud omittendo, violet eam legem, ideòque peccet. Qui autem agit dubius an peccet, se committit periculo peccandi, & reipsa peccat. A fortiori tenetur Voto, qui sciens se post septennium vovisse, dubitat an habuerit intentionem se obligandi, vel sufficientem advertentiam. Nam actus præsumitur factus ut fieri solet ac debet, nisi contrarium constet; & res in dubio judicari debet à communiter contingentibus. Si quis tamen paulò post quàm aliquid promisit, dubitat utrùm habuerit intentionem vovendi vel se obligandi, an verò sit dumtaxat simplex propositum, ordinariè præsumitur non vovisse. Quia verum Votum ordinariè fit cum tanta deliberatione, ut facilè quisque paulò post ejus emissionem possit illum reminisci.

3. Certus de Voto, sed dubius de solutione, tenetur illud implere: nam debito certo non satisfit nisi per solutionem certam.

4. Quando solùm dubitatur de quantitate vel qualitate rei promissæ, Votum explicandum est secundùm voventis intentionem, ultra quam non obligat, ex Deuter. 23. *Facies sicut promisisti Domino, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Nam (ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. ultim. art. 4.) *Obligatio voti ex voluntate procedit. Nam vovere voluntatis est, ut Augustinus dicit: in tantum ergo fertur obligatio Voti, in quantum se extendit voluntas & intentio voventis.* Si de intentione non constet, elicienda est ex conjecturis, ex materia, & præsertim ex fine, quem in Voto spectavit; nam causa finalis, seu ratio volendi est mensura rei volitæ. Et si his inspectis adhuc dubium manet, Votum explicandum est secundùm communem & usitatam verborum, quibus usus est, acceptationem: nam quisque censetur velle facere quod verbis in sensu usitato acceptis indicat. Quòd si non recordetur verba, quibus usus est, eligi debet pars tutior: *Si dubitat quomodo se in vovendo habuerit: debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat*, ait S. Thom. in 4. dist. 38. qu. 1. art. 3. ad 6.

Quæst. VI. *An Votum fictum, seu exteriùs factum sine animo vovendi, vel se obligandi, peccatum est?*

Resp. Affirm. Quia illa fictio seu simulatio est mendacium aliquod, & vana usurpatio nominis Dei, continens irreverentiam contra Deum. Seclusis autem contemptu, scandalo, injuria, non esse per se mortale docet Suarez: quia, inquit, velle præcisè proferre verba vovendi sine volitione vovendi, non est gravis irreverentia ac injuria Dei; & fictio non est respectu Dei, sed tantùm respectu hominum, quibus per illam potest fieri injuria levis. In Votis tamen solemnibus, vel quæ fiunt in assumptione status religiosi, docet fictionem esse mortalem: quia in ea fit injuria gravis religioni, & consequenter etiam Deo & Ecclesiæ, & vix separari potest à gravissimo scandalo.

Quæst. VII. *Quot modis tollitur obligatio Voti?*

Resp. Ex communi sententia, his. 1. Cessante causa finali, ob quam factum est; nam *cessante causa cessat effectus*, cap. 60. *de appellat.* seu cessante causa finali, deficit intentio voventis, utpote deficiente proprio ac principali motivo; & vovens non censetur voluisse promittere & se obligare illa cessante; ut si jejunium per mensem voveris ad obtinendam sanitatem patris; si hic moriatur, desinis obligari.

2. Materiæ defectione, vel mutatione notabili, ut si res promissa, antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni ratione novæ circumstantiæ, aut prohibitionis, vel si fiat impossibilis. Nam Votum est essentialiter de bono meliori & possibili. Item quando non potest servari sine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in statu, vel honore, quod sit accidentarium Voto, nisi constet ex natura Voti vel aliter voventem voluisse se in tali eventu obligare. Nam in tali casu materia non est eadem, nec voventes intendunt communiter tunc se obligare. Neque tunc est obligatio præstandi aliquid aliud loco rei promissæ: quia Votum non obligat ultra intentionem voventis, quæ non est obligandi se ad aliud quàm ad id quod vovet; nisi illud fuerit in hoc inclusum saltem virtualiter. At Voti obligatio non cessat ob difficultates postea

ob-

obvenientes, quas si vovens prævidisset, non vovisset. Nam, ut notat Lessius, multi castitatem vovent, & religionem profitentur, qui tales postea tentationes ac difficultates patiuntur, quas si prævidissent, vovere noluissent; & tamen omnium judicio non ideò desinunt teneri Voto. Hæc enim omnia præcogitari poterant ac debebant. Quod si non fecerint, sibi imputent, & media idonea adhibeant ad hoc ut Votum implere possint. Votum quippe obligat secundùm mentem, quam vovens reipsa habuit explicitè vel implicitè dum vovit, & secundùm communem usum ac sensum prudentum. Quare Voti vel juramenti obligationem non tollit id quod si antea accidisset, vel prævisum fuisset, impediret ne fieret: sed requiritur mutatio ita notabilis, ut faciat quasi aliud objectum, ad quod voventis intentio prudenter ex circumstantiis præsumatur se non extendisse.

3. Irritatione, dispensatione, vel commutatione.

4. Defectu conditionis, positæ, si Votum sit conditionatum. Quia vovens noluit se obligare, nisi conditione illa posita, & res non est promissa nisi sub illa conditione, ac proinde eam præstandi obligatio suspensa est, donec impleatur conditio, qua posita fit absoluta.

Si vovens Voti conditionem honestam per dolum, fraudem, vel minas impediat, peccat contra Votum, & eo remanet obligatus. Nam Votum sub conditione aliqua honesta factum obligat ad rem promissam implendam sub conditione illa, quæ à vovente non sic impediatur, ideòque etiam ad illam non sic impediendam; alioqui esset illusorium. Unde si vovens impediat per vim, dolum, fraudem, vel minas, peccat, & voto tenetur perinde ac si conditio evenisset. *Ita Sanchez, Azor, & alii multi apud illum.*

Sed quid, si materia Voti fiat impossibilis solùm quoad aliquam partem vel modum?

Resp. Tunc si commodè talis materia dividi possit & soleat, vovens tenetur ad eam partem quam potest. Quia censetur partes illas divisim promisisse: nam voluntas censetur ferri in objecta secundùm eorum naturam & communem usum, nisi constet oppositum expressè intendisse. Hinc si non potes dare pauperibus centum quos promisisti, teneris dare decem quos potes. Si verò res promissa dividi nequeat, aut non soleat, ad nil teneris: ut si voveris ædificare Ecclesiam, & postea non habeas pecuniam sufficientem, nisi ad ponenda fundamenta, ad nil teneris: quia partes Ecclesiæ, non divisim, sed collectivè tamquam unicum objectum censeris promisisse, nisi contrarium expressè intenderis.

Quòd si actus non possit fieri solùm quoad circumstantiam seu modum, qui non fuerit intentus principaliter, nec ut conditio necessaria ad obligationem substantialem; tunc res promissa implenda est quoad substantiam: Quia tunc substantia actus fuit principaliter & absolutè promissa, circumstantia verò seu modus, ut aliquid accessorium; principale autem non debet impediri per defectum accessorii. Sic qui vovit jejunium in pane & aqua, & potest solùm servare jejunium ordinarium, ad hoc tenetur: nam jejunium quoad substantiam principaliter vovit, modum verò illum in pane & aqua solùm accessoriè. Secus, si quis non vovit substantiam actus, nisi dependenter à tali modo, qui nequeat servari, ut sæpe fit, cum modus ille notabiliter minuit difficultatem actus: nam tunc intentio actum faciendi non est absoluta, sed cum tali conditione, qua sublata cessat intentio se obligandi, ideòque obligatio: ut si vovisti ire Romam equo, vel rheda, & postea utrumque desit, non teneris ire pedibus.

Si verò modus aut circumstantia sit solùm possibilis, res autem principalis impossibilis, cessat obligatio Voti, quia non fuit intentio se obligandi, nisi dependenter à principali.

Cæterùm si impossibilitas, aut impedimentum non sit perpetuum, eo postea sublato, Votum impleri debet: nam tunc solùm suspenditur ejus obligatio. Si verò sit perpetuum, cessat omnino obligatio Voti, nec vovens tenetur in aliud commutare, nisi hoc vovisset.

Quæst. VIII. *Quænam Vota, & à quibus irritari possunt?*

Nota. Irritatio Voti est ablatio ejus obligationis facta nomine proprio ab eo, cujus potestati subjecta est voluntas voventis, vel materia Voti. Duplex est, alia directa, quæ directè cadit in Votum, efficitque ut Votum sit nullum defectu conditionis ad illud requisitæ, scilicet consensus ejus, cui voluntas voventis subjecta est: alia indirecta, quæ cadit dumtaxat in materiam Voti, seu quæ fit tantùm ratione materiæ alteri subjectæ remanente Voto.

Resp. 1. Vota omnia eorum, quorum voluntas subjecta est potestati dominativæ alterius, possunt ab eo directè irritari, nec postea reviviscunt. *Ita communiter.* Quia tales ita dependent ab alio, ut sine ejus injuria non possint de seipsis disponere contra ejus voluntatem; ac proinde eorum Vota tacitam ac imbibitam habent hanc conditionem. *Si Superior non*

non contradixerit. Nam nemo potest vovere contra jura alterius. Quare superiore nolente voluntatem subditi obligari, cessabit obligatio ob defectum conditionis. Quamdiu tamen non irritatur Votum, servari debet; quia licet non sit firmum, est tamen validum donec superior contradicat, ex cap. *Monacho*, 20. quæst. 4. ubi Votum à Religioso fine consensu superioris factum dicitur solùm frangendum, hoc est, irritandum: ergo supponitur validum. Quare in hujusmodi Votis non includitur hæc conditio affirmativa, *Si superior consenserit*; sed negativa, *nisi Superior contradixerit*, vel *dum Superior non contradixerit*, ut notat Sanchez.

Hinc ex communi sententia, 1. omnia Vota impuberum, etiam implenda tempore pubertatis, possunt directè irritari à patre, vel in ejus defectum ab avo paterno, aut tutore ut quis vices patris gerit, non tamen à matre, nisi sit tutrix. Ratio est dispositio Juris Canonici, quod Votis impuberum ob horum judicii imbecillitatem apposuit hanc tacitam conditionem, *Nisi pater, vel tutor contradixerit*, *cap. Puella* 20. *quæst.* 2. Multi docent eadem Vota impuberum à patre irritari posse tempore pubertatis. Quia Vota illa per tractum temporis non amiserunt hanc suam conditionem, *Nisi pater contradixerit*, sed semper manent subjecta patri, idque expedit ad subveniendum indiscretioni liberorum. Sed juxta varios, id jam non potest tutor; quia eo ipso quod pupillus fit pubes, tutor fit curator, cui persona pupilli seu minoris non committitur sicut tutori: at pater semper manet pater. *Suarez*, *Reginald.* Limita, modò liberi in pubertate talia Vota non ratificaverint, scientes non fuisse firma; nam hæc ratificatio est nova Voti emissio.

2. Superiores Religiosorum possunt directè irritare omnia Vota suorum subditorum, exceptis Votis, quæ ex instituto Religionis sunt, & Voto strictioris Religionis. Constat ex communi Doctorum sensu, & usu in Religionibus recepto. Et ex cap. *Monacho*, cit. & ex S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 8. ad 3. Idque vel ex natura status Religiosi, & Voti obedientiæ, per quod abdicavit jus omne disponendi de seipso, & cuncta in superiorum potestatem transtulit: ita ut *velle & nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat*, cap. 27. de elect. in 6. vel hoc provenit ex dispositione Ecclesiæ per usum statuta, quæ sicut in Votis impuberum, ita in Votis Religiosorum hanc tacitam conditionem inesse voluit, *Si Superior non contradicat*, ut scilicet meliùs Religiosis in via spirituali à suis superioribus dirigerentur. Potest quoque validè Prælatus secundùm communem sententiam irritare Votum subditi à se, vel à prædecessore æquali aut inferiore approbatum. Quia per istam approbationem seu licentiam, non amisit jus superior, quo inferiorum voluntates sibi habet perfectè subjectas ad eorum rectam gubernationem; nec ideo suam potestatem à se abdicavit. Sed hoc non videtur omnibus certum. Fatentur autem omnes talem peccaturum, si sine causa consensum revocet, quia abutitur sua potestate contra bonum subditi, & impedit majus Dei obsequium. Novitiorum verò Vota non possunt directè irritari; cùm sint adhuc sui juris; sed solùm potest suspendi executio Votorum personalium, quatenus impediunt observantiam regularem, & eorum rectam gubernationem: ita ut si egrediantur Religione, statim reviviscat eorum obligatio.

Porrò Religiosi, & quivis subditi dominativæ alterius potestati, ex communi sententia licitè ac meritoriè ea omnia bona opera vovent, quæ nec regula, nec superiorum præcepto eis interdicta sunt, nec eos à debito illorum obsequio retrahunt; & talia Vota statim obligant, non expectato superiorum consensu, donec ipsi non contradicant. Quia cùm ea materia sit bona nec interdicta, est apta Voto emittendo, & quamdiu non interdicitur, est in voventium potestate.

Resp. 2. Vota, quorum materia est alteri subjecta, possunt ab eo indirectè irritari, seu potest eorum executio & obligatio suspendi, etsi ante subjectionem facta fuerint. ex cap. *Noluit*, 33. quæst. 5. Quia nemo potest & censetur promittere aliquid in damnum seu præjudicium etiam futurum aliorum, & executio talis Voti hoc ipso fit illicita, quod alter potestatem habens in rem vel actionem promissam, contradicit; nam numquam licet jus alterius violare.

Hinc secundùm communem sententiam, 1. Irritari à patre possunt indirectè & ratione materiæ Vota puberum, quæ obsunt disciplinæ & convenienti gubernationi familiæ, in qua pater habet jus regendi filium donec emancipetur. Sic potest suspendere obligationem Voti perpetuò abstinendi à carnibus. At nil potest circa Vota puberum, quæ nullatenus ejus potestati officiunt, ut sunt certæ preces, consueta pietatis officia. Votum castitatis, religionis, &c. nam pubes, in ordine ad obsequium divinum, habet jus dispo-

nen-

nendi de se, & suis actionibus personalibus, quæ non adversantur rectæ gubernationi familiæ.

2. Maritus potest irritare indirectè Vota uxoris, quæ officiunt usui matrimonii, prolis educationi, & gubernationi familiæ, ut sunt Vota peregrinandi, sæpius jejunandi, &c. quia juri mariti obsunt: non autem Vota de certis precibus, aut continentia post ejus mortem servanda: nec enim maritus potest prohibere uxori omnia opera consilii, cùm omnia juri ejus non officiant, & subjectio uxoris ad virum oriatur solum ex matrimonii vinculo, sitquè ei commensurata. Uxor vicissim potest sic irritare Vota mariti, quæ obsunt vitæ sociali, & moderatæ debiti redditioni, cùm ad hæc jus habeat. Possunt tamen ambo ex communi consensu continentiam vovere, & tunc neutri debitum petere, ut petenti reddere licebit, cùm juri suo cesserint.

3. Herus potest suspendere executionem Votorum famuli & ancillæ, quatenus solùm impediunt, vel imminuunt obsequium sibi debitum, cùm alia ejus juri non officiant.

Observa. Vota directè irritata numquam reviviscunt, quia superior eis contradicendo, efficit ut sint nulla, defectu conditionis requisitæ; cùm inferior non possit validè vovere nisi sub hac conditione tacita, *Si pater vel superior non contradixerit*. At Vota indirectè irritata suspenduntur solùm, quandiu materia est subjecta alteri, & reviviscunt ac obligant, quando desinit ei subesse. Quia Votum erat validum absolutè, & ob solam materiæ subjectionem suspensum erat, & ejus executio jam est licita, cùm nulli obsit.

Hinc Vota conjugum, puberum, & famulorum perpetua, quæ tempore subjectionis, vel ante emissa, suspensa fuerunt, eos obligant cùm eorum materia desinit subjici alterius potestati. Unde uxori quæ sine consensu mariti continentiam vovit, non licet nubere post ejus mortem.

Resp. 3. Qui Vota irritandi potestatem habent, illa validè irritant etiam sine justa causa, quia ad validum usum juris sui non requiritur causa. Peccant tamen si sine causa faciant, cùm sit abusus potestatis contra bonum proximi, & honorem Dei.

Quæst. IX. *Quinam possint dispensare in Votis & Juramentis?*

Resp. 1. Papam & Episcopos habere potestatem dispensandi in Votis, & juramentis: Constat. 1. Ex Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum......... & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et cap. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quæ verba, utpote generalia, intelligi debent de omni vinculo voluntariè contracto ab homine erga Deum. 2. Ex perpetuo Ecclesiæ usu. 3. Quia ad commune bonum fidelium expedit, imò necessaria est hæc potestas.

Dispensatio autem Voti est absoluta condonatio rei Deo promissæ, facta nomine & vice Dei, à superiore tamquam ejus vicario: qui tamen tunc non dispensat in lege divina servandi Votum: nam obligationem servandi Votum non relaxat tum, cùm ipsa viget; sed solùm ipsam promissionem, seu rem promissam remittit nomine ac vice Dei, & tamquam ejus œconomus. Lex autem divina non obligat ad servandam promissionem Deo factam, cui Deus per suum vicarium cessit.

Resp. 2. Potestas ordinaria dispensandi in Votis & juramentis competit solis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo. Nam hæc potestas ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet, sicut potestas ferendi leges & censuras: unde non est ordinis, sed jurisdictionis. Hinc eam habent. 1. Papa erga omnes fideles in omnibus Votis. 2. Episcopi erga suos subditos in Votis Papæ non reservatis: nam hæc potestas est necessaria ad regimen Episcopale. Item habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, eam dispensandi potestatem habent ut ordinariam. Potestatem verò delegatam habent qui ab iis accepere.

Vota autem Papæ reservata, præter solemnia sunt quinque, scilicet castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approbatam, & peregrinationis in Jerusalem, ad Limina Apostolorum, & ad S. Jacobum in Compostella. *Extravag. Etsi Dominici*, de pœnit. Quæ tamen si conditionata fuerint, pertinent ad Episcopum ante impletam conditionem.

Resp. 3. Ex communi sententia ad valorem dispensationis requiritur etiam justa causa. Quia Deus non dedit hominibus potestatem relaxandi sine causa Vota & juramenta sibi facta; cùm talis remissio sit irrationabilis, & honori Dei ac bono animarum obsit. Nec prælati sunt domini jurium Dei, sed solum ejus œconomi: at œconomus nil potest circa bona & jura domini nisi secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam. In dubio tamen de sufficienti causa potest subditus stare judicio Prælati dispensantis vel commutantis. *Ita S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 12. ad 2.*

Hinc dispensans in Voto gravi sine justa

causa, peccat mortaliter. Quia in re gravi ad Religionem pertinente arrogat sibi potestatem, quam non habet, & peccat contra fidelitatem ex munere debitam. Justæ autem causæ dispensandi hæ recensentur: honor Dei, utilitas Ecclesiæ, commune bonum reip. spiritualis, utilitas voventis, periculum morale sæpe violandi Votum ex fragilitate, levitas mentis, ex qua Votum factum est, perturbatio animi, notabilis difficultas superveniens executioni Voti, aliaque ad genus, quæ generatim revocari possunt ad pietatem, utilitatem spiritualem, & necessitatem. Quamquam ex his aliquæ videantur solùm sufficere ad Votum commutandum: nam longè gravior requiritur causa ad dispensandum, quàm ad commutandum; & raro utendum est pura dispensatione, sed admiscenda est aliqua commutatio.

Quæst. X. *Quinam possunt commutare Vota?*

Nota. Commutare Votum est mutare materiam Voti in aliam sub eadem obligatione.

Resp. 1. Quisque potest privata authoritate, & sine alia causa, commutare Votum suum in id, quod evidenter melius est, & aliunde non præceptum; modò id Ecclesia non prohibuerit: *Est saltem communior sententia.* Quia 1. ex cap. 3. de jurejur. *Non promissum infringit, qui in melius illud commutat.* 2. Debitum rei minùs bonæ abunde & perfectiùs solvitur Deo in re meliore, quæ semper est Deo gratior, & in qua etiam res promissa continetur virtualiter, saltem quoad finem Voti, qui est rem gratam Deo facere. 3. Deus semper acceptum habet obsequium majus ei delatum loco minoris; cùm magis velit à nobis fieri id, quod melius est, & ei gratius. Hinc Votum recitandi septem psalmos commutari potest à vovente in Votum audiendi Sacrum. Multi excipiunt Vota Papæ reservata, quæ sine ejus authoritate commutari nequeunt, eo quòd talem commutationem sibi propriam reservarit, nisi in statum Religionis commutentur. *Ita Suarez, Sanchez, Layman, &c.*

Porrò meliùs hic censetur id, quod spectatis omnibus est Deo gratius: tale autem non est semper id, quod secundùm se, & de genere suo præstantius est, sed quod saluti voventis magis expedit, cupiditates efficaciùs coercet, & voluntatem Deo perfectiùs subjicit. Hinc quamvis oratio sit absolutè melior jejunio, non licet tamen propria authoritate hoc in illam commutare: quia hic & nunc potest jejunium esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spirituale hujus hominis. In dubio an opus sit melius, requiritur authoritas Prælati, cap. 1. *de Voto.* Et de hoc omnes consentiunt, teste Azor.

Resp. 2. Ex communi sententia, Votum non potest validè commutari privata authoritate in opus minùs bonum: quia tunc intercedit partialis dispensatio, quæ necessariò requirit potestatem Ecclesiasticam; tunc enim tota res promissa non redditur æquivalenter.

Imò requiritur potestas superioris ad commutationem Voti in æquale. *Est saltem communior sententia.* Prob. Tum quia jura non dicunt sufficere authoritatem privatam nisi ad commutandum in evidenter melius, ex c. 1. *de Voto.* Tum quia talis commutatio requirit permissionem nomine Dei factam, ut res una solvatur pro alia æquali, ac proinde authoritatem Prælati, vicem Dei gerentis; nam res in specie fuit promissa ac debita: ergo alia non melior solvi nequit sine consensu creditoris, scilicet Dei, arg. ex l. 2. §. de rebus credit. ibi: *Aliud pro alio invito creditore solvi non potest.*

Resp. 3. Ex communi sententia, non solùm ad licitam, sed etiam ad validam commutationem in minùs bonum, præter authoritatem requiritur justa causa: quia in illa admiscetur aliqua dispensatio, qua condonatur aliquid, quod ex Voto debetur Deo. Requiritur etiam aliqua causa, sed minor, ad commutationem validam in æquale: quia Deus non concedit ut solutio rei sibi debitæ fiat sine causa in re alia non meliore; & fidelitas Deo debita exigit rem promissam solvi, nisi adsit justa causa rem aliam æqualem dandi, vel nisi detur melior. *Ita Suarez, & alii communiùs.*

Ad hoc tamen juxta multos sufficit major devotio ad illud æquale præstandum: nam non requiritur adeò gravis causa, cùm non fiat relaxatio, sed mera translatio obligationis. Si tamen superior bona fide processerit, putans esse causam justam, licèt talis non sit; juxta multos valet commutatio, quia bona fides superioris est pro causa, cùm Deus non sit in hoc rigidior exactor.

Resp. 4. Ex communiore sententia, quicumque habet potestatem dispensandi, etiam solùm delegatam, habet etiam potestatem commutandi. Tum quia qui potest plus, potest & minus in eodem genere, ex *reg.* 53. *jur. in* 6. Tum quia qui potest remittere absolutè totum debitum, à fortiori potest illud remittere sub conditione dandi aliud. Cui autem solùm concessa est potestas commutandi,

di, is non habet potestatem dispensandi: quia hæc major est, nec continetur in alia.

Immò non potest commutare nisi in æquale: nam vox & natura commutationis æqualem subrogationem importat, & commutatio in minus continet aliquam dispensationem admixtam. *Ita S. Carol. in instruct. Confess. Et est communis sententia.*

Observa 1. Peregrinationes rectè commutantur in jejunia, largas eleemosynas, crebram Confessionem & Eucharistiæ sumptionem: quia plerumque hæc sunt magis salutaria, & Deo gratiora. 2. Juxta multos, ei, cujus Votum commutatum est, licet ad prius redire. Tum quia commutatio facta est in ejus favorem, cui proinde renuntiare potest; tum quia videtur solum facta sub conditione, *Si nolit prius votum implere*. Excipit Reginaldus, si commutatio facta sit in melius, & acceptata à vovente, eo quòd acceptatio talis commutationis vim habeat novi Voti, quo acceptans obligavit se ad reddendum Deo aliquid melius quàm antea voverat. Unde implere prius, esset commutare Votum ex meliori in minus bonum, quod non licet privata authoritate & sine justa causa. 3. Si opus subrogatum fiat impossibile, vel indifferens, juxta multos, vovens, non tenetur implere prius, etiamsi possit: quia hujus obligatio per commutationem extincta est. Obligatio autem extincta, præsertim quæ propria voluntate suscepta est, non reviviscit, nisi propria voluntate iterum assumatur. Sed tamen dici potest commutatio facta fuisse sub hac tacita conditione, ut tunc prius impleatur, si moraliter possit impleri.

CAPUT IV.

De Juramento.

Quæst. I. QUid est Juramentum? *Resp.* Est invocatio Dei in testimonium, sive est assumptio divini testimonii ad confirmandum. Unde jurare est Deum invocare, seu assumere in testem, non quidem ut hìc & nunc veritatem aliquo miraculo testetur, hoc enim esset tentare Deum; sed quando & quomodo ei placuerit, sive in hac vita, sive in altera, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

Hinc Juramentum differt ab adjuratione, quæ est actus, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit aliquid per Deum: ut scilicet ejus timore, reverentia, vel amore cogatur, aut permoveatur ad aliquid agendum vel non agendum, ut illud, 1. Thessal. 5. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc.*

Ad juramentum duo ex communi sententia requiruntur. 1. Intentio saltem virtualis jurandi, seu Deum in testem assumendi. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 98. art. 3. ad 2. Nam Juramentum debet esse actus humanus, quatenus Juramentum est, ac proinde ab intentione jurandi proficisci: alioquin qui præcisè recitat verba jurandi solùm ex intentione docendi, juraret. 2. Locutio, qua Deus in testem advocetur. Quæ locutio non solùm in verbis consistit, sed etiam in quovis signo, quo exprimitur Dei invocatio, verbi gratia, nutu, contactu Evangelii, elevatione manus, &c. quando hæc fiunt ex intentione jurandi. Imo illa locutio potest esse mere interna, & sic Juramentum potest esse merè internum.

Hinc 1. Modi loquendi, quibus Deus in testem non adducitur, non sunt Juramenta, ut cum dicitur: *Tam verum est, quàm sol lucet, quàm loquor, &c.* Juraret tamen qui animum habens Deum ut testem invocandi adhiberet verba, vel alia signa, quæ alioqui de se talem Juramenti significandi vim non habent, ut si cum intentione jurandi diceret; *In veritate hoc faciam*, ut notat Sanchez. Hæc verò locutio, *Tam verum est, quàm Deus existit*, vel *quàm Christus est in Eucharistia*, est blasphemia, si loquens intendat significare tantam esse in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate fidei: sed non est Juramentum, nisi per hæc verba intendat adducere Deum in testem.

2. *Certissimè, sine dubio, in veritate*, & similes locutiones non sunt Juramenta; secùs si dicatur, *In veritate Dei* vel *Christi*.

3. Ex communi sententia, non sunt ordinariè Juramenta hæ formulæ, *In fide mea. Per fidem meam*, quia ordinariè accipiuntur de fide seu fidelitate humana, sine ullo respectu ad Deum. Unde nemo prudens putat sibi esse rem Juramento confirmatam, ob hanc solam locutionem. Item juxta multos, istæ. *In conscientia, Super* vel *per meam conscientiam*: quia saltem apud doctos significant solùm hominem loqui ex veritatis notitia, ex conscientiæ dictamine. Azor tamen dicit plerosque sentire iis contineri vim Juramenti. Ex communi sententia, non sunt ordinariè Juramenta hæ formulæ: *in fide boni viri, in fide boni Christiani*, vel *Sacerdotis*; quia, ut ordinariè accipiuntur, significant rem asseri vel promitti ea fidelitate & veracitate, quam debet habere vir probus, Christianus, Sacerdos, ut ordinariè accipiuntur; nam tunc Deus non

non adducitur in testem. Ab iis tamen abstinendum est ob scandalum: nam non omnes ita hæc verba intelligunt, & sunt Juramenta apud eos, qui existimant esse, vel apud quos per consuetudinem accipiuntur velut Juramenta. Si autem *Per fidem meam*, *Per fidem boni Christiani*, *&c.* intelligitur fides divina, erit Juramentum: qui enim dicit *Per fidem divinam*, vel *veritatem Dei*, censetur Deum illius authorem in testem adducere. Quare rudes interrogandi sunt, an per illas formulas intenderint Deum in testem advocare, & omnes ab iis avocandi sunt.

4. In istis locutionibus, *Deus scit*, *Coram Deo loquor*, *Deus videt conscientiam meam*, spectanda est intentio loquentis. Nam si narrativè solùm proferantur sine intentione jurandi, non sunt Juramenta; quia propriè ille non jurat, qui testimonium Dei non implorat ut exhibendum: secùs, si invocativè usurpentur.

5. Istæ locutiones, *Abnego Deum*, *Per mortem*, *Per ventrem*, *Per caput Dei*, sunt potiùs blasphemiæ quàm Juramenta, nisi quis per tres posteriores locutiones intenderet Christum adducere in testem.

6. In omnibus modis loquendi habenda est ratio usus, & spectandæ sunt circumstantiæ & intentio loquentis. Nam Juramentum est, si adhibeantur quævis verba vel signa cum intentione jurandi, ut docent Suarez, Azor, Sanchez, alii, etsi illa Juramenti significandi vim non habeant: nam tunc per verba illa quæcumque sint, loquens vult assumere Deum in testem. In dubio de ejus intentione judicari debet secundùm communem verborum, quibus usus est, acceptionem.

Quæst. II. *Quotuplex est Juramentum?*

Resp. Juramentum dividitur. 1. In explicitum, quo Dei testimonium expressè invocatur, dicendo v. gr. *Deum testor*, *Juro per Deum*, *Per Deum ita est*, *Deum testem invoco*, *&c.* Et implicitum, quo implicitè solùm Deus adducitur in testem, ut *Per Deum*, *Vivit Deus*, hoc est, per vitam Dei, seu per Deum viventem: vel cùm quis jurat per creaturas nobiliores, in quibus Dei potentia, vel alia perfectio specialiter elucet, vel quæ habent specialem relationem ad Deum: tunc enim earum author tanquam in illis repræsentatus seu præsens censetur in testem adduci, ut si dicas, *Juro per Cœlum*, *per Terram*, *per Templum*, *per Evangelium*, *per fidem Christianam*, *&c.* Ex Matth. 23. *Quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in Cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Item *per Sanctos* intuitu Dei, qui in eis peculiari modo habitat, & virtutem ac veritatem ostendit. Vel *Per meam animam*, *in animam meam:* nam Deus in anima rationali specialiter splendet tamquam in imagine, proindeque censetur Deus in ea splendens adduci in testem. *Sanchez*, *Suarez*, *& alii*.

2. In solemne, quod fit cum aliqua solemnitate, v. g. certa verborum formula, vel coram Notario & duobus testibus, vel in judicio, vel contactu Evangelii, aut Reliquiarum. Et simplex, quod fit absque solemnitate.

3. In contestatorium, quo Deus solùm ut testis vocatur, v. gr. *Per Deum.* Et execratorium, quo Deus in testem simul & vindicem advocatur, unde fit per imprecationem, ut, *Puniat me Deus*, *Damner*, *Volo mori*, *Damen me auferat*, *Numquam videam Deum*, *si*, *&c.* Nam hæc fieri nequeunt nisi ex Dei vindicis ac Judicis mandato. Item, *Per meam vel alterius vitam*, *aut salutem*, *vel in vita*, *salute:* nam sensus est: Deus auferat mihi vel illi vitam, si &c. Item; *super animam meam:* nam sensus est: Damnum patiatur anima mea, nisi ita sit; & istud, *Ita me Deus adjuvet*, hoc est: Nisi ita sit, Deus me non adjuvet. Cùm autem execrationes, quæ Dei nomen vel Sanctorum, aut nostra Mysteria continent, ex ira proferuntur, tunc sunt blasphemiæ: quia contumeliosè pronuntiantur.

4. In assertorium, quo confirmatur dictum vel factum de præsenti vel præterito, aut propositum de futuro sine promissione, ut cùm quis jurat se facturum aliquid, licet illud nemini promittat. Et promissorium, quo quis confirmat promissum, & se obligat alicui ad aliquid pro futuro. Hocque est vel absolutum, vel conditionatum, quod scilicet habet conditionem expressam, aut tacitam, ex dispositione juris vel intentione jurantis.

Quæst. III. *An & quando licet jurare?*

Resp. 1. Licet cum certis conditionibus jurare. Constat, 1. Ex Deut. 6. *Per nomen illius jurabis.* Et, Psalm. 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* 2. Ex traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Quia juramentum est actus latriæ, quo jurans tacitè testatur Deum habere rerum omnium cognitionem, & veracitatem infallibilem, ac providentiam rerum humanarum.

Imò est obligatio jurandi. 1. Quando à superiore legitimè exigitur. 2. Quoties necessarium est ad subveniendum proximo: nam lex charitatis obligat ad ejus necessitati subve-

veniendum medio licito, præsertim facili, quale est Juramentum.

Resp. 2. Ut licitè fiat Juramentum, requiruntur tres conditiones seu comites, scilicet veritas, judicium, & justitia. Ita omnes, & constat tum ex Jerem. 4. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & justitia.* Tum quia si una ex illis deest, committitur irreverentia in Deum.

Veritas exigit, ut jurans prudenter & certò judicet verum esse id quod dicit; & moraliter certus sit se verum effecturum id, quod promittit. Judicium, ut cum discretione, prudentia, consideratione, maturo examine veritatis, ac reverentia, nec sine necessitate & gravi causa juretur. Justitia demum exigit, ut Juramentum promissorium vel assertorium de futuro sit de re licita & honesta.

Quæst. IV. *An semper est mortale, si una ex illis conditionibus desit?*

Resp. 1. Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit Juranti, est perjurium, & semper mortale peccatum, etiam in re levi asserta. *Ita omnes Theologi.* Prob. Quia 1. Deus non potest sine gravi irreverentia ac injuria adduci in testem falsitatis, sive in re magna, sive in parva, vel jocosa. *Quia per hoc datur intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testari velit.* S. Thom. 2. 2. qu. 98. art. 2. quod est valde injuriosum Deo; nam alioqui non esset summè verax, nec proinde Deus; cùm vel levissima falsitas summæ ac infinitæ veracitati repugnet. Unde assumere Deum in testem mendacii vel levissimi, est ex natura actionis Deo negare infallibilem ac summam veracitatem. Præterea (ut ait S. Thom. quæst. cit. art. 3.) *Ea quæ ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multo magis quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale: perjurium autem de sui ratione importat contemptum Dei. Unde manifestum est quod perjurium ex sui ratione est peccatum mortale.* 2. S. Aug. serm. 28. de verbis Apost. *Perjurium peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat.* 3. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* Quare omne perjurium strictè dictum, quod est mendacium Juramento confirmatum, seu falsum Juramentum, mortale est, etiam si joco fiat. *Ille qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excusatur à peccato mortali.* S. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2.

Porrò latiùs à S. Hieronymo & jure aliquando sumitur, nempe pro quolibet Juramento illicito; etiam vero, sed sine necessitate facto.

Ergo mortaliter peccat. 1. Qui Jurat id de quo dubitat, vel non est certus; nam exponit se periculo Jurandi falsum. Imò pejerat; nam mentitur, asserens tanquam certum id quod putat tale non esse. 2. Qui Jurat verum putans esse falsum: nam talis formaliter & spectato ejus conceptu jurat falsum, & mentitur, cùm loquatur contra mentem; habetque voluntatem adducendi Deum in testem falsitatis. 3. Qui Jurat id quod verum est, & tale putat, sed levibus conjecturis adductus. Ita Catechism. Romanus; quia exponit se periculo Jurandi falsum. 4. Ex communi, qui aliquid Juramento promittit sine voluntate implendi: nam Jurans se aliquid facturum, Jurat se habere firmam voluntatem faciendi: unde si non habeat, mentitur. Vel si Juret se facturum id, quod scit sibi esse impossibile; quia non potest habere propositum efficax implendi: nam propositum non est de re impossibili cognita ut tali; idque etiamsi res sit moraliter tantùm impossibilis, quia Jurat se facturum id, quod judicare debet non facturum. Item si dubitet an possit an debeat præstare: nam pejerat, vel saltem se exponit periculo pejerandi; & in his omnibus deficit certa veritas de præsenti, quam semper in re qualibet habere debet Juramentum promissorium, & quæ exigit, ut sit animus firmus & certus promissa perficiendi.

Resp. 2. Quoad defectum judicii constat 1. esse semper mortale, si defectus considerationis sit circa Juramentum ipsum, vel circa veritatem propter periculum perjurii; ut si deliberatè jures sine prudenti judicio de veritate, vel sine consideratione ad hoc requisita, etsi contingat esse verum quod juras, nam exponis te periculo jurandi falsum. Hinc peccant mortaliter, qui factum quod auditu tantùm, vel aliis signis non omnino certis cognoverunt, tamquam certò cognitum Jurati affirmant. Item qui Jurant de alicujus peritia, judicium ferunt sine sufficienti illius notitia, & certitudine de illa. Si verò defectus considerationis sit solùm circa necessitatem & gravitatem rei, ex communi sententia est solùm venialis, seclusis contemptu, scandalo, & periculo Jurandi falsum: ut cùm quis certus de veri-

ritate, non satis considerat an sit causa sufficiens Jurandi.

Constat 2. esse peccatum saltem veniale Jurare sine necessitate, vel magna utilitate ex Matth. 5. *Ego dico vobis non Jurare omninò... Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non, &c.* Et, Jacob. 5. *Nolite Jurare quodcumque Juramentum... ut non sub judicio decidatis.* Nam est irreverentia contra summam Dei majestatem, quòd interponatur ejus authoritas & ipse adducatur in testem sine necessitate, vel magna utilitate, aut ad res vanas ac leves confirmandas. Sic illicita sunt Juramenta urbanitatis gratia emissa, ut non ingrediendi vel egrediendi priùs, defectu necessitatis & gravitatis rei. Ea autem non videntur violari, si Jurans altero urgente præcedat; tùm quia imbibunt hanc tacitam conditionem, *Si non nimium repugnaverit, non præcedam*; tum quia illud Juramentum cedens in honorem alterius, remittitur ab eo, cùm Jure cedens contendit ut Jurans prior transeat.

Non est tamen, ex communi sententia, mortale Jurare sine necessitate, vel super re levi, aut vana, sed vera & licita; modò absit contemptus, scandalum, & periculum pejerandi: quia in hoc non censetur gravis irreverentia. Ita S. Antonin. p. 1. tit. 14. c. 4. ibi: *Requiritur judicium, id est, discretio, ut scilicet non Juretur, nisi in casu necessitatis, vel magnæ utilitatis... aliàs Jurando leviter, ut communiter fit, etsi verum sit & licitum quod Juratur, est peccatum, non tamen mortale, nisi fieret in contemptum.* Qui tamen sæpe Jurant sine necessitate, pejerandi periculum incurrunt, & proinde mortaliter peccant. Nam qui sic Jurant ex consuetudine, propter nimiam facilitatem, & proclivitatem per eam contractam leviter & temerè Jurant; suntque in periculo morali jurandi sine judicio prudenti de veritate, ideòque pejerandi.

Resp. 3. Quod spectat ad defectum justitiæ, constat. 1. Eum, qui jurat se facturum rem illicitam sine animo faciendi, esse perjurum, quia Juramentum mendacio confirmat. 2. Eum, qui Jurat se facturum rem graviter illicitam, duplex mortale peccatum admittere: unum, quòd velit rem graviter malam, alterum contra religionem: nam gravis est in Deum irreverentia Dei authoritate ac testimonio se firmare in proposito Deum graviter offendendi: in hoc enim est gravis abusus nominis & authoritatis Dei. Hinc, cap. *Qui Sacramento* 22. q. 4. dicitur: *Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat; pro perjurio uno anno à communione Corporis & Sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potueris jejuniis absolvat.* 3. Esse pejus jurare de re venialiter mala patranda, quàm de re indifferenti, vel de honesta sine causa. Communiùs tamen docent esse solùm veniale grave; quia putant non esse gravem irreverentiam, nisi fiat cum quadam contumelia, vel verbis, quæ blasphemiam sonant, aut adsit periculum perjurii. 4. Esse mortale contra religionem Juramento confirmare injuriam mortalem, ut gravem detractionem veram, vel contumeliosam: nam assumere nomen Dei tanquam instrumentum ad gravem injuriam proximo inferendam, ideòque Deum graviter offendendum, gravis est in Deum irreverentia. An autem propriam culpam mortalem præteritam Juramento affirmare cum jactantia & delectatione sit, præter culpam lethalem jactantiæ & delectationis, mortale peccatum contra religionem, alii asserunt, quia putant esse gravem irreverentiam: alii probabiliùs negant, eo quòd Juramentum per se non cadat in illam assertionem ut malam, sed ut veram.

Nota. Per præceptum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, non solùm prohibentur omnia Juramenta contra honorem Dei facta, sed etiam qualibet vana usurpatio ejus nominis.

Quæst. V. *Quæ & quanta est obligatio Juramenti promissorii, & assertorii de futuro?*

Resp. 1. Est obligatio sub mortali præstandi rem licitam juramento promissam, vel assertam, saltem si res illa sit gravis. *Ita omnes.* Constat. 1. Ex Matth. 5. *Reddes Domino Juramenta tua.* Et, ex cap. 10. de jurejur. ubi Summus Pontifex statuit Clericum ab Ecclesia removendum, eo quòd non solveret pensionem aliquam Juramento promissam. 2. Quia hæc obligatio ex suo genere gravis est: nam est obligatio virtutis religionis, & ex præcepto colendi Deum. Ergo ejus violatio est ex suo genere mortalis. Deinde tendit ad firmanda pacta inter homines, controversiasque dirimendas: ad quem finem assequendum necesse est, ut ex tali Juramento nascatur gravis obligatio servandi promissa: alioquin hoc vinculum non esset satis firmum, & facilè ab hominibus rumperetur.

Idem docent Toletus, Lessius, & alii, etiamsi res sit levis. Quia 1. Jurans se aliquid facturum, Deum testem assumit se non solùm ha-

habere animum faciendi, sed etiam se facturum, nisi legitima causa excuset: & sic authoritate divina se obligat ad servandum promissum. Unde duplex veritas exigitur, una præsens, scilicet animus rem juratam præstandi; altera futura, scilicet illius executio suo tempore futura. Ergo si non exequatur, facit, quantùm in se est, ut Deus falsum testatus sit: voluit enim ut Deus testaretur aliquid futurum. 2. Si non servatur Juramentum, etsi de re levi, efficitur Deus testis falsitatis; veritas quippe talis Juramenti consistit in conformitate cum re promissa: nam ab eo quòd res est, vel non est pro tempore importato, propositio est vera, vel falsa. Hinc S. Thom. quæst. 89. art. 7. ait: *Tenetur ut faciat, verum esse id quod juravit: alioquin deest veritas Juramento.* 3. Est mortale contemnere Dei authoritatem interpositam pro quacumque re. Aliud est de violatione voti, quæ in re levi est solùm venialis, non est gravis injuria nec irreverentia in Deum non præstare rem levem promissam, quæ parum conferat ad ejus honorem. At est gravis injuria adducere Deum in testem falsitatis etiam in re levi, & quantùm est in se, efficere ut testatus sit falsum in quavis re: neque enim stare potest veracitas Dei infinita, si Deus possit testari falsum in re aliqua etsi levi, ac proinde rem levem juratam non exequi est facto negare veracitatem Dei, & quantùm est in se, illam destruere.

Verum S. Antoninus, part. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1. Sylvester, Sotus, Navarrus, Suarez, Sanchez, Azor, Sylvius, & alii communiter aut saltem communiùs docent, Juramentum promissorium obligare tantùm sub veniali in re levi, sive res levis sit tota materia promissionis, sive solùm pars illius. Probant, quia 1. Rem futuram promittens Juramento, Deum adducit dumtaxat in testem, se habere animum implendi promissum, & se obligare ex authoritate Dei, ad illud præstandum, pro capacitate scilicet materiæ, seu rei promissæ. Unde si rem levem Juramento promissam cum animo eam verè præstandi, omittat, non mentitur, quia nihil dicit aut facit contra mentem, sed solùm eam mutat. Ergo non inducit Deum in testem mendacii; sed infideliter agit, nolens nunc præstare rem sub authoritate divina promissam. Quæ infidelitas est irreverentia in Deum, mortalis quidem in re gravi, sed venialis in re levi. Negant autem eum, qui aliquid Juramento promittit, propriè assumere Deum in testem futuræ executionis Juramenti, sed adduci solùm volunt in testem præsentis promissionis, & obligationis promissa perficiendi inde ortæ, & tanquam fidejussorem quoad executionem futuram.

2. Sicut in humanis contractibus quando quis assumitur testis promissionis, non censetur inductus fuisse ad testificandum falsum, si postea non servetur promissum; sed solùm ut attestetur de contractu præsenti & obligatione inde orta: ita Deus non adducitur ut testis falsi, quando assumitur ut testis promissionis Juramento firmatæ cum animo eam implendi, quamvis postea non impleatur; ideoque tunc Deus non efficitur testis falsitatis si non servatur promissum.

Fatentur quidem rem Juramento promissam dari debere etiam ex reverentia debita authoritati divinæ, quæ interposita fuit ad corroborandam promissionem. Quare si promissio non impleatur, peccatur contra reverentiam authoritati divinæ debitam: sed volunt hanc irreverentiam esse gravem vel levem pro gravitate, vel levitate materiæ, seu rei promissæ; perinde ac violatio voti est gravis vel levis culpa & irreverentia pro gravitate vel levitate rei Deo promissæ.

Itaque hi Doctores sentiunt Deum numquam adduci in testem futuræ executionis promissionis, sed tantùm in testem promissionis, & obligationis inde ortæ, & voluntatis promissa præstandi. Quæ quidem obligatio pertinet non solùm ad virtutem justitiæ & fidelitatis, sed etiam ad religionem propter interpositam authoritatem Dei; & commensuratur capacitati materiæ, ita ut gravis sit in re gravi, levis verò in re levi promissa. Juramenti autem promissorii veritas consistit in conformitate ejus cum proposito se obligandi, verè promittendi, & promissa perficiendi.

Nota. Licèt Juramenti obligatio non transeat ad hæredes, cùm sit obligatio propria voluntate suscepta in Juratione, ideòque personalis; tenentur tamen ex justitia implere Juramenta realia defuncti, quæ non fuerint per injuriam extorta: nam succedunt in onera realia defuncti, sicut in ejus Jura. Defunctus autem per promissionem Juramento confirmatam contrahit onus & debitum reale, quod proinde transit ad hæredes. Debent etiam impleri erga hæredes promissarii: quia actiones & Jura defuncti transeunt ad illos.

Item Jurans obedientiam alteri ratione dignitatis & officii, v. gr. Episcopo, tenetur vi Juramenti obedire omnibus ejus successoribus in ea dignitate seu officio, ex c. 14. *de Jurejur.* quia censetur Jurasse obedientiam

tiam omni habenti tale officium seu dignitatem, quæ est causa & ratio Juramenti.

Resp. 2. Juramentum promissorium habet easdem conditiones, limitationes, & extensiones expressas ac tacitas, quas promissio, vel contractus, cui adjicitur, habet ex mente contrahentium, ex dispositione Juris, vel recepta consuetudine; eodemque modo explicandum est, ex c. 25. *de jurejur.* & *l. ult. Cod. de non numer. pecun.* Nam talis est intentio Jurantis; & Juramentum non mutat, sed præcisè confirmat contractum ac promissionem secundum eorum naturam, & eodem modo quo intelliguntur & accipi solent, non aliter: solumque addit obligationem Religionis. Sic Jurasti puellæ nuptias, scilicet nisi illa fornicetur, &c. quia promissio ipsa sic intelligitur, nec aliter obligat. Hinc Juramentum conditionatum non obligat ad rem promissam, donec impleatur conditio, ex c. 3. *de Jurejur.* quia conditio suspendit pactum, & proinde Juramenti obligationem. Obligat tamen ad expectandum eventum conditionis.

Resp. 3. Juramentum de futuro sine promissione obligat: quia simplex assertio de futuro confirmata Juramento, obligat ex virtute Religionis ad faciendam veram rem assertam de futuro: Et Jurans se aliquid facturum absque promissione, Jurat non solùm se habere voluntatem id præstandi, sed etiam suo tempore facturum, sicque tenetur efficere veram assertionem suam de futuro. Suarez, Sanchez, &c.

Porrò de Juramentis servandis statuta Communitatis, Collegii, Capituli, &c. docet cum multis Sanchez, ea intelligenda esse ita obligare, ut res illa servanda continetur in statutis: nimirum si statutum est tanti momenti, ut obliget sub mortali, obligabit Juramentum sub mortali: si autem sit leve, ita ut sub veniali tantùm obliget, Juramentum sub veniali obligabit. Ratio est, quod hic non juret præcisè servare rem illam in statuto contentam, sed prout continetur in statuto, seu statutum ipsum quale est. Ergo obligatio Juramenti metienda est juxta statuti obligationem. Ita Sanchez, qui inde infert, virtute hujus Juramenti non teneri Jurantem ad observanda ea statuta, quæ recepta non sunt, aut in desuetudinem abiere; quia hoc Juramentum est de solis statutis servandis quatenus obligant. Ergo quoties ex quavis causa obligare desinunt, cessabit perinde Juramenti obligatio; quia jam illa non sunt statuta, atque Juramentum fuit illis accessorium, quatenus statuta erant. Item eo solo modo Juramentum obligabit ad statuta servanda, quo illa recepta sunt.

In generalibus verò Juramentis obediendi Prælato, aut Rectori, Jurata obedientia non censetur exigi, inquit Reginaldus, nisi id ipsum exprimatur præcipiendo in virtute præstiti Juramenti, vel alia verborum forma æquivalenti.

Quæst. VI. *Quibus casibus Juramentum non obligat?*

Resp. His. 1. Si sit de re illicita etiam venialiter, ex reg. jur. 58. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum:* nam Juramentum non est vinculum iniquitatis, ex c. 18. *de Jurejur.* Enim verò nemo potest obligari ad peccandum, cùm contra quisque teneatur ad non peccandum; alioquin teneretur ad duo contradictoria, ideòque ad impossibile. Imò qui rem illicitam faceret ob Juramentum, bis peccaret: nam præter peccatum illud, quod patraret, gravem irreverentiam contra Deum admitteret, utendo ejus nomine & authoritate tanquam vinculo ac instrumento seu motivo ad eum offendendum. Quare non obligat Juramentum de re, quæ sit in damnum tertii, c. 28. *de Jurejur.* vel contra bonum publicum, aut legem divinam, vel ecclesiasticam, vel etiam civilem, nisi hæc sit immediatè in favorem privati, cui licitè renuntiare possit. Nam illicitum est damnum alteri sine justa causa & legitima authoritate inferre, bono publico nocere, & leges violare. *Non enim dicenda sunt Juramenta, sed potius perjuria, quæ contra utilitatem ecclesiasticam, & SS. Patrum veniunt instituta,* ait Concil. gener. Lateran. III. c. 16.

2. Si sit de re inutili, id est, quæ neque ex se, neque ex fine aut circumstantiis, ad Dei obsequium, vel hominis utilitatem conducit. Nam Juramentum non est vinculum rerum vanarum, & otiosarum, nec Deus vult illas fieri ob nominis sui reverentiam. Imò tale Juramentum est peccatum, cum sit abusus sancti & terribilis nominis Dei, & irreverentia in Deum. Aliud est cum res de se indifferens ordinatur ad finem bonum, ad quem conducit; vel est utilis alteri, in cujus gratiam Jurata est: ut si Jurasti te nullas merces, nisi à Titio empturum, obligaris. Nam honestum est reddere proximo rem promissam, quæ ei utilis & grata est: Juramentum autem de opere honesto obligat.

3. Si sit de re impeditiva majoris boni, & contraria consiliis Christi; ut si Jures te non ingressurum Religionem: nam Deus non vult illud servari, cùm majus Dei obsequium impediat.

pediat. Obligat tamen, si res illa sit promissa homini, & ei utilis: quia homo vult illam fieri ob suam utilitatem, & habet jus ad illam. Unde illam præstando exercetur debitus actus veracitatis, fidelitatis, justitiæ, & Religionis. Hinc si Jurasti dare viginti aureos Petro diviti; non potes illos dare pauperibus, licèt seclusa promissione, hoc sit melius. Nam, ex c. 25. *de Jurejur.* servari debet Juramentum homini præstitum, quando non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum injustum.

4. Si sit de re impossibili: nam ex Reg. Jur. *Impossibilium nulla est obligatio*; cùm nemo possit ad impossibile obligari.

5. Si fuerit error vel dolus circa rei promissæ substantiam. Quia deest consensus substantialis circa Juramentum: nam Jurans non habet intentionem Jurandi rem illam, circa quam errat, sed aliam quam apprehendit: ut si Jures te daturum vas aliquod, putans esse æneum, cùm sit aureum. Idem dic si error versetur circa causam finalem, quia etiam deest verus consensus, cùm desit motivum verum volendi; & Jurans censetur Jurare sub conditione: Si res ita est: ut si Jures te daturum viginti Petro, eò quòd falsò asserat tibi favisse in aliquo negotio.

6. Si Promissio Jurata non fuerit acceptata ab homine, in cujus gratiam facta est. Quia Juramentum sicut ipsa promissio includit hanc conditionem: Si ab altero acceptetur: secùs si promissio facta sit in honorem Dei, ut si alteri Juramento promittas, te Sacramenta suscepturum, Religionem ingressurum, &c. Tunc enim est Votum Juratum, cùm ad Deum directè spectet, & ejus intuitu fiat: unde statim acceptatur à Deo.

Quæst. VII. *An Juramentum injustè extortum obligat?*

Resp. Affirm. Nisi sit de re illicita. Hoc certissimum est apud omnes, inquit Sanchez. *Prob.* 1. Quia est verum Juramentum. Ergo ex eo oritur obligatio Religionis erga Deum, cujus authoritas interposita est: cùm hæc obligatio ex natura rei sit inseparabilis à Juramento, quod est de re licita, nec alteri noxia. 2. Ex cap. 6. & cap. 8. *de Jurejur.* ubi Alexander III. loquens de Juramento ex gravi & injusto metu extorto, ait: *Non est tutum quemlibet contra Juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Nec Ecclesia tale Juramentum irritat, sicut Votum ex metu gravi injustè extortum. Nec obstant c. 28. *de Jurejur.* & c. 2. *de pact.* in 6. ubi dicitur, Pacta, quæ secluso Juramento sunt irrita, servari debere eo accedente, dum licitè promissum si præstitum sit sine vi & dolo. Nam Pontifex vult solùm pacta illa non firmari Juramento vi vel dolo præstito; & Juramentum extortum relaxationis causam ex seipso præbere ob injuriam quam continet. Equidem Juramentum non firmat promissionem, quæ nulla esset: at firmat assertionem inclusam in promissione.

Hinc 1. Captivus tenetur cum periculo vitæ redire in carcerem, quo se rediturum Juravit illud prævidens licèt mors & carcer sint injusta: nam cùm hæc promissio prudens sit, Jurans enim exitum sine illa non obtinuisset; nec mutatio circa rem promissam facta sit; ejus executio, nempe reditus, est actus licitus, & opus fortitudinis, patientiæ, magnæ veracitatis & fidelitatis, ideòque est materia Juramenti; nec is censetur se occidere, sed tantùm se exponere periculò mortis ob justam causam. *Ita Toletus, Suarez, Delugo, Sanchez, &c. & est saltem communior sententia.* Item reus tenetur non fugere, etiam cum periculo mortis prævíso, si Juravit non fugiturum: nam Juramentum de re licita præstitum in gratiam tertii obligat.

Hinc 2. Qui latroni ex metu mortis Juravit se daturum pecuniam; & insuper eum non denunciaturum, non tenetur quidem ad non denunciandum, quia hæc pars Juramenti est illicita, utpote contra bonum publicum; sed non tenetur pecuniam promissam tradere: non quidem ex vi promissionis injustè extortæ, cùm actio injuriosa non possit dare jus injurianti in injuriatum invitum, sed ex religione erga Deum, cui soli acquiritur obligatio: ideoque fur semper tenetur accepta restituere ob injuriam illatam. Potest tamen jurans Juramenti relaxationem petere, vel solutam pecuniam repetere. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. *In Juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm Juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit: quia tale Juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam.*

Quæst. VIII.

Quæst. VIII. *Quid dicendum de Juramento ficto & doloso?*

Resp. 1. Juramentum exteriùs factum sine animo jurandi, est semper intrinsecè malum. Quia 1. est mendacium: nam sic jurans exterius significat se habere animum jurandi, quem tamen non habet. 2. Est irreverentia in Deum abuti ejus nomine & majestate ad decipiendum proximum. 3. Est intrinsecè malum avertere finem principalem Juramenti, qui est formare veritatem, & sinceritatem, & pacta. At nisi homines graviter obligarentur ad habendam sinceram intentionem, cum jurant, prorsus everteretur Juramenti finis, & securitas, ut notat Suarez, inde inferens obligationem hanc esse gravem, utpote ortam ex intrinseca ratione Juramenti, & reverentia divini testimonii. 4. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Hinc Juramentum sine animo jurandi factum etiam de veritate, in contractibus, in judicio, in re quavis gravi semper est mortale contra religionem. Nam est gravis illusio, & abusus nominis Dei contrarius fini Juramenti: si enim homines scirent posse fictè jurari sine peccato mortali, nil æstimarent Juramentum. Et ita docet communis sententia, quoties Juramentum legitimè petitur, vel spontè fit. Sed idem dicendum videtur, etiamsi minùs legitimè exigatur.

A fortiori semper est mortale sic fictè jurare falsum, cum semper sit gravis irreverentia in Deum, ipsum exteriùs adducere in testimonium falsitatis, & ipsa verba secundùm se habeant turpitudinem & indecentiam gravem.

Resp. 2. Etsi Juramentum factum sine animo jurandi, sit solùm fictio Juramenti; cùm verba per se non habeant efficaciam, nisi ut sunt vera signa mentis; tamen est obligatio faciendi quod juratur, ratione injustitiæ, vel damni inde orti aut orituri, vel scandali, si non præstetur. Nam quisque tenetur cavere ne ex sua actione sequatur alteri damnum ac scandalum, & secutum tollere. Imò Juramentum dolosum, saltem si non injustè exigatur, impleri debet ex virtute religionis: quia, ut ait Valentia, præceptum naturale religionis obligat ad tuendum honorem divinum, non solùm efficiendo verum id, in cujus confirmationem revera invocatum est divinum testimonium, sed etiam id, quod rationabiliter potest credi fuisse divino testimonio confirmatum: alioqui minuitur per se loquendo honor divinus.

Resp. 3. Qui jurat cum restrictione mentali, aut æquivocatione, 1. Peccat mortaliter contra religionem: nam gravem irreverentiam Deo infert, abutendo ejus nomine & authoritate ad decipiendum injustè proximum; estque perjurus: *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt*, ait S. Aug. epist. 224. Enimverò restrictio mentalis, & æquivocatio propriè ac simpliciter dictæ, sunt mendacium. Nam in illis locutio totaliter sumpta est contra mentem, cùm neque ex se, neque ex circumstantiis habeat vim significandi totam propositionem internam, sed solùm significet id, quod verba in sensu obvio per se ferunt in talibus circumstantiis; quod quidem est contra mentem. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare Juramentum quod de mandato regio à similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis quia non tenetur fateri crimen occultum*, 2. Talis peccat etiam contra justitiam, quando juramentum justè exigitur, vel spontè fit, ut in judicio, contractibus, &c. Nam violat jus quod alter habet ne decipiatur, & ut clarè, sincerè, & secundùm ejus intentionem juretur. Quare deceptor obligatur juramento secundùm intentionem illius, cui jurat; nam tenetur tollere deceptionem injustam. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. ibi: *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet Juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui Juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit: Quacumque arte verborum quis juret. Deus tamen qui conscientia testis est, ita hoc accipit sicut ille cui juratur, intelligit .... Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundùm intentionem jurantis. Unde Gregorius dicit, l. 27. moral. Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Hinc rogatus juridicè, an crimen aliquod admiserit, quod per se non admisit, sed per alium cui id præcepit, perjurus est, si juret se non admisisse: quia hoc Juramentum accipiendum est secundùm legitimum verborum sensum, quem aut ex communi acceptione seu usu habent, aut in quo canones & leges accipiunt,

piunt. At fecisse verè dicitur non solùm ille qui per se ipsum fecit, sed etiam qui fieri mandavit, cap. 6. *de sent. excomm.* & lib. 1. §. *de vi & vi armata*. Ita Sanchez.

Resp. 4. Juramentum factum cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, vel implendi, 1. Est obligatorium, nam est verum Juramentum, cùm ad hoc sufficiat voluntaria invocatio Dei in testimonium. At obligatio ex natura rei inseparabilis est à Juramento, supposita materia licita; nec jurans potest hanc ullatenus vitare, sed necessario tenetur illam implere ob interpositam authoritatem Dei saltem per modum fidejussoris. *Ita Suarez, Lessius, Valentia, & alii multi.* 2. Ex communi sententia, semper est mortale, tum quia gravis est irreverentia in Deum adducere eum in testem, nolendo obstringi illius testimonio, vel obligationem inde contractam implere: tum quia est perjurium, cùm sit mendacium Juramento confirmatum; nam jurans vocat Deum in testem voluntatis se obligandi, & implendi quam significant voces ex usu & fine Juramenti, quamque scit se non habere.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. has propositiones ut perniciosas, & bonæ fidei contrarias damnavit: *Qui intentionem jurandi non habet, licèt falsò juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus. Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi Juramenti.*

Quæst. IX. *Quot modis tollitur obligatio Juramenti promissorii?*

Resp. Ex communi sententia his. 1. Materiæ mutatione, videlicet si res jurata fiat postea impossibilis, vel illicita ob superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ad intentum finem, vel noxia ei, cui promissa est. *Cùm aliquis jurat, vel promittit se facturum voluntatem alterius intelligenda est debita conditio: Si scilicet, id, quod ei mandatur, licitum sit, & honestum, & possibile, sive moderatum*, ait S. Thom. qu. 98. art. 2. ad 3. Item ex communi sententia, si fiat aliqua mutatio ita notabilis, ut res jurata videatur in alio statu constituta, & diversa notabiliter ab ea, quæ promissa est, ex c. 27. & 25. *de jurejur.* Nam talis mutatio quasi aliud objectum facit, ad quod jurantis intentio non extenditur, ut si jurasti te jejunaturum certo die, & eodem die incidas in morbum gravem.

Hinc parentes qui jurarunt se punituros liberos, vel heri famulos, non tenentur eos punire, si pœna jurata digni non sint, quia invalidum fuit ab initio Juramentum, utpote de re illicita; vel licèt pœna digni sint, si punitio videatur plus obfutura quàm profutura; vel si filius corrigi paratus, veniam petat; nam notabiliter mutatus est status rei; & Juramentum comminatorium habet hanc conditionem tacitè intellectam. *Nisi sit melius non servare, Nisi punitio inutilis sit.* Nam sicut Juramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec est impeditivum majoris boni, nec vinculum rerum vanarum & inutilium. Idem dic si id accidat, quod si fuisset Juramenti tempore, jurans temerarius ac insipiens haberetur: nam tunc ad id nullatenus se extendit jurantis intentio.

2. Condonatione seu remissione facta ab eo, in cujus solius favorem juratum est, ob substractionem materiæ; nisi res promissa fuerit principaliter in honorem Dei. Nam hoc ipso quòd promissarius promissioni renunciat, tollit Juramenti materiam, quod proinde jam non obligat.

3. Commutatione facta à superiore justa de causa, si promissio facta fit Deo. Si verò facta fit in utilitatem hominis, & ab eo acceptata, res promissa potest commutari cum ejus consensu.

4. Irritatione facta ab eo cui persona seu voluntas jurantis, vel materia Juramenti est subjecta, sicut dixi de voto. Nam Juramentum non obligat in damnum seu præjudicium tertii, & fit sub conditione. Nisi contradixerit talis persona; alioqui res jurata esset illicita, utpote contra jus alterius. Sic Superior Regularium potest validè, etiam sine causa, irritare Juramenta subditorum, pater filiorum, maritus uxoris, dominus servi circa ea, quæ eorum potestati subjiciuntur, & in iis casibus, in quibus possunt eorum vota irritare. *Ita S. Thomas.*

5. Si alter non servet promissa, cap. 3. *de Jurejur.* Ratio horum generalis est, quia in Juramento promissorio, sicut in voto & promissione, hæ conditiones generales secundùm canones & communem usum includuntur, *Si potero; Si res non mutetur notabiliter; Si acceptet; Nisi remittas; Si is, cuì voluntas vel materia subest, non contradicat, aut aliter disponat. Salvo jure superioris; Si alter stet promissis, suam obligationem impleat.* Unde non impleta conditione cessat obligatio.

6. Demum dispensatione, quæ fieri potest ob justam causam à superiore habente ordinariam potestatem dispensandi in votis, ut sunt Episcopi, non tamen ii, qui solùm habent potestatem delegatam dispensandi in

votis:

votis: nam juxta stylum Curiæ Romanæ, privilegium dispensandi in votis distinguitur à privilegio dispensandi in Juramentis. *Ita Navarrus, Azor, Lessius, &c.*

Juramentum tamen promissorium, sicut votum, factum in commodum tertii, & ab eo acceptatum, non potest sine ejus consensu relaxari, nec commutari etiam in melius à superiore, cùm alter per acceptionem jus ad rem illam acquisierit, nisi in tribus casibus, 1. Ob bonum commune, quod privato præferri debet: ut si quis juratus promiserit alteri beneficii sui resignationem, Episcopus alium multò digniorem & aptiorem judicans, possit illum solvere ab obligatione Juramenti. 2. In pœnam alicujus criminis, in materia, quæ superioris jurisdictioni subjaceat. 3. Ratione injuriæ juranti illatæ, ut cùm Juramentum fuit metu, vel fraude extortum, &c.

Quæst. X. *An liceat exigere Juramentum ab eo, qui prævidetur pejeraturus?*

Resp. Non licet personæ privatæ, etiam in judicio. *Ita S. Thomas*, qu. 98. art. 4. *Sanchez, Reginald. Vasquez, Suarez, hanc vocans communem doctrinam, &c.* Prob. 1. Ex S. Aug. serm. 28. de verbis Apostol. *Si scit, & cogit jurare, homicida est; ille enim suo perjurio se perimit: sed iste manum interficientis & expressit & pressit.* 2. Cùm tunc nulla sit utilitas exigentis, meritò censetur consentire perjurio, & illius occasionem offerre. Tenemur ex charitate impedire peccatum proximi, saltem, cùm facile possumus. Sed tunc facilè potest impediri perjurium cùm nulla sit utilitas exigendi à tali Juramentum. Nec quis habet jus illud exigendi, nisi quatenus ad debitum recuperandum conducit; sed ad hoc non conducit, cùm alter prævidetur pejeraturus. Hoc procedit etiamsi alter spontè se offerat: quia tunc exigens tribueret illi occasionem perjurii exequendi, & consentiret executioni pravæ voluntatis.

Id tamen licet judici ad instantiam partis: quia id exigit juris ordo, & officium judicis, qui debet procedere secundùm publicam scientiam; ad quam hoc Juramentum inservit. Quo casu non judex, sed is, qui jus dicere debet, censetur Juramentum exigere. Ita S. Thomas, *suprà*.

Obj. Licet interdum exigere Juramentum ab eo, qui prævidetur juraturus per falsos deos, ut docet S. August. in cap. *Movet.* 22. quæst. 1. Ergo à pari, &c.

Resp. Disparitas est, quod Juramentum quamvis per falsos deos valeat ex parte jurantis ad faciendam fidem, & firmandum pactum; ac proinde potest esse medium utile ad avertendum grave damnum petentis. Licet autem ex gravi necessitate ab aliquo petere id, quod potest licitè præstare, etsi prævideatur peccaturus. At perjurium cognitum non potest prodesse privato, ideòque non est justa causa illud non impediendi.

Sed quid, si dubites an alter sit pejeraturus?

Resp. Tunc potes exigere Juramentum in re gravi. Quia in dubio nemo præsumitur malus, aut peccaturus; & hoc potest esse utile ad recuperandum id quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare.

Quæst. XI. *Quid dicendum de consuetudine jurandi?*

Resp. Quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate vitare, & contractam evellere. Quia hæc affert morale periculum pejerandi, ut constat experientia, & ex cap. 26. de jurejur. *Ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpe contingit.* Ex S. August. Epist. 89. *Jurandi consuetudine & in perjurium sæpe caditur, & semper perjurio propinquatur.* Idem docent S. Chrysostomus, hom. 24. ad popul. Isidorus, &c. Ratio est, quia hæc consuetudo propter nimiam facilitatem & proclivitatem ex ea contractam constituit hominem in periculo morali jurandi leviter ac temere, ideòque sine consideratione sufficienti ad judicium prudens ac certum de veritate, & consequenter in periculo jurandi falsum. At quisque tenetur sub mortali vitare ac tollere periculum morale peccandi mortaliter: nam *qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. Et quisque tenetur graviter velle efficaciter vitare peccatum mortale. Ergo, &c. Hinc illud, Eccli. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa .... Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.*

Quod verum est etiam de consuetudine jurandi absque advertentia an juretur, necne, ut rectè docent Suarez, Sanchez, &c. quia hæc consuetudo exponit periculo proximo incidendi in Juramenta falsa, quæ quamvis inadvertenter & sine animo jurandi prolata sint, habent tamen turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle, neque in se, neque in causa: quippe exteriùs sonant perjurium, & eum sensum ingerunt audientibus. Hæc autem Juramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria ac libera in causa, nempe in

in consuetudine, & in negligentia eam extirpandi. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter & indiscriminatim sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit se proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.*

CAPUT V.

De Vitiis & Peccatis Religioni oppositis.

NOta. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & cæteris paribus graviora iis, quæ fiunt contra alias virtutes morales: nam opponuntur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicis generis sunt: alia quæ opponuntur per excessum, & nomine superstitionis, comprehenduntur, non quòd Deus nimium vero cultu coli possit, cùm sit infinito honore & amore dignus: sed quòd adhibeatur cultus inordinatus, ac vitiosus. Alia per defectum, quæ irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Superstitione, & ejus speciebus.

Quæst. I. QUid est Superstitio?

Resp. Est cultus inordinatus ac vitiosus veri vel falsi numinis. Unde duplex est generatim, una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi numinis; & alia ex parte modi colendi, qua verus Deus sed modo inordinato colitur: & dicitur vitiosus cultus veri Dei.

Quæst. II. *Quotuplex est species Superstitionis?*

Resp. 1. Duplex est ex parte modi colendi verum Deum, scilicet cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cùm falsa miracula prædicantur, vel scriptis mandantur, & sic verorum fides enervatur; vel falsæ Reliquiæ obtruduntur; vel cum authoritate propria proponitur aliquid tamquam institutum à Deo vel ab Ecclesia, quod reipsa non est: vel adhibentur cæremoniæ veteris legis, quæ sunt à Deo repudiatæ; vel cùm laicus Deum colit tamquam publicus Minister Ecclesiæ. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4.

Cultus superfluus est modus veri Dei colendi præter Dei & Ecclesiæ institutionem, aut communem fidelium usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritus devotionem, vel domandam concupiscentiam, ut orare adhibito certo numero, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. V. interim aliis servilibus insistendo, &c. Nam superfluum est medium quod fini non congruit: finis autem divini cultus est honor Dei per subjectionem mentis, & corporis. *S. Thom. quæst. 93. art. 2.* Et cum exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, omnis ille, qui ad interiorem non conducit, superfluus est, qualiscumque illum adhibentis sit intentio. Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solùm venialis, modò actio aliunde nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus cæremoniarum Ecclesiæ ac communis fidelium usus: quia & materia levis, & irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem. Secus, si fiat post prohibitionem superioris. Si tamen in Missa, vel in administratione sacramentorum, relictis rubricis, aliæ cæremoniæ etiam pro sua devotione & secluso contemptu adhiberentur, videtur non posse excusari à mortali, ob materiæ gravitatem, & periculum grave, & gravem præsumptionem.

Cultus dicitur etiam superfluus ratione certitudinis vanæ, id est, non nixæ promissione divina; ut cùm quis certò credit se è tali morbo vel periculo liberandum, gestando imaginem, vel reliquias Sanctorum, vel verba Scripturæ, &c. Quia licèt hæc pia sint: tamen à talibus nullus effectus absolutè & infallibiliter expectari potest, cùm nullam habeant virtutem naturalem, nec divinam promissionem absolutam.

Resp. 2. Quinque sunt species superstitionis ex parte objecti, quod colitur, seu cultus falsi numinis, nimirum Idololatria, Divinatio, vana observantia, ad quam revocantur Maleficium, & Magia.

Quæst. III. *Quid & quotuplex est Idololatria?*

Resp. 1. Idololatria est supremus ac divinus cultus creaturæ exhibitus, sive est actus, quo cultus supremus & soli Deo debitus, tribuitur creaturæ, ut oblatio sacrificii facta idolo, & quodvis signum honoris, quo quis creaturæ tamquam Deo se submittere intendit, v. gr. genuflexio, suffitus; &c. Hinc patet esse scelus maximum: cùm per illam honor soli Deo vero debitus tribuatur creaturæ, & sic gravissima injuria Deo inferatur, sicut in rep. maximum crimen est subditum pro rege agnoscere, eique regium honorem deferre. Hinc à S. Gregorio

gorio Nazianzeno, orat. 38. idololatria vocatur *Extremum & primum malorum*; & Tertullian. lib. de idololatria, cap. 1. *Principale crimen generis humani*.

Sunt autem per se tria singa externa propria latriæ, nempe Sacrificium, Templum & Altare, quæ proinde sine gravi crimine nulli creaturæ offerri possunt. Alia vero signa, quibus Deus colitur, ut genuflexio, inclinatio capitis, latriæ vel inferiori cultui convenire possunt, & ab intentione vel à circumstantiis determinantur.

Resp. 2. Triplex est Idololatria; alia perfecta, qua quis divinum honorem idolo defert, quia falsò putat esse Deum. Alia minùs perfecta, cùm quis creaturæ cultum externum soli Deo debitum defert, non credens eam habere divinitatem, sed ex pravo affectu, v. gr. ex odio veri Dei, vel cupiditate aliquid à diabolo aliave creatura obtinendi: hæc ob malitiam voluntatis, est crimen gravius quàm perfecta. Et alia simulata, cùm quis sine existimatione divinitatis, & interno affectu colendi, sed ex solo metu mortis, supremum cultum creaturæ exteriùs solùm exhibet. Hæc est etiam semper mortale peccatum; nam continet gravem injuriam ac irreverentiam in Deum, deferendo creaturæ honorem externum soli Deo debitum. Estque crimen læsæ majestatis divinæ; sicut qui externis signis subdito honorem regium externum seriò præstaret, committeret crimen læsæ majestatis humanæ. Est etiam mendacium perniciosum contra Religionem, ac confessionem fidei, cùm cultus exterior sit signum interioris.

Quæst. IV. *Quid & quotuplex est Divinatio?*

Resp. 1. Divinatio est significatio, vel inquisitio occultorum ope dæmonis expressè vel tacitè invocati. Dico, *occultorum*, id est quæ ab homine propria industria cognosci nequeunt. Quod si res illæ à solo Deo cognosci possunt, ut sunt secreta cordis, & futura libera, involvitur tacita idololatria; quia dæmoni tribuitur honor divinus, ei attribuendo quod est Dei proprium, & ab eo expectando quod à solo Deo obtineri potest. Si verò sint tales, quas dæmon naturaliter scire potest, ut sunt actus externi hominum præsentes vel præteriti, est nihilominus mortalis culpa; quia continet invocationem & societatem saltem implicitam cum dæmone jurato Dei hoste, quod quandam defectionem à Deo, & gravem in eum irreverentiam continet.

Resp. 2. Divinatio ex parte pacti duplex est: nam alia fit cum expressa invocatione dæmonis, seu pactione cum eo: ut cùm quis verbis dæmonem invocat, vel aliquid usurpat, per quod putat dæmonem cooperari. Alia fit cum invocatione tacita & implicita: ut cùm ad occultorum notitiam obtinendam adhibentur media vana & improportionata; tunc enim talis notitia non potest expectari nisi à dæmone, cùm constet ejusmodi signa vana à Deo non esse instituta, nec à bonis Angelis exhiberi, nec habere connexionem naturalem cum illa: ut dum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum, aut proferendo certa verba.

Resp. 3. Divinatio ex parte medii multiplex est; scilicet Præstigium, cùm dæmon variis apparitionibus oculos præstringit; Necromantia, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; Chyromantia, quæ per lineas manus; Aruspicium, quod per viscera animalium; Auspicium, quod per motum, situm, aut numerum avium: Augurium, quod per garritum avium; Astrologia judiciaria, quæ per situm ac concursum siderum; Sors divinatoria; item divinatio, quæ fit per somnia, vel signa in aere, aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia, &c. Sed ex communi sententia hæc omnia inter se specie morali non differunt, quia non habent malitiam notabiliter inter se diversam.

Nota 1. Aliquos effectus naturales, verbi gratia serenitatem, pluviam, tempestatem conjicere licet ex avium & animalium motu, garritu, volatu: nam hæc sunt proportionata cognitioni talium, saltem probabili.

Nota 2. Duplex est Astrologia, alia naturalis & licita, qua ex siderum concursu prænuntiantur eclypses, venti, pluviæ, frigus, æstus, & similes effectus, qui cum illis connexionem naturalem habent. Alia judiciaria, qua ex siderum concursu futura libera prædicuntur. Hæc à Scriptura, Patribus, & multis Conciliis, & utroque Jure, & à Sixto V. constit. 17. graviter damnatur ac prohibetur, cùm actus liberi non possint per astra cognosci, quippe qui ab astris non pendent, sed à sola voluntate libera. Sicque Astrologia illa continet superstitionem, sicut aliæ divinationes: cùm fundetur in astris tanquam in signis. Quòd si fundetur in astris tamquam in causis erit etiam hæresis, nam tollitur libertas humana.

Nota 3. Triplicis generis sunt Sortes, nempe divisoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ. Divisoriæ sunt eæ, quibus decernitur cui aliquid tribuendum sit. Licitè adhibentur sive

ad

ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, quando jus utriusque partis apparet æquale, & utraque pars in sortitionem consenit. Item quoties non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri, ex Proverb. 18. *Contradictiones comprimit sors: & inter potentes quoque dijudicat*. Nam non sunt superstitiosæ, quia non assumuntur ad investigandum aliquid occultum: nec injustæ, cum ordinentur ad quemdam contractum, in quo æqualis est contrahentium conditio, ut res sit illius, cui sors obtigerit. Sortes tamen omnes vetitæ sunt in electionibus Ecclesiasticis cap. 3. *de sortib.* Nec licet etiam officia sæcularia sorte distribuere, ob periculum eligendi indignum aut minùs dignum. Nam beneficia & officia tum Ecclesiastica tum sæcularia conferri debent dignioribus, qui non sorte, sed diligenti inquisitione rationis cognosci possunt.

Sortes consultoriæ, quibus inquiritur quid in aliqua re obscura sit agendum, sunt illicitæ, nisi ex inspiratione divina fiant: quia continent saltem tentationem Dei, & periculum deceptionis diabolicæ. Imò sunt superstitio, si è dæmone cognitio expectetur. Quare sub anathemate prohibentur, c. *Sortes*. 26. qu. 5.

Sortes divinatoriæ, quibus inquiritur res occulta vel futura, ut si quis ex taxillorum projectione & dispositione divinet quis sit obtenturus victoriam, beneficium, &c. sunt vera superstitio: nam sunt medium vanum & improportionatum huic effectui, ideòque intervenit in iis tacita dæmonis invocatio; & graviter prohibentur multis Canonibus, *caus.* 26. quæst. 5.

Nota 4. Licèt aliqua somnia possint à Deo immitti; qui tamen facilè & temerè somniis credit, non excusatur à gravi culpa, etsi dicat se credere illa esse à Deo. Quia morali periculo dæmoniacæ deceptionis se exponit: & quantùm est ex se vult illis credere, etiamsi à dæmone sint. Ita Suarez. *Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*. Eccli. 34. Quando autem somnium ad peccatum, vel ad aliquid imprudens aut vanum impellit, aut post somnum homo remanet animo turbato & minùs prompto ac propenso ad opera virtutum, certum est illud non esse à Deo.

Itaque divinatio per somnia, cùm quis illis utitur quasi certis regulis ad cognoscendum, vel omittendum aliquid circa vitæ christianæ aut civilis officia, aut circa futura libera, est mortale peccatum superstitionis: nam his somniis se immiscet diabolica deceptio, & sic tacita cum dæmone initur societas. Hinc graviter prohibetur à Deo, Levitic. 19. *Non augurabimini, nec observabitis somnia*. Et, Deuter. 18. *Nec inveniatur in te qui observet somnia, &c. omnia enim hæc abominatur Dominus*.

Quæst. V. *Quid, & quotuplex est observantia vana?*

Resp. 1. Observantia vana est Superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, & improportionata; vel qua quis ex observatione eventus fortuiti actiones suas vanè dirigit. Non differt à divinatione, nisi quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa verò ad effectum externum, vel opus observantis. Quare quæ dicta sunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ observantiæ.

Resp. 2. Dividitur. 1. In eam, quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, seu pactione, ut cùm quis verbis dæmonem invocat, vel usurpat aliquid, per quod scit dæmonem operari; & in eam quæ fit cum implicita ac tacita invocatione dæmonis, ut cùm sine invocatione verbis facta adhibentur ad aliquid assequendum media vana & improportionata, nec à Deo instituta.

Dividitur. 2. In tres species. Prima est ars notoria, qua ad scientiam aliquam repentè & sine studio acquirendum usurpantur media vana & improportionata, ut verba ignota, certæ preces, aliqua potio, &c. & tunc tribuitur dæmoni quod soli Deo convenit, scilicet infundere scientiam. Secunda est observantia sanitatum, qua ad sanandos morbos hominum vel animalium, aut vitam ac valetudinem conservandam adhibentur media vana, & per se inania, ut certa signa, nomina ignota, cæremoniæ inanes, certæ figuræ, numeri, caracteres ignoti, &c. aut etiam remedia naturalia, sed quibus aliqua frivola seu vana adjunguntur tamquam necessaria, ut herbæ collectæ in vigilia S. Joannis Baptistæ; aut etiam adhibentur preces, verba Scripturæ, gestatio reliquiarum, vel schedarum verbis Evangelii inscriptarum cum vana circumstantia, ut si inserantur aliqua falsa, apocrypha, incerta, aut verba ignota, ineptæ; vel si vis & efficacia precum constituatur in modo eas scribendi vel proferendi, aut in tali charta, tali figura, tali hora; vel si preces, verba Scripturæ, gestatio reliquiarum adhibeantur cum certa persuasione obtinendi sanitatem aut alios effectus, putà non moriendi sine con-

fessione, vitandi infortunii, &c. Tertia est observantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi vel adversi, & inde actiones suas moderatur: ut si quis manè domo egrediens, pedem offendat, & ideò domum revertatur timens aliquid infausti; vel si quis credat aliquos dies esse infaustos, ideoque negotia omittat, alios verò faustos, quibus ea conficiat: quod prohibetur, cap. *Quis* 26. qu. 7. Nam cùm ista nullam habeant vim naturalem, vel supernaturalem ad ea mala vel prospera annuntianda, nec cum illis connexionem habeant, observantur ut signa vana, quibus cooperatur dæmon, ut animos hominum talibus vanitatibus implicet, & à Deo ac virtutibus avertat.

Nota. Cognoscitur & fit vana observantia. 1. Si ad effectum aliquem obtinendum adhibeatur aliquid, quod nullam habet vim seu proportionem naturalem, nec à Deo per se vel per Ecclesiam institutum est ad talem effectum, aut communi usu fidelium approbatum; tunc enim non potest effectus expectari nisi à dæmone, cùm Deus se vanis rebus non immisceat: ideòque tunc est saltem tacita dæmonis invocatio, & cum eo pactio: ut si quis gestet amuleta, ligaturas, involucra falsis caracteribus consignata, contra vulnera, vel subitam mortem, &c. 2. Si medio naturali vel supernaturali adjungatur aliqua res, vel circumstantia falsa aut vana tanquam necessaria & efficax: quia cùm illa non sit verum medium, necesse est ut adhibeatur instar signi, quod cùm non sit à Deo, continet pactum occultum cum dæmone, & ejus invocationem implicitam. 3. Cùm preces, vel verba sacra, aut reliquiæ usurpantur cum certa persuasione obtinendi infallibiliter effectum. Nam cùm neque ex natura sua, neque ex promissione divina habeant vim infallibilem, & absolutam, effectus non potest infallibiliter expectari nisi à dæmone: ut si recitentur preces promittentes recitantibus mortis subitæ, vel certi periculi vitationem; nullæ enim preces talem vim absolutam & infallibilem habent. *S. Antoninus*. Secùs, si proferantur verba Scripturæ, aut gestentur reliquiæ, vel recitentur quædam preces, quæ nec falsum, nec vanum contineat, ut obtinendum aliquid à Deo, si saluti nostræ expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam & absolutè infallibilem: hoc enim pium ac bonum est, modò nulla vana circumstantia contaminetur. 4. Cùm ex rebus vel verbis sacris effectus vanus expectatur: ut si proferantur verba sacra ut annulus moveatur: nam virtus divina non efficit vana & inutilia; & ideo ista referuntur saltem tacitè ad dæmonem, qui maximè cupit rebus vel verbis sacris honorari.

Quæst. VI. *Quid est Magia?*

Resp. Magia generatim est ratio efficiendi mira, hoc est, quæ habent causam occultam, sed creatam, ac proinde quæ non superant vires naturales hominis vel Angeli: in quo mira differunt à miraculis, quæ superant vires omnes naturales, & à solo Deo fieri possunt. Duplex est Magia, naturalis & superstitiosa. Naturalis est ratio efficiendi mira industriâ humanâ absque dæmonis opera, unde est licita. Magia superstitiosa & illicita est ratio efficiendi mira ope dæmonis, estque species vanæ observantiæ. Hæc duplex est ratione finis seu effectus: nam vel exercetur ad ostentationem, aut commodum proprium vel alienum, & vocatur simpliciter Magia: vel fit ad nocendum aliis, & tunc dicitur Maleficium.

Quæst. VII. *Quale peccatum est Divinatio, & quævis vana observantia, ac Magia?*

Resp. Est semper de se mortale, à quo sola ignorantia invincibilis excusat, qualis non est in rudibus, qui moniti se ab iis non abstinent, vel qui in dubio ea exercent. Nec potest esse veniale ratione materiæ. *Est communis sententia*. Prob. 1. Ex Deuteron. 18. *Cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te ..... qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos*. 2. Ex Patribus, & multis Conciliis. 3. Ex cap. 2. *de sacrileg.* ubi Sacerdos, qui ex astrolabio authorem furti inquirere voluit, etsi sine intentione invocandi dæmonem, gravissimè peccasse dicitur, & à ministerio altaris per annum integrum suspenditur. 4. Quia in talibus continetur invocatio dæmonis, & pactio quædam cum eo vel expressa, vel saltem implicita seu tacita. Nam quoties ad cognitionem, aut effectum aliquem obtinendum adhibetur aliquid vanum, & per se ad id inutile, nec à Deo vel ab Ecclesia institutum, necesse est ut talis cognitio vel effectus expectetur à dæmone, & ejus ope obtineatur: cùm obtineri nequeat per vim talis medii, utpote per se inutilis & improportionati, nec Deo, qui res illas vanas non instituit, nec iis utitur; nec à bonis Angelis, qui nil agunt nisi Dei jussu:

unde tunc facto invocatur dæmon, à quo id expectatur, & cum ea initur quædam societas, usurpando ea quibus se immiscet, & cooperatur. Omnis autem invocatio, pactio, vel societas etiam implicita cum dæmone, perpetuo Dei hoste, in quavis re, est graviter injuriosa Deo, & in ejus contemptum cedit, cùm homo relicto Deo ad hostem ejus infensissimum honoremque divinum affectantem confugiat: quod est crimen læsæ majestatis divinæ, sicut in rep. societas & commercium cum hoste Principis est crimen læsæ majestatis, præsertim si ille conetur in omnibus actionibus Principi contumeliam inferre. Hinc illud 1. Corinth. 10. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

Nec obstat quòd aliquis testificetur se renunciare omni pacto; quia reipsa facit contra suam testificationem, hoc ipso quòd medium vanum usurpat: nam facto ipso opem dæmonis implorat, & vult tacitum pactum, volendo uti rebus vanis & improportionatis ad aliquid obtinendum; cùm illud non possit expectari, nec obtineri nisi à dæmone, qui solus talibus rebus cooperatur, & se immiscet: testificatio autem facto contraria nil excusat, & est illusoria. Gravius tamen crimen est, & invocatio & pactio sic explicita, cùm fit expressa voluntas dæmonem verbo aut facto invocandi, ideòque in confessione explicari debet. *Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano.* S. August. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 33.

Hinc mortaliter peccant. 1. Qui occulta vel futura per media vana & improportionata inquirunt, prædicunt, enuntiant, vel qui tales consulunt, aut eorum dictis fidem certam adhibent. Item qui alios de fortuna consulunt seriò, vel cum scandalo: si autem joco tantùm, nec fides adhibeatur, & scandalum absit, dicunt esse solùm veniale, quia superstitio non est perfecta, nec seria. Obstat tamen, quòd consulens cooperetur peccato mortali alterius, ideòque mortaliter peccet, nisi uterque joco tantùm agat; nam tunc videtur peccare solùm venialiter. 2. Qui notitia ex divinatione parta utuntur tanquam certa, vel actiones suas secundùm eam dirigunt. 3. Qui ad aliquid obtinendum media inepta & improportionata adhibent, etiam joci causa, sed ex quadam curiositate, ut experiantur quid casu accidat, quamvis putent totum esse vanum & futile; nam ii tentant experiri an dæmon de facto se illis mediis immisceat; ergo tentant eum dæmone societatem habere, quod mortale est, etsi joco fiat. *Ita Castropal. la Croix, &c.*

Quæst. VIII. *Quid est Maleficium?*

Resp. Est ratio nocendi aliis ope dæmonis; unde continet triplicem malitiam mortalem, scilicet contra Religionem, charitatem, & justitiam. Duplex est. Aliud dicitur veneficium, quo alicui in propria persona, vel animalibus damnum infertur, morbis, doloribus, morte, &c. fitque multis modis, utendo vel causis naturalibus cognitis ope dæmonis, aut signis: ut cùm imagines pinguntur in aliqua parte, & tunc alii læduntur in simili parte corporis, vel signa quædam aliorum corporibus vel vestibus applicando, quibus durantibus malè afficiuntur. Aliud est amatorium seu philtrum, quod adhibetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone humores & phantasiam commovente; unde oritur gravis tentatio, quæ tamen libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream consentiunt, verè peccant mortaliter.

Portò maleficium tolli potest. 1. Exorcismis, oratione, pœnitentiæ, jejuniis, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex medicina petitis. 3. Destructione seu combustione signorum, quibus annexum est pactum, præcisè ut operum diaboli, ex Rituali Romano *de Exorcismis*. At non licet illud tollere per aliud maleficium, vel superstitionem, cùm sit intrinsece malum invocare dæmonem, vel ad id inducere.

Nota. Divinatores, magi, & malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum dæmone & commercium abjurent ac dissolvant, & omnia signa, artis magicæ instrumenta, libros, schedas, ligaturas comburant, & damna illata resarciant. Quòd si chyrographum dæmoni dederint, non necesse est illud ab eo extorqueri, nam ad ejus destructionem sufficit pœnitentia.

ARTICULUS II.

De Irreligiositate.

Irreligiositas est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis factis inhonoratur. Quintuplex est species, scilicet, blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, & perjurium, de quo jam egi.

Quæst. I. *Quid est Blasphemia, & quotuplex?*

Resp. 1. Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum. Triplex est specie diversa, nempe hæreticalis, imprecativa, & mere dehonestativa.

Hæreticalis est ea, quæ hæresim continet, & sic duplicem habet malitiam mortalem, nempe contra fidem, & religionem. Fit vel attribuendo Deo id, quod ei non convenit: ut si dicatur tyrannus, crudelis, injustus, &c. Item, & miserum Deum, vel de eo negando quod ei convenit: ut si dicatur non esse omnipotens, bonus, misericors, non curare nostra, non prospicere rebus humanis, non omnia esse bene ordinata, dæmonem esse Deo meliorem, fideliorem, &c. vel tribuendo creaturæ quod Dei proprium est, ut si dicatur dæmon aliquid creasse, vel mundum regere, &c.

Hinc hæreticalis est hæc Blasphemia: *Denego Deum, Christum*: quia denegatur Deo existentia aut dominium: & ista, *Denego Evangelia*; quia denegatur Deo veritas infallibilis. Item si dicas, *Denego Deum, si hoc ita non est*: quia negare Deum etiam sub conditione cujusvis objecti, est negare quod Deo proprium est, scilicet existentiam à quolibet objecto creato independentem. Si tamen non crederetur error per blasphemiam expressus, tunc non committeretur hæresis, sed grave peccatum contra confessionem externam fidei, & aliud contra honorem Dei.

Imprecativa est ea, qua quis Deo malum imprecatur; ut si dicas: *Utinam Deus non esset! non haberet potentiam! Sit maledictus, pereat Deus, &c.* Hæc odium Dei continent.

Merè dehonestativa est ea, qua per modum contumeliæ & contemptus enuntiatur aliquid Deo conveniens, ut illud Juliani, *Vicisti Galilæe*: aut indignanter, irreverenter, irrisoriè, exprobrativè, contumeliosè nominatur Christi mors, caput, vel sacramenta, mysteria, ut cùm ex ira profertur contumeliosè Mors Dei: nam ista tunc dicuntur de Deo tanquàm contemptibilia, & vituperabilia; & in his magnus Dei contemptus apprehenditur, unde graviter prohibentur; cap. *Si quis*. 22. quæst. 1.

Revocantur ad blasphemiam alia signa contra Deum, licèt verba non adsint, ut in cœlum spuere, infrendere dentibus, &c. Item blasphemiæ sunt vituperia & verba contumeliosa tum contra res sacras, cùm ad Deum eorum authorem redundent; tum contra Sanctos (quia, ut ait S. Thom. quæst. 13. art. 1. sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantùm laudantur opera quæ Deus in Sanctis efficit; ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, redundat in Deum qui in iis elucet specialiter; cùm habeant eximiam sanctitatem, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio:) & ad hoc sufficit virtualis habitudo ad Deum. Quare cap. 2. *de maledict.* graviter punitur: *si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime Beatæ Virginis, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit*.

Imò blasphemia est maledicere creaturis irrationabilibus quatenus sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta, ut tempestati: nam iis maledicere sub ea ratione est maledicere Creatori. S. Thom. quæst. 76. art. 2. Blasphemia tamen immediatè in Deum prolata gravior est quàm in Sanctos: nam gravius est Deum in seipso contumelia afficere, quàm repræsentatum in Sanctis: & in his quàm in aliis creaturis.

Rursus blasphemia, sicut laus Dei, cui directè opponitur, alia est cordis, seu merè interna; alia oris seu externa, quæ verbis vel aliis signis externis exprimitur. *Ita S. Thom. quæst. 14. art. 1.*

Quæst. II. *Quale peccatum est blasphemia?*

Resp. Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec admittit levitatem materiæ. Quia quælibet Dei contumelia, vel maledictio est gravis injuria, & contemptus Dei: nam per eam infinita Dei majestas positivè deprimitur & dedecoratur. *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum*, ait S. Hieron. lib. 7. in Isa. cap. 18. Hinc illud, Psalm. 36. *Maledicentes ei disperibunt*. Et in lege veteri morte puniebatur, Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*.

Nota 1. Ad mortalem blasphemiam non requiritur intentio expressa ac formalis Deum inhonorandi; sed virtualis & interpretativa sufficit, nempè cùm quis liberè profert ea, quæ ex propria significatione vel communi apprehensione, & ex modo proferendi, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent, quamvis id fiat sine ullo pravo in Deum affectu, sed ex joco, vel ad iram aut indignationem exprimendam. Quia hæc per se tendit in gravem Dei inhonorationem; & reipsa gravis est irreverentia, & inhonoratio Dei assumere verba ei contumeliosa, ad jocum vel iram exprimendam. Gravior tamen injuria esset, si hoc fieret ex directa intentione Deum inhonorandi vel ex animo in Deum irato: & tunc sæpè conjungitur cum odio saltem abominationis in Deum.

Nota 2. Blasphemia hæreticalis, & impreca-

cativa debet declarari ut plura peccata specie diversa. Nam prior præter irreligiositatem seu contumeliam Dei, continet malitiam hæresis, si adsit assensus internus; vel si desit, negationis externæ fidei contra præceptum confitendi fidem: posterior verò malitiam odii Dei contra charitatem Dei. Item blasphemiæ prolatæ contra Sanctos differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra solum Deum. Nam irreverentia, quæ fit contra aliquem Sanctum, semper habet duplicem malitiam; unam contra duliam, quæ inclinat ad colendum Sanctos propter eorum excellentiam supernaturalem creatam; & alteram contra virtutem religionis, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam Dei: ex illa enim irreverentia in Sanctos redundat irreverentia in ipsum Deum propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum Sanctis. Et licèt non intendatur irreverentia Dei, sufficit tamen indirecta volitio ad contrahendam malitiam. Imò blasphemiæ contra B. V. differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra alios Sanctos, cùm hyperdulia, qua colitur Dei Mater, specie differat à dulia, qua coluntur alii Sancti, propter diversitatem maximam excellentiæ, in qua fundatur cultus Deiparæ. Blasphemiæ verò in alios Sanctos omnes pertinent ad eandem speciem, cùm sint omnes contra duliam. *Ita Delugo.*

Nota 3. Qui habet consuetudinem blasphemias proferendi, vel sibi, aut aliis dæmonem aut grave malum imprecandi, tenetur sub mortali efficaciter proponere, & seriò conari eam evellere: alioqui toties peccat, quoties ad eam advertens, id omittit: quia vult saltem interpretativè permanere in morali periculo peccandi, cùm pravus habitus ad similes actus vehementer pertrahat, & pariat necessitatem moralem peccandi. Et quandiu eam consuetudinem non retractat, nec curat emendare, imputantur ei ad culpam mortalem blasphemiæ omnes, quas ex ira aliqua, aut alio passionis motu, etsi sine advertentia ad verborum sensum, profert. *Ita Toletus, Delugo, Sanchez, & alii multi.* Quia sunt sufficienter voluntariæ ac liberæ in causa non retractata, & quam emendare non curat. Quòd si contritione elicita quis interim dum diligenter curat illum habitum extirpare, subinde labitur ex inadvertentia & non ex negligentia, excusatur à culpa: quia blasphemiæ illæ impetu naturali effusæ, non sunt voluntariæ nec in se, nec in sua causa, cùm consuetudo, ut supponitur, efficaciter retractata sit, eam, quantùm potest, emendare conetur. *Quicumque vero blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat; eundemque deferre, vel notificare apud Judicem Ecclesiasticum seu Sæcularem intra triduum debeant*, ait Leo X. in Concil. Lateran. V. sess. 9. (a)

Nota 4. Appellatio nominis Dei, vel Jesu,

(a) SS. D. N. BENEDICTUS XIV. singulari studio, atque zelo nepharium Blasphemiæ scelus ex Ecclesiastico statu eliminare contendens, præter pœnas, quas pro compescendis in Urbe Blasphemiis præscripsit, *Brevi*, quod incipit, *Ad execrabile Blasphemiæ scelus &c.* Congregationi Venerabilium S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus hæreticam pravitatem injunxit, quatenus hortarentur Ecclesiastici status Archiepiscopos, & Episcopos, seu Ordinarios quoscumque, ut ipsi alicui Archiconfraternitati, seu Confraternitati sub quolibet titulo, seu invocatione canonicè erectæ, & institutæ, in qua viri, tum doctrina, tum pietate præditi adscripti reperiantur, nonnullas regulas, seu constitutiones à S. Carolo Borromæo pro Congregatione, seu Confraternitate Correctorum earumdem Blasphemiarum sancitas, præscriptas, & accommodatas unire satagant, studeant, & adnitantur. Ut autem Confratres ad præfatas Regulas observandas excitet, indulgentiam plenariam largitur.

Primò. Omnibus & singulis virilis sexus, qui dictas Confraternitates in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Eucharistiam sumpserint.

Secundò. Tam descriptis, quàm pro tempore describendis Confratribus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu, ore si potuerint, sin minus corde, devotè invocaverint.

Tertiò. Iisdem contritis, confessis, & Eucharistia refectis, si Ecclesiam, seu Cappellam, vel Oratorium suarum respectivè Archiconfraternitatum, seu Confraternitatum in tribus anni festis diebus per Ordinarium semel tantùm eligendis, ac specificandis à primis Vesperis usque ad occasum Solis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Blasphemiæ, & hæresum extirpatione &c. pias ad Deum preces effuderint.

Quartò. Eandem indulgentiam impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui supra dicto modo, Ecclesiam, seu Ecclesias, à dictis Ordinariis designandam, seu designandas, in qua, seu quibus de eorundem Ordinariorum licentia in quatuor anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per ipsosmet Ordinarios specificandis devotè visitaverint.

Demum centum dies de injunctis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxat, si Congregationibus seu publicis, seu privatis suarum Confraternitatum interfuerint, si devium ad viam salutis reduxerint, vel pietatis, charitatisque Opus pro Blasphemiæ vitio evellendo exercuerint, si demum interfuerint concionibus, seu prædicationibus ter in anno contra execrabile Blasphemiæ scelus faciendis, juxta S. Caroli Borromæi regulas, quas italico idiomate, ut missæ sunt ad Ordinarios, subnectimus.

ſu, vel Sanctorum, per modum loquendi, non tamen contumeliæ, ut *O Jeſu! Deus bone, &c.* licèt non ſit blaſphemia, eſt tamen vana uſurpatio nominis Dei, & culpa venialis contra Religionem. Nam ſanctum & terribile nomen Domini uſurpare ſine reverentia ac pietate, ſed tanquam modum loquendi, eſt habere illud tanquam aliquid profanum, ideòque eſt irreverentia. Unde prohibetur, Eccli. 23. *Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis*, id eſt, a peccato irreverentiæ contra eos.

Nota 5. Aſſidua nominatio dæmonis licèt ſine imprecatione, ſed per modum loquendi, cum Chriſtianum non deceat, omnino vitanda eſt: & ratione ſcandali poteſt eſſe grave peccatum, notat Layman.

Quæſt. III. *Quid eſt tentatio Dei, & quale peccatum?*

Reſp. 1. Tentatio Dei eſt dictum vel factum vel omiſſio ad capiendum experimentum divinæ alicujus perfectionis, ut potentiæ, bonitatis, &c. vel voluntatis, per effectum extraordinarium à Deo temerè expectatum. Deus autem tentatur dupliciter. 1. Expreſsè cùm

---

R E G O L E

Per li Fratelli Correttori delle Beſtemmie.

Primo, Tutte le Perſone, che ſaranno aggregate a queſta Confraternita dovranno riconoſcere per loro Capo l'Ordinario, e ſuoi Succeſſori, proccurando d'impiegare ogni loro opera, e ſtudio per adempire tutte quelle coſe, le quali ſaranno loro propoſte per l'avvanzamento di un'opera sì lodevole, e ſanta.

Secondo. Dovranno tutti congregarſi in quel luogo, ed in quelle giornate, che ſaranno deſtinate dall'Ordinario, o dal Guardiano, e Capo della ſteſſa Congregazione, affine di conferire circa i mezzi più facili, e proprj per l'eſtirpazione di un ſimil vizio, e di ſtabilire i giorni, ne' quali dovranno li Fratelli, che ſaranno preſcelti, coperti con il cappuccio, quando l'Ordinario così creda più eſpediente, andare a due per due in giro per la Città, e Luoghi affine d'invigilare alla fraterna, e caritativa correzione de' Beſtemmiatori.

Terzo. Avranno l'avvertenza di non laſciar mai ſenza queſta Pia Opera le giornate di Feſta, nelle quali il Popolo è più numeroſo, e pur troppo accadono maggiori ſcandali, girando ſopra tutto per le Botteghe, Oſterie, Bettole, e Ridotti.

Quarto. Quando ſentiranno qualche Beſtemmia, pregheranno il Beſtemmiatore (anche inginocchiandoſi avanti di lui, ſe ciò ſtimeranno opportuno, o neceſſario) di ricordarſi, che Iddio è il ſuo Creatore, e Benefattore, e che gli ha dato la lingua per lodarlo, o ringraziarlo, e non per diſprezzarlo, e maledirlo, dicendogli poche, e peſanti parole con tutta la carità, e ſommiſſione.

Quinto. Diſtribuiranno nel giro, che anderanno facendo per tutte le Botteghe, e Caſe un Ricordo ſtampato del tenore, che s'inſeriſce nel fine delle preſenti Regole.

Seſto. Sarà cura del Prelato di deſtinare trè giorni dell'anno in trè diverſe Chieſe per le Prediche da farſi contro il ſuddetto Vizio della Beſtemmia col precedente invito ſtampato, ed affiſſo, ed avrà particolare attenzione, che da Sagri Oratori ſi perſuadano gli Aſcoltanti a correggere caritativamente i Delinquenti, e a denunziarli in caſo, che non giovino le ammonizioni.

Settimo. Saranno obbligati li medeſimi Fratelli di eſortare con dolcezza, ed a tempi opportuni li Padri di Famiglia, Maeſtri di Scuola, Mercadanti, Capi delle Arti, e qualunque ordine di Perſone ad invigilare, perchè li loro Figli, Scolari, Servidori, ed Operarj non beſtemmino, correggendoli, caſtigandoli, e denunciandoli a' Superiori, e ad impedire, che non converſino con Gente di ſimil vizio, e ſenza timor di Dio.

Ottavo. Dovranno li Confratelli eſſere li primi a dar buon'eſempio nel parlare modeſto, nell'eſemplarità de' coſtumi, e nell'umiltà, e manſuetudine per ricavar profitto nella correzione degli altri.

Nono. Faranno ogni trè meſi una Comunione Generale in quella Chieſa grande, e capace di maggior numero di Popolo, che ſarà dal Prelato deſtinata a tale effetto, ed anche in queſta occaſione ſi farà una breve eſortazione per confermare il Popolo ne' ſanti proponimenti di fuggire queſto vizio eſecrando.

Decimo. Finalmente ſiccome queſti Confratelli dal canto loro con ſanto coraggio adempiranno le proprie incombenze, così dovranno gli Ordinarj, e Governatori con pubblico Editto provvedere, che ſe alcuno avrà ardire di motteggiare, diſprezzare, o riſpondere ingiurioſamente a qualunque Fratello, che con carità lo corregga, ſarà ſeveramente, ed irremiſſibilmente anche per la prima volta punito con trè tratti di corda da darſi in pubblico, ſe ſarà Uomo, e della Galera anche perpetua quante volte alle parole ſi uniſſero gli inſulti, ed alla fruſta, e carcere perpetuo, ſe ſarà Donna; oltre le pene pecuniarie da applicarſi a' Luoghi Pii ſecondo la qualità, e grado delle Perſone delinquenti.

Undecimo. Queſta Confraternità (laſciando fermo ad arbitrio dell'Ordinario il Titolo di quella, alla quale ſarà unita) riconoſcerà per Protettrice la Santiſſima Vergine, ed il Santo Angelo Cuſtode recitando ogni volta, che dovrà adunarſi, le Litanie con l'Orazione: *Concede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium &c.* e per trè volte l'Orazione. *Angele Dei &c.* al Santo Angelo Cuſtode, con il Salmo: *Laudate Dominum omnes Gentes:* e l'Orazione: *Deus qui culpa offenderis, pænitentia placaris.*

Ricordo da diſtribuirſi in tutte le Botteghe, e Caſe.

FRATELLI DILETTISSIMI ASTENETEVI DALLE BESTEMMIE,

Con ricordarvi.

Primo. Che Dio vi ſente.

Secondo. Che Dio preſto vi ha da giudicare ſopra ogni parola, molto più ſopra le Beſtemmie.

Terzo. Che Dio vi ha dato la lingua per lodarlo, e benedirlo, e non per offenderlo, e diſprezzarlo.

Quarto. Che ſe vi abuſate del Nome di Dio in vita, non ſaprete, e non potrete invocarlo per voſtro ajuto in morte.

cùm ex directa intentione experimenti sumendi de aliqua Dei perfectione, aliquid fit, vel omittitur: ut si petatur miraculum ut innotescat Dei potentia, vel ejus in aliqua re voluntas, omissis aliis mediis; vel si quis in puteum saliat ad explorandam Dei in se providentiam. 2. Implicitè, & interpretativè, quando etsi non intendatur tale experimentum, id tamen fit vel omittitur, quod ad nihil aliud videtur ordinabile nisi ad explorandum aliquam Dei perfectionem, vel voluntatem, ut si quis nolit uti mediis ordinariis, vel à Deo institutis, ad aliquid quod optat, sperans id à Deo solo, v. gr. sanitatem sine remediis, conservationem vitæ sine cibo & potu: vel si quis velit docere aut concionari sine ullo studio, &c. Huc etiam pertinent ex probationes justitiæ vel innocentiæ, quæ fiunt per ferrum candens, vel aquam, aut per duellum, aut aliter, &c. damnatæ, cap. *Mennam*. 2. qu. 5. & cap. ult. *de purgat. vulg.* Si tamen ista fierent ex intentione experiendi an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur, esset tentatio Dei expressa.

Resp. 2. Omnis tentatio Dei prohibetur, Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Estque per se peccatum mortale, sive fiat expresse ac directè; nam velle expresse aliquam Dei perfectionem explorare, est magnus Dei contemptus, & gravis irreverentia; sive fiat indirectè & tacitè; nam gravis est in Deum irreverentia, quòd vilis creatura negligat ac respuat ordinaria divinæ providentiæ media, velitque saltem interpretativè, ut Deus ad nutum illius sine necessitate leges providentiæ immutet. Item mortale est ex sola curiositate petere miraculum: nam est agere cum Deo tanquam cum ludione, ac curiositatum fautore, & velle ut sua omnipotentia aliquid mirabile ad hunc vanum finem efficiat, quod summam Dei sapientiam ac majestatem valde dedecet.

Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem, ut si quis dubitans de aliqua Dei perfectione, vel providentia, eam miraculo experiri cupiat. Quandoque est etiam contra charitatem propriam, ut si conjuncta fit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis. Licet tamen petere à Deo miraculum ad bonum finem, vel ex speciali ejus inspiratione, vel si necessitas justa, aut pia utilitas adsit, quando omnia media ordinaria non sufficiunt, modò id petatur cum humilitate, & res tota divinæ voluntati committatur: nam tunc nulla est irreverentia in Deum.

Quæst. IV. *Quid est Sacrilegium, & quotuplex?*

Resp. 1. Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ, hoc est, rei Deo dicatæ, sive ad Dei cultum specialiter destinatæ. Violatur autem res sacra, cùm aliquid fit, quod peculiariter sanctitati illius, vel reverentiæ illi debitæ, seu Deo in illa debitæ repugnat: sive violatio rei sacræ est quælibet irreverentia in illam.

Resp. 2. Cùm triplicis generis sit res sacra, scilicet persona, locus, & res aliæ, idcircò tres sunt sacrilegii species, personale, locale & reale.

I. Sacrilegium personale est, quò indignè tractatur persona sacra, ut Clericus, vel Religiosus. Quod fit quatuor modis. 1. Eos injustè percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam ac contumeliosam in eos injustè exercendo, contra pivilegium canonis, *Si quis suadente*. 2. Eos subjiciendo tribunali sæculari contra privilegium fori. 3. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima authoritate contra immunitatem Ecclesiasticam: nam hæc prigilegia eis concessa sunt intuitu religionis. 4. Omne peccatum contra castitatem à Religiosis, vel Clericis sacro ordine insignitis commissum, est sacrilegium: quia per votum corpus suum & animam specialiter Deo consecrarunt quoad fugam omnis actus venerei. Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cùm ei cooperentur.

Item cujuslibet voti violatio est sacrilegium: nam eo ipso quòd res per votum Deo dicata est, jam est jure divino ad Dei cultum destinata, ideoque sacra. *Cajetanus, Azor, Bonacina, Lessius, & alii.*

II. Sacrilegium locale est violatio loci sacri, ut templi & cœmeterii. Qualis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci vel cultu divino repugnantiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, videlicet.

1. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, eversio altaris, cap. 22. *de sentent. excomm.* 2. Homicidium, effusio illicita sanguinis aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non baptizati: nam his polluitur locus sacer. 3. Usus profanus Ecclesiæ tanquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum sæcularium, seditio, conclamatio, vana & profana colloquia, confabulationes quælibet tempore divini officii, vel quævis alia, quæ cultum divinum turbare aut impedire possunt, aut oculos divinæ Majestatis offendere, cap. *Decet de immun. in 6.* Ex Conc. gener. Lugdun. II. à

quo hæc omnia prohibentur. 4. Extractio violenta rei è loco sacro, ubi lex asyli viget. 5. Furtum sive rei sacræ, sive rei profanæ in loco sacro, quamvis ibi non depositæ, ut crumenæ occulta abscissio, ex cap. *Quisquis*. 17. quæst. 4. ubi Joann. VIII. ait: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro*. Ubi autem lex non distinguit: nec nos distinguere debemus; sed generaliter & indistinctè accipiendum est, quod lex generaliter dicit. Et ad reverentiam Ecclesiæ pertinet, ut res omnes in ea positæ à furtis & injuriis sint liberæ. *Ita Suarez, Layman, Reginald. Fillincius asserens esse communem*, 6. Convivia, cap. 4. dist. 42.

III. Sacrilegium reale est indigna tractatio rei sacræ distinctæ à persona & loco. Res autem illæ dicuntur sacræ, quæ vel sanctitatem producunt, ut Sacramenta, vel quæ sacra significant, ut verba Scripturæ; vel quæ sacra repræsentant, ut imagines Christi & Sanctorum, item cæremoniæ sacræ; vel quæ sunt particulæ, aut res Sanctorum, ut Reliquiæ; vel quæ ad cultum Dei, & ejus ministrorum sustentationem, ususque pios sunt consecrata, seu destinata, ut vasa sacra, ornamenta: item bona temporalia Ecclesiæ, cap. 4. *& seq.* 17. qu. 4. &c. *Nulli*. 12. qu. 2. Et ex Conc. gener. Later. II. can. 10. & alii.

Porrò etiam sola omissione committitur sacrilegium, ut si Chrisma, vel SS. Eucharistia non satis custodiatur clavibus adhibitis: vel si vasa sacra, corporalia, pallæ, vestimenta, altaria, & similia non sint satis munda aut decora, ex cap. 1. & 2. *de custod. Euchar.* vel permittantur species corrumpi in pixide, &c.

Cùm autem in iis rebus diversæ sint habitudines ad sanctitatem, seu diversa sit ratio sanctitatis; ideo diversas constituunt species rerum sacrarum: & sic earum violationes sunt sacrilegia diversæ speciei. Lessius & alii addunt tempus Deo dicatum, nempe dies Dominicos ac Festos, eo quòd sint mensura actionum sacrarum & ad illas destinati; quamvis alii dicant violationem festi non esse sacrilegii, sed quamdam irreligiositatem.

Hinc sacrilegium reale est indigna administratio, vel susceptio Sacramentorum, profanatio reliquiarum, imaginum, vasorum sacrorum; ut si quis utatur calice ad potandum, ornamenta sacra ad usus profanos adhibeat; abusio verborum Scripturæ non solùm ad errores confirmandos, sed etiam ad res profanas; unde Concil. Trident. sess. 4. verbi Dei violatores appellat, jubetque puniri eos, qui verba & sententias sacræ Scripturæ ad profana quæque convertunt, & torquent ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, &c. Item invasio bonorum sive mobilium sive immobilium, & jurium Ecclesiæ; suppressio piorum legatorum, defraudatio decimarum, &c. nam hæc ad Dei cultum data sunt, ideòque Deo dicata.

Quæst. V. *Quale peccatum est Sacrilegium?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia per illud Deus in rebus sacris inhonoratur; irreverentia enim rei sacræ illata redundat in ipsum Deum, ad quem relationem habet, & ad cujus cultum destinata est. Præterea ratio ipsa dictat sanctà sanctè & reverenter tractanda esse. Est autem tantò gravius crimen cæteris paribus, quantò res quæ violatur, est sanctior & sacratior. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, ut si unus assis in Ecclesia surripiatur.

Porrò cùm sacrilegium novam speciem peccati constituat ratione specialis deformitatis oppositæ religioni, debet semper exprimi in confessione. Hinc circumstantia personæ sacræ in luxuria, & loci sacri in furto, declaranda est: nam utrumque continet duplicem malitiam specie diversam, unam contra religionem, alteram contra castitatem vel Justitiam. Imò quia omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis, debet quoque exprimi in qua re fuerint commissa.

Quæst. VI. *An omne peccatum in loco sacro commissum contrahit speciem sacrilegii?*

Resp. 1. Certum est contrahere, si sit specialiter ab Ecclesia prohibitum in loco sacro, quales sunt actus supradicti: quia quod prohibetur fieri in loco sacro, prohibetur intuitu & ex motivo religionis. Unde tunc actus vetitus opponitur specialiter virtuti religionis.

Resp. 2. Omne peccatum saltem externum in Ecclesia commissum, contrahit inde malitiam sacrilegii. Quia tale peccatum repugnat sanctitati loci Deo consecrati, & propriæ ejus institutioni, quæ est ut Deus in eo piè colatur. Nam est per se & ex natura rei indecentia ac irreverentia, ut locus orationi & cultui divino dicatus convertatur in locum peccandi, & offendendi Deum. Enimverò si actus profanus alibi licitus, ut venditio columbarum ad usum Templi, violat sanctitatem loci, & ideò, Matth. 21. prohibetur à Christo, qui ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, quia Templum est *domus orationis*, hoc est solis actionibus piis destinatum; à fortiori actus per se malus factus in loco sacro

cro

cro sacrilegium est. Præterea à Concil. generali Lugdun. cap. *Decet*, prohibentur in Ecclesia quæcumque possunt oculos divinæ Majestatis offendere.

Multi verò id negant de actu merè interno: quia, inquiunt, nullam habet relationem ad locum sacrum utpote sensibilem, nec proinde repugnat ejus sanctitati ac reverentiæ. Sed hæc ratio non omnes convincet.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Quæst. I. Quid est Simonia?

Resp. Definitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Sic dicta est à Simone Mago, quòd ille primus in nova lege hoc crimen admiserit volendo emere dona Spiritus sancti.

Dicitur 1. *Studiosa voluntas*, id est, volitio deliberata ac libera.

2. *Emendi, vel vendendi*, hoc est, commutandi pretio temporali, sive non gratis dandi aut accipiendi, sed interventu pretii temporalis. Nam his verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive innominatus, ut docent omnes cum S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 5. Quare sufficit emptio & venditio virtualis.

3. *Pretio temporali*, quo intelligitur pecunia, & res omnis pecunia æstimabilis, ac quævis commoditas temporalis. Secundùm omnes cum S. Greg. cap. *Sunt*. 1. qu. 1. & S. Thom. qu. cit. art. 5. Simoniæ pretium triplex est. 1. Munus ab obsequio, id est, quodvis obsequium, servitium, ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum: ut si quis alteri beneficium conferat pro eo quod ejus negotia gesserit, &c. 2. Munus à manu, scilicet pecunia, vel res omnis mobilis aut immobilis pretio æstimabilis, ut gemmæ, equus, vinum, prædium, remissio debiti, jus aliquod, &c. 3. Munus à lingua, nempe favor, patrocinium, intercessio, adulatio, laus, commendatio apud alium, &c. Nam hæc sunt pretio æstimabilia, & commodum temporale pariunt. Ut si quis collatoris, vel patroni amico aut famulo det munera, ut pro ipso beneficium petat, eum laudet, ac commendet, &c. Hinc, cap. *Salvator*. 1. quæst. 3. *Qui res ecclesiasticas munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur vel adipiscitur, simoniacus est*. Nam in his casibus commutatur saltem æquivalenter & moraliter spirituale vel spirituali annexum pro temporali; quod est virtualiter vendere spirituale; & interventu rei temporalis acquiritur spirituale.

4. *Spirituale*, id est, res vel actio sacra seu ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritus sancti, gratia, virtutes, oratio, Sacramenta, divina officia, benedictiones, reliquiæ Sanctorum; item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus, ut omnis actus ordinis vel jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc concio, exhortatio, catechesis facta à ministro Ecclesiæ est materia simoniæ, cùm ad salutem animæ immediatè ordinetur. Secùs, de munere, & actu docendi Theologiam: quia Theologia licèt versetur circa objectum supernaturale, potest propriis viribus acquiri, & actio eam docendi per se primò non ordinatur ad animæ salutem, neque immediatè dirigitur ad movendam voluntatem.

5. Per *spirituali annexum* intelligitur id, quod ad spirituale ordinatur, vel ab eo dependet, aut ei conjungitur. Potest autem conjungi vel antecedenter, ut jus Patronatus, quod supponitur præsentationi ad beneficium, altaria, vasa sacra, quæ antecedenter ordinantur ad sacrificium Missæ, & ei præsupponuntur: vel concomitanter, ut labor intrinsecus & necessarius administrationi Sacramentorum: vel consequenter, ut proventus beneficii, qui supponit officium divinum.

Nota. Allata definitio strictè est simoniæ juris divini, non simoniæ juris ecclesiastici saltem omnis: nam non convenit simoniæ, quæ reperitur in permutationibus, & resignationibus factis sine authoritate Superioris citra temporale pretium. Sic autem potest generatim simonia omnis definiri: Quævis pactio, datio & acceptatio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege prohibita ob reverentiam rei sacræ.

Porrò id in spiritualibus, est simonia, quod in temporalibus usura; & sicut datur usura palliata, ita & simonia.

Quæst. II. *An ad simoniam requiritur intentio formalis, dandi, vel accipiendi rem temporalem, ut pretium rei spiritualis?*

Resp. Neg. sed sufficit voluntas dandi vel accipiendi spirituale non gratuitò, sed pro temporali, sive ut pretio vel compensatione, sive motivo saltem principali. Item sufficit intentio virtualis emendi vel vendendi, seu commutandi spirituale pro temporali, inclusa in voluntate obtinendi spirituale per temporale, & vicissim.

Prob.

Prob. Quia. 1. Simon Magus, Actor. 8. damnatur quòd præcisè obtulisset pecuniam eo fine, ut acciperet potestatem conferendi Spiritum sanctum: *Et quòd existimarit donum Dei pecunia possideri*, hoc est, acquiri per pecuniam. 2. Cap. 34. *de simon.* dicitur simoniæ reus, qui fine ullo pacto donationem facit *ea intentione, ut per temporalia bona qua offert, spiritualia valeat adipisci*. Et Conc. gener. Later. I. cap. 1. prohibet *ordinari quemquam per pecuniam, vel promoveri*. Et Conc. gener. Later. II. can. 2. vetat beneficium vel aliquid spirituale per pecuniam acquiri, *Quoniam simoniacum est*. Item, c. *Ex multis*. 1. q. 3. Alexander II. ait: *Chalcedonense Concilium condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt*. 3. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem; *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra*. 4. Per hoc tractatur res spiritualis ut commutabilis & comparabilis re temporali, non ut donum gratis dandum & accipiendum, contra illud Christi, *Gratis accepistis, gratis date*. 5. Tunc moraliter loquendo & in æstimatione prudenti temporale reipsa se habet ut pretium, cum non detur alio titulo, quàm ad obtinendum spirituale, nec confertur spirituale nisi ad temporale consequendum. Sicut enim dans munus judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam, dicitur emere justitiam; & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam: ita qui dat temporale ut moveat alium ad dandum beneficium, emit virtualiter beneficium, & qui confert beneficium propter munera data vel danda, illud vendit: & verè tunc datur unum loco alterius. 6. Alioqui nemo subtilitatis metaphysicæ peritus posset unquam simoniam admittere; aperireturque via latissima simoniæ.

Aliud est cum datur temporale per modum stipendi sustentationis; nam datur in subsidium necessarium ad sustentationem personæ occupatæ in gratiam dantis, & quæ interea actioni sibi quæstuosæ vacare non potest. Lex enim naturalis postulat, ut sustentatio, spectato personæ statu, suppeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

Quæst. III. *Quotuplex est simonia?*

Resp. Dividitur. 1. In eam, quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideò prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est emptio vel venditio etiam virtualis rei aut actionis sacræ; nam recta ratio dictat rem sacram indignè ac irreverenter tractari hoc ipso quòd datur vel accipitur pro re temporali; tunc enim rei temporali æquiparatur facto, sicque deprimitur. Simonia juris humani est ea, quæ solùm mala est quia prohibita est; sive est pactio, aut commutatio, aut acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam simoniæ, sed solùm ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis, seu intuitu reverentiæ erga res sacras. Nam ita facit ut objectum suum sit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur; sic communio à non jejuno facta est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2. In mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem.

Simonia mentalis non est præcisè nudum propositum committendi simoniam, nam hæc dicitur purè mentalis, & hoc modo datur etiam furtum mentale, seu merè internum; sed est actio externa facta ex intentione simoniaca exteriùs non apparente: sive est datio vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito: ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret beneficium, nulla tamen verbis vel nutibus facta conventione. Hæc autem est vera simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum simonia reali, ex cap. 34. *de simon.* Dicitur mentalis: quia licèt externum actum seu effectum habeat, malitia tamen simoniæ non apparet exteriùs, sed in mente manet.

Conventionalis est pactio simoniaca expressa, vel tacita seu implicita, sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utraque parte. Nam alia est purè conventionalis, quæ neutra ex parte completa est, alia conventionalis mixta & semirealis, quæ ex una tantùm parte completa est, ut si post pactionem initam conferatur ab uno beneficium, sed ab alio non detur temporale, vel econtra: unde participat aliquid de reali.

Realis est pactio simoniaca ex utraque parte completa saltem inchoatè: quod addo, quia ad simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis vel spirituali annexæ.

Simonia confidentiæ, est cùm quis alteri beneficium procurat, eligendo, præsentando, postulando, resignando, commendatio-

ne, vel alia ratione, cùm confidentia, hoc est, cum pacto expresso vel tacito, ut is, cui procuratur, illud aliquando resignet procuranti vel alteri, aut ut pensionem vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc simonia graviter prohibetur à Pio IV. Bulla 85. & à Pio V. Bulla *Intolerabilis*. Dicitur confidentialis, eò quod procuratio beneficii nitatur confidentia pactionis, vi cujus beneficium ipsum, vel fructus illius, pensiove expectatur.

Quatuor modis committitur. 1. Per accessum, ut cùm Prælatus volens tibi per ætatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quàm primùm capax fueris, illud accipias.

2. Per ingressum, ut cùm quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem, alteri resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel dimissurus sit.

3. Per regressum, cùm quis beneficium à se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste sibi vel alteri idem beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4. Si præsentans, resignans, conferens, &c. pacificatur expressè vel tacitè, ut pensio vel pars fructuum beneficii sibi vel alteri detur. Porrò ad hanc simoniam requiritur ut accessus, ingressus & regressus sint in idem beneficium. Hinc qui resignat beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis.

Quæst. IV. *Quibus casibus est Simonia juris divini, ideòque indispensabilis?*

Resp. Ea generatim prohibentur ut simoniaca jure divino, naturali & positivo, quæ cùm sint spiritualia, vel spiritualibus annexa, commutantur pro temporali. Speciatim verò sequentia.

1. Dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis spiritus sancti, Sacramentis, Reliquiis sacris, quavis potestate spirituali sive ordinis sive jurisdictionis, ejusve actu, prælatura Religiosorum, jure eligendi, usu gratiarum gratis datarum, precibus, officiis divinis, missis, concione, quavis functione spirituali, &c. Ita omnes. Nam hæc omnia ad finem supernaturalem per se primò ordinantur; & supposita fide, recta ratio dictat res sanctas sanctè esse tractandas; & res supernaturalis ordinis, ideòque inæstimabiles pretio temporali, ut viles ac infimas indignè tractari, si commutentur re temporali.

2. Dare vel accipere temporale pro beneficio ecclesiastico etiam simplici, & solùm quoad jus percipiendi fructus temporales. Est communis Theologorum sententia, teste Suarez. *Prob.* tum ex cap. *Salvator*. 1. qu. 3. tum quia jus percipiendi fructus temporales ita est connexum officio spirituali, ut non possit obtineri nisi ratione illius officii, cujus exercendi jus habeatur: nam jus percipiendi fructus temporales beneficii, est jus tales fructus obtinendi ministerio spirituali, cujus exercendi jus habeatur: Beneficium enim est propter officium, ex cap. ult. *de rescript. in 6.* & ex Conc. Trid. sess. 21. c. 5. *Cùm beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia sint constituta:* Ita ut jus percipiendi reditus necessariò & ex justitia debeatur, & acquisitum sit ei, qui habet titulum, id est, potestatem exercendi tale ministerium spirituale, propter quod fructus sunt destinati. Ergo jus illud percipiendi fructus vendi non potest, quin vendatur primariò & directè jus exercendi officium spirituale, & ipsum officium, ex quo hoc jus provenit, ex cap. *Si quis*. 1. qu. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Quare etsi non teneris dare beneficium alteri, tamen si conferas, teneris gratis conferre; nec potes temporale ei annexum subtrahere. *Beneficia nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4. Nec obstat, quod calix consecratus emi possit ratione materiæ. Nam ex S. Thom. hæc est disparitas, quia calix consecratus spirituali annexus, est antecedenter, seu non præsupponit spirituale, sed ei advenit spirituale, nempe consecratio. Unde non ita pendet à spirituali, ut eo vendito vendi censeatur spirituale. Idem dic de jure patronatus. At jus percipiendi reditus ecclesiasticos fundatur in spirituali, & illud præsupponit, ita ut competere non possit, nisi ei, qui habet titulum seu potestatem spiritualem exercendi nomine Ecclesiæ ministerium spirituale, propter quod fructus destinati sunt.

Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis, titulum seu jus officii spiritualis abrogare, & temporale beneficii ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem alienare. Et tunc temporale beneficii separatum à titulo nil haberet spirituale, nec proinde ejus distractio esset simoniaca.

Idem est de commenda clericali, ac de beneficio cui æquivalet; quia principale in ea est spirituale ministerium, cui temporale commodum consequenter annexum est.

3. Om-

3. Omnis transactio in beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus, facta compensatione cum re propriè temporali: nam tunc spirituale commutatur cum temporali.

4. Dare vel exigere temporale non solùm pro receptione seu admissione ad religionem, ut patet, (nam hæc est quid spirituale, cùm ex se ordinetur ad animæ salutem ac perfectionem, & ad Dei cultum,) sed etiam pro sustentatione ingredientis Religionem, quando bona Monasterii sufficiunt. *Ita multi*. Quia jus vivendi ex bonis Religionis est ex institutione Ecclesiæ & mente fundatorum, annexum professioni, sicut jus percipiendi reditus annexum est admissioni ad canonicatum: ita ut illud nequeat obtineri nisi ratione professionis, quæ est quid spirituale. Nam Monasteria sunt dotata, & authoritate Ecclesiæ sic instituta, ut homines ibi adscripti liberiùs Deo vacarent, & assiduè pro fidelibus orarent. Item jus vivendi ex bonis communitatis hoc ipso competit ei, qui fit membrum communitatis per professionem: nam bona communitatis per se destinata sunt usui omnium ejus membrorum, quæ sunt ipsamet communitas. Ergo nihil exigi potest pro jure vivendi ex bonis Monasterii, quin exigatur pro ipsa professione, ex qua provenit hoc jus, quod est spirituale, vel saltem spirituali annexum. Quemadmodum igitur non potest citra simoniam juris divini in beneficio conferendo vel resignando vendi vel emi jus percipiendi proventus temporales propter ejus connexionem cum spirituali titulo; ita ut qui unum vendit, alterum, nempe spirituale non relinquat invenditum, ex canon. citat. ita etiam non potest vendi jus utendi bonis temporalibus Monasterii propter ejus connexionem cum ipsa professione Religiosa, in qua fundatur. Prætereà admissio in Religionem est admissio ad omnia jura Religiosorum, inter quæ est jus vivendi ex bonis Religionis. Quare cum Alexand. III. cap. *Non satis*. Innocent. III. cap. *Dilectus*. Et Conc. general. Lateranen. IV. cap. *Quoniam de Simonia* id graviter prohibent, in hoc juris divini naturali observantiam præcipiunt.

Si autem Monasterium sit pauper, nec possit plures sustentare, non est simonia exigere aliquid ab ingredi volentibus, quia illud exigitur non pro jure alimentorum, nec ut pretium religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ut alii Religiosi non careant necessariis, ad quæ jus jam acquisitum habent. Ita S. Thom. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 2. ad 7. sed erit injustitia & simonia si quid ampliùs exigatur ultra id, quod requiritur ad hunc finem, quia jam cessat ratio allata quoad excessum. Quod tamen est intelligendum moraliter, nec consistit in indivisibili.

Nec obstat, quòd dicitur Martinus V. exemisse Moniales à pœnis latis ab Urbano IV. Nam pœnæ violationi juris divini appositæ, sunt juris ecclesiastici: unde tolli possunt, remanente jure naturali & divino, quod prorsus indispensabile est.

5. Vendere jus Patronatus. *Ita Navarrus, Suarez, Layman, & alii multi*. Quia hoc jus est spirituale: nam est potestas ad actum spiritualem, nempe præsentationem, quæ dat jus præsentato ad beneficium habendum, ita ut necessariò institui debeat, si sit idoneus, cap. 18. *de jur. Patron.* At potestas ad actum spiritualem, est spiritualis. Nec ideò venditur jus Patronatus: quia vendito fundo transfertur jus Patronatus ei annexum: Nam ut vendi diceretur jus Patronatus, deberet aliquid accipi ratione illius juris, quod esset simoniacum.

Porrò est simonia juris divini etiam post collatum spirituale, vel spirituali annexum, & nullo præcedente pacto dare vel exigere aliquid temporale tanquam debitum, vel ut pretium, aut mercedem vel compensationem, ex c. 39. *de simon.* Nam tunc facto ipso temporale æquiparatur spirituali, quasi esset illius pretium: & ideò SS. Patres Giezi simoniæ arguunt, quod pecuniam pro curatione lepræ miraculosè factâ petierit. Licet tamen seclusa Ecclesiæ prohibitione, aliquid gratis oblatum accipere postquam res spiritualis gratis collata est; quia non datur pro re spirituali, sed ex gratitudine & benevolentia, ex c. 30. *de simon.*

Quæst. V. *Quibus casibus est simonia juris humani?*

Resp. Communiter recensentur. 1. Permutatio beneficiorum sine authoritate Prælati, nullo interveniente pretio. Item resignatio extra Curiam Romanam in favorem certæ personæ, & resignatio cum pacto, ut resignatarius suum beneficium cedat tertio, vel cum confidentia accessus, aut regressus. Nam in his non commutatur spirituale, nec spirituali annexum pro temporali: unde licet commutare beneficia cum authoritate Episcopi, *Clemens. de rer. permut.* & Papa potest in aliis dispensare. Ista sunt tamen simoniaca, quia prohibita sunt ab Ecclesia ob reverentiam rei sacræ, & ob periculum ne fiant ex aliquo motivo temporali.

2. Ven-

2. Venditio officiorum sacristæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris Ecclesiæ, &c. De quibus, cap. *Salvator*. 1. qu. 3. Nam talis venditio prohibita est intuitu religionis, non quòd ista officia sint in se quid spirituale, aut sacrum, sed propter quamdam conjunctionem, quam habent cum supellectili sacra, rebus & ministris Ecclesiæ.

3. Acceptio munerum etsi modicorum sponte ac gratis oblatorum ex occasione examinis ad parochiam, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 18. Item ex occasione collationis ordinum, tonsuræ, litterarum dimissoriarum, aut testimonialium, ex Trid. Conc. sess. 21. c. 1. Dixi, *ex occasione*. Nam dare, vel accipere aliquid pro collatione ordinum, tonsuræ, aut pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus est simoniacum jure divino: cùm ista sint actus procedentes à potestate spirituali ordinis & jurisdictionis, proindeque spirituale. Subscriptio verò earumdem litterarum, cùm sit complementum illarum, est quid spirituale, aut saltem pertinens ad aliquid spirituale, nempe ad actum jurisdictionis. Præterea quando principale fieri debet gratis, gratis etiam accessorium fieri debet, cùm ex regulis juris accessorium sequatur naturam principalis.

Quæst. VI. *An permutatio rerum spiritualium inter se simoniaca est, ideòque illicita?*

Resp. Neg. Si illæ non habeant annexum aliquod temporale commodum, & nullum interveniat pretium. Quia nullo jure est vetita. Non jure divino; nam nulla est per se irreverentia, si res sacra cum alia commutetur nullo interveniente pretio, cùm utraque sit ejusdem ordinis: neque jure Ecclesiastico, nam licèt in jure prohibeatur generaliter omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligitur de iis, quibus annexum est aliquod temporale commodum, vel quæ fit interveniente pretio temporali. Hinc licitè duo paciscuntur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam sacram, v. g. me obligo ad celebrandum cras Missam pro te, ut tu alio die eam pro me celebres.

Quæst. VII. *An Simonia reus est, qui temporale pro spirituali promittit sine animo implendi?*

Resp. Affirmat. Nam talis habet voluntatem acquirendi beneficium per aliquid temporale promissum. Deinde non solùm datio, sed etiam promissio in jure prohibetur ut simoniaca, c. 12 *de simon.* ubi Pontifex declarat, promissionem ipsam continere simoniacam pravitatem. Et à Conc. Melphitano, c. 1. dignitate vel officio privantur, *qui dato vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione inteneto, vel precibus, ecclesiasticam dignitatem assequi nituntur*.

Qui verò sine animo se obligandi promittit temporale pro spirituali, committit grave peccatum saltem injustæ deceptionis, scandali, inductionis, & cooperationis ad simoniam mentalem alterius. Item qui rem spiritualem fictè promittit pro temporali, graviter peccat mendacio pernicioso & scandaloso, & irreverentiam infert rebus sacris ita illis abutendo.

Quæst. VIII. *Quale peccatum est Simonia?*

Resp. 1. Simonia juris divini est semper per se peccatum mortale. *Ita omnes*. Constat. 1. ex lib. 4. Reg. c. 5. ubi Giezi correptus fuit lepra, quòd pecuniam pro curatione lepræ per miraculum facta exegisset. Et ex Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri .... Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*. Et Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. 2. Quia est gravis irreverentia in rem sacram, & consequenter in Deum ejus authorem, dum tanquam profana & temporalis commutatur pretio temporali, eique æquatur saltem facto; & sicut res infima, venalis, profana & temporalis tractatur ac deprimitur. Unde simonia in jure canonico vocatur execrabile flagitium, detestabile scelus. Nec potest esse venialis ex levitate materiæ, seu rei spiritualis, cùm nulla sit quæ non sit res gravis momenti in se & inæstimabili pretio, utpote ordinis superioris, & ordinata ad supernaturalem Dei possessionem: neque etiam ratione rei temporalis pro spirituali datæ: nam quò vilior est res illa temporalis, eò majus est rei spiritualis vilipendium.

Hinc infert Suarez esse mortale emere vel vendere unam Salutationem Angelicam, vel unum *Agnus Dei*.

Videtur autem esse peccatum non solùm contra religionem, sed etiam contra Justitiam: nam iniquum est vendere rem suo dominio non subjectam contra voluntatem Domini, qui gratis dare jussit, & pretio commutare id, quod pretio commutari nequit, nec pretio æstimabile est. Item est contra fidem, si simoniacus putet rem spiritualem esse venalem.

Resp. 2. Simonia juris Ecclesiastici est etiam mortale peccatum contra religionem, cùm sit graviter prohibita ex motivo religionis, seu intuitu reverentiæ rebus sacris con-

conservandæ, ut constat ex jure canonico, & pœnis gravissimis perinde contra illam ac contra simoniam juris divini latis. Et quia, ut ait Suarez, est ejusdem speciei cum simonia juris naturalis, ideòque ejusdem est gravitatis specificæ: nam habet materiam ejusdem rationis ex jure positivo, & opponitur honestati ejusdem virtutis. Species quippe tam virtutis quàm præcepti ex objecto & motivo sumitur, ac proinde præcepta licet quoad efficientes causas diversa, sunt ejusdem speciei, si habeant idem objectum & motivum; & consequenter eorum transgressiones erunt ejusdem speciei. Est quoque contra justitiam defectu tituli, & materiæ legitimæ: unde omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem.

Porrò quævis simonia est species quædam sacrilegii, cùm sit indigna tractatio rei sacræ: nam per simoniam res sacra tanquam profana ac temporalis tractatur: ideòque irreverenter ac indignè.

Quæst. IX. *An licet emere, vel vendere temporale spirituali annexum?*

Resp. 1. Quod est quovis modo annexum spirituali, numquam potest emi aut vendi ratione spiritualis. Patet; nam tunc spirituale pretio æstimaretur, & venderetur. Hinc non licet pluris vendere calicem consecratum, quàm si non esset consecratus, vel fundum ob jus Patronatus. Item non potest res sacra elocari, neque ob usum rei sacræ, quia usus rei sacræ non potest vendi, cùm sit sacer, & quid spirituale: neque ob usum profanum, cum res sacra non possit adhiberi ad usus profanos.

Resp. 2. Temporale antecedenter, annexum spirituali, seu cui spirituale postea advenit, ut fundus, cui postea accedit jus Patronatus, vas quod postea consecratur, seclusa Ecclesiæ prohibitione, licitè emi ac vendi potest, ratione temporalis, materiæ, artificii, modò non vendatur cariùs ob spirituale annexum, quam sine illo valeat. Quia res illa retinet suum valorem intrinsecum, nec ita dependet à re spirituali, ut ea vendita hæc censeatur vendi. Sic vendi possunt calices consecrati ad subveniendum necessitati pauperum, & fundus, cui annexum est jus Patronatus, quod tunc concomitanter transfertur, sed non venditur, cùm pretium soli fundo respondeat.

Porrò prohibetur venditio Ecclesiæ, c. 15. *de Simon.*

Resp. 3. Vendi nequeunt concomitanter annexa spirituali, & quæ sunt ei intrinseca, seu per se conjuncta, ut opera, seu labor necessarius ad exercendam functionem sacram, v. g. Missam, concionem, &c. *Ita communiter*. Quia. 1. Labor & opera cùm sint intrinseca actioni spirituali, & ab ea inseparabilia, vendi non possunt, quin actio spiritualis vendatur. 2. Labor necessarius ad aliquam actionem coalescit cum ea in unum opus morale, & sic conditionem ejus accipit. 3. In nullo opere labor est dignus pretio distincto ab ipso opere, sive labor operi intrinsecus nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus: nam labor solùm appetibilis est & quæritur ob opus. Ergo sicut actio sacra non est pretio æstimabilis, ita nec labor ei conjunctus. Præterea hoc ipso quòd Christus præcepit ut spiritualia gratis darentur, jussit etiam gratis dari id omne, sine quo spiritualia dari nequeunt.

Item opera & actiones, quæ per se necessariæ sunt ad functionem sacram, prout ab hominibus exerceri potest, non possunt vendi nec pretio æstimari, ut studium, præparatio ad concionem, &c. Quia omnes illæ actiones & opera non habent æstimationem, nec utilitatem nisi ratione operis spiritualis, ad quod ordinantur; & proinde si venderentur, spirituale censeretur vendi. *Ita Suarez*. Secus, si labor, fatigatio, vel aliæ actiones sint spirituali extrinseca, & per accidens adjuncta, ut fatigatio longioris itineris ad celebrandam Missam in loco dissito: nam hæc nil includunt spirituale, & ab eo sunt separabilia, & aliunde sunt pretio æstimabilia.

Resp. 4. Temporale consequenter annexum spirituali, hoc est, quod præsupponit rem spiritualem, & ab illa dependet, vendi non potest sine simonia: quia non potest acquiri nisi ratione, nec vendi nisi vendatur spirituale ei præsuppositum. Præterea quod est annexum consequenter spirituali, ipsum spirituale supponit: & se habet velut ejus accessorium: at accessorium naturam principalis sequitur, ex regul. jur. 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Ergo cùm principale vendi nequeat sine simonia, ita nec accessorium. Quare simoniacum est vendere vel emere jus percipiendi reditus ecclesiasticos annexum officio spirituali, aut jus vivendi de bonis Monasterii annexum professioni.

Quæst. X. *An licet dare vel accipere temporale ob functionem aliquam spiritualem, v. gr. Missam, concionem, &c.*

Resp. 1. Certum est non licere dare vel accipere temporale præcisè pro aliqua functione

ne spirituali, vel labore ei intrinseco, nam hoc est simoniacum jure divino. Item non potest accipi pretium præcisè pro obligatione ad spiritualia præstanda: quia obligatio ad spirituale est quid spirituali annexum; & ad illud per se ordinatur, suamque æstimationem ab illo accipit. Hinc Cantoribus conductitiis, & Musicis non licet stipendium accipere, ut pretium sui obsequii, sed solùm titulo sustentationis honestæ: nam eorum officium ordinatur ad cultum divinum, nempe ad laudes Dei canendas, & fidelium devotionem excitandam.

Resp. 2. Licèt temporale dare & accipere per modum sustentationis cum obligatione ut fiat spirituale, v. g. celebrentur Missæ, administrentur Sacramenta, Quia, 1. ita habet praxis recepta in Ecclesia. 2. Concilium Constantiense, sess. 8. damnavit hunc articulum Vviclefi: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*. 3. Tunc datur solùm pecunia ad sustentationem Ministri sub conditione spirituale præstandi non ut ejus pretium. At sic dare, ideòque accipere licitum est, imò & justum: nam iis qui ministrant populo spiritualia, debetur ex justitia sustentatio: *Dignus est enim operarius cibo suo*, Matth. 10. Et verò naturalis justitia exigit, ut ei qui in alterius gratiam, & commodum occupatus est, & se privat facultate vacandi rei sibi lucrosæ, sufficiens sustentatio spectato statu personæ suppeditetur, ex 1. Corinth. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? &c.* Nihilominus ea gratis ministrant, qui non exigunt quidquam tanquam ministerii pretium, hoc enim tanquam majus omni pretio gratis præstant. Sed ut hoc gratis præstent, requirunt necessariam sustentationem à populo, & licitè exigunt id quod authoritate publica, vel consuetudine approbata constitutum est in sustentationem Ministri. Unde licet accipere aliquid pro sustentatione secundùm approbatam consuetudinem ad Missas pro aliquo celebrandas, ad conciones non debitas ex officio, &c. *Ivo gratis spiritualibus priùs exhibitis licitè possunt statuta & consueta oblationes & quicumque alii proventus exigi à nolentibus & valentibus solvere, authoritate Superioris interveniente*, ait S. Thomas, 2. 2. qu. 100. art. 3.

Non licet tamen quidquam exigere etiam à divitibus titulo sustentationis ad sepulturas, exequias, benedictiones nubentium, administrationem Sacramentorum, &c. per horum spiritualium subtractionem. Nam hoc graviter prohibent Conc. gener. Later. III. cap. 7. & Later. IV. cap. 66. *Hoc enim haberet quamdam venditionis speciem*, ait S. Thom. supra.

Sed an est simonia vendere sepulturam?

Resp. Est simonia juris divini, si vendatur locus sepulturæ quatenus est sacer, seu ratione benedictionis: nam sic spectatus est aliquid sacrum. Item si quid detur pro sepeliendis mortuis, ex cap. 9. de simonia ex Conc. gener. Lateran. Nam hæc est functio sacra.

Est autem simonia juris ecclesiastici, si vendatur sepultura ratione materiæ, seu pro ipsa terra. Nam hoc ab Ecclesia prohibitum est ex motivo religionis, & reverentiæ erga rem sacram, nempe benedictionem annexam terræ sepulturæ, atque ad vitandum periculum & suspicionem simoniæ, ex c. 41. de simon. & cap. 13. de sepulturis, ubi Innocentius III. sic ait: *Abolenda consuetudinis perversitas apud Montempessulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non priùs permittatur effodi sepulturam, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur*. Et infra: *Mandamus, quatenus cùm loci Diœcesanus existas, inhibeas Clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa.*

Dices. Ergo illicita est consuetudo, quæ in multis locis invaluit, ubi venditur certus locus cœmeterii, vel Ecclesiæ ad sepulturam perpetuam familiæ & hæredum.

Resp. Multi hoc excusant, quia non venditur sepultura nequidem ratione terræ; sed exigitur pretium ratione oneris, quod suscipitur alios ibi non sepeliendi: quod onus censetur esse pretio æstimabile, eo quòd vi illius conventionis talis locus non sit amplius juris communis, sed privati.

Quæst. XI. *An est simonia saltem mentalis præstare aliquid spirituale principaliter propter temporale taxatum vel sponte oblatum, v. g. recitare officium principaliter propter retributionem, &c.*

Resp. Affirm. *ita multi, præsertim Canonistæ*. Quia intentio principalis obtinendi temporale per spirituale tanquam per medium, est simoniaca; nam tunc temporale moraliter loquendo se habet æquivalenter ut pretium; & expetitur loco spiritualis. Deinde ratio simoniæ in hoc præcipuè consistit, quòd morali agendi modo res spiritualis temporali æquetur, aut postponatur, quod fit, dum spirituale propter temporale principaliter præstatur. Unde S. Antoninus, 2. part. tit. 3. c. 5. asserit esse mortale, quærere aut appetere beneri-

neficia curata principaliter propter honorem & divitias, quæ ex iis percipiuntur. Et S. Thomas, quodlib. 8. quæst. 6. art. 1. ait: *Si hujusmodi retributiones recipit quasi finem operis sui principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat.*

Porrò distributiones quotidianæ institutæ sunt, ut Clericorum negligentia in horis solemniter persolvendis earum privatione mulctaretur, & hujus pœnæ metu impediretur. Unde se habent ut removens impedimentum, non ut motivum persolvendi officium.

Quæst. XII. *An est simonia dare, vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis?*

Resp. Affirm. si omissio moraliter censeatur procedere à potestate spirituali, & habeat effectum moralem, ex c. 14. *de simon.* Nam tunc talis omissio est revera quidam usus potestatis spiritualis. Ideòque nullo pretio æstimabilis ac compatabilis; ut si omittas absolvere à censura, vel à peccatis post auditam confessionem, vel si paciscaris ut non eligas talem: nam ligatum detinere, vel aliquem rejicere est exercitium spiritualis potestatis, & proinde invendibile. Si verò omissio actus spiritualis non censeatur in æstimatione prudenti exercitium potestatis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis æstimetur, multi docent non esse simoniam, sed turpe lucrum, aut injustitiam, si actus erat jure debitus; nam talis omissio non est exercitium jurisdictionis, sed est dumtaxat voluntarius non usus illius, seu potius voluntarius & naturalis usus libertatis. Est tamen in hoc quædam turpitudo simoniæ affinis, inquit Lessius: quia tacitè indicatur actum spiritualem esse vendibilem; quod in ejus injuriam cedit: si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri.

Quæst. XIII. *Quot modis committitur Simonia in materia beneficiali?*

Resp. 1. Simonia juris divini est promittere, dare vel accipere aliquid pretio æstimabile pro collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad beneficium, & generaliter pro quavis actione, qua jus etiam inchoatum ad illud acquiritur, vel qua dubium confirmatur. Quia tunc res spiritualis commutatur cum temporali; & per temporale acquiritur spirituale: illæ enim actiones sunt spirituales ob respectum quem habent ad spirituale, & procedunt a potestate spirituali. Hinc simonia est, pensionem super beneficio dare, vel promittere procuranti illud, aut etiam promittere mutuum: nam licèt mutuatio sit ex natura sua gratuita, tamen ex ea oritur mutuatario commodum temporale. Imò simoniacum est aliquid exigere pro immissione, seu introductione in possessionem beneficii, vel installatione, ex c. 9. & 36. *de simon.* Nam per hoc acquiritur jus quoddam spirituale, nempe administratio, ut saltem aliquid connexum cum exercitio juris spiritualis.

Item simonia est dare vel promittere aliquid alteri, ut per se vel per alium obsecret aut curet ut detur beneficium, cap. 1. *Præsentium*. 1. q. 5. quia munere temporali intenditur obtentio beneficii, & paratur via ad beneficium, eoque medio comparatur. Nec refert quòd intercessio sit tantùm mediata, cùm idem sit effectus & finis, & reipsa spirituale per temporale acquiratur. Præterea obsecratio etiam mediata est causa moralis concessionis beneficii: Ergo hanc causam emens, emit virtualiter effectum ab illa manantem.

Resp. 2. Simoniaca est & nulla saltem jure Ecclesiastico, non solùm permutatio beneficiorum, & cujuslibet juris beneficia spectantis, sed etiam omnis in beneficiis conventio, pactio, vel conditio, quæ obligat ad id, quod non est jure debitum, si hac privata authoritate. Item resignatio sub conditione, pacto, vel onere, quod de jure non inest beneficio, facta sine authoritate Papæ, ex c. 34. *de simon.* & ex c. 5. *de rerum permut.* ibi: *Generaliter teneas, quòd commutationes præbendarum de jure fieri non possunt: præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* Et, cap. ultim. de pactis. *Pactiones factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.*

Ratio legis est, quia in pactione & commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum annectitur, periculum est, ne id fiat intuitu rei temporalis. Est autem simonia juris divini spirituale temporali etsi annexo spirituali emere & vendere, vel spirituale intendere, dare aut accipere principaliter ob temporale etsi spirituali annexum. Resigna-

tio verò in favorem prohibita est tum ad tollendam omnem speciem hæreditatis in beneficiis, tum propter periculum, ne id fiat ex aliquo motivo temporali, tum ne per hoc adimatur collatori libertas dandi beneficia iis, quos magis idoneos censuerit.

Hinc 1. Simoniaca est & nulla omnis transactio, cessio beneficii, vel juris etiam dubii circa beneficium non gratuita, propria authoritate facta, c. 8. *de transact.* Item pactio ad impediendam, vel dirimendam item super beneficio, si ita fiat ut unus litigantium cedat juri suo pro pecunia, & alteri beneficium pacificum relinquat: nam in ea permutatur spirituale pro temporali, compensando spirituale per temporale. Vel unus desistat, modò alter solvat impensas factas, c. 4. *de pactis*. Nam hæc impensarum solutio, vel habet rationem pretii pro adeptione beneficii, cùm non fuerint factæ in gratiam alterius, vel saltem suspecta est inter privatos.

Licitè tamen inter litigantes fit compositio per sententiam Judicis ordinarii vel delegati, vel etiam arbitrorum ecclesiasticorum à Superiore deputatorum pro ineunda concordia, qui accedente partium consensu & compromisso, adjudicent beneficium illi, cujus jus est probabilius, eique imponant pendendam alteri pecuniam certam, non in compensationem juris, sed ob bonum temporale pacis, & ut à lite recedatur, c. 2. *de arbit.* Potest etiam in hoc casu ei, cui beneficium adjudicatur, imponi persolvenda annua pensio, imposita non beneficio, sed beneficiato, & ad hujus vitam, cap. 21. *de prabend.* Sed hæc compositio facta, privata partium authoritate, etiam sub conditione ut approbetur à Superiore, est simoniaca, nec potest à Superiore approbari, ex eod. c. Quia tunc præsumitur dari temporale pro spirituali ob utilitatem contrahentium. At cùm ea fit à judice compositio, non idem præsumitur: nam judex censetur intendere duntaxat bonum pacis & concordiæ. Nec obstat quòd volentes permutare, possunt pacisci de modo sub conditione, Si *Superior approbet*: quia in alio casu est specialis prohibitio.

2. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus, &c. ad obtinendum beneficium, cap. *Ex multis*, 1. qu. 3. Nam licèt hæc sint pia opera, habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem. Præterea est onus, quod jure non inest beneficio.

3. Ita permutatione committitur simonia, non solùm si beneficia permutentur sine authoritate Ordinarii, sed etiam si permutantes compensent authoritate propria inæqualitatem fructuum pecunia vel pensione: aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus, quod sit præter naturam permutationis, v. g. omnes sumptus solvendos. Item si permutentur jura qualibet ad beneficia, vel actiones ad illa pertinentes, ut si unus cedat suæ præsentationi, ut alter sibi conferat aliam; si ita paciscantur. Tu elige, vel præsenta hunc ad hoc beneficium, & ego eligam, vel præsentabo te aut illum ad illud: Do tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia: Te præsentabo, eligam, si mihi vel meo nepoti beneficium resignes, &c. Nam omnia pacta in hac materia generaliter prohibentur, eo quòd hæ actiones spirituales habeantur, & fiant ut via ac medium ad temporale annexum spirituali.

Hanc doctrinam extendit Suarez ad omnia spiritualia, quæ habent temporale annexum consequenter, etiam si propriè & in rigore non sint beneficia, qualis est Vicaria amovibilis ad nutum: tum quia eadem est ratio malitiæ, periculi, & prohibitionis; tum quia c. 5. cit. *de reb. permut.* vetantur omnia pacta generatim circa spiritualia & connexa spiritualibus. Idem dic de Prælatura religiosorum licèt non perpetua, ex dicto cap. quia Prælaturæ illæ sunt quid spirituale annexam habens administrationem rerum temporalium. Hinc graviter peccant duo religiosi sic paciscentes: Suffragare mihi ut sim Provincialis, & tibi suffragabor ut sis Prior, ex cap. 11. *de simon.*

4. Simoniaca est omnis resignatio in favorem alterius, vel cum reservatione pensionis, facta sine authoritate Papæ, ex tit. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. Et constat ex usu & praxi Ecclesiæ, & ita declaravit Conc. Rhotomag. ann. 1581. & Bituric. ann. 1584.

Sed an in Beneficiis conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu obligatione dandi aliquid ex gratitudine, sive temporale, sive spirituale, est vera simonia?

Resp. Affirm. Tum quia omnis conventio seu pactio in hac materia prohibita est ut simoniaca. Tum quia hæc conventio ex se parit novam obligationem fidelitatis & justitiæ pretio æstimabilem, obligationi gratitudinis superadditam: alioqui frustra fieret, & nunquam exigeretur: unde posita hac pactione, si non detur id de quo conventum est, alter conqueritur tanquam de injuria sibi facta, & de fide non servata, quod seclusa conventio-

ne non fieret. Proindeque tunc datio non est gratuita, sed onerosa & reciproca, fitque contractus, *Do ut des*, vel *Do ut facias*. Suarez, Layman, & alii communiter.

Nota 1. Præbendæ canonissarum sunt materia simoniæ, ut resolvit Sac. Congregatio Cardin. ann. 1691. Nam videntur esse vera beneficia, licet non clericalia; sunt enim jus perpetuum, authoritate Ecclesiæ constitutum seu approbatum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale.

Nota 2. Ex extrav. *Ambitiosæ*, non licet locare fructus beneficii vel Monasterii ultra triennium, sed juxta multos hæc restrictio non est in plerisque locis recepta; proinde dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porrò id non fuit prohibitum ob periculum simoniæ, sed ne per hujusmodi locationem seu alienationem noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Quæst. XIV. *An est Simonia dare vel procurare beneficium ratione consanguinitatis?*

Resp. Cum S. Thoma, 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita & carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis & venditionis, in quo fundatur simonia.* At simonia est si conferas, vel procures beneficium consanguineo aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si beneficium procures extraneo ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Ita S. Thomas, in 4. dist. 25. quæst. 3. artic. 3. ad 7. ubi ait: *Qui dat ratione consanguinitatis præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quòd magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua; vel quòd ipse in consanguineis sit fortior, & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, simoniam committit.*

Quæst. XV. *An est Simonia conferre, vel præsentare ad beneficium ob commendationem amici?*

Resp. Affirm. si favor humanus in eo principaliter intendatur, nam talis favor pretio æstimabilis est, ita S. Thomas, 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. ibi: *Munus à lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis ad hoc principaliter intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porriguntur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confertur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.*

Quæst. XVI. *An licet emere vel redimere pensionem?*

Resp. Ex communi sententia, simonia est emere vel vendere pensionem assignatam pro aliquo officio spirituali, v. g. pro Adjutore Episcopi, Concionatore &c. quia hæc fundatur in ministerio spirituali, nec nisi ratione illius potest quis jus ad illam habere. Unde non potest vendi quin vendatur ministerium spirituale, in quo fundatur. Neque licet eam redimere, quia non potest extingui obligatio ad tale ministerium spirituale, cùm hoc debeat remanere. Item simonia est juris divini emere vel vendere alias pensiones, quæ soli Clerico conceduntur sive in sustentationem, sive ad litem componendam aut fructuum inæqualitatem compensandam in beneficiis: quia sunt annexæ titulo, & officio spirituali, scilicet recitandi officium B. V. imposito à Pio V. ita ut qui illud omittit, reditus amittat. Et sic non solùm requirunt statum clericalem, sed etiam hoc officium spirituale, ratione cujus acquiritur jus ad illos reditus. Quare jam pensiones illæ sunt quidpiam spirituale constans ex illa obligatione spirituali, & jure ad temporalia ei annexa: sive nil aliud sunt quam jus percipiendi fructus ecclesiasticos medio officio spirituali. Cùm autem hoc officium sit invendibile, ita & jus percipiendi fructus illos ab illo est inseparabile. Neque hæ pensiones redimi possunt, nisi tollatur spirituale, quod tolli non potest nisi à Papa, à quo constitutum est. *Ita Suarez, Reginaldus, & alii.* Secùs de laicali pensione, quia talis pensio est quid merè temporale; cùm non fundetur in titulo spirituali, nec ei annexa sit functio spiritualis, nec ad eam ordinetur, sitque separata à titulo spiritali.

Quæst. XVII. *An redemptio vexationis licita est in beneficiis?*

Resp. 1. Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam ad obtinendum

dum

dum beneficium, v. g. dare pecuniam alteri ne defectum tuum collatori detegat, ne pro alio obsecret: ne habens jus utcumque probabile litem moveat, vel motam prosequatur; ne doctior ad concursum cum aliis conveniat, ut competitor à prætensione justa desistat, &c. *Ita omnes, teste Suarez*. Quia via ad beneficium per pecuniam directè pararetur, & media re temporali acquireretur spirituale. Et licèt redimens non det pretium immediatè prò re spirituali; tamen mediatè vult acquirere jus spirituale mediante pecunia, quod est emere illud. Et quamvis jam haberes jus aliquod ad aliud, tamen cùm vexatio est justa, eo ipso jus non est omnino firmum, & sic pretio emeretur jus firmum, quod antea non habebatur, quod est saltem ex parte emere jus spiritale. Imò ex communi sententia, quando jus in re nondum est acquisitum, aut necdum plenum, non licet redimere vexationem injustam ab iis, qui ad beneficium juvare possunt, nempe iis ad quos spectat eligere, conferre, instituere, confirmare, præsentare, &c. ex cap. 23. *de Simon.* quia per pecuniam acquireretur res spiritualis, aut saltem jus in re firmum, quod antea non habebatur; quod est emere spirituale: ut si elector velit eligere indignum ut te impediat, esset simonia dare ei pecuniam, ne sic te impediat.

Licet tamen vexationem iniquam redimere ab iis, qui solùm impedire possunt, non verò juvare. Quia hac redemptione solùm removentur impedimenta injustè apposita; nec proinde via ad beneficium paratur magis, quàm parata esset ante justam impedimentorum positionem. Hinc licet Clerico pecunia impedire calumnias, quibus alioqui impeteretur apud collatorem.

Resp. 2. Habenti jus in re acquisitum in beneficio plenum ac certum, licet pretio, non tamen re spirituali, vexationem injustam redimere, & impedimenta injusta removere, ex c. 28. *de simon.* quia tum non datur pretium pro re spirituali, cùm hæc habeatur jam acquisita, sed solùm pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale, & nil acquiritur de novo. Quare vexans, qui pretium recipit pro cessatione ab injuria, non est simoniacus, cùm nil recipiat pro re spirituali, sed est solùm injustus, & tenetur ad restitutionem, cùm sine justo titulo accepta possideat: nam alter sponte ac liberaliter non dat, sed per injuriam coactus.

An verò jam confirmato vel instituto liceat pretio redimere vexationem, qua injustè impeditur à possessione capienda, controvertitur. Alii negant, quia possessio est aliquid spirituale, vel spirituali annexum, cùm per illam obtineatur exercitium functionum seu actuum spiritualium. Alii asserunt id licere, quia possessio præcisè sumpta, supposito titulo, est factum quoddam corporale, quod non dat, sed supponit jus spirituale completum: nec est spiritualis, nisi ratione tituli seu juris, cui annexa est. Ergo acquisito titulo ac jure pretium non datur pro aliquo spirituali, cùm jam habeatur, sed solùm ad tollendum injustum impedimentum possessionis, quæ illi titulo per se immediatè debita est, & consistit in aliquo facto merè temporali, si secundùm se sumatur. Et verò beneficium collatum & acceptatum dat plenum jus in re, ita ut si sic provisus moriatur ante captam possessionem, beneficium vacet per mortem, quia nempe possessio non addit jus, sed tantùm facit ut competat potestas administrandi & percipiendi fructus. Jam verò ex S. Thoma, 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5. *Postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Resp. 3. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum & possessum beneficium. *Ita omnes, teste Suarez.* Nam eo ipso quòd justa est vexatio, sequitur quòd jus in beneficio non sit omnino firmum, vel auferri possit. Unde tunc daretur pretium ad confirmationem & conservationem beneficii. Vel si sit omnino firmum, necesse est ut aliquod crimen sit patratum, propter quod ille esset beneficio privandus, & tunc dare pretium ad removendum illud impedimentum esset simonia, quia pretio temporali emeretur conservatio rei spiritualis.

Resp. 4. Semper est simoniacum dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum beneficium, item dare beneficium cum pacto, ne is, cui datur, in posterum vexet vel noceat etiam injustè. Quia tunc spirituale datur pro temporali commodo, seu in compensationem mali temporalis vitandi, quæ est quid de se pretio æstimabile.

Quæst. XVIII. *An est Simonia saltem mentalis suscipere Ordines, ut beneficium obtineatur principaliter ob ejus reditus?*

Resp. Affirm. Quia 1. is re spirituali viam sibi parat ad bonum temporale principaliter intentum; & ipsum spirituale ut medium ad obtinendum temporale principaliter refert: atque ita suo agendi modo temporale spiri-

mali æquiparat, aut etiam præfert. 2. Ex Synodo Excestriensi, ann. 1287. conc. 8. *Ad proprium recurrant conscientiam quo fine ad ordines aspirent, an ut Deo & Ecclesiæ virtuosiùs & gratiosiùs famulentur, non pro temporali quæstu, nec beneficiis à suis ordinatoribus extorquendis, quoniam tales simoniacos reputamus*. Unde Fagnan. cap. *Ad nostram*, de elect. ait: *Clericum, qui ordines suscipit, ut beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quæ non obligat ad beneficii dimissionem, sed tantummodo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit*.

Quæst. XIX. *An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. g. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum? &c.*

Resp. 1. Licet dare aliquid temporale absolute alteri, petendo ab illo, ut aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, modò nulla imponatur obligatio illud faciendi. Quia tunc est solùm donatio liberalis, facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua & pacto oneroso. Item licet aliquid promittere sub conditione: Si feceris hoc opus bonum, intendendo spirituale bonum operantis, & se obligando ad standum promissis impleta conditione, & non aliter, modò nulla alteri oriatur obligatio, ex c. 2. *de condit.* ubi approbatur concesso libertatis facta servo ea conditione, ut Monachus fieret, & non aliter. Nam ibi nulla est simonia, sed est præcisè quædam optio, quæ alteri gratuitò offertur in suum solum bonum, ut hoc vel illud eligat pro suo arbitrio.

Resp. 2. Simonia est dare, vel promittere temporale sub pacto & conditione, ut alter obligatus sit ad faciendum opus salutare in suam utilitatem, ex cap. *Quam pio*. 1. q. 2. quia ibi intervenit pactum onerosum circa spirituale cum pretio, quod in jure prohibetur ut simoniacum, & tunc datur & accipitur pretium pro spirituali. *Ita Suarez*.

Quæst. XX. *An accepta per simoniam restitui debent?*

Resp. 2. Beneficia, dignitates, officia & alia ejusmodi simoniacè accepta, non possunt in conscientia retineri, sed dimitti debent, cum omnibus fructibus, ante omnem sententiam. Constat tum ex consensu Doctorum, & sensu ac usu Ecclesiæ, tum ex cap. *Si quis dator*, &c. *Ex qua*. 1. q. 3. & aliis juribus citandis. Tum quia sine justo titulo possidentur, cùm omnis collatio, provisio, & pactio simoniaca irrita sit & nulla, saltem jure ecclesiastico, c. ult. *de pact.* & proinde caret omni effectu, nullumque jus tribuit; ut declaravit Martinus V. in Conc. Constantiensi, sess. 43. approbante, ibi: *Electiones, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones simoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps facta, nulla sint ipso jure, nullumque jus cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut provisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem tanquam iniquè ablata percipientes, teneantur*. Idem declarat Paulus II. in extravag. *Cum detestabile de simon.* confirmata à Pio V. Et S. Thomas, 2. 2. quæst. 100. art. 6. ait: *Nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit, putà si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur secundùm illud*, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date. Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest*. Unde quamvis hæc irritatio esset tantùm de jure Ecclesiastico, ut multi docent, tamen, illa supposita, obligatio relinquendi beneficium, cum omnibus suis fructibus, est de jure divino naturali, ut rectè notat *Suarez*, & patet: nam jure naturali non licet retinere alienum sine ullo jure ad illud.

Quod verum est, etiamsi simonia ipso proviso inscio commissa sit, nisi quis ut eum inhabilem redderet, pecuniam dederit, vel ipse de simonia suspicans, expresè contradixerit, c. 27. cit. & cap. 33. *de simon.* Immo si sciens tertii simoniam in procurando tibi beneficio, illud admisisti, nulla est tua provisio, quamvis contradixeris, ut docent Suarez, Reginald. Lessius, & alii. Quia acceptando cooperatus es executioni simoniæ cognitæ: nam hæc simonia inde accipit suam consummationem, per quam fit realis completa. Item si pecuniam ab alio promissam solveris, vel solutam reddideris, provisio tua nulla est, quamvis simoniæ contradixeris, vel eam ante acceptionem ignoraveris, ex c. *Sicut tuis*. 33. cit. de simon. Nam censeris consentire simoniæ alterius, eamque approbare. Et solutio illa pecuniæ, & consensus ille est moraliter pars contractus simoniaci: nam mediator promittebat pecuniam nomine tuo, & tanquam

quam tefundendam à te; ideòque tuus consensus & refusio supponebantur futura. Ergo per tuam refusionem pecuniæ completur contractus simoniacus.

Secundùm varios, ignoranti simoniam ab alio commissam non favet regula Cancellariæ de triennali possessione ad præscriptionem: quia expressè exigit, ut possessio sit *absque simoniaco ingressu*. Sed multi alii docent, eum qui mediante tertii simonia beneficium accepit, posse illud retinere, si integro triennio hanc simoniam ignorarit, quia illa verba, *absque simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere, ut simonia se teneat ex parte ingredientis beneficium: nam licet collatio sit simoniaca, ingressus tamen, seu actio, qua provisus ingreditur, non est simoniaca: nec ipsa punitur, sed actio mediatoris, quæ fuit simoniaca; neque hæc appellatur strictè ingressus, sed est potiùs apertio portæ ut alter ingredi queat. *Ita Cabassutius, Lessius, Layman, Delugo, asserens hanc esse communem sententiam, & pro ea referens Gomez, Rebuff. & alios*. Verùm consuli debet usus Curiæ Romanæ.

Constat autem eum, qui beneficium per simoniam parentum, vel amicorum, licet ignorans, obtinuit, si hanc ante elapsum triennium rescierit, teneri statim illud purè resignare, & omnes fructus perceptos extantes restituere, non tamen eos, quos bona fide consumpsit, cùm eos bona fide possederit. Ita S. Thom. qu. 100. art. 6. ad 3. Suarez, & alii communiter. Nam irritatio fertur à jure in omnem provisionem & acquisitionem, quæ fit per simoniacam labem; nec ad hanc requiritur culpa vel scientia acquirentis aut conferentis, ex c. 33. de simonia.

Porrò ad nullitatem provisionis, & beneficii relinquendi, ejusque fructus restituendi obligationem, sufficit simonia conventionalis occulta, & mixta seu semirealis, quando nempè beneficium vel officium datum est, nondum dato pretio promisso: tunc enim provisio & acquisitio est verè simoniaca, ideòque nulla. Nam ex juribus, ad nullitatem sufficit, quòd provisio sit simoniaca, ut satis patet tum ex Constitutione Martini V. citata, tum ex Extravaganti *Cùm detestabile*, de simonia, ubi Paulus II. sic loquitur: *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem, sub anima suæ periculo sit astrictus*. Hoc patet etiam ex can. *Ea quæ* 1. q. 3. ubi Urbanus II. in Concilio Placentino ait: *Quidquid vel in sacris ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse & nullas unquam vires habere censemus*. Ubi disjunctivè dicit: *data vel promissa pecunia*. Ergo ut acquisitio sit irrita, sufficit quòd promissa sit pecunia. Præterea ex juribus citatis, omnis acquisitio beneficii simoniaca, est ipso facto irrita. Ergo ante solutam pecuniam promissam non valet, & nunquam valuit: nam si valeret, non esset ipso facto & per se irrita, sed tantùm irritaretur ex post facto, nempe quando soluta esset pecunia. Curiæ Romanæ consulendus est stylus. Si tamen acceptum sit beneficium nondum dato pretio: hoc non debet solvi: quia simonia fieret realis completa ex utraque parte, & sic contraheretur excommunicatio.

Resp. 2. Reliquiæ sacræ si vendantur, contractus est nullus, quia non sunt materia venditionis, cùm non sint pretio æstimabiles. Quare restituto pretio restitui debent tanquam sub causa & conditione acquirendi pretii.

Si verò fundus propter jus Patronatus ei annexum, vel sacra vasa propter consecrationem cariùs vendantur, contractum esse validum censet Layman: quia spirituale est tantùm accessorium his rebus: utile autem per inutile præsertim accessorium vitiari non debet; sed restitui debet excessus pretii, utpote sine titulo acceptus.

Resp. 3. Pretium, seu quodvis temporale simoniacè acceptum, restitui debet, etiam jure divino naturali: Quia 1. contra jus dantis; & proinde injustè acceptum est. Nam qui dedit pretium, habet jus ut res spiritualis gratis conferatur sibi, saltem ex hypothesi quòd detur. Deus dedit omnibus jus res spirituales obtinendi gratis, juxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, & solùm imposuit onus alendi Ministros, juxta modum ab Ecclesia præscribendum. Qui autem dedit temporale, non intendit dare liberaliter, nec transferre dominium, nisi quatenus debet, & quatenus alter justè exigere potest, ut patet à simili de usura. Deinde spiritualis res non est materia venditionis, sed est ex natura sua invendibilis. Jus autem temporale in re spirituali fundatum vendi nequit, nisi res ipsa

ipsa spiritualis etiam vendatur, quæ tamen invendibilis est. Unde can. 6. *Si quis dator*, 1. q. 3. dicitur: *Rationis ergo vigore cogitur, quod injustè receperit, restituere, & quidquid turpis lucri gratia receperat non tenere*. 2. Ecclesiæ Ministri sunt tantùm dispensatores, non domini rerum spiritualium: unde non possunt illas dispensare, nisi pro voluntate Christi jubentis ut illæ gratis concedantur: alioqui non minùs injustè agunt, quàm eleemosynarius principis, qui pro eleemosyna gratis ex voluntate Domini danda, aliquid a pauperibus exigeret. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Et verò injustè exigit, & accipit pretium, qui de suo nil dat pretio æstimabile, ut facit conferens beneficium non gratis. Nam fructus ad ipsum non pertinent, sed ad futurum beneficii possessorem: jus verò ad fructus, utpote fundatum in titulo spirituali, non est æstimabile pretio temporali, & necessariò competit ex justitia ei, qui habet beneficium; imò est ipsummet beneficium. Ergo collator vel patronus injustè exigit pretium, nec habet titulum justum accipiendi ac retinendi quidquam, quod omnino sponte ac liberaliter datam non sit.

Resp. 4. Si simonia sit realis in materia beneficiali, simoniacè accepta debent restitui Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem sententiam, ex c. 11. *de simon*. ubi dicitur, temporalia recepta pro dando assensu electioni Ecclesiasticæ restituenda esse illi Ecclesiæ, cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possint. Et est communis sententia. Sed si simonia non sit in beneficiali materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit simoniacè, retinet dominium rei datæ, cum pactio simoniaca sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, & lex non prohibet reddi quod simoniacè datum est, nisi simonia fuerit realis in beneficio. Nam, in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse non danti, sed Ecclesiæ, agitur solùm de simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna, cùm sit quid odiosum, non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imò cap. 19. *de simon*. præcipitur reddi pecuniam ei, qui religionem simoniacè tuetur ingressus.

Nota. Qui dant, vel accipiunt, aut promittunt aliquid pro aliqua justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, incurrunt ipso facto in excommunicationem Papæ reservatam; & justitia vel gratia sic obtenta nulla est, quamvis nondum completa sit promissio. Patet ex extravagant. *de sent. excomm. in* 6. innovata per Bullam 24. Gregorii XIII.

Sed an Simonia mentalis ad restitutionem obligat?

Resp. Multi negant, & probant, 1. Ex cap. 46. *de simon*. ubi Gregorius IX. ait: *Ad resignationem spiritualium & temporalium, qua nulla pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur. (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori,) eos pro simonia hujusmodi non teneri*. 2. Et S. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 6. *Quoad Deum sola voluntas facit simoniacum, sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere*. 3. Quia sola injustitia externa seu effectiva inducit obligationem restituendi. At in simonia mentali nulla est injustitia externa, sed solùm affectiva. 4. Dicunt talem esse usum Rotæ, & Pœnitentiariæ; & addunt Ecclesiam non irritare collationem beneficii, nisi simonia sit externa saltem implicitè: nam Ecclesia non punit actus merè internos.

Quæst. XXI. *Quænam sunt pœnæ contra simoniacos ipso facto latæ?*

Nota. Nulla pœna ipso jure lata est contra simoniam, nisi ea commissa sit vel in religionis ingressu, aut professione, in ordinatione, aut in beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam officia quælibet jurisdictionem spiritualem habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus &c. Extravag. *Cùm detestabile*, de simon. Quia in his tribus ob honores, dignitates vel commoda temporalia frequentiùs committitur, aut saltem majus est periculum illius.

Nota 2. Licèt quælibet simonia etiam mentalis sit grave crimen, tamen consentiunt Doctores nullam pœnam juris contrahi ob simoniam mentalem, quæ absque externo pacto expresso vel tacito admittitur, ex cap. 46. *de simon*. cit. ubi dicitur de simoniacis mentalibus: *sufficere per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*. Neque etiam ob simoniam purè conventionalem, excepta confiden-

dentiali: quia jura has pœnas statuentia realem rei spiritualis receptionem requirunt, ut constat ex Extrav. 1. & 2. *de simon.* & ex canonibus 1. qu. 1. & ideò consentiunt etiam nullam pœnam contrahi ob simoniam mixtam seu semirealem, quando non fuit tradita res spiritualis, sed solùm pretium; seu res temporalis. Nam donec res spiritualis acquiratur, & sic quasi contractetur, non censetur plenè consummata exteriùs simonia.

An verò contrahantur pœnæ canonicæ, si traditum sit beneficium, vel alia res spiritualis, licèt pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, controvertitur. Tolerus & alii asserunt, quia licèt pretium non sit traditum, simonia tamen videtur completa exteriùs, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita, & pretium promissum, etsi nondum solutum. Alii nunc communius docent solam simoniam realem utrimque completam traditione rei spiritualis simul & pretii, aut partis pretii inducere pœnas juris, tum quia juxta multos hæc est praxis Curiæ Romanæ; tum quia pœnæ juris, præsertim graves, impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu perfectè completo, & ex omni parte consummato exteriùs cum effectu, nisi lex aliud disertè exprimat: nam ex reg. jur. *Odia sunt restringenda*. Quod intellige de pœna excommunicationis: nam ad nullitatem provisionis sufficit quòd beneficium, vel officium datum sit, nondum dato pretio.

Dixi, *aut partis pretii*: Nam si re spirituali tradita, promissi pretii pars aliqua fuerit soluta, tunc secundùm omnes contrahuntur pœnæ. Quia tùm verè spirituale traditum est pro temporali, & viceversa, nec minus completa est simonia, quàm si ab initio conventum esset de sola illa minima quantitate.

Resp. 1. Pœnæ simoniæ in beneficiis, & officiis spiritualibus sunt, 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, tum qui simoniacè eligunt, præsentant, instituunt, tum qui sic eliguntur, præsentantur, instituuntur; item mediatores & procuratores simoniacæ ordinarionis, aut collationis beneficii secutæ, ut parentes, amici, & omnes qui suam operam interponunt, vel pecuniam offerunt, extravag. *Cum detestabile*, & alibi.

2. Omnis simoniaca electio, præsentatio, resignatio, provisio, collatio, irrita est, nullumque jus tribuit; ita ut sic provisus teneatur ante omnem sententiam beneficium dimittere, & omnes fructus Ecclesiæ restituere, cùm nullum jus in beneficium acquirat, ibid. & ex Concil. Constantiensi sup. cit. Idque, ut dixi, quamvis simonia sit solùm conventionalis mixta.

3. Simoniacè electus, vel provisus, ut ipso facto inhabilis ad idem beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere, c. 27. *de simon.* & c. penult. *de elect.* ubi excipitur, si sit beneficium simplex & ipso electo ignorante nec ratum habente simonia commissa sit; tunc enim post puram resignationem potest Episcopus dispensare. Imò ex Bulla 5. S. Pii V. simoniacus sit etiam inhabilis ad quascumque alias dignitates, & quæcumque alia beneficia obtinenda.

Nota. Has pœnas ex communi sententia incurrunt etiam, qui propria authoritate permutant beneficia: nam ii in jure dicuntur simoniaci, & verè committunt simoniam juris ecclesiastici. Item simonia realis in prælaturis regularium, ut sunt Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis, &c. inducit nullitatem actus, obligationem dimittendi Superioris munus, & excommunicationem Papæ reservatam: nam sunt officia Ecclesiasticam jurisdictionem habentia, idque statuitur expressè à Paulo II. extrav. *Cùm detestabile* de simon. & constat etiam ex Bulla Martini V. sup. citat.

Resp. 2. Pœnæ simoniæ confidentiæ ex Bulla 85. Pii IV. & Bulla etiam 85. Pii V. sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopi; nam hi incurrunt solùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 2. Privatio beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam, cùm ejus collatio nulla sit. 3. Inhabilitas ad idem beneficium, & ad alia acquirenda. 4. Privatio Beneficiorum, antea legitimè possessorum, & pensionum priùs obtentarum; non tamen juxta multos ante sententiam judicis declaratoriam, cùm justo titulo possideantur; & dicunt ita usu receptum esse. 5. Beneficia per confidentiam collata & accepta, reservata sunt Papæ: quare resignari non possunt in manus ordinariorum, nec ab iis conferri. Insuper fructus beneficiorum per confidentiam acquisitorum, & pensionum sic constitutarum reservantur Cameræ Apostolicæ. Sed hæc reservatio in Gallia non observatur.

Nota 1. Ut contrahantur hæ pœnæ, requiritur ut datum sit & acceptum beneficium; ut paret ex his verbis Bullæ Pii IV. *Omnes & singulos, qui beneficia, vel pensiones hoc intercedente vitio acceperunt*. Non tamen necess-

cesse est, ut qui beneficium accepit, promissionem suam impleverit, hoc est vel pretium promissum solverit, vel beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus beneficii ab alio percipi permiserit. Nam hoc specialiter statutum est contra hanc simoniam, quæ gravioribus pœnis punitur, eo quòd innumeris fraudibus sit obnoxia, & magis latenter quàm quævis alia committatur, habeatque speciem successionis hæreditatiæ in jure valde exosam. Imò has pœnas incurrit beneficium recipiens, qui novit intentionem confidentialem dimittendi, quamvis recipiat sine tali intentione, ut significant hæc verba Bullæ Pii V. *Etiam sola dimittentis intentione receperit.*

Nota 2. Cùm Constitutiones Pii IV. & Pii V. novas pœnas non superaddant ratione confidentiæ, nisi contra illum, qui per confidentiam recipit beneficium, vel pensionem; soli recipientes privantur beneficiis & pensionibus anteà legitimè acquisitis: non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes; qui tamen ut verè simoniaci, incurrunt excommunicationem Papalem jure antiquo latam, si confidentiaria pactio fuerit ex utraque parte completa.

Resp. 3. Pœnæ simoniæ in ordinatione sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrit tum ordinans, tum ordinatus, extrav. *Cum detestabile*, quod multi extendunt ad primam tonsuram, quia, c. 11. *de ætat. præfic.* dicitur per eam conferri ordo clericalis, & usitato loquendi modo aliquis per eam simpliciter constituitur in ordine clericorum. 2. Ordinatus suspensus est ab ordinibus, non solùm quos simoniacè suscepit, sed etiam omnibus simpliciter, ib. Ordinans verò suspensus est per triennium à collatione omnium ordinum; ex cap. 45. *de simon.* Per Bullam verò Sixti V. *Sanctum*, suspensus est à collatione omnium ordinum, etiam tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus est ab ingressu Ecclesiæ. Sed dicunt hanc Bullam non esse usu receptam in plerisque locis, præsertim in Galliis. Qui autem nec sciens, nec volens simoniacè ordinatus est, secundùm S. Thomam, qu. 100. art. 6. ad 3. & alios, non potest sine dispensatione ordines exercere.

Resp. 4. Pœnæ simoniæ commissæ circa ingressum religionis, & professionem sunt, 1. Excommunicatio lata contra personas singulares dantes & accipientes. 2. Suspensio ab officiis capitularibus lata in conventum, si consenserit. Utraque pœna ipso facto contrahitur, & Papæ reservatur, extravagant. *Sanè*, de simon. 3. Simoniacè scienter professus, in aliud arctius monasterium, in pœnam criminis detrudi debet, c. 25. *de simon.*

TRACTATUS
DE BENEFICIIS
ECCLESIASTICIS.

Hæc materia pertinet ad Virtutem religionis, nam beneficii dotatio, & officium sunt actus religionis, & pacta circa illud vetita sunt simoniaca.

Quæst. I. *Quid est Beneficium Ecclesiasticum?*

Resp. Est jus perpetuum authoritate Ecclesiæ constitutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale.

Dicitur 1. *Jus perpetuum:* quia beneficium institutum est, ut semper duret, adeo ut si uni auferatur, debeat tribui alteri. Hinc Vicaria amovibilis non est propriè Beneficium.

2. *Authoritate Ecclesiæ*, hoc est, Papæ, vel Episcopi: nam ad eos solos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus annectere. Hinc Capellaniæ non collativæ, sed à privatis licèt in perpetuum dotatæ pro Missarum celebratione, non sunt Beneficia.

3. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est Ecclesiæ ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt Beneficia, & ex quibus soli fructus cedunt beneficiatiis; non autem fundus, qui semper remanet Ecclesiæ, cujus bona immobilia alienari non possunt sine justa causa, & licentia Papæ, alioqui alienatio ipso jure irrita est.

4. *Propter officium spirituale*, hoc est, ad functiones seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare Horas canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, prædicare verbum Dei, &c. Nam beneficium propter officium institutum est, & ad aliquam functionem spiritualem obligat, ex Concil. Trid. sess. 21. c. 3. & c. ultim. de rescript. in 6. ibi: *Officium propter quod Beneficium ecclesiasticum datur.*

Quæst. II. *Quotuplex est Beneficium?*

Resp. Dividitur 1. In Beneficium sæculare, quod Clericis sæcularibus, & in regulare, quod regularibus addictum est, & conferri debet.

2. In

2. In simplex, & duplex. Simplex est illud, quod nullam habet annexam curam animarum, jurisdictionem, præeminentiam, dignitatem, administrationem, sed solùm obligationem recitandi officium divinum, & Missas celebrandi; ut Capellania, simplex Canonicatus, item Præstimonium, quod est portio ex Ecclesiasticis proventibus detracta, quæ adolescentibus studiorum causa confertur in titulum perpetuum, habetque annexum officium spirituale. Duplex est illud, quod annexam habet curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo, vel præeminentiam, vel administrationem Ecclesiasticam, ut Episcopatus, Parochiale Beneficium, Abbatia, Præpositura, Cantoria, &c.

3. In manuale, quod potest ad collatoris nutum auferri, ideòque deficit à proprietate Beneficii defectu perpetuitatis; & in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen, vel irregularitatem.

4. In collativum, quod confertur per voluntatem absolutam ac liberam Prælati; in patronatum, quod confertur à Prælato ad præsentationem vel nominationem factam per patronum; & electivum, quod per suffragia electorum, accedente postea confirmatione, confertur.

5. In titulare, quod scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris confertur; & in commendatum, quod solius administrationis, aut custodiæ causa datur. Quòd si detur in vitam commendatarii, tunc omnia ferè jura eis competunt, quæ titularibus. Unde commenda perpetua æquivalet Beneficio in titulum dato.

6. In incompatibilia, & compatibilia. Incompatibilia sunt ea, quæ annexam habent curam animarum, vel quæ personalem residentiam postulant, ut sunt duo Episcopatus, duo curata Beneficia, duæ dignitates, &c. vel quæ in eadem Ecclesia instituta sunt ad eumdem finem, habentque idem onus ac officium eodem tempore persolvendum; qualia sunt duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia. Compatibilia verò sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem onus ac officium eodem tempore persolvendum.

Quæst. III. *Quot modis acquiruntur Beneficia?*

Resp. Prima regula juris in 6. sic habet: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite* (subintellige etiam, nec validè) *sine institutione canonica obtineri*. Institutionis autem canonicæ diversi sunt modi, nempe sex, quibus beneficia acquiruntur, nimirum. 1. Collatione libera. 2. Præsentatione, & subsequa institutione. 3. Electione, & subsequa confirmatione. 4. Postulatione, & subsequa admissione. 5. Resignatione acceptata in favorem. 6. Permutatione approbata. Sex illis modis addi potest interdum sola electione jus habentium absque alia confirmatione; & tunc dicuntur Beneficia electiva collativa, alia autem confirmativa.

Observanda est hic regula Cancellariæ de triennali possessore, quæ sic habet. *Voluit & ordinavit idem Dominus noster, ut si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex Apostolica, aut ordinaria collatione, aut electione, per triennium pacificè possederit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis molestari nequeat; necnon impetrationes de Beneficiis sic possessis factas, irritas & inanes censeri decrevit.* Valet autem in utroque foro ex *Clement. de sequest.* quia Papa supplet id, quod deest ex justo titulo, censeturque illud interea conferre. Sed ad hoc requiritur titulus saltem coloratus, & capacitas possessoris; alioqui haberetur pro intruso. Quòd si provisus habuerit impedimentum sibi cognitum, cùm ei collatum est Beneficium, v. gr. defectum ætatis, censuram, &c. tum non ei prodest istius regulæ præsidium, etsi titulum coloratum habuerit, quia non possedit bona fide.

§. I.

De libera Collatione.

1. Collatio libera est concessio juris realis in Beneficio, procedens ex mero arbitrio conferentis. Dicitur libera, ut distinguatur ab institutione & confirmatione, quæ sunt quidem collationes, seu concessiones juris, sed non liberæ: nam tenetur Prælatus præsentatum à patrono, & electum suffragiis electorum instituere, nisi obstet indignitas præsentati, vel electi, quæ probetur juridicè.

2. Jure communi Episcopus habet potestatem conferendi Beneficia in Diœcesi sua vacantia, cùm in ea sit princeps & moderator sacrorum. Hanc habere possunt etiam alii inferiores, ut Capitulum, Abbates. Si Collator Beneficii illud conferre neglexerit intra sex menses à die, quo notitiam vacationis habuit, vel si intra illud tempus indigno contulerit, collatio jure devolutionis pertinet ad proximum superiorem, & sic gradatim ad Papam, à quo non regreditur ad Ordinarios.

3. Licet debeat conferri Beneficium sine pa-

pacto, vel conditione, Episcopus tamen potest exigere conditiones, quæ ex natura rei insunt: cum enim exigantur tacitè, possunt quoque exigi expresse.

§. II.

De Præsentatione, & jure Patronatus.

Præsentatio est exhibitio personæ cujusdam ad Beneficium, legitimè facta per patronum superiori, ad quem pertinet, institutio, quæ est concessio juris realis in Beneficio facta ad præsentationem patroni. Præsentatio verò potest fieri etiam per laicos, si jus patronatus habeant: nam præsentatio non dat jus in re, sed solùm ex dispositione canonum dat jus ad rem, ita ut præsentatus institui debeat à prælato, nisi probetur indigna.

Jus Patronatus est potestas præsentandi Clericum ad Beneficium vacans. Dico, *vacans*. Nam si non vacet, irrita est præsentatio, eo quòd sit contra bonos mores, utpote præbens desiderandæ mortis occasionem. Et ob hanc causam prohibita est promissio Beneficii antequam vacet, cap. 2. *de concess. prabend.* ex Concil. gener. Lateran. III. Quod si fiat, nulla est promissio, sicut provisio inde obtenta, ex reg. 22. Cancell.

Pluribus modis hoc jus acquiritur. 1. Fundatione, hoc est donatione soli seu areæ ad superædificandam Ecclesiam. 2. Ipsa Ecclesiæ ædificatione. 3. Dotatione Ecclesiæ, assignatis sufficientibus redditibus. Unde possunt esse plures ejusdem Ecclesiæ patroni. 4. Præscriptione, scilicet multiplicatis præsentationibus per tempus immemoriale. 5. Concessione Papæ.

Jus Patronatus dividitur, in Ecclesiasticum quod alicui competit ratione beneficii à se possessi, aut ex eo quòd de bonis Ecclesiasticis Beneficium fundarit, vel dotarit: & in Laicum, quod alicui competit ex eo quòd ipse vel aliquis è suis prædecessoribus Ecclesiam fundavit, vel extruxit, vel dotavit.

Patrono laico conceduntur ad præsentationem quatuor menses à notitia vacationis Beneficii, sex verò Ecclesiastico. Si intra id tempus patronus non præsentaverit, tum potest Episcopus Beneficium, cui voluerit, conferre, cap. 3. *de Jure Patron.* Quod si duo pluresve patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, potest superior quam illarum maluerit præferre, sed tenetur semper in conscientia digniorem præferre. Si verò plures patroni in unum consentiant, aliis dissentientibus, præfertur sententia majoris partis, cap. 3. *de jure Patron.* Quòd si absque scandalo fieri nequit, Episcopus pro suo arbitrio alium, etiam à nullo præsentatum substituere potest, ibid. Item si patronus laicus duos successivè præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere, sed debet digniorem. Secùs, de patrono Ecclesiastico: nam prior ab ipso præsentatus debet institui, cap. 24. *de Jure Patron.* si fuerit dignus; aliàs neuter, quia jure suo pro hac vice excidit. Ratio disparitatis est, quia patronus Ecclesiasticus præsumitur nosse digniorem, quem proinde statim nominare debet, ideòque variare non debet, quod permittitur laico, qui præsumitur non satis nosse digniorem, ideòque plures cumulativè præsentare potest.

Patronus non potest seipsum præsentare, c. 25. *de Jure Patron.* sed potest filium suum, si idoneus sit. Episcopus tamen potest patrono Beneficium motu proprio conferre. Si patronus laicus præsentet indignum, jubetur alium dignum præsentare: si Ecclesiasticus, privatur hac vice jure præsentandi.

§. III.

De Electione, Postulatione, & Confirmatione.

Electio est designatio personæ capacis ad prælaturam, vel beneficium vacans, facta per suffragia. Per eam acquiritur jus ad Beneficium: nam jus in beneficio sola confirmatione obtinetur; quare si quis absque confirmatione immisceat se administrationi Beneficii, censetur intrusus, & amittit jus, quod erat per electionem consecutus, cap. 5. *de elect. in 6.*

Electio ex Conc. gen. Later. IV. c. 24. triplici modo fieri potest, vel per scrutinium, cùm quilibet eligentium suffragium suum secretò tradit: vel per compromissum, cùm eligendi potestas in unum, vel plures communi eligentium consensu transfertur: vel per inspirationem, cùm eligentes subito quodam motu in unum communiter consentiunt.

Ut electio valeat, hæc requiruntur. 1. Ut omnes eligentes sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum: nam ex Clement. 2. *de ætat.* & Concil. Trident. sess. 24. c. 4. nemo ferendi suffragium jus habet, nisi sit saltem Subdiaconus. 2. Ut vocentur omnes, qui eligendi jus habent. Non obstat tamen, si aliquis de capitulo vocatus venire

nolue-

noluerit, vel nequiverit, c. 28. *de elect.* 3. Ut eligatur is, in quem omnes, vel major, vel sanior Capituli pars consensit. Ex Concil. Later. IV. c. 24. Pars autem sanior hic intelligitur, quæ in electione omnes regulas canonum servat: minùs sana, quæ non servat.

Postulatio est facta ab electoribus superiori obsecratio, ut ad vacans Beneficium vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob impedimentum canonicum, quod non est vitium corporis, aut animæ.

Confirmatio est concessio juris in Beneficio facta à superiore ei, qui electus vel postulatus est. Unde non differt ab institutione, nisi quòd hæc connotet præsentatum, illa verò electum, vel postulatum. Porrò electus debet, secluso impedimento, intra tres menses à notitia electionis acceptatæ petere confirmationem: alioqui electio est irrita, cap. 6. *de elect.* in 6.

§. IV.

De Resignatione.

Resignatio est spontanea dimissio sui Beneficii facta coram legitimo superiore eam acceptante, scilicet Papa vel Episcopo. Duplex est, altera simplex, seu sine ulla apposita conditione, & hæc fieri potest coram eo, cujus est conferre Beneficium, & instituere; altera conditionalis, quæ fit cum aliqua conditione, & hæc iterùm duplex est: nam si fiat ea conditione, ut Beneficium alteri designato conferatur, dicitur resignatio in favorem: si fiat ea lege, ut resignans à resignatario aliud Beneficium accipiat, est permutatio. Sed operæ pretium est scire quæ requirantur, ut resignatio sit valida, & licita. Quare

Dico 1. Ut resignatio in favorem, vel sub onere pensionis sit valida, requiritur. Ut Beneficium sit Resignantis; nam Resignatio est sui juris cessio. Quòd si Resignans commiserit delictum, ob quod certò privabitur Beneficio, modò non teneatur illud dimittere ante sententiam judicis, Resignatio ante illam facta valebit, sed potest postea irritari. 2. Ut sit spontanea, hoc est, nec metu injusto, nec vi, nec dolo extorta; alioqui est nulla, vel certè annullanda, cap. 4. *de iis quæ vi, metusve causa fiunt*, & cap. 5. *de renunt.* & *Clement.* 1. *de Pœnis*. 3. Ut in manus Papæ fiat, nam in jure prohibetur Resignatio in favorem, can. *Plerique*, 8. quæst. 1. & omnis pactio in Beneficiis jure communi prohibetur, ne scilicet jus hæreditariæ successionis in Ecclesiam introducatur, ne fit locus acceptioni personarum, & ne libertas conferendi collatoribus adimatur. 4. Requiritur consensus patroni laici, si Beneficium fuerit patronatum. 5. Debet acceptari à Papa, alioqui resignans non perdit jus suum, cap. ult. *de renunt.* 6. Debet conferri Beneficium ei, in cujus favorem resignatum est, non alteri, nec aliter: alioqui provisio non valebit, quia fieret sine Beneficii vacatione, non enim tunc vacat per Resignationem, cùm hæc habeat hanc conditionem, sine qua possessor non intendit resignare. 7. Debet acceptari ab eo in cujus favorem resignatur: alioqui resignans non amittit jus suum, cùm non resignet nisi sub hac conditione. Porrò resignans etiam post acceptationem superioris manet sui Beneficii possessor, donec resignatarius possessionem acceperit. 8. Si resignans sit infirmus, debet supervivere viginti dies post resignationem: aliàs censebitur Beneficium vacare per obitum, non per resignationem, ac proinde omnis collatio vi illius facta irrita est. Ita Regula Cancellariæ de infirmis. 9. Resignatio facta in Curia Romana debet, intra sex menses à die supplicationis oblatæ computandos, publicari in loco Beneficii. Si autem fiat causa permutationis extra Curiam, debet publicari intra mensem: alioqui si resignans moriatur antequam resignatarius ceperit possessionem, Beneficium censebitur vacare per obitum, & collatio facta resolvitur. Ita Regula Cancellariæ. In Gallia tempus sex mensium, aut unius mensis computatur à die admissæ Resignationis; & hoc tempus potest à Papa prorogari ad partis petitionem.

Dico 2. Ut Resignatio etiam simplex sit licita, debet fieri ex justa causa bonum Ecclesiæ, vel spiritualem resignantis utilitatem spectante. Nam Clerici præsertim beneficiarii ratione sui status debent gloriæ Dei, & utilitati Ecclesiæ inservire; & proinde non eis licet sine causa justa deponere curas spectantes ad Beneficia, quæ susceperunt. Unde S. Pius V. Constit. 58. prohibet Episcopis & aliis, ne admittant Resignationes, nisi eorum, *qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent, Ecclesiæ vel Beneficio inservire; seu qui unum aliud vel plura Beneficia obtinuerit, vel quos ad aliud contigerit promoveri.* Hìc addere juvat vulgarem versum resignandi causas complectentem.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,

Quem

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Dico 3. Ut Resignatio in favore sit licita debet insuper fieri ob utilitatem Ecclesiæ, quia scilicet alter judicatur aptior. Nam si Resignatio vel permutatio fiat ob consanguinitatem, vel ex alio affectu carnali, est illicita: si verò fiat pro aliquo commodo temporali utriusque vel alterius, est simoniaca.

Porrò jure communi non licet in periculo mortis resignare Beneficium sub conditione tacita regressus si convalescat æger, ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 7. ibi: *Cùm in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur.* Et ex Bulla 134. Pii V. In Gallia tamen ei qui in morbo gravi constitutus resignaverit coram Ordinario, permittitur regressus recuperata valetudine.

Dico 4. Ut Resignatio, vel permutatio cum reservatione pensionis sit licita, præter consensum Papæ & resignatarii, requiritur causa justa, quæ est indigentia resignantis. Nam non est alia justa causa dispensandi à lege generali hanc reservationem vetante ob rationem allatam à Congregatione Cardinalium ad reformationem Ecclesiæ deputatorum à Paulo II. scilicet, quia *reditus sunt annexi Beneficio ut corpus animæ, ideòque natura sua pertineat ad eum qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honestè pro suo ordine: simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi sacrarumque ædium reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura horum redituum.* Et verò ipsa Resignatio Beneficii non est causa justa pensionis exigendæ, cùm jus percipiendi fructus fundetur in officio, quod resignans dimittit, & transfert in alium. Ratione autem officii præteriti nil potest exigere, cùm propter illud jam reditus perceperit. (*a*)

§. V.

De Permutatione.

Permutatio hic est à beneficiatis facta Beneficii sui in manibus Ordinarii mutua resignatio ea lege, quòd alterius Beneficium alteri conferatur, & vicissim. Si permutanda Beneficia in diversis Diœcesibus sita sint, requiritur authoritas utriusque Episcopi. Si autem permutatio fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, requiritur authoritas Papæ; quia Beneficia conferri debent sine diminutione, & onere, quod iis jure non inest. Quòd si beneficia sint inæqualia quoad dignitatem, vel jurisdictionem, est simonia juris divini hanc inæqualitatem compensare per aliquid temporale: quia hæc dignitas & jurisdictio est quid spirituale, & res spiritualis æstimaretur & compensaretur re temporali. Si verò sint inæqualia quoad fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem Beneficio pinguiori, tamquam conditionem, ut alter indemnis servetur.

Ad permutationem eadem requiruntur, quæ suprà de resignatione dicta sunt. Quare beneficia nequeunt aliis quàm permutantibus conferri: alioqui invalida erit eorum collatio, quia permutantes non intendunt resignare mutuò Beneficia, nisi ut sibi conferantur. Quòd si permutatione facta, beneficium deprehendatur subjectum liti; qui illud resignavit, debet litem prosequi: si evictum fuerit, alter redibit ad suum sine nova provisione, & sine nova in possessionem immissione, ex cap. 20. *de præbend. in 6.*

Ut permutatio licitè fiat, requiritur justa causa, scilicet utilitas Ecclesiæ, seu major Dei cultus, & majus animarum bonum, vel utilitas spiritualis permutantium, quatenus hic in illo Beneficio & alter in alio meliùs potest Deo servire, ex c. 5. *de rerum permut.* Ita S. Thomas, in 4. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 8. ibi: *In permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia.*

Quæst. IV. *Quænam conditiones seu dotes requiruntur, ut quis sit capax Beneficii possidendi?*

Resp. Ex communi sententia, sunt sequentes. 1. Thorus legitimus: nam illegitimè nati, sive naturales, sive spurii: sunt incapaces Beneficii ob irregularitatem, à qua solus Papa dispensare potest ad omnes ordines & om-

(*a*) Vide Const. BENEDICTI XIV. incipien. *In Sublimi Beati Petri Cathedra &c.* editam 4. Kal. Septembr. 1741. tom. 1. part. 71. in qua Resignationes Beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eam cassandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, damnantur, & annullantur; adjecta pœna privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, & restitutionis pecuniæ pro cassatione pensionis perceptæ, & irritantur cassationes, & extinctiones pensionum intra sex menses à capta possessione beneficii, ac etiam cessiones commodi exigendi pensiones factæ intra sex menses à capta possessione.

& omnia Beneficia: Episcopus verò non nisi ad tonsuram, minores ordines, & Beneficium simplex; cap. 1. *de filiis presbyt.* in 6. & cap. 20. *de electione*.

2. Clericatus seu prima tonsura, sine qua irrita est cujusvis Beneficii collatio, ex c. 6. *de transact.* & cap. 2. *de institut.* Ratio est, quia Beneficium fundatur in officio spirituali, & propter illud confertur: cujus quidem officii incapax est laicus. Si Beneficium ex sua institutione vel lege aut consuetudine requirat certum ordinem sacrum, carens illo ordine est ad istud inhabilis, cap. 22. *de elect.* Ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is ordo, sed non debet ultra differri: *ex Clement.* 2. *de etat. de elect.* & Concil. Trident. sess. 22. cap. 4.

3. Ætas idonea, cap. 7. *de elect.* alioqui collatio est nulla. Hæc autem varia requiritur pro varietate Beneficiorum. Ad Episcopatum requiruntur triginta anni completi, ex cap. citato. In Gallia sufficit inchoatus annus 27. ex Concordat. Ad Abbatias, dignitates, & parochialia Beneficia annus 25. inchoatus exigitur, ibid. & à Conc. Trident. sess. 24. c. 12. Tamen ad dignitates non habentes annexam curam animarum sufficit annus 22. completus, ex Conc. Trident. ibid. Ad beneficia simplicia, ut sunt Capellaniæ, annus 14. inchoatus requiritur à Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo requiritur annus 21. quia annexum habet Subdiaconatum. Ex consuetudine tamen datur habenti tantùm annos 14.

4. Cælibatus, ita ut si clericus minorum ordinum ineat matrimonium, ipso jure amittat Beneficium, si quod habet. Ita communiter ex cap. 1. 3. 5. & 8. *de cleric. conjug.* Et conjugatus ad Beneficia admitti non debet, *nisi forte castitatem voveret perpetuam & qui unicam & virginem habuisset uxorem*; ut dicitur capite 2. *de cleric. conjug.*

5. Immunitas à censura & irregularitate etiam occulta; ità ut nulla sit non solùm collatio Beneficii facta excommunicato, suspenso, vel irregulari, sed etiam ejusdem electio, præsentatio, & resignatio in ejus favorem, ex cap. 7. *de cleric. excommun.* c. 8. *de etat.* & cap. ult. *de cleric. pugnat.* & c. 18. *de sentent. excommun. in 6.*

6. Morum probitas, cap. 7. *de elect.* & Conc. Trident. sess. 33. cap. 1. Et ratio ipsa dictat Dei & Ecclesiæ ministros maximè debere esse virtutibus ornatos, cùm alios exemplis, monitis & precibus debeant in pietate promovere. Improbo tamen facta collatio non est ipso jura irrita, sed irritanda, nisi crimen annexam habeat censuram, vel irregularitatem, cap. 11. *de excess. prælat.*

7. Scientia, ea scilicet quæ ad omnia munia Beneficio annexa rectè obeunda requiritur, cap. 7. *de elect.* ex Conc. gen. Later. III. & ex Concil. Trident. Et per se patet, cùm propter illa rectè persolvenda institutum & datum sit Beneficium.

8. Corporis aptitudo, ea nempe, quæ ad officium decenter præstandum necessaria est. Hinc cæcus, mutus, sunt incapaces Beneficii, cùm horas recitare nequeant. Cæcitas tamen superveniens non privat Beneficio priùs acquisito.

9. Vocatio divina, ex Hebr. 5. Nam ad Deum pertinet ministros suos eligere per vocationem; alioquin quis se exponit periculo damnationis æternæ: Cùm his status gravissimis multisque obligationibus sit obnoxius.

10. Intentio perseverandi in statu Ecclesiastico, & suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, nisi occurrat postea justa causa, quæ alium statum suadet. Nam Ecclesiastica Beneficia instituta sunt pro iis dumtaxat, qui statuerint se ministerio Ecclesiæ mancipare: & Ecclesiam in re gravi decipiunt, qui sine prædicta intentione Beneficia suscipiunt. Quare qui Beneficium accipit animo ejus fructibus fruendi donec uxorem convenientem invenerit, vel studia absolverit, vel aliis resignandi, secundùm communem sententiam, teste Lessio, peccat mortaliter. Quia Ecclesiam decipit in re gravi: Beneficia quippe instituta sunt pro iis solis, qui divino servitio se penitùs dicarunt. *Nec est absolvendus donec animum mutet, aut Beneficium dimittat*, ait Toletus. Multi tamen docent hunc non teneri ad restituendos fructus perceptos, si muneri suo satisfecerit; quia jus id nusquam statuerit, nisi de beneficio parochiali suscepto sine animo recipiendi sacerdotium inter annum; & aliunde eos percepit cum justo titulo, & persoluto officio, propter quod dantur.

Adeptus autem Beneficium curatum debet intra annum sacerdotium suscipere: alioquin nisi justa causa impeditus fuerit, Beneficio illo privatur ipso facto, cap. 35. *de elect.* in 6. Qui verò acceptat parochiam sine animo recipiendi sacerdotium intra annum, peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud recipiat, *ibid.* quia Ecclesia Beneficium

ficium curatum confert cum tali onere, & sub tali conditione. Item qui Beneficium simplex requirens ordinem sacrum admittit sine animo certo illum recipiendi peccat mortaliter, quia quisque tenetur de jure naturali velle esse idoneus ad munus, quod suscipit & reipsa se idoneum ad illud ritè & cum onere annexo exercendum præbere.

Præterea Dei gloria, animarum salus, & propria perfectio procuranda debet esse solum motivum suscipiendi Beneficii ob hunc finem instituti, semota omni cupiditate prava divitiarum, honorum, ac commodorum temporalium. (a)

Quæst. V. *An licet habere plura Beneficia?*

Resp. Non licet sub mortali accipere ac retinere plura Beneficia etiam simplicia, & cum dispensatione Papæ, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; nisi aliud postulet Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, vel alia justa causa in utilitatem Ecclesiæ redundans. *Ita Sanctus Thomas, Quodlib. 8. Toletus, Bellarminus, in admonitione ad suum nepot. Azor, Reginaldus, Layman, Lessius, dicens esse fere communem Theologorum sententiam. Imò videtur nunc communis.*

Prob. Quia 1. Papa non est dominus Beneficiorum; sed solùm dispensator, qui non potest validè dispensare bona Ecclesiæ; nisi in utilitatem Ecclesiæ, & ad Dei cultum; eùm in hunc solum finem donata sint. Præterea jure communi prohibita est pluralitas Beneficiorum à Conc. gener. Later. III. c. 13. & 14. Later. IV. c. 29. & Nicæn. II. c. 15. & à Conc. Trident. sess. 24. c. 17. ubi statuitur, *ut unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, etiam conferri.* At usus dispensationis sine justa causa datæ est illicitus, ut dixi in tract. de Legibus. 2. Hæc pluralitas, nisi necessitas vel utilitas Ecclesiæ interveniat, est vetita jure divino naturali, ideòque prorsus indispensabilis. Nam seclusa tali causa, pluralitas illa est intrinsecè mala, cùm contineat multas inordinationes, (ut docet Sanctus Thomas sup.) Nimirum. 1. Minuitur cultus divinus; Deus enim magis per plures ministros, quàm per unum colitur, 2. Ecclesia destituitur suis operariis: nam unus nequit in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. 3. Fundatores frustrantur sua pia intentione: nam Beneficiorum fundatio eò tendit ut plures ministri Ecclesiæ constituantur. 4. Nisi Ecclesiæ necessitas, vel utilitas aliud postulet, iniquum est ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ ministris destinata accipiat. 5. Subsidio privantur alii pauperes clerici, & forsan magis idonei & Ecclesiæ utiliores futuri. 6. Inde profluunt scandalorum occasiones, & suppeditatur avaritiæ, luxus & ambitionis materia. Quare Conc. gener. Later. III. ait, c. 14. pluralitatem Beneficiorum *certum continere periculum animarum*; & Concil. Trident. cap. cit. addit hac pluralitate præverti ordinem Ecclesiasticum. Porrò Beneficiorum pluralitas non est intrinsecè mala, nisi in circumstantiis ubi non adest necessitas vel utilitas Ecclesiæ.

Dixi, *nisi id postulet, &c. Nam*, ut ait Toletus, *plura Beneficia habere et de eorum numero quæ mala sunt; tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur.* Addit quòd perinde sit habere unum Beneficium cum una commenda perpetua seu ad vitam, vel plures commendas, ac habere plura Beneficia in titulum. Nam commenda perpetua æquiparatur Beneficio in emolumento & onere; & Conc. Trident. sess. 24. cap. 17. expressè declarat non licere plura Beneficia etiam commendata habere.

Obj. Si pluralitas Beneficiorum esset intrinsecè mala, numquam licita esset. *Resp.* Ita est, si esset intrinsecè mala in omnibus circumstantiis. Sed non est ex se mala nisi in circumstantiis ubi non adest necessitas vel utilitas Ecclesiæ.

Quæst. VI. *An est culpa mortalis Beneficium conferre indigno vel minùs digno?*

Nota. Indignus dicitur, qui ad officium debitè præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel ignorantiæ, vel morbi, aut similis impedimenti; vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus officio. Hine qui versatur in habitu alicujus peccati mortalis, est indignus: *quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum*; ait S. Thomas, quod-

(a) Iis, quæ ab Auth. exposita sunt, duo accedunt, quæ sunt à SS. D. N. definita, scilicet.
Beneficia curata, aut residentialia conferri non posse Presbyteris, aut Clericis Congregationis Missionis. Constitut. quæ incipit, *Quo magis uberes, &c.* die 18. Decembris 1742. Et, beneficia Ecclesiastica sæcularia conferri non posse Canonicis Regularibus Lateranensibus, aut Sanctissimi Salvatoris, absque indulto Apostolico. Constit. cujus initium est, *Quod instrutabile, &c.* die 9. Julii 1741.

quodlib. 8. quæst. 4. art. 6. Dignior censetur non absolutè qui doctior est, vel sanctior, sed qui omnibus spectatis putatur meliùs officio satisfacturus, & futurus utilior Ecclesiæ, ac bono animarum in illo Beneficio. S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 3.

Resp. 1. Mortale est quodvis Beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eumve præsentare, eligere, &c. dum haberi potest dignus. Ita omnes. Prob. 1. Ex Concil. gener. Later. IV. cap. *Grave*, de Præbend. *Præcipimus, ut prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum*. Qui contra fecerit, jubetur suspendi à conferendis Beneficiis. Et ex Conc. Trident. sess. 7. c. 3. *Inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, &c. conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur*. 2. Quia cùm Beneficium sit institutum propter officium in Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem præstandum, recta ratio dictat non posse conferri ei qui dotibus ad omnes ejus functiones dignè obeundas requisitis caret, vel non putatur prudenter illi officio satisfacturus. 3. Talis promotio cedit in grave damnum injustum Ecclesiæ: quod proinde secundùm omnes compensari debet ab ipso indigno, qui procuravit sibi & accepit Beneficium, & post hunc ab eo qui providit, deinde à cooperatoribus: nam Ecclesiæ ex justitia debetur minister dignus.

Hinc collator, elector, vel patronus debet positivè scire eum, cui Beneficium datur, esse dignum; nec sufficit, si nesciat esse indignum. Quia ex officio tenetur eligere vel præsentare dignum, ideòque nosse eum, quem præsentat vel eligit talem esse. Unde tenetur diligenter inquirere num sit idoneus: alioqui se exponit periculo præsentandi vel eligendi indignum, & proinde peccandi mortaliter.

Nota. Juxta omnes, teste Delugo, eligere indignum seu ineptum ad officia sæcularia, est semper mortale, tum contra charitatem, cùm ex electione indigni multa mala in rep. multis oriantur. Tum contra justitiam; nam reip. rector tenetur ex officio reip. mala præcavere & avertere, & proinde multo magis non ponere illorum causam, & occasionem: alioqui tenetur ad restitutionem. Quod verum est etiam de aliis, qui potestatem à principe accipiunt eligendi vel vendendi illa officia; non enim accipiunt potestatem eligendi, nisi eo modo, quo princeps eligere debet.

Resp. 2. Ad Beneficium annexam habens curam animarum, vel jurisdictionem, vel functionem magni momenti, ut concionandi, docendi, &c. Item ad superioritatem religiosorum, eligere, postulare, proponere, aut præsentare dignum, omisso digniore, ex communi sententia est mortale. *Prob.* 1. Ex Concil. Later. III. cap. 17. ubi præcipit, *ut ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis*, & ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. ubi declarat, *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant .... mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint*. Et quamvis ibi loquatur de Episcopatibus, tamen idem sentire de Parœciis patet, ex cap. 18. ubi præcipit, ut Parœciæ dentur dignioribus, & dicit patronum teneri digniorem ad eas præsentare. Unde S. Pius V. const. 33. ait: *Ut non solùm dignis, sed etiam magis idoneis repertis juxta Concil. Trident. decretum parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus & eadem authoritate decernimus*. Et Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. *Cùm dixit Concil. Trident. eos alienis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent; Concilium vel 1. videtur per hos digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel 2. locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur 3. quando fit concursus*. 2. Ex S. August. epist. 29. *Nec sanè putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione .... quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, atque sanctiore?* Quia electores, patroni, collatores tenentur graviter ex officio & fide debita Ecclesiæ distribuere officia & beneficia, sicut bonum Ecclesiæ & animarum, ad quod instituta sunt, exigit; & utilitatem Ecclesiæ ac cultum divinum, quantum possunt, pro munere suo promovere. Quod non præstant eligendo minùs dignos: nam notabili fructu per digniores præstando, Ecclesias defraudant, imò causam dant gravi detrimento spirituali, quod semper sequitur ex prælatione minus digni, & quod impeditur à digniore. 4. Quia est peccatum acceptionis personarum in re gravi, de quo, Jac. 2. *Si personas accipitis, peccatum operamini*. Nam hoc peccatum consistit in eo quod in jure dicendo, aut bonorum commu-

munium distributione, id quod debitum est uni propter aliquam causam, v. gr. æquitatem, virtutem, meritum, doctrinam, &c. datur alteri intuitu alicujus causæ, v. gr. amicitiæ, consanguinitatis, munerum, &c. ob quam non debetur. Sive acceptio personarum est peccatum, quo in distributione aliquorum bonorum & onerum, non causæ ad rem pertinentis, sed personæ aliarumve causarum ad rem non pertinentium ratio habetur. Unde tunc violatur justitia distributiva in re gravi, cùm in distributione Beneficiorum non attendatur qualitas spectans ad causam, ob quam dari debent; quæ causa est dare Ecclesiæ optimos ministros. Hinc Vasquez ait nullum dubitare esse mortale eligere minùs dignum in Beneficio annexam habente curam animarum.

Ob easdem rationes, ex communi sententia, officia sæcularia magni momenti conferri debent sub mortali magis idoneis: nam id exigit bonum commune; & si omittantur digniores, magnum detrimentum patitur respublica.

Resp. 3. Electores, patroni, collatores tenentur graviter curare, ut dignioribus Beneficia etiam simplicia conferant. *Est communis sententia*. Prob. 1. Ex cap. unic. *Ut Eccles. benefic.* ubi Innocentius III. de Beneficio non curato loquens ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium & Beneficium in persona magis idonea dispensare*. 2. Ex SS. Patribus, & ex S. Thoma, qui, 2. 2. qu. 63. art. 2. generaliter & indistinctè docet committi acceptionem personarum in Beneficiis, si non dentur dignioribus. Et, ad 3. ait: *Ut electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, non oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio habere posset calumniam. Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*. 3. Quia Beneficia primariò instituta sunt ad majorem Dei cultum & Ecclesiæ utilitatem: secundariò autem ut sint præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur, & juventur. At uterque finis impeditur, si minùs digni præferantur. 4. Omittens digniores agit in re gravi contra fidelitatem ex officio debitam Ecclesiæ: nam Ecclesia talibus commisit facultatem providendi de Beneficio ea lege, ut utantur tamquam fideles dispensatores secundùm fines ab Ecclesia in beneficiorum institutione intentos: quod est aliquid grave; Et verò ab bonum Ecclesiæ multum interest, ut divina officia quàm decentissimè & devotissimè celebrentur. At violare in re gravi fidem ex officio debitam est mortale. 5. Violatio justitiæ distributivæ per acceptionem personarum mortalis est ex genere suo, adeòque in re gravi, ut in canonicatu, vel quando notabilis & evidens est excessus inter promotum, & eligendum. Ita Sanctus Antoninus, Vasquez, Molina, Rebellus, & alii contra alios, qui docent esse solùm veniale, modò verè digni eligantur. Lessius verò concedit esse mortale, si id passim fiat. Idem docet Delugo.

Hinc resignans & permutans tenetur minùs digno digniorem, qui est in promptu, præferre, tum ex charitate boni communis, tum ex justitia distributiva. Quia Beneficia sunt instituta pro dignioribus, nec ab Ecclesia facultatem resignandi vel permutandi accipiunt, nisi cum eodem onere, quo obligantur prælati & patroni. Porrò si aliquod Beneficium ex dotatione dandum sit alicui ex tali capitulo vel familia, dignior est eligendus. Si tamen nullus esset dignus, alius alibi quærendus esset, quia hæc fuit intentio fundatorum & Ecclesiæ, nec alia potuit esse.

Nota. Nulla esset culpa dare minùs digno Beneficium simplex, cùm id postulat charitas, vel alia justa causa ad majus bonum Ecclesiæ spectans aut redundans: ut si clericus, præsertim sacerdos, non possit inopia levari, nisi per Beneficium simplex: vel si digniores reservandi sint pro Beneficiis curatis: vel ut Pastor minùs idoneus à cura animarum amoveatur.

Quæst. VII. *Quibus modis Beneficia amittuntur?*

Resp. Quatuor. 1. Per mortem Beneficiati. 2. Libera resignatione coram superiore eam acceptante. 3. Per sententiam judicis, ob crimen juxta canones hac privatione puniendum, ut homicidium, simplex sacrilegium, adulterium, perjurium, &c. 4. Dispositione juris, idque quadrupliciter. 1. Per alterius Beneficii incomparibilis consecutionem. 2. Per matrimonium. 3. Per professionem religiosam. 4. Per aliquod crimen, cui privatio Beneficii ipso jure annexa est: qualia sunt hæresis, schisma, simonia, falsificatio litterarum Apostolicarum, sodomia, homicidium per sicarium pretio conductum, &c. Tamen juxta communem sententiam reus non tenetur statim ante sententiam declaratoriam criminis Beneficium suum dimittere, nisi hoc expressè habeatur in jure. Sed tunc sententia judicis declaratoria retrotrahitur ad diem commissi cri-

mi-

minis: ita ut non solùm omnes fructus Beneficii ab illo die percepti amittantur, sed etiam resignatio vel permutatio illius post crimen facta rescindi possit.

Quæst. VIII. *Quænam observanda de Pensionibus?*

Resp. Sequentia. I. Pensio est jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio. Alia est laica, qua propter temporale aliquod obsequium datur, nec exigit clericatum, adeòque laicis competere potest, ut procuratori, advocato, &c. Alia clericalis seu ecclesiastica, quæ solis clericis conceditur. Et hæc duplex est, scilicet merè spiritualis, quæ datur clerico ob ministerium spirituale, v. gr. concionatori, vicario parochi, & mixta, quæ quidem statum clericalem requirit, & in eo fundatur, non tamen ob ministerium spirituale, sed ad honestam sustentationem datur.

II. Ut pensio clericalis validè & licitè obtineatur, quatuor requiruntur. 1. Ut impetrans sit clericus, seu habeat primam tonsuram; non sit conjugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ulla censura irretitus. Quòd si pensio sit mixta, requiritur insuper ut non habeat aliunde necessaria ad honestam sustentationem: si verò sit merè spiritualis, ut ministerium spirituale possit & velit rectè præstare. 2. Requiritur dispensatio Papæ: nam lex est generalis, & titulus juris canonici, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*; & constat ex usu Ecclesiæ. Quare Episcopi pensionem constituere nequeunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus facultas hæc eis à Concil. Trident. sess. 21. cap. 6. & sess. 23. cap. 18. conceditur. 3. Requiritur justa causa, sine qua ex communi sententia graviter peccarent & Papa, & impetrans, sicut malè res domini sui dispensans œconomus, & qui recipit pecuniam ab œconomo malè res domini sui dispensante. Unde non licet eam retinere. *Sine causa enim* (inquit Toletus, l. 5. cap. 83.) *non habet locum in foro interiori & coram Deo dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent: etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit; nam Papa non est dominus bonorum Ecclesiæ, sed solùm universalis dispensator. Unde sicut cùm dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit, ita in pensionum & Beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona: si enim nulla via in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est causa legitima.*

Antoine Theol. Moral.

4. Debet esse moderata, ita ut beneficiario relinquatur quantum satis est ad honestam sustentationem. Ex consuetudine non debet excedere tertiam partem fructuum, quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

III. Sicut non licet habere plura Beneficia, ita nec plures pensiones, quando una sufficit; quia cùm pensio detur in vitæ subsidium, si una sufficiat ad honestam sustentationem, cessat causa aliam obtinendi. *Azor, & alii.*

IV. Pensio extinguitur. 1. Morte naturali, vel civili, aut degradatione pensionarii. 2. Per matrimonium, vel professionem religiosam. 3. Per varia delicta, qualia sunt hæresis, læsæ Majestatis aut Sedis Apostolicæ, item percussionis Cardinalis, vel Episcopi, in cujus diœcesi percipitur pensio.

V. Pensionarius clericus, qui non est aliunde obligatus ad Horas canonicas, tenetur sub mortali recitare quotidie parvum B. V. officium; & si omiserit, non facit fructus suos, sed tenetur perceptos restituere fabricæ vel pauperibus eo modo quo beneficiatus omittens tenetur. Ita statuit Pius V. in Bulla *Ex proximo*, quæ viget etiam in Galliis. Nec jam conceditur pensio nisi sub hoc onere. Tenetur etiam tonsuram & habitum clericalem gerere, ut statuit Sixtus V. Constit. 92.

DE MATUTINO PRIVATO,

Sive de tempore inchoandi Matutinum pro die sequenti.

T A B U L A

Omnibus Breviarium Romanum recitantibus proposita, Romæ edita Typis Rever. Cameræ Apostolicæ, & ad Horas Horologii Gallici accommodata.

20	Januarii	hora secunda cum quadrante.
13	Februarii	hora sesquisecunda.
1	Martii	hora secunda cú tribus quadr.
18	Martii	hora tertia.
4	Aprilis	hora tertia cum quadrante.
20	Aprilis	hora sesquitertia.
10	Maji	hora tertia cum tribus quadr.
8	Junii	hora quarta.
30	Julii	hora tertia cum tribus quadr.
28	Augusti	hora sesquitertia.
7	Septembris	hora tertia cum quadrante.
24	Septembris	hora tertia.
13	Octobris	hora secunda cum quadr.
20	Octobris	hora sesquisecunda.
18	Novembris	hora secunda cum quadr.
25	Decembris	hora secunda.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, ET VITIIS EIS OPPOSITIS.

Virtutes Morales sunt eæ, quæ habent pro objecto attributionis immediato actus humanos ut honestos, hoc est, consentaneos naturæ rationali ut rationali, & legi divinæ; & pro formali ipsam honestatem elucentem in illis actibus. Quælibet autem virtus moralis seorsim sumpta habet pro objecto materiali certos actus honestos sibi proprios, & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in suis actibus.

Præter Religionem quatuor sunt primariæ virtutes morales, à quibus aliæ dimanant, vel quibus annexæ sunt, unde dicuntur Cardinales, nimirùm Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia, quæ commendantur Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet* (sapientia) *& justitiam & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

CAPUT PRIMUM.

De Prudentia, & Vitiis ei oppositis.

I. Prudentia est virtus ostendens quid in quavis particulari actione agendum sit tanquam honestum, vel fugiendum tanquam turpe, in ordine ad finem ultimum: nam agitur hìc de perfecta prudentia, quæ proposito vero & ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe Deo, seu Dei gloria & possessione, praescribit media ad hunc finem apta. Hinc patet quàm sit necessaria. *Oculi tui videant recta*, Prov. 4. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*. Ephes. 5. Est autem virtus moralis tum objective, quatenus versatur circa eandem materiam, decernendo & dictando quid virtus moralis prosequi, & quid fugere debeat: tum directivè, quatenus dirigit voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & fugiendos inhonestos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu: unde dicitur virtus intellectualis, morum doctrix.

II. Prudentiæ actus sunt bene consultare, rectè judicare, & præcipere executionem.

III. Peccata specialiter prudentiæ opposita, alia sunt per defectum, scilicet. 1. Præcipitatio & inconsideratio, quæ sunt peccata ejusdem speciei & gravitatis, cujus sunt illa, quibus homo se exponit, præcipitanter & inconsiderate judicando, vel agendo: nam eodem præcepto prohibentur. 2. Mentis inconstantia, qua sine justa causa mutatur sententia. Est mortalis quando quis ex voto, vel charitate, vel alio præcepto tenetur graviter perseverare in sententia. 3. Negligentia, quæ est mortalis vel venialis prout quis negligit id, ad quod graviter vel leviter obligatur, aut adiit periculum graviter vel leviter peccandi.

Alia sunt per excessum, nempe. 1. Prudentia carnis, quæ proposito malo fine, nempe bono creato inordinatè expetito, præscribit media ad hunc finem assequendum apta. Est mortale ei obsequi in re gravi: nam, Rom. 8. *Prudentia carnis mors est .... Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta*. 2. Astutia, quæ est notitia mediorum pravorum, occultorum, ad fallendum aptorum, cum affectu exequendi conjuncta. Est mortalis vel venialis pro ratione affectus cui subest, & damni quod proximo obvenit, & pravitatis medii. Ad hanc revocantur dolus & fraus, quæ in eo inter se differunt, quòd dolus sit astutiæ executio tum verbis, tum factis; fraus autem solis factis. 3. Nimia sollicitudo temporalia acquirendi, vel conservandi, quæ prohibetur, Matth. 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, &c.* Mortalis est, cùm ex sollicitudine violatur gravis obligatio, vel cùm in ea re creata ponitur finis ultimus: ut facit is, qui ex affectu illius peccat mortaliter, vel sic peccare paratus est, potiùs quàm re illa carere.

CAPUT II.

De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac Vitiis oppositis.

Quæst. I. *Quid est Fortitudo, & quænam sunt vitia ei opposita?*

Resp. 1. Fortitudo est virtus, quæ animum secundùm rectam rationem & legem divinam moderatur circa ea, quæ acerba & terribilia sunt: ita ut nec pravo timore, nec temeritate quidquam agat aut omittat contra rectam rationem & legem divinam. Quare moderatur timorem, audaciam, & tristitiam in gravibus malis, & periculis præsertim mortis. Sive Fortitudo est, virtus moralis inclinans voluntatem ad aggredienda pericula & ardua, ad perferendum labores & gravia mala, secundùm rectam rationem, & voluntatem divinam. De qua virtute agit S. Paulus, Ephes. 6. his verbis: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis*

entis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli .... ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Et, 1. Cor. 16. *State in fide, viriliter agite, & confortamini.*

Fortitudinis actus sunt aggressio & perpessio.

Resp. 2. Peccatur contra Fortitudinem per excessum & defectum timoris, & audendi: unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timiditas seu timor inordinatus, cum timetur quod, vel quando non oportet vel plus quàm oportet. 2. Animi stupiditas, qui est defectus timoris rationabilis, ut cùm quis mala seu pericula non formidat nec cavet, quæ, vel quando, vel quantùm oportet formidare & cavere. 3. Audacia seu temeritas, quæ est excessus in audendo vel aggrediendo, quando, ubi, quomodo non oportet. 4. Ignavia, quæ est defectus audendi, ut cùm quis non aggreditur vel non sustinet quod, & quando, & sicut recta ratio dictat.

Quæst. II. *Quænam sunt virtutes Fortitudini annexæ, & vitia his opposita?*

Resp. Sunt quinque ejusmodi virtutes, nimirum.

I. Magnanimitas, quæ est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna ac heroica qua talia in omni virtutum genere inclinans. Quare licèt versetur circa opera ardua aliarum virtutum, est tamen specialis virtus, quia ad illa inclinat ex motivo proximo sibi proprio: nempe quia sunt magna & ardua, hoc est, consentanea animo magno & generoso, ad maximam dignitatem, perfectionem, ad amicitiam ac filiationem Dei beatitudinemque destinato, & magnis gratiæ præsidiis instructo.

Ei per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, & vana gloria, de quibus dixi, in tractatu de Peccatis. Per defectum verò pusillanimitas, quæ est vitium, quo quis ex animi parvitate, nimiaque abjectione recusat tendere in id quod est suæ potentiæ proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei; suamve authoritatem, dignitatem, & privilegia negligit; cùm id necessarium vel utile est ad Dei honorem; aut aliorum utilitatem. Est mortale vel veniale peccatum, prout sub mortali vel veniali tenetur suscipere id quod detrectat, vel tueri id quod negligit.

II. Humilitas est virtus, quæ vera nostri cognitione appetitum excellentiæ propriæ secundùm rectam rationem & Dei voluntatem moderatur, ne inordinatè extollamur, & inclinans ad vilitatem nostràm ac subjectionem erga Deum actibus internis & externis agnoscendam ac profitendam, atque omnem gloriam ac honorem Deo ut bonorum omnium authori tribuendum.

Ejus actus præcipui sunt, 1. Agnoscere se ex seipso nihil esse, nihilque, sed omnia accepisse à Deo; imò se esse peccatorem, adeoque suppliciis & omni contemptu dignum. 2. Nihil sibi adscribere, sed seipsum contemnere, omnem honorem, gloriam ac laudem Deo ut bonorum omnium authori attribuere. 3. Neminem contemnere, nemini velle præponi, sed omnes sibi animo præferre, considerando aliorum perfectiones ac virtutes, sua verò vitia & peccata, juxta illud, Phil. 2. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* 4. Subjicere se in omnibus Deo, & superioribus ut Dei Ministris propter Deum. 5. Laudes & honores, quantùm recta ratio permittit, fugere; ea propter se nunquam quærere nec partis delectari. 6. Contemptus, contumelias, & humiliationes æquo animo propter Deum exemplo Christi ferre, imò & diligere. 7. In rebus externis & functionibus, quantùm in se est, amplecti semper id, quod est abjectius & minùs honoratum, habita tamen ratione decoris, dignitatis & officii.

Humilitas est virtus præstantissima, virtutum procreatrix, & radix summæ ac æternæ gloriæ, juxta illud Christi, *Qui se humiliat, exaltabitur*, Luc. 14. & 18. estque necessaria ad salutem, imò est fundamentum aliarum virtutum, sicut superbia est radix omnis peccati. Ei opponitur non solùm superbia, sed etiam inordinata sui subjectio, quæ fit cum injuria aut neglectu muneris proprii, aut jactura status sui, vel damno eorum, quibus prodesse debes: ut si pater infra filium, superior infra subditum exteriùs se abjiciat; nam humilitas inclinat ad sui abjectionem juxta rectam rationem, & ut decet. Unde illud, Eccli. 9. *Est qui se nimium submittit.*

III. Magnificentia, quæ est virtus inclinans ad magna opera externa magnis sumptibus efficienda, quando recta ratio dictat, & præcipuè ad ea quæ pertinent ad honorem Dei. Differt à liberalitate, quòd hæc circa sumptus mediocres, & ordinarios, illa circa majores versetur. Ei opponitur per excessum profusio, qua quis majores sumptus facit quàm ratio dictat. Est mortalis ratione gravis damni proximo illati, ut si propterea debita non solvas, eleemosynas omittas, &c. Per defectum verò parvificentia, qua quis,

præ animi angustia, opus magnos sumptus requirens non audet suscipere quando oportet, vel susceptum relinquit, vel non decorè perficit. Est mortalis, si graviter quis ad opus magnum teneatur, v. gr. ex voto, promissione &c.

IV. Patientia, qua in rebus adversis mœror temperatur, & mala præsentia æquo animo tolerantur. Est maxima virtus & valde necessaria. *Patientia opus perfectum habet; ut sitis perfecti & integrè, & in nullo deficientes*. Jac. 1. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*, ad Hebr. 1. Opponitur per excessum impatientia, qua quis plus justo de malis dolet. Potest esse mortalis ratione scandali, vel mali, quod quis ex impatientia facit, optatve; vel præcepti violati. Per defectum insensibilitas seu animi durities, cùm quis ob animi stuporem nec propriis nec alienis malis movetur.

V. Perseverantia, seu constantia, quæ inclinat & firmat ad persistendum in opere bono, & non obstante molestia ac difficultate quantumvis diuturna, quandiu recta ratio dictat. Ei opponitur per excessum pertinacia, qua quis proprium sensum, vel agendi propositum retinet quando non oportet, vel plùs quàm oportet: per defectum inconstantia in agendo, qua quis sine justa causa à bono proposito desistit. Utraque est mortalis vel venialis pro subjecta materia, seu prout gravis vel levis obligatio violatur. Est autem semper veniale sine justa causa propositum bonum mutare, vel ab eo bene cœpto desistere in re non præcepta, quia inordinatum est & contra rectam rationem leviter & sine rationabili causa bonum propositum mutare, vel ab inchoato bono discedere.

Nota. Per se loquendo, graviùs peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quàm per excessum: sic gravior est superbia quàm nimia abjectio: desperatio quàm præsumptio. Quia peccata per defectum sunt contra id, ad quod primariò ac principaliter virtus inclinat. Sic spes primariò inclinat ad sperandum in Deum, & secundariò ad non nimiùm in se sperandum & sic de aliis.

CAPUT III.

De Temperantia, & Virtutibus ei annexis.

Quæst. I. QUid est Temperantia?

Resp. Temperantia latè sumpta est virtus, quæ secundùm rectam rationam & legem divinam operationes & passiones humanas moderatur. Sive est virtus refrænans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem allieiunt, illosque moderans secundùm rectam rationem ac legem divinam. *Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata donatio*, ait S. Aug. l. 83. quæst. qu. 31. Sed sic sumpta non est virtus specialis, nam id præstat omnis virtus moralis in sua materia: Justitia enim, v. gr. affectum à furtis & injuriis avertit.

Temperantia strictè sumpta est virtus, quæ secundùm rectam rationem ac legem divinam moderatur appetitum & usum rerum, quæ delectationem sensuum, præsertim gustus & tactus pariunt, qualia sunt esculenta, poculenta, & venerea. Hinc tres sunt temperantiæ species, nempe abstinentia, sobrietas & castitas.

Abstinentia est virtus, quæ secundùm rectam rationem moderatur appetitum & usum ciborum oblectantium, atque etiam potionis non inebriantis.

Sobrietas est virtus, quæ appetitum & sum potionis vim inebriandi habentis moderatur secundum rectam rationem. Supple semper, & legem divinam: nam quidquid est contra rectam rationem, est etiam contra legem Dei, cùm recta ratio sit intimatio legis divinæ æternæ.

Regula autem ac mensura cibi, potus, & somni sumenda est ex fine proximo, ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, & idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio, seu habitudo, ad Dei gloriam ultimatè ordinata: nam finis est mensura eorum, quæ sunt ad finem. *Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu*, ait S. August. lib. de moribus Eccles. cap. 21. Per necessitatem intellige non solùm absolutam ac physicam, sed etiam moralem, non enim illud solùm dicitur necessarium vitæ humanæ ejusque officiis, sine quo absolutè vivere aut ea officia omninò obire non potes: sed etiam id sine quo hoc non potes commodè & convenienter tuo statui, spectatis quoad qualitatem cibi & potus circumstantiis status, conditionis, officii, opulentiæ, loci, personarum quibuscum vivis & negotiorum occurrentium. Igitur ad temperantiam

tiam spectat nec plus nec minùs cibi, potus & somni sumere, quàm ad bonam corporis valetudinem, & vires ad munera sua rectè obeunda requisita, aptamque mentis ad suas functiones dispositionem expediat: cum hoc discrimine, quòd major quantitas sit illicita; minorem autem subinde sumere ob justam & graviorem causam, quàm sit robusta valetudo corporis, v. gr. ob carnis mortificationem, vel satisfactionem pro peccatis, sit laudabile, etiam si vires corporis imminuantur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens reddatur ad suas functiones ineptior, ita ut homo semper valeat rectè præstare ea, ad quæ tenetur. Ea quippe bona est corporis valetudo, quæ optime mentis & animæ saluti servit: nam corporis est ut animæ serviat ad suas functiones, quæ omnes ad Dei gloriam & salutem nostram referri debent. Hæc autem abstinentia major, quam ratio temperantiæ per se exigit, pertinebit ad aliam virtutem, ex cujus affectu servatur, v. gr. castitatem, pœnitentiam, &c.

Castitas est virtus, quæ cohibet vel moderatur appetitum & usum venereorum ac delectationis venereæ secundùm rectam rationem & legem divinam. De qua Paulus, 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Et 1. ad Timoth. 2. *Quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Pudicitia autem vel est eadem virtus, quæ castitas, vel ejus pars integralis cohibens oscula, amplexus, aspectus, & tactus impudicos, eorumque delectationem.

Triplex est castitas: nempe virginalis, conjugalis, & vidualis. Prima est voluntas constans & efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione & delectatione venerea. Secunda est voluntas constans & efficax abstinendi ab omni actione & delectatione venerea cum non conjuge, & ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis & legis divinæ regulam. Tertia est propositum abstinendi in posterum propter Deum ab omni actione & delectatione venerea percepta in conjugio.

Abstinentiæ opponitur gula strictè sumpta, sobrietati ebrietas, & castitati luxuria, de quibus dixi in Tractatu de peccatis.

Quæst. II. *An liceat agere ob voluptatem seu delectationem moderatam & per se licitam, eamquam propter se appetere?*

Resp. Neg. Quia 1. Omnis actus, qui non est bonus saltem ratione finis, hoc ipso malus est, ut docet S. Aug. lib. 5. contra Julian. c. 3. *Cùm facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*; idque satis indicat Christus, Matth. 12. dum ait: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines: reddent rationem de eo in die judicii*, utique tanquam de peccato: Ergo omne opus otiosum moraliter est malum, æque ac verbum otiosum, cùm sit eadem ratio, & species ibi ponatur pro genere. At omnis actus, qui non est bonus, est saltem otiosus moraliter seu in ordine ad mores; ergo malus est. Jam verò actus non est bonus nisi habeat finem honestum, hoc est, consentaneum naturæ rationali & legi divinæ. 2. Homo deliberatè agens tenetur semper agere propter finem proportionatum, seu consentaneum naturæ rationali quatenus rationalis est, ideòque propter finem honestum: tenetur enim semper agere modo proportionato seu consentaneo naturæ rationali qua rationali, alioqui sciens ac volens deficit à conditione sua & à dignitatis præstantia, qua brutis excellit, seque ipsum deprimit ad modum agendi brutalem. Non potest autem agere modo proportionato naturæ rationali qua rationalis est, nisi agendo propter finem consentaneum naturæ rationali, quatenus rationalis est. 3. Agens ob delectationem agit inordinatè & contra rectam rationem: nam pervertit rerum ordinem à Deo authore naturæ institutum, secundùm quem delectatio ex natura sua est propter operationem, non autem operatio propter delectationem, ut agnovit Aristoteles; *Bonum delectabile*, inquit, *cùm sit inferius honesto, ordinatur per se ad illud*: & docet S. Thom. 1. 2. qu. 4. art. 2. ad 2. *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes*; ut scilicèt faciliùs, promptiùs, meliùs, & constantius efficerentur. Itaque delectatio moderata potest quidem percipi, & appeti ut medium, sed non ut finis: cùm inordinatum sit velle sistere in eo tanquam fine actionis, quod Deus instituit solum ut medium ad actionem meliùs, promptiùs & constantiùs faciendam. 4. Innocentius XI. damnavit has propositiones. 8. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*; hoc est, sistere in delectatione actuum tanquam in fine obtento. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Hinc manducare etiam moderatè, audire musi-

musicam, odorari florem, & similia oblectamenta capere ob solam delectationem, per se loquendo est venialis culpa.

Quæst. III. *Quænam sunt virtutes Temperantiæ annexæ?*

Resp. Sex. Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Eutrapelia, & Circumspectio.

I. Mansuetudo est virtus, quæ iram moderatur juxta rectam rationem sic, ut non irascamur, nisi quando, quantùm, cui, & quomodo oportet. De qua Apostolus, ad Tit. 3. *Admone illos .... neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*

Ei opponitur per excessum iracundia, de qua alibi, per defectum verò nimia dissimulatio, cùm nempe ex iræ defectu mala impunita manent; nec quis irascitur ubi, quando, quantùm & quibus oportet, ut justitia servetur, vitia corrigantur, scandalum tollatur, &c. Est mortalis ex genere suo, cùm repugnet charitati, vel justitiæ.

II. Clementia est virtus, qua superior ex animi lenitate inclinatur ad pœnam debitam mitigandam, vel remittendam, quantùm patitur recta ratio, justitia, disciplinæ bonum, rei salus, & ædificatio publica.

Ei opponitur per excessum crudelitas, qua quis ex animi austeritate propensus est ad exigendam pœnam ultra meritum culpæ. Est ex genere suo mortalis, cùm repugnet charitati & justitiæ. Per defectum verò nimia lenitas, qua quis pœnam remittit aut mitigat, ubi severitate utendum recta ratio dictat, ad delinquentem emendandum, servandam disciplinam, &c. Est culpa gravis vel levis, pro ratione damni vel scandali, quod ex ea provenit.

III. Studiositas est virtus, quæ secundùm rectam rationem moderatur appetitum sciendi, & ipsum studium, ita ut quis ea solùm velit scire, quæ ipsius conditioni & capacitati conveniunt, & studeat ea diligentia qua oportet, iis rebus quibus oportet, ex debito fine, & in debitis circumstantiis loci & temporis. Unde ejus est refrænare affectum inordinatum cognoscendi, moderari studium, incitare ad diligenter addiscendum res necessarias & convenientes.

Ei opponitur per excessum curiositas, quæ est inordinatus appetitus cognoscendi. Est autem inordinatus vel ex parte objecti, & tunc definitur, Appetitio vel cura superflua cognoscendi ea, quæ ad se non pertinent, sive quæ nec ad propriam, nec ad proximi utilitatem, nec ad Dei honorem conducunt: vel ex parte modi, ut si ea, quæ ad te spectant, velis addiscere tempore non congruenti, vel laboribus immodicis, & corpori vel menti noxiis.

Curiositas est mortalis. 1. Ratione objecti prohibiti, v. gr. si legas libros ab Ecclesia aut superioribus prohibitos, aut velis scire ea quæ dicuntur in confessione, &c. 2. Ratione medii, si adhibeatur graviter illicitum, ut superstitiosum, &c. vel ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione periculi peccandi mortaliter, ut si legas libros contra fidem aut bonos mores, &c. 4. Si per studium minus utile homo impediatur ab addiscendis iis, quæ scire tenetur. 5. Ratione nocumenti seu damni, ut si ob immoderatum studium valetudo graviter lædatur. 6. Si quis ab alio scire vult, quod sub mortali revelare nequit. 7. Ratione injuriæ gravis, ut si quis litteras alterius clausas sine consensu ejus, à quo vel ad quem scribuntur, saltem prudenter præsumpto, aperit & legit: nam tunc violatur jus, quod quisque habet, ne arcana consilia & negotia litteris commissa sine ejus consensu cognoscantur. *Ita Navarrus, Toletus, Layman, & alii.* Unde est mortale contra justitiam litteras alienas legere, quando continent secreta magni momenti, vel ea quæ multum expedit non innotescere, vel quæ multum optat celari is, à quo vel ad quem scribuntur, vel quando timeri potest inde secutura aliqua infamia vel aliud damnum grave. Cùm autem id omne ante apertionem ignoretur, ideò litterarum alienarum apertio lectioque ordinariè mortalis est ob morale periculum lædendi jus secreti in re gravi. Id etiam est contra fidem publicam, cui sigilla litterarum credita intelliguntur.

Multi docent esse solùm veniale litteras à domino dilaceratas & in publicum projectas ex sola curiositate colligere, junctisque partibus legere; quia tunc habentur pro derelictis. Sed hoc alii negant; quia dominus lacerando satis ostendit se non derelinquere jus, quod habet ad secretum litterarum. Imprudenter quidem agit, partes laceratas in publicum projiciendo; sed imprudentia alicujus non privat illum jure suo.

Item peccat contra justitiam, qui alterius scripta ipso invito legit; & quidem mortaliter, si fiat cum gravi damno, vel alter valde cupiat esse secreta, graviterque sit laturus. Excipe, nisi constaret scripta vergere in damnum injustum communitatis, vel etiam privati; nemo enim habet jus ad medium injustum. Possunt quoque litteræ aperiri authorita-

ritate publica, nempe Principis, Magistratus, cùm id exigit bonum commune, cui jura privatorum subordinantur. Sed ii, qui secreta legerint, tenentur celare. Parentes habent etiam jus aperiendi litteras liberorum curæ suæ subjectorum.

Curiositas autem, qua non læditur graviter charitas nec justitia, est per se solùm venialis, secluso periculo graviter peccandi, vel prohibitione gravi: quia non est per se magna inordinatio quod quis plus æquo appetat cognitionem rerum sibi necessariarum aut utilium, vel præcisè id, quod ad se non pertinet, cognoscere velit sine gravi injuria alterius, aut supervacaneam in eo curam ponat, modò necessaria non negligat.

Per defectum adversatur studiositati negligentia, quæ est voluntaria omissio studii vel inquisitionis ad discendum quæ quisque scire vel discere tenetur. Estque peccatum grave vel leve pro gravitate vel levitate rei, quæ sciri debet, spectato ejus fine. Hinc gravis negligentia discendi obligationes suas, sive proprias sui muneris seu officii est semper mortalis.

IV. Modestia duplex est: una est modestia motuum externorum, quæ motus & gestus corporis externos moderatur secundùm rectam rationem, ita ut congruum est personæ spectatæ tum in se, tum in ordine ad eos quibuscum versatur, & ad locum, tempus, statum, &c. *Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere*, ait S. Ambrosius, lib. 1. de officiis, cap. 9.

Ei opponitur per excessum petulantia & insolentia, qua non servatur decorum in voce, gestu, & aliis motibus externis corporis; ut si quis vocem nimiùm attollat, gestus aut gressus insulsos habeat, si Religiosus mores aulicos sectetur, &c. Per defectum morum ruditas seu rusticitas.

Altera est modestia cultus seu parcitas, qua in cultu ornatuque corporis, & apparatu rerum externarum, domus, supellectilis, conviviorum, &c. servatur mediocritas, & congruitas ad personam, facultates, statum, conditionem, approbatam consuetudinem, & ad tempus, locum, &c. Contra hanc peccatur, 1. Per luxum, excedendo modum consuetum & convenientem conditioni ac facultati personæ in vestibus, conviviis, supellectili, &c. Item assumendo vestem alterius sexus. *Cultus exterior* (inquit S. Thom. 2. 2. qu. 196. art. 2. ad 3.) *debet competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem. Et ideo de se vitiosum est, quòd mulier utatur veste virili, aut è converso: & præcipuè quia hoc potest esse causa lasciviæ, & specialiter prohibetur in lege... Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi*. 2. Ratione affectus inordinati, quando nimium studium in hujusmodi rebus ponitur, ut sæpe faciunt fœminæ multum temporis tam pretiosi in se ornandis collocantes. 3. Per defectum, & dicitur Sordiditas, qua non servatur decorum in cultu corporis, & rerum suarum.

Porrò peccata contra utramque modestiam interdum sunt mortalia, scilicet, ratione scandali, damni, pravi finis, &c. Sic excessus in ornatu & apparatu externo est mortalis ratione affectus, si sit causa non solvendi debita, non dandi eleemosynas necessarias, non collocandi liberos in statu convenienti, vel alia non præstandi ad quæ quis tenetur: vel ratione affectus graviter immoderati, ut si propter ornatum aliquis sit paratus peccare mortaliter: vel ratione scandali, quod sæpe dant mulieres in modo se exornandi, qui ad luxuriam alliciat intuentes, ut revera alliciunt mulierum reseratus sinus, cæteræque corporis nuditates, ut docet Sanctus Carolus, in instruct. confessar.

Quod ad larvas, & personatus attinet, hæc propter immodestiam, & nimiam mentis divagationem sunt peccata venialia: mortalia verò si in talibus circumstantiis adhibeantur, ut ad libidinem incitent vel libidini præbeant occasionem, ut sæpe contingit.

Sed an mulieres peccant, si se ornent ad placendum viris?

Sic respondet S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 2. *Si mulier conjugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris*. Et ad 2. ait: *Mulierum fucatio est quadam species fictionis,*

quæ non potest esse sine peccato .... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.

V. Eutrapelia seu jucunditas est virtus, quæ inclinat ad servandum modum ac decorum in dictis & factis ludicris ad animi recreationem institutis.

Contra illam peccatur per excessum. 1. Ratione objecti, si immodestum, petulans, contumeliosum, injuriosum, obscœnum, periculosum, vel prohibitum jocandi aut ludendi genus usurpetur. 2. Ratione circumstantiarum, si genus ludendi vel jocandi alioqui licitum exerceatur in loco vel tempore indebito, modo indecoro, nimis diu, vel contra dignitatem personæ illud usurpantis vel ejus coram qua usurpatur. 3. Ratione immodici affectus. *Caveamus etiam ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum*, ait S. Ambr. lib. 1. de offic. cap. 20.

Per defectum vero peccatur, cùm quis ex animi austeritate seu morositate omnem honestam animi recreationem sibi necessariam repudiat, val in aliis impedire conatur.

VI. Circumspectio est virtus, quæ sermones moderatur secundùm rectam rationem & legem divinam, ita ut non loquamur nisi quando, ubi, quæ, quibus & quomodo oportet. Est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera admittuntur peccata; nam *lingua ignis est, universitas iniquitatis*, Jac. 3.

APPENDIX.

De Jejunio Ecclesiastico.

Quæst. I. *Quænam ad illud requiruntur?*

Resp. 1. Tria. 1. Abstinentia à carnibus, atque etiam ab ovis & lacticiniis; nam hæc sunt etiam prohibita jure communi, eo quod ex carne originem ducant, & multum nutriant, can. 6. dist. 4. ex S. Greg. ibi: *Par est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis*. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget*. Verùm hac in re spectanda est cujusque regionis legitima consuetudo: nam quibusdam in locis esus ovorum & lacticiniorum omnibus jejuniorum diebus prohibetur, in plerisque verò solùm in quadragesima: imò dicunt in quibusdam, ut in Germania, ne in quadragesima quidem. S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 8. ad 3. ait: *In jejunio quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversa consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundùm morem eorum, inter quos conversatur.*

2. Abstinentia à pluribus refectionibus ita ut intra spatium diei naturalis non nisi semel corpus reficiatur. Sic enim Ecclesia vult per jejunium corpus castigari, & concupiscentiam coerceri, ut tamen natura ipsa non notabiliter lædatur: multum autem læderetur, si una refectio non permitteretur; & corpus non castigaretur, nec concupiscentia satis coerceretur, si permitterentur duæ. Hæc refectio debet esse continua, alioqui non esset una, sed repetita. Si quis tamen ob urgentis negotii causam ab illa nondum sufficienter sumpta discedat, potest confecto negotio ad eam redire, eamque perficere; quia spectatis circumstantiis, & ex intentione censetur unica moraliter refectio. Secùs, si satis refectus ab ea discesserit. Non licet autem diu protrahere prandium, nam hoc esset æquivalenter duplicem refectionem sumere: idem enim est in ordine ad nutriendum corpus, sumere novam, aut diu continuare eandem refectionem, quæ reipsa erit moraliter & virtualiter multiplex. Nec refert, quòd non semper edatur, sed fiat confabulatio; nam interea concoquit stomachus cibos sumptos, qui sufficiebant pro integra refectione, & alii substituuntur.

Hinc qui die jejunii manè comedit etiam inculpatè, putà ex inadvertentia, tenetur eo die abstinere ab alia refectione, si potest sine gravi incommodo; quia jejunium adhuc quoad unicam refectionem servare potest. *Lessius.*

3. Certum tempus refectionis, quod nunc ex recepta consuetudine est circa meridiem, ita ut non liceat sine justa causa hanc horam anticipare, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Potest tamen pro arbitrio differri refectio usque ad horam tertiam pomeridianam, vel solis occasum, ante quod tempus olim vetita, saltem in quadragesima.

Quæst. II. *An præceptum jejunii per se obliget sub mortali?*

Resp. Affirmat. Constat 1. ex SS. Patribus, Basilio, orat. 11. de jejunio; Gregorio Nazianzeno, epistol. 74. Hieronymo, epistol. 54. Cyrillo Alexandrino, homil. 1. Pa-

Paschali, & aliis; ex variis Conciliis, & ex consensu Doctorum & fidelium. 2. Quia res præcepta capax est gravis obligationis (cùm sit opus virtutis in suo genere grave) & ab Ecclesia absolutè præcipitur. Præcepta autem obligant pro gravitate materiæ, saltem dum superior expressè non declarat se velle tantùm leviter obligare. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

Hinc peccat mortaliter. 1. Qui die jejunii, vel abstinentiæ carnium comedit sine necessitate carnes; nisi excuset à mortali materiæ parvitas, quæ communiter admittitur, eo quòd prohibeantur carnes prout nutritivæ, seu refectivæ virium: ac parum carnis parùm nutrit: ergo etiam parùm seu sub parva culpa & non graviter prohibetur: Hæc tamen parvitas difficile constitui potest. 2. Qui vescitur ovis aut lacticiniis, nisi permissa sint ab Episcopo, vel legitima consuetudine. 3. Qui aliquid notabile extra unam refectionem, & collatiunculam comedit, etiam interruptim.

An autem mortale sit tempus refectionis notabiliter anticipare sine justa causa?

Controvertitur. Layman censet olim quidem notabilem anticipationem fuisse mortalem, nunc verò spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine esse solùm venialem. Sed Covarruvias, Navarrus, Sanchez, Comitolus, Azor, Reginaldus & alii docent etiam nunc esse mortalem, & probant. 1. Ex sensu fidelium & ex fine jejunii. 2. Ex cap. *Solent*, de consecr. dist. 1. *Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* Et, ex Concilio Rothomag. ann. 1702. c. 21. *Nullus in Quadragesima prandeat, antequàm, hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.* Ergo ex mente Ecclesiæ tempus refectionis lege vel consuetudine universali statutum, est conditio pertinens ad substantiam præcepti, vel ad modum substantialem illius. Nam etsi in anticipatione horæ discessum sit ab instituto veteris Ecclesiæ, non tamen in eo quòd certa hora servetur, quam non liceat comedendo prævenire. 3. Ex S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæst. 3. *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cùm Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* 4. Quia tunc violatur præceptum in re notabili, & quæ multum pertinet ad rationem jejunii ecclesiastici, Sylvius. Porrò juxta multos nulla est culpa, si ob justam causam, qualis est iter necessarium faciendum, tempus illud notabiliter antevertatur, eò quòd id usu receptum sit apud doctos & probos; & faciliùs excusatio in hoc locum habeat, quàm in aliis ad jejunium requisitis, cum refectionis tempus ad finem jejunii minùs conducar.

Quæst. III. *Quid dicendum de Cœnula seu Collatiuncula?*

Resp. 1. Hæc consuetudine inducta est, & ab Ecclesia tolerata, ideòque ex probata piorum ac timoratorum consuetudine in qualibet regione, scientibus, & annuentibus Ecclesiæ Prælatis, determinanda est, secundùm quantitatem & qualitatem ciborum. De quantitate id universim dici potest, eam debere esse valde modicam, ne cœnula convertatur in cœnam: juxta multos non debere esse eamdem pro omnibus & ubique, sed diversam pro diversitate complexionum, laborum, & regionum, quarum aliæ aliis calidiores sunt: unde fit ut alii minore cibo quàm alii indigeant. In variis locis consuetudo plùs permittit in Vigilia Nativitatis, & in Cœna Domini, quam aliis diebus. Quoad qualitatem prohibentur ii cibi, qui valdè nutriunt, qualia sunt ova, pisces, legumina cocta; ignis enim coctio materiam nutritioni aptiorem efficit; ut proinde corruptela sit, inquit Azor, si sumantur legumina & pisces. Nam cum lex jejunii unicam refectionem permittat, inductaque sit consuetudine cœnula, in hac iis solùm cibis licet uti, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales sunt leviores, ut fructus, & pro more regionis parum casei. Licet tamen sumere jusculum ex leguminibus coctis ob necessitatem, ita ut habeat rationem medicinæ potiùs quàm cibi: nam ex S. Thom. medicinarum assumptio non solvit jejunium.

Resp. 2. Non licet cœnulam sumere manè ante meridiem: quia Ecclesia præcipit & canones præscribunt, ut nil sumatur in cibum ante horam consuetam, quæ circiter meridiem est. Imò non licet cœnulam sumere etiam circa meridiem, dilata ad vesperam cœna nisi justa causa subsistat, ut ratione negotiorum per diem gerendorum, hospitum, itineris, vel si quis aliter non posset noctu dormire. *Ita Navarrus, Azor, Lessius, Layman dicens hanc esse communem sententiam.* Quia consuetudo cœnulam permittens habet, ut nocte tantùm sumatur, nisi adsit

justa

justa causa excusans: quæ tamen si absit, juxta multos erit solùm veniale: quia non violatur jejunium quoad substantiam, sed solum variatur ejus circumstantia non substantialis.

Quæst. IV. *An qui ex justa causa dispensatus est in abstinentia carnis, hoc ipso liberatur abstinentia ab altera refectione?*

Resp. Neg. Quia. 1. istæ duæ abstinentiæ, quas lex jejunii præscribit, sunt à se invicem separabiles, & seorsim conducunt ad finem præcepti, videlicet macerationem carnis; & causa dispensationis sufficiens pro una, non semper sufficit pro duabus. Cùm autem lex plures obligationes dividuas continet; qui unam exequi nequit, tenetur ad aliam, si possit. 2. Papa Romæ, & Episcopi in variis diœcesibus cùm dispensarunt in abstinentia carnis ob causam pro ea sola sufficientem, declararunt se non dispensare in abstinentia à pluribus refectionibus, sed ejus obligationem relinquere. Et dicitur extare authentica de hoc Clem. XI. declaratio. (a)

Quæst. V.

(a) Licet Clemens XI. promulgato per Cardinalem Vicarium Edicto, declaraverit quadragesimali recurrente jejunio, eos, quibus carnium usus justa de causa permittitur, *jejunii legem observare debere*; tamen plures deinceps in contraria fuere sententia, & exorta hac de re in variis Lombardiæ partibus controversia circa ann. 1736. plura pro utraque opinione edita fuere volumina. Bartholomæus Casali, Petrus Coppellotti, P. Benedictus Maria Brignole, & Sebastianus Pauli, sub nomine *Apostoli Augusti* uterque Congregationis Matris Dei, substinuere, iis, quibus usus carnium conceditur, jejunandum non esse: contra verò Alexander Mantegazzi, Antonius Theodorus Carbonara, Ludovicus Antonius Muratori, P. Daniel Concina Ordin. Prædicatorum, aliique propugnaverunt, eos quoque jejunii legem observare oportere, quibus justa de causa salubrium carnium usus concedatur.

At SS. D. N. BENEDICTUS XIV. eximio, quo pollet restaurandæ disciplinæ, corrigendorumque abusum studio, non solum lites finivit, sed etiam dubia, quæ passim occurrere solebant, explicavit; regulas pro restauranda, ac sarta tecta servanda jejunii disciplina constituit; ac methodum in dispensationibus servandam præscripsit; ut legere est in Constit. quam integram damus, in qua ea quoque recensentur, quæ tribus aliis Constit. stabilivit.

,, Libentissimè quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ Disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis: Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui planè tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

,, §. 1. Cum itaque præsentium literarum argumentum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto ac lege, Fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre authoritates. Difficile id quidem Nobis parùm videretur: sed potius alienum, & nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porrò ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess.* 25. *de Reformat.* præcipit Episcopis, omne studium impendere, ut Fideles ipsorum Curæ traditi magna Religione perficiant ea, quæ à Sacris Canonibus præscribuntur: *ut illis omnibus, & iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus & jejunia.*

,, §. 2. Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. rec. ab Sede Anconitana translati fuimus) mandatum evulgavimus (quod libro primo Institutionum nostrarum pro Viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur): In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minimè solvendos Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, & legitima priùs auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minimè, inquam, solvendos à Jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita Refectione, quæ permitti Jejunantibus consuevit.

,, §. 3. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus, ipsam diligenter, accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi Jejunii, sive unius comestionis, interponatur; & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimiùm implicatis quæstionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem indicere illis etiam, qui carnibus uti, cum Jejunium indicitur, ritè obtinuerunt; & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

,, §. 4. Hæc apertissimè constant ex nostris Apostolicis Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*, alteræ verò: *In suprema*. Nos profectò nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud Jejunium præcipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac mandata vestra, Litteris nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere Populos Vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam piè servarent.

,, §. 5. Interim promulgatis iisdem Apostolicis Literis, quas paulò ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt à nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exiguæ quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; Cum illæ, vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur; At-

Quæst. V. *An toties quis peccat mortaliter, quoties die jejunii sumit refectionem iteratam?*

Resp. Non pauci affirmant. Quia 1. juxta omnes toties quis peccat, quoties carnes comedit; quia præceptum abstinendi à carnibus est negativum, vetans ne ullo diei tempore comedantur. At præceptum abstinendi à pluribus refectionibus est etiam negativum, nam non præcipit unam refectionem, sed præcisè plures refectiones prohibet. Ergo sicut peccatur per quasvis comestiones carnium, ita & per quamlibet & singulas refectiones ultra unam: præcepta enim negativa violantur non solùm per primum & secundum actum, sed etiam per quoscu[illegible] alios sequentes. 2. Quando vetatu[illegible] id sæpiùs quàm semel uno eodemque [illegible]mpore fieri, non solùm prohibetur fieri bis, sed etiam ter, quater, &c. Sic, cùm lex vetat ne fidelis sæpiùs quàm semel eodem die communicet, aut sæpiùs [illegible]vita baptizetur, non solùm secundò, [illegible] etiam tertiò & quartò actu violatur præ-

---

,, tamen Sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ, rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene, cumulatèque, quoties opus fuit, satisfecit.

,, §. 6. Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum Regnis Primus inquisitor, nuperrimè vita functus longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ Literis nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur; eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Literæ Nostræ Apostolicæ causam, & occasionem præbebant; ac proinde de illis judicium Nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi Literæ Nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non quidem expeti, ut iis, quæstionibus responsum fieret ipsisque solutis, nullum impedimentum, sive obstaculum nostris Literis Apostolicis superesset; sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minimè adducerentur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primùm Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tardè ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de Instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt perturbent, ac evertant.

,, §. 7. Vix redditis Literis, Archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit: Itaque non immeritò suspicamur, responsa Nostra, quæ literis continebantur, haud cognita fuisse, & perspecta illis, qui quæstiones excitaverint. Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerant; quare iisdem responsis usi sumus quæ tradita priùs Archiepiscopo Compostellæ à Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Literas nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis Commentariis illustrarunt; Idem contigit Responso quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ die 8. Julii anno 1744. quod fane integrum suis Libris præfigendum curaverunt.

,, §. 8. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minimè potuistis, his Litteris Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpiùs est) ad Archiepiscopum Compostellæ jampridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in Diœcesibus tenenda sit, planè cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ à captiosis hominibus concitentur.

Sequitur tenor Apostolici Brevis superiùs impressi num. 99. pag. 356.

,, §. 9. Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi quibus licet carnes edere, cùm Jejunium tempore Quadragesimæ, vel extrà Quadragesimam Fidelibus perscribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul, & carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium à Nobis deposcunt.

,, §. 10. Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in qualibet Italiæ Urbe, vestra auctoritate, dissolvi à Quadragesimali abstinentia, sed etiam magnò studio contenditis, ut universam Civitatem, totamque Diœcesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus, ac Diœcesibus jam per multos annos Fideles universi, absque ullo discrimine, carnibus per Quadrsgesimam utantur.

,, §. 11. Id quidem maximam Nobis affert solicitudinem, eo quod deprehendimus certis Testimoniis, in quibusdam Regionibus Septentrionis, toto Quadragesimæ curso, lactis, & ovorum usum liberè permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, & ab Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi Populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere; ut lactis, & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur.

,, §. 12. Præterea maximi faciendà esse ducimus ea verba Trident. Concil. *sess. 25. cap. 18. de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs, evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.*

,, §. 13. In Literis nostris Apostolicis, quas anno 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quæ rursum hic subjicimus: *Debitum igitur Paterna uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Cœtui indiscriminatim integra, nunisi gravissima, &*

præceptum. 3. Mortificatio carnis, quæ est finis legis, adhuc aliqua obtineri potest per omissionem aliarum refectionum: nam si quis manè & in prandio se refecerit, adhuc notabilis est mortificati[illegible] abstinere vesperi, uti fuisset abstine[illegible]è, & semper subtrahitur materia co[illegible]centiæ. 4. Ecclesia solum permittit unam refectionem, idque ad mortificationem carnis. Ergo prohibet omnes alias, & præter secundam refectionem vetatur quoque alia ulterior, quæ etiam repugnat mortification[illegible]nis. Enim verò etsi præceptum jejunii videatur affirmativum, quoad formam verborum, inquit Sylvius, in se tamen continet hanc negationem. Non pluries comedes, aut non sumes plures refectiones.

Hinc tres refectiones sumere non licet ei, cui duæ sufficiunt, & permissæ sunt ob infirmitatem.

Quæst. VI. *An violat jejunium qui extra refectionem consuetam & cumulam, aliquid bibit, vel comedit?*

Resp. 1. Multi docent non violari potu etiam

„ *urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis, cum debita Apostolica hujus Sanctæ Sedis reverentia, à Quadragesimali Jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter sibi aterque usurpandam, nec superbè, & arrogantèr ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

„ §. 14. Porrò Nos hanc normam secuti sumus, cùm multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare à Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minimè permissæ fuerunt, si lactis, & ovorum usus satis esse videretur. Tum verò facultas edendi carnes tribui solùm consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omninò necessarium judicaretur; nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solùm, & lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe dies Cinerum, dies Quatuor Temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ à Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; Aliquando etiam indiximus abstinentiam Feriis sextis, ac Sabbatis, etiamsi facultas à nobis tradita, lactis, & ovorum usum solùm complecteretur. Postremò eam conditionem semper addidimus, ne Jejunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes, & pisces apponerentur.

„ §. 15. Dum rationem hujus Consilii nostri seriò perpendimus, haud plenè acquiescimus, ob eam sollicitudinem, ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit, quæ veram, & urgentem necessitatem contineat. Quippe illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil à ratione alienum, nihil inconsultò, ac temerè faciamus. Hærent pariter animo defixa S. Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *Lib. 3. de Consideration. Cap. 4. Facitis hoc, quia potestis: sed, utrum debeatis, quæstio est, & quomodo*: Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Diœcesum, nisi fides habeatur Episcopis, à quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutiùs, qua fieri possit, gerat ue, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjicimus.

„ §. 16. Non ignoratia ab Innocentio III. Prædecessore Nostro, *Cap. Consilium de observatione jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam à carnibus Jejunii tempore, recenseri veram, & existentem reipsa ægritudinem; *Prætereà de illis qui in Quadragesima, vel in aliis Jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri respondemus: quod cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cùm urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium III. Patres Octavi Concilii Toletani, *Canon.* 9. quod anno 653. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sancta Communione... Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum accipiant.*

„ §. 17. Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui à Jejunii legibus, & abstinentia immunes existimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives universos alicujus Urbis, vel Diœcesis, eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi fortè eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulò post verba faciemus. Quis credat unquam, Populum universum alicujus Diœcesis, vel communi languore penitùs extenuatum, vel extrema senectute confectum?

„ §. 18. Neque verò causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur? Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; è quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii verò patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non verò divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus Capite nono Libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ Typis impressimus.

„ §. 19. Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Diœceses, ubi exercitus versantur, eò quod Milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potiùs animos Civium inflammare deberet ad Jejunium ritè religiosèque suscipiendum, ut nempè Milites tanta virtute temperantiæ permoti, ipsorum exem-

etiam vini, modò non in ea quantitate bibatur, quæ censeatur esse in fraudem jejunii. Quia id permittit consuetudo à tempore immemoriali: nam cùm potus ordinetur potiùs ad distributionem cibi per corpus, & refrigerium sanguinis, quàm ad alendum; ideo Ecclesia ejus usum non vetuit. Idem dicunt de electuariis quibusdam, quæ parùm nutriunt, v. gr. thæo. Sed alii id negant aut non concedunt, nisi de potu necessario ad sitim sedandam, qui nihil aut parum nutriat, & de electuariis, quæ in parcissima quantitate & cum necessitate sumuntur, ita ut sint loco medicinæ.

Circa hoc sic habet S. Thomas 2. 2. quæst. 147. artic. 6. ad 2. *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem, licet aliqua modò nutriat. Et ideò licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare,*

,, plum sequantur. Illud solùm pro legitima causa in medium proferri potest, copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulò ante diximus, cum pisces, & ova cariori pretio comparantur.

,, §. 20. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem; neque in posterum herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tsnti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diœcesis, ab instituto Quadragesimæ Jejunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas à Nobis causas ad hanc fseultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex Jure Csnonico, altera verò ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

,, §. 21. Innocentius III. quem superiùs nominavimus, *eodem Cap. Consilium, de observatione jejuniorum*. Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ à carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem & angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quæsieris, qua sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur*. Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarensis Antistitis, idem consilium peteret à Sede Apostolica, tamquam ineptus, ac simplex haberetur; sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maximi pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minimè paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur; nec ulla ratio habebatur virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum reipublicæ felicitate conjuncta putaretur; uti Nos fusè ostendimus in decimaquinta nostrarum Institutionum Libri primi. Sed iis omissis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri à Nobis possent, illud primùm delibabimus ex responso Innocentii III. tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum neque pisces comparari possunt, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur, si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper Jejunii servandi conditione.

,, §. 22 Insula S. Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. à Nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta à Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Jejuniorum, & Quadragesimæ, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo, id expedire judicasset: habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus Incolis sui districtus; pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem; exiguum piscatorum numerum, qui longè ab Insula piscantes, pisces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro Cibis Quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea regione facilè corrumpuntur, aut à vermibus consumuntur. Re subinde maturè discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis *die 12. Aprilis anno 1742.* habita ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati Fidelium degentium in Insulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantùm de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, uti possent, & valerent cum Fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia Jejunii per unicam comestionem, onerataque prædictorum Præfectorum conscientia, si adamussim juxtà præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

,, §. 23. Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam ferè Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit ann. 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum

re, & meritum jejunii perdere: sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat. Et ad 3. *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*.

Resp. 2. Secundùm omnes violatur Jejunium, si extra hæc tempora sumatur jusculum, lac, vel similis potio, quæ ad nutriendum principaliter ordinatur. Quia vetantur ea omnia, quæ per se ac principaliter ordinantur ad nutritionem, sive ea comedendo, sive bibendo, aut sorbendo sumantur: nam hæc cibi nomine veniunt, ut docet Bellarminus, lib. 2. de bonis oper. cap. 1. Idem dic de pomis, piris, uvis recentibus, & omnibus aliis fructibus: nam hæc & similia sumere est juxta communem sensum revera comedere, non bibere, & ex se nutriunt. *S. Antoninus*. Licet tamen ob necessitatem aliquid in parva quantitate sumere per modum medicinæ, quamvis nutriat. Sic manè pauxillum panis cum haustu vini sumere licet ei, qui aliter sine gravi incommodo non posset jejunare, vel functiones animi, aut munera sua rectè obire: nam id tum se habet per modum medicinæ, quæ non prohibetur diebus Jejunii.

Resp. 3. Qui exiguum quid nutritivum sæpiùs eodem die sumit, etsi sine proposito aliquid notabile sumendi, peccat mortaliter, cùm ad quantitatem notabilem scienter pervenit. Quia 1. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die jejunii qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non fran-*

,, ordines atque ætates corripiebat, lentam solùm in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem; nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat Juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremò multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Aliàs quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse, Medici Scriptores luculenter testantur.

,, §. 24. Itaque, si medicinæ Professores aciti, monitique graviter, ut nihil à veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superiùs commemoravimus, ita ut nulla ætas, libera, & incolumis esse queat; & affirment, illis ipsis, qui inter Cives salvi, & integri numerantur, eandem perniciem imminere, id præterea conferre plurimùm ad hujusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani à piscibus, & oleo, quandoque pariter à lacte, & ovis abstineant, si, inquam res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, & quæ semper probata, & in posterum probanda videtur, ut nempe Populus, seu Civitas integra à carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

,, §. 25. Neque ulla difficultas removere vos debet a consulendis Medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio si desit in posterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Diœcesi, carnibus aut lacticiniis vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur: quippe id necessarium omninò videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives à Quadragesimæ præcepto liberos, & immunes decernere soleant; (de qua re gravissimè monendi à vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent): Cum verò pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare. Nos ipsi experti sumus, postremò si velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Auctores Medici Typis evulgarunt; facilè deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari; discrimen inter morbos constitui; & certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut jusculum, & carnes loco piscium, olei, & herbarum substituantur; in aliis verò juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: Demum advertent, quàm diligenter, accuratèque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes à communi lue supersunt.

,, §. 26. Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam facilè suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore Quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia à vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri.

,, §. 27. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur: Si vos id quoque præstabitis, neque facilè à Nobis pro universa Civitate, vel Diœcesi, facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solùm, ii fructus provenient, quos jam indicavimus; sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minimè obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam Benedictionem Vobis, Populisque vestris impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

frangit jejunium. 2. Plura illa modica conflant simul magnam quantitatem, & producunt notabilem effectum, in quo uniuntur, scilicet notabilem nutritionem. Nam nutriunt perinde ac si magna quantitas continenter sumeretur, singulæ enim partes cibi sive simul, sive interruptè sumantur, addunt robur & substantiam, quæ roboratio manet simul post sumptas omnes partes. Hinc non licet bibere pro arbitrio, & toties aliquid exiguum manducare ne potus noceat; nam sic sæpiùs modicum quid comedendo, perveniretur ad quantitatem notabilem, ideòque violaretur jejunium. Quantitas autem notabilis ab aliquibus censetur, si unam & dimidium, vel duas ad summum uncias superet.

Porrò non excusatur à culpa veniali, qui rogatus ab amico exiguum quid comedit ne inurbanus videatur; nam non est hæc justa ac legitima causa solvendi ex parte Jejunium; nec licet unquam peccare vel leviter. *Azor & alii*.

Quæst. VII. *Quinam excusantur à lege Jejunii?*

Nota. Certum est omnes Christianos post 21. annum completum teneri ad Jejunium ab Ecclesia præceptum, nisi justa ex causa excusentur. Nam nemo qui potest, excipitur, & lex est universalis, ut constat ex sensu Ecclesiæ; & causa hujus præcepti in omnibus locum habet; nam omnes egent mortificatione carnis, & castigatione corporis ut subjiciantur spiritui, & Deo satisfiat pro peccatis.

Resp. Quoad abstinentiam ab altera refectione excusantur generatim omnes, qui sine gravi incommodo seu damno Jejunare non possunt. Speciatim verò hi. 1. Ægroti, infirmi, item convalescentes, quos infirmitas valde extenuavit: quia iis non sufficit una refectio, sed indigent crebriore & modica. De sufficienti gravitate infirmitatis consulendus est prudens Medicus, nam ratione officii & peritiæ ad ipsum spectat hoc judicium. Quòd si causa ei est dubia & incerta, authoritate superioris opus est; quia tunc necessaria est juris relaxatio, ad quam Medicus vel Confessarius potestatem non habet. *Azor*. Qui autem ob infirmitatem non possunt Jejunare omnibus diebus quadragesimæ, sed possunt aliquot diebus cujusque hebdomadæ, v. g. alternis, vel duobus &c. tenentur illis diebus, quibus non habent justam causam non Jejunandi. Nam cùm singulis diebus sit affixa nova obligatio Jejunandi, & hæc non tollatur nisi per justam causam; si aliquot diebus impleri possit obligatio, tunc ea urget. Qui vero dormire nequeunt, nisi sumpta cœna, non ideò excusantur à Jejunio, cùm possint illud servare sine gravi incommodo, v. g. collatiunculam circa meridiem sumendo, & integram refectionem serò: nam præceptum obligans ad aliquid, simul obligat ad media saltem non valde difficilia, licèt non ordinaria.

2. Prægnantes, & nutrices: nam egent cibo pro se & pro fœtu vel prole, & Jejunium iis graviter noceret.

3. Pauperes, qui non habent quod uni justæ refectioni sufficiat. Sed (ut ait S. Thom. qu. 147. art. 4. ad 4.) *Pauperes qui possunt sufficienter habere quod ei sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à Jejuniis Ecclesiæ; à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat*.

4. Pueri ante annum 21. completum non obligantur ex generali Ecclesiæ consuetudine sic communiter recepta, & intellecta secundùm communem Doctorum sententiam, inquit Sanchez. Ratio est; quia cùm usque ad hoc tempus communiter crescant ac firmentur hominum corpora, egent frequentiore cibo, non simul, sed pluribus vicibus sumpto, *tum propter debilitatem naturæ, tum propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti*, ait S. Thom. art. 4. ad 2. Nec obstat quòd aliqui ante hoc tempus non indigeant frequenti cibò, quia legislator *attendit id quod communiter & in pluribus accidit*, ait S. Thomas, monens conveniens esse ut adolescentes Jejunent plus vel minùs secundùm modum suæ ætatis, ut cùm tempus obligationis advenerit, faciliùs eam exequantur, & præsertim ut carnis concupiscentias, quibus tunc exæstuat natura corrupta, Jejunio coerceant. Imò possunt adolescentes ad Jejunium obligari, ob urgentem gravem necessitatem, sive publicam, ut Joan. 3. sive privatam, ut si egeant hoc remedio ad cohibendam libidinem: nam bonum commune & privatum spirituale præferri debet bono privato & corporali.

Porrò qui annum 21. complet in quadragesima, tenetur reliquis diebus Jejunare; etiamsi unicus dies superesset, quia præceptum illud divisibiliter obligat ad singulos dies. *Sanchez & alii*.

Quoad senes, quamvis aliqui putent eos à Jejunio eximi circa annum septuagesimum; tamen ex communi sententia, teste Layman,

aut

aut saltem communiore, non est pro iis certum tempus constitutum, quo lege Jejunii sint soluti, eo quòd alii citiùs, alii tardiùs viribus deficiant, cùm econtra communiter crescant & firmentur homines usque ad annum 21. Quare senes non excusantur, nisi quando corporis vires deficiunt, ita ut pluribus modicis egeant refectionibus, alioqui grave nocumentum passuri. *Senes si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis: Ratione autem senectutis tantùm non excusantur, si sunt fortes ad ferendum Jejunium: nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis teneatur ad Jejunium*; ait Sanctus Antoninus 2. part. tit. 6. c. 2. §. 5.

5. Operarii, opifices, & ii omnes, qui ex officio exercent opera laboriosa, ob quæ sine gravi incommodo Jejunare nequeant. Quales sunt agricolæ, fossores, vinitores, fabri lignarii & ferrarii, pistores, bajuli, & alii similes, quorum labor gravis est, & corpus multum defatigat. Idque juxta multos, quamvis non sint pauperes, modò talia opera ex officio exerceant; quod, teste Sylvestro, iis concessit Eugen. IV. Ita ut non teneantur cessare ab exercitio suæ artis seu professionis ad Jejunandum. Porrò eo die quo non laborant, ut si dies festus superveniat in quadragesima, tenentur Jejunare, nisi aliàs grave incommodum sentirent ob laborem præcedentis diei, aut judicio prudenti redderentur inepti ad laborandum die sequenti.

Ex communi sententia non excusantur Notarii, Scribæ, Pictores, Barbitonsores, Sartores, Typographi, qui torcular non tractant, sed caracteres duntaxat componunt: Sutores, præsertim ii qui non suunt, sed solùm scindunt corium, & materiam præparant, famuli & ancillæ, qui non magnis in laboribus exercentur; & omnes quorum labor non est gravis, nec fit cum magna agitatione, quando unam justam refectionem sibi accommodatam habere possunt: quia isti possunt sine notabili incommodo Jejunare. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione Jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum Jejunio*. Item Professores seu Præceptores, qui manè & serò docent, non excusantur à Jejunio præcisè ob suum laborem, nisi adsit specialis infirmitas: nam experientia constat posse eos communiter Jejunare sine gravi nocumento, quod solùm potest eos excusare. Lex autem est secundùm id, quod communiter est.

6. Qui pedibus conficiunt iter, quod in tempus aliud à Jejunio liberum nequeat commodè differri, modo spectatis omnibus, ut itineris longitudine, viarum difficultate, laboris gravitate, itinerantis viribus, &c. non possint sine notabili incommodo Jejunare. Quare circa hoc non potest determinari numerus leucarum, qui generatim excuset à Jejunio; nam alii plùs, alii minùs laboris capiunt ex via; & viæ aliæ aliis sunt difficiliores: tempus etiam potest augere vel minuere incommoda, &c.

Dixi, *pedibus*, quia non excusantur, qui equo vel curru iter faciunt, nisi fortè ob extraordinariam concussionem ac defatigationem non possint sine gravi incommodo Jejunare. Nam lex Jejunii obligat, quando servari potest sine notabili incommodo seu nocumento. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Excusantur absolutè à præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant*.

7. His causis multi addunt pietatem, sive opus præstantius, & Deo gratius, incompossibile moraliter cum Jejunio, ut sunt opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, & etiam religionis, quæ quis Jejunando non posset exercere, nec in tempus aliud differre, si exerceantur in officio, vel obedientia, vel ob necessitatem proximi. Quia (ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 3.) *Non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis Jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias causas*. Nam cùm Ecclesia præcipiat Jejunium ut promotivum ad bonum, non intendit obligare ad illud prout impedimentum est majoris boni. Sic Ecclesia diebus festis judicialem strepitum vetat; *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*, ait Greg. IX. cap. ult. de Feriis.

Observa 1. Nemo ab abstinentia carnis liberatur præcisè ob ætatem, & laborem gravem; sed ad hoc requiritur morbus vel infirmitas major, & specialis. Quia abstinentia à carnibus rariùs potest grave nocumentum inferre, quàm abstinentia ab altera refectione.

2. Quamvis adsit gravis infirmitas, vel morbus, adhuc petenda est licentia à superiore, nisi fortè in certis casibus ex consuetudine non petatur. Ita S. Thom. loco citato & Concil. Tolet. VIII. c. 9. id exigit. Quia rectus ordo disciplinæ id postulat: tum ut agno-

agnoscatur authoritas Ecclesiæ: tum maximè ut vitetur periculum seipsum decipiendi, & violandi legem: nam sibi quisque facilè fingere potest adesse causam justam exemptionis.

3. In dubio de sufficientia causæ ad non Jejunandum, semper peti debet dispensatio; quia stat pro lege possessio, & in dubio tutior pars eligi debet. Dispensare possunt cum sæcularibus Episcopus, vel etiam Parochus, juxta cujusque Diœcesis consuetudinem; nam potestas dispensandi in hac lege sæpè occurrente potest ex consuetudine esse Parocho concessa, cùm bonum animarum id postulet. Cum Regularibus verò superior localis: quia in suos potestatem habet quasi Episcopalem. Nam, ut ait Sanchez, ex vi sui muneris instituitur, ut plenam spiritualem subditorum curam habeat cum sufficienti jurisdictione ad hoc munus, quæ postulat, ut prælati etiam locales potiantur jurisdictione Episcopali erga illos, & sint illis loco Episcoporum, cùm ab Episcopis privilegio Pontificio eximantur. Confessarii autem sicut & Medici possunt solùm declarare obligationem Jejunandi non esse, ubi id constat, & causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse: qui graviter peccabunt, si imprudenter & nimia facilitate declarent. *De consilio rationabili Medici infirmus solvens Jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis non peccat; sed peccaret Medicus, si sine causa rationabili, vel saltem dubia talia mandat, vel ordinat infirmis:* ait S. Antoninus, loco citato.

CAPUT IV.

De Virtutibus Justitiæ annexis.

Nam de Justitia erit Tractatus specialis.

Sanctus Thomas vocat Virtutes Justitiæ annexas, alii verò Justitiæ species imperfectas, quæ versantur circa aliquod debitum ad alterum, sed quod non est tam rigorosum quàm debitum Justitiæ, vel quod adeo magnum est, ut nequeat reddi ad æqualitatem; tale sunt Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Affabilitas, Liberalitas, & Veritas in dicendo. De Religione fusè dictum est: de Pœnitentia suo loco; nunc de aliis.

1. Pietas sumpta pro speciali virtute, est virtus, per quam tribuitur debitus cultus tum parentibus tamquam vitæ & educationis post Deum authoribus: tum patriæ, quia patria aliquo modo est principium ortus, eo quòd parentes foveat, & idonea ad ortum & educationem suppeditet: tum etiam aliis consanguineis ob conjunctionem, quam habent cum parentibus. Consistit hic cultus tum in honore parentibus suo tempore & loco deferendo, tum exequiis & necessariis vitæ subsidiis præstandis, ita S. Aug. lib. 83. quæst. 31.

2. Observantia est virtus, per quam defertur cultus, hoc est, honor & obsequium superioribus, ob eminentiam conjunctam cum beneficio gubernationis; atque etiam aliis personis virtute, sapientia, aut dignitate conspicuis, quatenus ratione talis perfectionis idonei sunt ad nos gubernandum, seu dirigendum, saltem exemplo suo vel consilio. Duplex est, nempe politica, qua ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanam; & religiosa, qua ob dignitatem vel perfectionem supernaturalem cultus defertur.

3. Obedientia duplex est, alia est virtus generalis, inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo bono, & sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cujus motivo mandatum servatur. Ei opponitur inobedientia generalis, quæ est vitium generale, consistens in cujusvis præcepti violatione, ex quovis motivo; ideòque est peccatum mortale in re gravi, veniale in levi, & includitur in omni peccato tanquam ratio generica.

Alia est virtus specialis inclinans subditum ad exequenda præcepta superiorum, quia præcepta sunt. Ei opponitur inobedientia formalis, quæ est violatio præcepti, quia præceptum est: unde semper mortalis est etiam in re levi: quia est contemptus præcepti, ac potestatis præcipiendi; nam nolle obedire præcepto quia præceptum est, est illud contemnere, & simul potestatem unde manat.

Porrò obedientia minùs strictè sumpta est virtus, qua quis voluntati superioris se accommodat, sive præcipiat, sive non. *Voluntas enim superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum; & tantò videtur obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta,* ait S. Thomas, 2. 2. quæst. 104. art. 2.

4. Gratitudo est virtus inclinans ad compensandum beneficium acceptum, quantum, & ubi recta ratio postulat. Ejus officia sunt beneficii æstimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, & tepensio beneficii pro loco & tempore. Ei opponitur ingratitudo, quæ est peccatum, cùm disconveniat naturæ rationali ut rationali, & op-

& opponatur virtuti: *Ex hoc enim aliquid dicitur esse peccatum, quòd virtuti contrariatur*, ait S. Thom. 2. 2. q. 148. art. 1.

5. Affabilitas est virtus, quæ totam conversationem nostram cum proximo, consistentem in colloquiis, convictu, & actionibus, quibus cum illo tractamus, ita moderatur, ut ei grata sit, servata tamen decori ratione: efficitque ne nimis blandè, nimis asperè in congressibus nos geramus. Ei opponuntur per excessum blanditiæ & adulatio: per defectum morositas, qua proximo molestia & tædium in congressibus affertur.

6. Liberalitas est virtus, quæ moderatur amorem divitiarum, & reddit nos faciles, & promptos ad eas impendendas, quantum, & quando recta ratio dictat. Unde ejus officium est, 1. Moderari affectum divitiarum secundùm rectam rationem. 2. Est largitio & modus debitus in ea servandus. Ei opponitur per defectum avaritia: per excessum prodigalitas, quæ consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi. Quamvis hæc sit sæpè venialis, quatenus cum sola liberalitate pugnat; est tamen mortalis culpa, cùm quis inde se reddit impotentem ad solvenda debita, ad sustentandam convenienter familiam, ad eleemosynas erogandas, &c. vel ratione finis, periculi, scandali, &c.

7. Veritas in dicendo seu veracitas est virtus, qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostræ; unde facit ut recte utamur signis ordinatis ad mentem alteri patefaciendam: de qua, Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra*. Ei opponitur mendacium: circa quod.

Quæst. I. *An omne mendacium est intrinsecè malum?*

Resp. Affirm. Ita omnes & Aristoteles ipse lib. 4. Ethic. cap. 7. dicit mendacium per se esse malum & vituperabile. *Prob.* Quia in se continet inordinationem; nam pervertit naturalem institutionem & finem locutionis ad hoc entibus intellectivis concessæ, ut possint inter se communicare sensus suos: ac proinde per se evertit communicationem cum hominibus & commercium vitæ socialis; estque deceptivum proximi. Ideò omne mendacium in Scriptura prohibetur: *Noli velle mentiri omne mendacium*, Eccli. 7. *Verbum mendax justus detestabitur*, Prov. 13. *Nolite mentiri invicem*, Col. 3. Unde Alexander III cap. 4. *de usur.* ait, quod *Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri*.

Mendacium tamen quod nec proximum, nec honorem Dei graviter lædit, nec scandalum parit, nec est contra bonos mores, veniale est, quale est merè jocosum, vel officiosum, ut docet S. Aug. in Psalm. 5. Nam tunc ejus inordinatio non censetur gravis. At mendacium perniciosum, quod graviter lædit bonum proximi, vel honorem Dei, aut grave scandalum parit, est mortale: quia graviter repugnat charitati Dei, vel proximi, vel etiam justitiæ, aut religioni. Tale est omne mendacium contra fidem, religionem, vel bonos mores, in judiciis, testimoniis, juramentis, contractibus, detractione gravi, &c. *Os quod mentitur, occidit animam*, Sap. 1. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Psal. 5.

Idem dic de simulatione, nam est verè & propriè mendacium in facto; mendacium enim est locutio contra mentem. Per locutionem autem intelligitur actuum internorum significatio per quævis signa mentis significativa, sive sint verba, sive facta, gestus, nutus, sive scriptura. Nam (ut ait S. Aug. lib. de mendac. c. 3.) *Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat*. Et Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. ait: *Ad virtutes veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet quàm quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est: quod propriè simulatio dicitur. Unde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem utrùm aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cùm omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam quòd omnis simulatio est peccatum.* Sed, quæst. 119. art. 3. ad 4. ait: *Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit, in lib. contra Mendac.* Aliud est enim verum celare, & aliud falsum significare.

Quæst. II. *An aliquando licet uti æquivocatione, vel restrictione mentali?*

Nota. Æquivocatio hic est vox, seu propositio varios habens sensus, quam proferens prævidet ab audiente accipiendam in alio sensu, quam ipse intelligit. Duplex est; alia determinabilis exteriùs, & latè dicta,

cta, cujus scilicet sensus verus à proferente intellectus potest per se cognosci ex circumstantiis aut indiciis exterioribus: alia indeterminabilis, & strictè dicta, cujus sensus à loquente intellectus non potest ullatenus deprehendi.

Restrictio mentalis est propositio, cujus verba exteriùs prolata falsum sensum & contrarium menti loquentis exprimunt, si præcisè secundùm se spectentur, sed conjuncta cum iis, quæ mente retinentur, faciunt sensum verum. Duplex est; una purè mentalis & strictè dicta, cujus sensus à loquente intellectus non potest ex circumstantiis aut indiciis exterioribus, aut usu communi deprehendi: ut si quærenti an videris Petrum, respondeas *non vidisse*, subintelligendo *in foro*, cùm tamen videris domi tuæ. Nam ex nullis circumstantiis colligi potest te interrogari de visione in foro, aut de illa respondere. Altera non purè mentalis, cùm verba exteriùs prolata adjunctas habent circumstantias externas, quibus ea quæ mente retinentur, per se facilè cognosci possunt, ita ut circumstantiæ illæ ex usu apud prudentes recepto consignificent, & verum sensum restrictionis sufficienter indicent, inter quas recensentur status confessarii, legati, secretarii, obligatio secreti &c.

Resp. 1. Nunquam licet uti æquivocatione indeterminabili exteriùs, nec restrictione purè mentali. Quia 1. sunt per se deceptivæ proximi, & contra naturalem institutionem ac finem locutionis & signorum ordinatorum ad exprimendos conceptus mentis: ideòque sunt per se malæ & inordinatæ. 2. Earum usus est perniciosus reip. & societati humanæ: nam si licitus esset, tolleretur sermonum certitudo; nemo enim unquam certus esset de fide & mente alterius, omnibúsque dolis pateret aditus; & sic everteretur authoritas testimonii humani, & fides humana, ideoque & commercium inter homines corrueret. 3. Sunt mendacium; & si juretur, fiet perjurium. Nam locutio taliter sumpta est contra mentem, cùm neque ex se, neque ex circumstantiis externis habeat vim significandi totam propositionem internam, aut partem illam in mente subintellectam, sed id solum significet quod verba in suo sensu obvio præ se ferunt, quod quidem est contra mentem. Enimverò, ut ait Delogo, veritas propositionis vocalis consistit in ejusdem propositionis, secundùm significationem externam vocibus impositam, conformitate cum mente loquentis. Præterea voces datæ sunt homini à natura ipsa, ut suos conceptus patefaciat, & ut iis non utatur, nisi juxta significationem semel impositam. *Verba*, (inquit S. August. Enchir. 22.) *propterea sunt instituta; non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est*, 4. Innocentius XI. damnavit has propositiones sicut jacent. 26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine jures, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet aliam virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

Resp. 2. Certum est non licere uti ulla æquivocatione etiam determinabili, neque restrictione etiam non pure mentali. 1. Ex intentione decipiendi proximum, seu ei falsam opinionem ingenerandi; quia hoc per se malum est: nam (ut ait Layman) sicut veritas est mentis perfectio, ita falsitas omnis est dehonestatio & dedecus ejusdem: alterius autem mentem ad Dei similitudinem conditam dedecorare velle, intrinsecè malum est. *Verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est*, ait S. Augustin. sup. 2. Quoties interrogans habet jus inquirendi & sciendi veritatem, ut superior, judex, &c. Nam huic juri respondet in interrogato obligatio clarè & sine ambiguitate veritatem detegendi, & secundùm interrogantis mentem respondendi. *Azor, dicens esse communem omnium sententiam*. Quando non adest gravis & justa causa occultandi veritatem: quia bonum, & lex societatis humanæ exigit, ut clarè & juxta interrogantis mentem respondeamus, quamvis non habeat jus strictum rem illam cognoscendi, saltem dum non adest gravis & justa causa eam occultandi. Quæ lex fundatur in ipsa natura hominis, in quantùm est animal sociabile. *Quia homo est animal sociabile, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Et ideo virtus veritatis aliquo modo*

attendit rationem debiti, ait S. Thomas 2. 2. quæst. 109. art. 3. ad 1.

Hinc quærenti an liceat uti æquivocatione, vel restrictione mentali, dici debet id non licere, ut constat ex propositione damnata cit. Non solùm quia æquivocatio, & restrictio simpliciter dictæ intelliguntur ordinariè de æquivocatione indeterminabili exteriùs, & de restrictione purè mentali; sed etiam quia interrogatio est indefinita, ideòque universalis. At juxta communem sententiam, non licet in casibus supradictis uti restrictione etiam non purè mentali, nec æquivocatione etiam determinabili.

Itaque potest esse solùm controversia in casu, ubi adest obligatio, vel alia gravis causa occultandi veritatem ei qui non habet jus exigendi ejus cognitionem, nec suppetit alia via eam occultandi, & intenditur solùm occultatio veritatis, non autem deceptio proximi, quæ tantùm permittitur.

Multi earum usum cum tali limitatione defendunt post S. Antoninum, 2. p. tit. 10. c. 1. §. 1. & S. Raymundum, lib. 1. *Summ. tit. de mendac.* Quia, inquiunt, per eas non affirmatur falsum, sed verum, quamvis obscuriùs expressum, ita ut tamen veritas ex circumstantiis extrinsecis deprehendi possit, & sic non sunt per se deceptivæ: nam verba, ut conjuncta signis, vel circumstantiis humano modo cognoscibilibus, sunt significativa totius propositionis mentalis: unde nullam per se continent fallaciam aut deceptionem. Neque repugnant societati seu commercio humano, cùm potiùs ad illud sint necessariæ: nam alioqui nulla erit via licitè servandi vitam proximi, & secretum graviter obligans, & eludendi importunitatem hominum curiosè inquirentium de iis, quæ ad illos non spectant, nec eos scire expedit, & quæ sine gravi damno injusto revelari nequeunt: Addunt adversarios suos easdem quoad rem admittere, sed mutato nomine appellare, vel fictionem, vel figuram, vel præcisionem, vel usurpationem sensus mystici, præcisivi, formalis; aut ita illas definire, ut videantur intelligere solùm æquivocationem non determinabilem, & restrictionem purè mentalem, vel usurpatam cum intentione decipiendi proximum.

Sed alii cujusvis æquivocationis & restrictionis usum absolutè & indiscriminatim damnant. Quia 1. earum usus fuit incognitus Patribus, & præsertim S. Augustino, tamquam utilis ad vitandum mendacium, aut necessarius ad occultandam in necessitate veritatem. Nam S. Doctor, lib. contra mendac. c. 18. proponit casum hominis gravi morbo periclitantis, cujus jam vires ferre non possit, si ei mortuus unicus & charissimus filius nuntietur, quique à te sciente verè mortuum esse quærit, an vivat? Unum tantum ex his tribus, *Mortuus est*, *Vivit*, *Nescio*, respondere potes, inquit S. Aug. Nam quidquid aliud dixeris, vel si tacueris, nihil aliud credet æger, quàm filium mortuum esse. Sic casum S. Doctor resolvit: Ex illis tribus duo sunt falsa, nempe, *Vivit*, & *Nescio*, nec dici possunt nisi mentiendo. Unde id unum salva veritate, cui (non obstante quolibet incommodo inde per accidens secuturo,) adhærere debes, respondere potes, *Mortuus est*. 2. Quia dicunt eas esse mendacia, & per se deceptivas proximi. 3. Quia, inquiunt, non est necessitas iis utendi; nam si de re sub secreto commissa interrogeris, respondere debes interrogationem illam illicitam esse, nec tibi licere quidquam ad eam respondere. Reus verò non legitimè interrogatus respondere debet se nihil habere, quod dicat. Addunt non esse absurdum, quod certis casibus nulla restet via licita occultandi veritatem, sicut nec se defendendi contra injustum aggressorem. Prioris sententiæ patroni respondent ad 1. S. August. loqui de casu, in quo agitur de æquivocatione non determinabili exterius, vel de restrictione purè mentali. Ad 2. negant, quia sensus totius propositionis mentalis cognosci potest vel ex usu communi, vel ex indiciis aut circumstantiis exterioribus. Ad 3. dicunt responsionem illam sæpe indicare veritatem occultandam; unde Deus aliam viam licitam occultandi veritatem suppeditavit.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. hanc propositionem, *Patriarcha & Propheta, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti, æquivocationibus, sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt*, damnavit ut scandalosam & impiam. Enimverò restrictiones mentales & æquivocationes per se continent aliquid artificiosæ fallaciæ ab ingenua sinceritate alienæ, propter quod vulgò censeantur à Christiana simplicitate ac sinceritate abhorrere: unde dedecet supremam & essentialem veritatem hujusmodi artificio uti, cujus quidem usus teddit verba loquentis nescio quomodo contemptibilia, & non parùm suspecta: ac proinde loquentis authoritatem non parum minuit. Igitur dicendum est Christum & homines spiritu divino afflatos in his difficultatibus lo-

cis

cis locutos fuisse figurativè, mysticè, parabolicè, propheticè. Deus quippe potest verba à vulgari significationis usu ad superiorem quamdam significationem transferre, ut reipsa transfert locutiones sacramentales, putà istam: Ego te baptizo, &c.

TRACTATUS DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS CERTORUM STATUUM Et Officiorum.

CAPUT PRIMUM.

De Obligationibus Clericorum.

Nota. Clerici sunt ii, qui aliquo ordine, vel saltem tonsura sunt insigniti. Præter mandata omnibus christianis communia, sunt quædam ipsis specialiter prohibita, & quædam præcepta.

Quæst. I. *Quænam sunt specialiter prohibita Clericis, præsertim sacro ordine initiatis, vel beneficiatis?*

Resp. Ex communi sententia, sequentia, 1. Armorum gestatio, nisi necessitas urgeat ad defensionem vitæ, cap. 2. de vita & honestate. *Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.*

2. Venatio, quæ fit clamore & armis, præsertim cum cane, vel accipitre, vel falcone; ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur, c. 1. de clerico venat. *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpiùs detentus fuerit: si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni officio suspendatur.* Et cap. 2. *Omnibus servis Dei, venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones interdicimus.* Et, ex Conc. gener. Later. IV. c. 15. *Venationem & aucupationem universis Clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves habere præsumant.* His adde plura Concilia provincialia, quæ quamlibet venationem armis factam vetant. Ratio est, quia venatio à gravioribus occupationibus, à studio, oratione, & spiritualibus exercitiis vel charitatis operibus avocat, mentem à Deo plurimùm distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum clericalem. Præterea variis periculis obnoxia est. Quare Religiosos adhuc magis venatio dedecet, eisque speciatim prohibetur, *Clement. 1. de statu Monach.* in Concil. gener. Viennensi. Item ne venaticos canes intrà suas domos retineant. Tamen juxta S. Raymundum, & alios licita est interdum Clericis venatio quieta, quæ fit laqueo, vel retibus causa necessitatis vel recreationis moderatæ.

3. Militia, c. *Quicumque*. 23. quæst. 8. & can. 5. dist. 50. & ex Apost. 2. ad Tim. 2. Quia ex S. Thoma, 2. 2. q. 40. art. 2. *Bellica exercitia maximè repugnant illis officiis, quibus Episcopi & Clerici deputantur propter duo; 1. quidem, generali ratione: quia bellica exercitia maximas inquietudines habent. Unde multùm impediunt animum à contemplatione divinorum & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum. 2. Propter specialem rationem: nam omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento repræsentatur Passio Christi... Et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem; sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere quod gerunt ministerio.*

4. Negotiatio, quæ est emptio rei cum intentione eam integram & non mutatam vendendi, vel permutandi cum lucro. Quamvis sit per se licita, (nam per se licet lucrum via justa intendere, & comparare ad finem honestum,) tamen Clericis ac Religiosis graviter prohibita est, c. 15. *de vita & honest.* ex Conc. gener. Later. IV. Et Clement. 1. eod. tit. & c. 6. *Ne Clerici vel Monachi*, ubi Alexander III. ait: *Secundùm instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Tum quia valde indecorum est Clericos & Religiosos lucris terrenis, quæ contemnere debent, incumbere. Tum quia negotiatio exponit periculo peccati, nempe injustitiæ, fraudum, &c. & nimis animum sæcularibus curis implicat, & à spiritualibus avertit. Item à Conc. Chalced. can. 3. eis prohibetur conductio prædiorum alienorum, ut ex eorum fructibus lucrentur. Possunt tamen proprios agros colere ut fructus vendant; & greges in suis prædiis alere, ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiant, aut ipsa animalia saginata vendant, Eis quoque licet res, quæ ad suos usus emerunt, non ut vendant, postea data occasione cariùs vendere: nam hoc non est negotiatio.

At non videtur iis licere negotiari per alios, qui totam præstent industriam ut pecuniam in societate mercatorum deponere, nisi id fiat ex necessitate, & ex consensu Papæ expresso vel tacito. Tum quia hoc illorum statui indecorum est, & in illis avaritiam redolet: tum quia ita fert consuetudo vim legis habens; nam reprehenderentur qui hoc facerent. (a)

5. Cohabitatio cum femina, de qua suspicio esse potest, ex Conc. Nic. I. can. 3. ibi: *Vetuit omninò magna synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitùs eorum, qui sunt in clero, introductam habere mulierem, præter quàm utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt*, cap. 1. & 9. *de cohabit.* & ex Conc. gener. Later. I. cap. 3. ob periculum proprium, & scandalum aliorum.

6. Ludus alearum, ut chartarum, taxillorum ex cap. 1. dist. 35. ex cap. 11. *de excess. prælat.* ex variis Conciliis, præsertim ex Conc. gener. Later. IV. cap. *Clerici*, de vita & honest. ibi. *Clerici... ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Quare Delugo ait: *Propter hos Canones obligationem aliquam peculiarem in Clericis agnoscunt Doctores communiter*. Ratio est, quia talis ludus eorum statui indecorus est, & multis malis ac peccatis obnoxius. Unde mortaliter peccant, qui sæpe tali ludo ludunt cum jactura notabili temporis, vel etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniæ summa. Religiosis verò ludus aleæ & chartarum adhuc strictiùs vetitus est: nam *Religiosis*, inquit Molina, *longè magis indecens est, & scandalosus aliis, quàm Clericis sæcularibus: eoque magis ipsis indecens, & scandalosus aliis, quò arctiorem vitam profitentur, & magis in ea religione regularis disciplina viget*. Quare Busembaum docet Religiosos, apud quos disciplina regularis viget, à gravi peccato vix posse excusari si ludant chartis vel aleis. Et Delugo, disp. 31. sect. 1. num. 12. hæc ait: *Perdoctus P. M. Bannes indubitanter aliquando asseruisse fertur, si hominem nostræ Societatis vidisset chartis semel ludentem, judicaturum eum peccati mortalis reum. Quod ego etiam de Patribus Capuccinis, Carmelitis discalceatis, & similibus dico.*

7. Sæcularia negotia, ex 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*. Et ex multis Conciliis, & ex toto tit. *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*. Hinc non possunt exercere officium Advocati coram Judice sæculari, nisi in propria causa, aut Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt, cap. 1. *de postul.* Item nec officium Procuratoris, Tabellionis seu Notarii in placitis sæcularibus, & alia negotia quæ multum distrahunt & implicant: nam per illa à rebus spiritualibus, & propriis eorum officiis nimium abstrahuntur. In Gallia tamen ex consuetudine recepta, & ob bonum Ecclesiæ licitè funguntur officio Consiliarii & Judicis in causis civilibus.

8. Chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio infertur, prohibetur Clericis sacro ordine initiatis: item sententiam sanguinis dictare aut proferre, sanguinis vindictam exercere, aut ubi exercetur interesse & quidquam dictare aut scribere ad hunc finem, cap. 9. *Ne Clerici vel Monach.* ex Conc. gener. Later. IV. Ex communi sententia tamen licet Clericis medicinam secundùm artis regulas exercere ex charitate sine ullo periculo & scandalo, modò ipsi incisionem vel ustionem non inferant.

9. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere, ex multis canonibus, dist. 44. & ex Conc. gener. Later. IV. cap. 16. ibi: *Tabernas prorsùs evitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti*. Et ex multis Conciliis provincialibus.

10. Omnis luxus, can. 7. & 8. dist. 41. & ex Conc. Nicæno II. c. 16. Sæculi voluptates & spectacula, can. 3. dist. 23. Comessationes & ebrietates, c. 14. *de vita & honest.* ex Concil.

(a) Vide Constit. quæ incipit *Apostolica Servitutis*, in qua SS. D. N. BENEDICTUS XIV. non solùm confirmat pœnas in Clericos negotiatores à Sacris Canonibus, & ab aliis Summis Pontificibus stabilitas, sed illas quoque ad eos expressè extendit, qui illicitè sub alieno nomine negotiantur, perinde ac si per seipsos, ac proprio eorum nomine, negotia illa exercerent. „ Atque decernit Primò: ut omnia & singula bona „ sic ab eis alieno nomine illicitè acquisita sub ine- „ vitabili spolii pœna subjiciantur.

Secundò: Ut negotia à Laicis inchoata, & ad Clericos delata, statim dimittantur, nec, nisi necessitate urgente, continuari possint; de licentia tamen Congreg. Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam; idque ad tempus dumtaxat, ac per interpositam Laici personam.

Tertiò: Ut exempti a spolio ad effectum testandi aut transmittendi, non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita.

cil. gener. Later. IV. Chorez, *Conc. Trid.* sess. 24. c. 12.

Porrò Concilium Tridem. sess. 22. cap. 1. hæc omnia innovat & confirmat. Nam ibi: *Statuit, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur.* Lege tot.

Nota. Eadem omnia prohibita sunt Religiosis non solùm Clericis, sed etiam laicis: quia nomine Clericorum comprehenduntur Religiosi, quando prohibitio spectat decentiam status, ut notat Suarez.

Quæst. II. *Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?*

Resp. Tenentur 1. Clerici præsertim sacro ordine initiati vel beneficiati, *habere coronam vel tonsuram congruentem*, cap. 15. *de vita & honest.* ex Conc. gener. Later. IV. & cap. 4. eod. tit. *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.* Item gestare habitum clericalem, & suo ordini convenientem, can. 22. dist. 23. & Clement. 2. *de vita & honest.* & ex Concil. Trid. sess. 14. c. 9. & ex constit. 92. Sixti V. ubi sub gravi pœna præcipit, ut omnes isti Clerici jugiter deferant *tonsuram & habitum clericalem, vestes scilicet talares*. Et verò eos qui à mundo separati, se divino ministerio dedicarunt, laicalem vitàm exteriore habitu profiteri dedecet. Hinc peccat mortaliter, qui notabili tempore non gestat tonsuram, vel habitum clericalem, saltem quo discernatur à laicis, cùm id præcipiatur sub gravibus pœnis, & res sit gravis pertinens ad decentiam status, & bonum ac decus Ecclesiæ. *Ita Navarrus, Sanchez, & alii.* Nec excusat consuetudo, cùm sit irrationabilis, & corruptela. Unde S. Carolus in Synod. II. Ecclesiæ Mediolanensis inter alios casus hunc sibi reservat: *Qui quævis beneficia obtinentes habitum clericalem non induunt.* Permittit tamen Clericis iter facientibus, ut vestitu contractiore utantur. *Decentem tamen illum*, inquit, *atque hujusmodi esse oportet, quo eos esse ecclesiastici ordinis homines agnosci facilè possit. Cùm verò eo venerint quo pervenire contendunt, talarem togam induant.*

Porrò Religiosis prohibetur sub excommunicatione ipso facto contracta, & Papæ reservata, ne habitum sui ordinis temerè, hoc est, sine justa causa dimittant, c. 2. *Ne Clerici vel Monachi*, in 6.

2. Tenentur Clerici sacro ordine insigniti servare castitatem perpetuam, ex voto solemni, quod Ecclesia ob reverentiam sacri ministerii annexuit ordini sacro, ita ut illi per voluntariam ordinis susceptionem facto ipso tacitè profiteantur ac voveant castitatem. Constat ex variis juribus, ex Concil. general. Later. I. can. 21. ibi: *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitùs interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum canonum definitionem judicamus.* Ex Concil. gener. Later. II. cap. 7. ibi: *Nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in ecclesiasticis personis & sacris ordinibus dilatetur; statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, regulares Canonici, & Monachi atque Conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam abinvitem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant.* Et ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9. Hæc lex castitatis & continentiæ omnibus Episcopis, Sacerdotibus & Diaconis ab ipsis Apostolis authoritate Ecclesiastica constituta fuit, ut docet Conc. Carthaginense II. can. 2. Et verò Patres veteres non solùm Latini, sed etiam Græci, hanc obligationem commemorant, cujus quidem initium cùm ignoretur, ab ipsis Apostolis sumendum est. Postea eadem lex ad Subdiaconos extensa fuit jam à primis Ecclesiæ sæculis; nam Conc. Eliberitanum ann. 305. habitum, can. 33. Subdiaconos hac continentiæ lege comprehendit. Hoc etiam constat ex sensu ac praxi Ecclesiæ.

Item tenentur quotidie recitare Breviarium ex variis juribus, & præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente; ut constat ex consensu Doctorum, qui se habent in hac re ut multitudo testium omni exceptione majorum.

3. Clerici ratione sui status & juramenti, obedientiam specialiter debent Episcopo in iis, quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum, ad correctionem &

pœnas pro peccatis impositas, ad divinum cultum, officium, & sacramenta, ad jura Episcopalia, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam, c. *Quia frater* 7. q. 1. Et c. 16. *de off. judic. ordin.*

4. Tenentur servare honestatem & modestiam in omni compositione & gestu corporis, temperantiam & moderationem in cibo & potu, ex dist. 41. & dist. 44.

5. Ratione sui status debent morum sanctitate, & virtutibus omnibus laicis prælucere, *quorum forma & exemplum esse debent*, ait Conc. gener. Later. II. c. 4.

Quæst. III. *Quænam sunt obligationes speciales Beneficiatorum?*

Resp. Beneficiati, etsi carentes ordine sacro, tenentur ex justitia horas canonicas recitare quotidie, ita ut si eas culpabiliter omiserint, peccent mortaliter, nec faciant fructus suos, & ad eorum restitutionem teneantur, saltem post sex menses pacificæ possessionis. *Ita omnes*. Prob. 1. Ex Conc. Later. V. sess. 9. ibi: *Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii & temporis: sed eos tanquam injustè perceptos in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur*. Quod decretum confirmat & explicat Pius V. const. *Ex proximo*, vigente etiam in Gallia. *Statuimus*, inquit, *ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur qui verè Matutinum, tantùm dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittant*. 2. Quia sub hoc onere ab Ecclesia Beneficium eis collatum est, & ab eis acceptatum: nam *Beneficia propter officia conceduntur*, ait Concil. Constantiense, sess. 43. Idem docet Concil. Trident. sess. 21. cap. 3.

Observa 1. Hæc restitutio fructuum debetur in conscientia ante omnem sententiam; nam omittens non habet jus ad illos fructus defectu conditionis, quam Ecclesia exigit ut illud acquirat. Et, Conc. Later. cit. dicit, *non facere fructus suos pro rata omissionis officii*, sed teneri restituere *tamquam injustè perceptos*. At ut quis teneatur restituere injustè acceptum, & quod suum non est, non requiritur sententia Judicis. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quòd sit pœna*. Excusatur tamen à restitutione, qui sine sua culpa omisit, v. gr. ob morbum, unde Conc. Later. addit: *Cessante legitimo impedimento*.

2. Non liberatur à restitutione, qui aliis diebus recitat quod omisit: quia obligatio restituendi est imposita omissioni graviter culpabili officii quotidiani, quod cum suo die affixum sit, non potest impleri alio die.

3. Non sufficit adesse Horis quando recitantur in choro, quia recitari debent ab ipso beneficiato, ex eadem Bulla.

4. Alexander VII. damnavit has propositiones. 21. *Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum: si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet*. 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit*.

5. Commendatarii perpetui obligantur ad Horas. Quia substituuntur beneficiatis titularibus cum tota obligatione: imò nunc habentur pro veris titularibus, & commenda perpetua æquiparatur beneficio, ex Concil. Trident. sess. 7. cap. 2. & sess. 24. cap. 17. nam habet vim & effectum tituli, datque jus perpetuum percipiendi fructus. Coadjutor verò non obligatur præcisè ratione coadjutoriæ, licèt instituatur cum futura successione, quia nondum est beneficiatus. Excipe nisi habeat jus plenum administrandi ob beneficiati amentiam, aut similem infirmitatem, vel assumatur ad totum onus beneficii in defectum beneficiati; nam tenetur ad omne onus, ad quod assumitur.

6. Impuberes ratione studiorum non excusantur: nam comprehenduntur voce, *Quilibet* Concil. Later. & beneficium non datur nisi propter officium. Item ad Horas obligantur præstimonia habentes, ex Bulla Pii V. cit.

7. Ex communiori sententia, nulla est obligatio recitandi ante partam possessionem, quia ante illam non censetur provisus beneficium perfectè consecutus, nec potest fructus percipere, nec beneficii jura exercere. Excipe, nisi dilatio possessionis capiendæ proveniat ex culpa, vel negligentia beneficiati: nam

nam *mora sua cuilibet est nociva*, reg. Jur. 25. in 6. & nemini sua fraus vel negligentia prodesse debet. Tenetur autem statim sub mortali accepta possessione, ex Bulla cit. Qui autem sex primis mensibus omisit, juxta alios tenetur ad restitutionem, quia ex natura rei tenetur, non solùm ex jure Ecclesiastico; nam datum ob causam obligantem retineri non potest, causa non secuta: juxta alios non tenetur, quia Papa remittit obligationem restituendi ob omissum sex primis mensibus officium, licèt talis graviter peccaverit, cùm violaverit præceptum in re gravi.

8. Tenuitas beneficii non excusat ab hac obligatione. *Ita S. Antoninus, Navarrus, Suarez, Toletus, Azor, Reginaldus, & alii communius.* Quia jura ad officium obligant omnes beneficiarios sine exceptione, ut patet ex his verbis Concil. Later. *Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura.* Et ex his Bullæ Pii V. *Qualiacumque beneficia obtinentes.* At ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et lex generalis est dari beneficium propter officium. Imò, cap. *Clericus*, dist. 91. jubetur Clerico pauperi, ut agricultura vel artificio sibi victum comparet sine officii detrimento. Præterea beneficium acceptans, sponte acceptat omne onus illi annexum, & in illud consentit. Nec ex tali onere patitur injuriam, cùm hæc scienti & sponte consentienti non fiat. Sic vir tenetur ad onera matrimonii & alendam uxorem, quamvis ab ea non acceperit dotem sufficientem. Saltem in hoc consuli debet cujusque Ecclesiæ consuetudo, & in dubio Episcopus loci.

Sed an Beneficiarius privatur omnibus beneficii fructibus respondentibus iis diebus, quibus non recitavit, si obierit alia ministeria beneficio annexa.

Resp. Suarez, Reginaldus, Azor, Navarrus, & alii docent, omnibus privari; quia Concil. Later. dicit generaliter omittentem Horas non facere fructus suos; & Pius V. sine ulla exceptione & distinctione statuit, ut omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus amittat: ubi eodem modo de beneficiis sive curatis sive simplicibus loquitur.

Non pauci tamen docent teneri tantùm ad partem fructuum respondentem officio omisso, spectata quantitate redituum & onerum. Quia beneficium, cui alia onera annexa sunt, ut prædicatio, ministratio sacramentorum, celebratio Missæ, &c. non solùm propter Horas, sed etiam propter illa alia onera & ministeria institutum est, & datur. Ergo æquitas postulat, ut qui alia munera ritè obiit, non privetur stipendio iis debito. Cùm enim imponatur obligatio restituendi, quia beneficium datur propter officium; quando aliquis præstat plura officia; & omittit unum illorum, ut recitationem Horarum, satis est si restituat partem stipendii respondentem officio omisso. Dicunt autem Conc. Later. & Pium V. loqui de omnibus fructibus respondentibus Horis canonicis, non verò de aliis datis ob alia ministeria, & intelligi debere pro materia subjecta, vel saltem ea decreta non fuisse recepta cum tanto rigore, sed cum hac moderatione, ut qui alia onera habent, quibus satisfecerint, possint fructus iis respondentes lucrari.

Respondet Suarez, licet beneficium detur propter plura officia, nihilominùs legem potuisse punire omissionem unius officii privatione omnium fructuum etiam respondentium aliis servitiis: privasse autem ex verbis citatis constare. Alii docent ad securitatem conscientiæ petendam esse compositionem cum sacra Pœnitentiaria.

Quid si beneficium possidens nullos ex eo fructus percipiat?

Resp. 1. Tenetur Horas recitare in his casibus. 1. Si omnes fructus loco pensionis impendat ei, qui sibi resignavit, vel Sacerdoti substituto ad peragenda beneficii onera. Quia habet titulum & possessionem beneficii, cui annexa est obligatio personalis recitandi Horas: quòd si non fruatur fructibus, hoc est per accidens, & quia sic ipse sponte consentit. 2. Si iis privetur justè, v. gr. quia non residet, vel nondum sacris initiatus est, vel ob aliquam culpam. Nam Ecclesia non debet privari suo debito servitio ob culpam aut aliquem defectum ministri, qui hanc fructuum privationem sibi imputare debet. 3. Si illi fructus aliquo casu perierint, v. gr. incendio, sterilitate, hostium spoliatione, &c. vel si hominum injuria pro aliquo tempore auferantur sine spe recuperandi. Quia cum beneficia instituta sunt, simul imposita est perpetua obligatio officii, licèt fieri nequeat quin aliqui ejusmodi casus decursu temporis accidant. Qui autem beneficium semel acceptat, sicut omnia jura & emolumenta percipit, ita suscipit in se pericula, & cum periculis se obligat ad ejus onera, idque ex pacto tacito inter ipsum & Ecclesiam. Addе quòd superiorum vel sequentium annorum proventus talem jacturam satis compensare possunt. 4. Quando reditus primi vel secundi anni subtrahuntur beneficiato, ut cedant fabricæ,

vel antiquis canonicis: tum quia talis consuetudo non fuit inducta, ut minueretur officium: tum quia cum his conditionibus sponte suscepit beneficium: tum quia per applicationem fructuum fabricæ, ipse liberatur in posterum onere solvendi pro fabrica; & si applicentur canonicis, ipse tunc obtinet jus & spem idem percipiendi ab aliis, & suo tempore eadem commoda percepturus est. Nec refert quòd priùs mori potest aut cedere beneficio, quia hoc se habet per accidens.

Resp. 2. Si absque sua culpa nullos fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi, ut cùm fundus beneficii ab hæreticis occupatur, juxta multos non obligatur ad Horas ratione hujus beneficii. Quia non est mens Ecclesiæ ut teneatur ad hoc onus, cùm stipendium non habeat, & censeatur amisisse facultatem unquam percipiendi. Quòd si partem fructuum, aut distributiones recipiat, ad officium totum tenetur non minùs, quàm qui beneficium insufficiens ad integram sustentationem habet. At si sit spes percipiendi aliquando fructus, teneretur: tum quia hæc spes est pretio æstimabilis, & beneficium pacificè possessum cum tali spe est sufficiens ratio obligandi, & interim gaudet honore & privilegiis: tum quia teneretur si casu fortuito, ut propter sterilitatem, furtum, bellum, & similia, aliquibus annis non reciperet fructus.

Quæst. IV. *Ad quid insuper tenentur Beneficiati choro addicti?*

Resp. 1. Tenentur choro interesse tempore divini officii, ita ut si sine legitima causa ab eo absint ultra tempus sibi à jure concessum, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. *Prob.* 1. Ex cap. 3. dist. 91. *Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur.* Et ex tit. *de cler. non residens.* Et, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 12. ibi: *Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, &c.* Et ex multis Conciliis provincialibus. 2. Quia ex officio tenentur in choro Horas omnes recitare, & propter hanc recitationem publicam in choro stipendium accipiunt; ad hoc enim instituta sunt illa beneficia. Quare sacra Cardinal. Congregatio, die 20. April. 1602. declaravit, Canonicus qui non recitant in choro, non satisfacere obligationi suæ. Tenentur autem omnibus & singulis Horis interesse, nam tenentur officium integrum solemniter persolvere, & non rantùm partem officii. Unde Conc. gener. Later. IV. c. 17. præcipit Clericis, choro præsertim adstrictis & Canonicis *in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.*

Quanta autem ad mortale requiritur absentia à choro, ultra duos aut tres menses juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem, sive ex continuis, sive ex interruptis diebus componatur, controvertitur. Suarez excusat solùm à mortali absentiam unius diei.

Excusantur tamen à præsentia chori & residentia, absentesque jure percipiunt fructus beneficiorum Canonici studentes Theologiæ per annos 5. vel docentes Theologiam toto tempore quo docent, c. ult. *de Magist.* Item duo Canonici qui sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, cap. 15. *de cleric. non resid.* & qui sunt in obsequio Papæ ad eundem finem, cap. 14. *eod. tit.*

Nota. Qui etiam ex legitima causa à choro absunt, non lucrantur distributiones quotidianas, & recepta tenentur restituere, non obstante remissione, ex cap. 32. *de præbend.* & ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. ibi: *Distributiones qui statis Horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: Consuetudinem, &c.* In quo excipiuntur *solùm ii, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Hinc punctator, cui ex officio incumbit notare absentes à choro, tenetur ad restitutionem, si eos non notet, quia causa est quòd solvantur distributiones iis quibus non debentur cum damno eorum, quibus jure debentur; quibus proinde tenetur restituere de suo. Idem est de distributore, si distributiones solvat iis quibus non debentur, hoc est, iis qui absunt non ob infirmitatem aut necessitatem corporalem, vel in evidentem utilitatem Ecclesiæ, sed ex alia causa licèt justa; nam iis privat alios, quibus jure debentur. Ex decreto Concil. Trid. sess. 22. cap. 3. Distributiones illæ saltem, quæ ab Episcopis post tale decretum institutæ sunt ex fructibus beneficii, applicari debent fabricæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii.

Porrò cœcus habens præbendam tenetur choro interesse, & audire alios canentes, & reci-

recitare quantum ipse potest & recordatur; nam ad id tenetur ex vi beneficii cum præbenda. Cur enim excusaretur? *Ita Suarez, Filliuc.*

Resp. 2. Iidem tenentur jure communi canere in choro, & alta voce recitare officium secundùm Ecclesiæ suæ usum, ex c. 9. dist. 92. *Quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à clero*. Et ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia ..... atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare*. Item ex variis Conciliis. Nam ad officium talium beneficiatorum publica canonicarum precum decantatio pertinet, cùm ad eam instituta sint illa beneficia: & reipsa reditus ei specialiter dantur ut choro inserviant. Nec distributiones constitutæ sunt ob nudam præsentiam, sed ut cum aliis psallant, & officium decantent. Quare non satisfaciunt privatim in choro Horas recitando, nec lucrantur distributiones, quæ debentur solis choro inservientibus: nam quod datur ob causam obligantem, causa non secuta, non debetur, sed restitui debet. (a)

Porrò pars chori, quæ tacet, tenetur attendere ad ea quæ canit altera; nam tenetur ad totum officium moraliter concurrere, & totum facere suum. Aliàs non censeretur moraliter præsens toti officio; nam is non dicitur præsens alicui rei, qui ad aliud attendit, ex l. *Coram §. de verb. signif.* Nec satisfacit qui prævenit, & privatim recitat partem alterius chori, & postea voluntariè distrahitur; nam non satisfacit toti officio publico chori, non enim communicat in parte officii, quam non recitat, nisi ad eam attendendo. Unde in solemni Missa omnes tenentur audire attentè Evangelium, Epistolam, & alia quæ ab uno decantantur.

Controvertitur an legitima sit consuetudo, qua in quibusdam locis Canonici totum onus psallendi seu canendi imponunt vicariis vel cantoribus conductitiis, ipsi verò certis temporibus absunt. Certum est tales saltem teneri privatim horas recitare: nam generalis est lex recitandi horas, cui non satisfacit, qui tantùm alios recitantes audit; item teneri choro interesse tempore officii cum devotione & attentione: quòd si domi horas persolverint, attendere more orantium, alioqui vana nec religiosa esset illorum præsentia.

Quæst. V. *An beneficiarii omnes teneantur partem fructuum beneficii, honestæ sustentationi superfluam, impendere in pauperes vel alios pios usus?*

Resp. Secundùm omnes ad id sub mortali tenentur. Et quidem paucis exceptis etiam jure naturali, ita ut consuetudo in contrarium excusare non possit. Sed omnes penè Canonistæ (ut ostendit Novarrus) & plurimi, ne dicam plerique, Theologi veteres cum Ricard. S. Bonav. S. Raymund. S. Antonin. multique recentiores Turrian. Comitol. Layman, Gormaz, &c. docent ad id teneri non solùm ex charitate & religione, sed etiam ex justitia, ita ut si superflua omnia non impenderint in usus pios, teneantur ad restituendum pauperibus, vel aliis piis causis: idcòque non habere dominium omnium fru-

ctuum

(a) Extat hæc de re BENEDICTI XIV. Constit. ad Universos Italiæ Patriarchas, Archiepiscopos, ac locorum Ordinarios, cujus initium est, *Cum semper*, tom. 1. Bullarii pag. 366. in qua §. 24. sequentia leguntur.

„ Equidem scimus in aliquibus Metropolitanis, & „ Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opi- „ nionem invaluisse, ut se munus suum satis imple- „ re contendant, dum Choro præsentes assistant, li- „ cet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus „ Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjun- „ gant. In hujusce verò opinionis confirmationem „ adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, „ statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum „ suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina „ sess. 24 cap. 12. loquens de Dignitatibus, & Cano- „ nicis, qui Choro interesse debent, unum ex eo- „ rum officiis esse dicat, *in Choro ad psallendum insti- „ tuto. Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, di- „ stinctè, devotèque laudare*, quumque pauca omninò „ sint Capitula, in quibus eo modo à Canonicis in „ Choro assistitur, idemque receptæ in Universali Ec- „ clesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscan- „ tur; quum insuper opinio illa nunquam in Congre- „ gatione Concilii Tridentini interpretationi præposi- „ ta, examinata sit, quin statim explosa fuerit, & „ improbata; quamvis præsumptis consuetudinibus, „ aliisque fundamentis, & rationibus innixa perhi- „ beretur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarcha- „ lium hujus nostræ Urbis super hoc instantibus: „ quum denique idem judicium prolatum reperiatur „ à pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam „ Apostolica Sede approbatis, & confirmatis; nihil „ jam reliquum esse videtur, quominus pauciores „ universorum legi se accommodent. Equidem mini- „ mè Nobis compertum est, quo peculiari titulo suf- „ fulti persuasum habeant unius, vel alterius Eccle- „ siæ Canonici, se muneri suo satisfacere per simpli- „ cem in Choro assistentiam, absque Divinæ Psalmo- „ diæ cantu. Verum, nisi illis præsto sit Apostolicum „ non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, „ ac vigens Privilegium, sive indultum; jure ac me- „ rito verendum est, ne illi, dum ita se gerunt, „ Præbendarum, ac Distributionum fructus minime „ suos faciant; & consequenter ne ad eorum restitu- „ tionem teneantur.

ctuum beneficii absolutum & liberum, sed gravatum onere justitiæ superflua impendendi in pios usus.

Prob. 1. Ex Patribus, & Conciliis. S. Ambrof. epist. 31. ad Valent. *Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus prabet, hos fructus. Possessio Ecclesia sumptus est egenorum.* S. Hieron. in can. *Quoniam.* 16. quæst. 1. *Quidquid habent clerici, pauperum est.* S. August. in can. *Si privatum.* 12. quæst. 1. *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* S. Gregor. l. 5. epist. 55. ait Patrimonium Ecclesiæ Romanæ esse res pauperum. Et, l. 11. epist. 23. ad Julian. de se ut possidente bona Ecclesiæ ait: *Quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere .... dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum, tenemus.* S. Bernard. epist. 2. ad Falcon. *Quidquid prater necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Ita alii Patres. Adde can. *Res Ecclesia.* 12. quæst. 1. Concil. gener. Nic. II. cap. 12. *Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus sollicitudinem habeat, & dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare qua Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.*

Concil. gener. VIII. c. 15. decernit Ecclesiasticos reditus ad ministrorum sustentationem, *& ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse.* Concil. gener. Later. III. c. 19. dicit. *Ecclesiarum bona, & clericorum, & pauperum Christi usibus deputata esse.* Gregor. IX. c. 16. de foro compet. ait: *Cùm valdè sit iniquum ea, qua collata sunt pro remedio peccatorum Ecclesiis, vel relicta, aut eis justis mediis aliis acquisita, aliis usibus applicari.* Conc. Turon. ann. 813. cap. 10. *Rebus Ecclesia ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Ita loquuntur multa alia Concilia. Unde Conc. Parif. 829. adductis multis canonibus, & textibus Patrum, ait, cap. 15. *Sicut igitur pramissa documenta declarant, non sunt res Ecclesia, ut propria, sed ut Dominica, & à Domino commendata tractanda.* Adde Sanctum Thom. qui 2. 2. quæst. 110. art. 1. ad 7. ait: *Quamvis res Ecclesia sint Papa ut principalis dispensatoris, non tamen ejus ut domini & possessoris.* Et, quæst. 119. art. 3. ad 1. *Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesia, qua sunt pauperum, quos defraudant prodigè expendendo.*

Dices. Patres docent superflua divitum, etiam laicorum, esse pauperum, & tamen divites non tenentur ex justitia strictè dicta dare superflua sua pauperibus, ita ut si omittant, obligentur ad restitutionem. Ergo similiter cum Patres dicunt bona Ecclesiæ esse pauperum, esse bona Dei, non intendunt significare obligationem justitiæ dandi bona Ecclesiastica superflua pauperibus vel piis operibus. *Resp.* Neg. conseq. Quia 1. Textus Patrum intelligi debent pro subjecta materia. Bona autem Ecclesiastica, utpote bona Deo dicata, & in solos pios usus donata, diversæ sunt moraliter naturæ obligationis ab aliis bonis. Et verò etiamsi nulli essent pauperes, nihilominus secundùm omnes bona superflua beneficiorum in alios usus pios impendi deberent, quamvis in hoc casu laici sua superflua sibi retinere, vel consanguineis donare possent; quia nempe bona superflua beneficiorum sunt bona Dei, & bona Deo dicata, & donata in usus pios. 2. Concilia in suis canonibus propriè & accuratè loqui solent, & tamen non aliter in præsenti materia loquuntur atque Patres. 3. Obligatio impendendi in usus pios bona superflua beneficiorum, quam Patres & Concilia agnoscunt & tradunt, est omnino distincta à præcepto charitatis, & ab obligatione quam habent beneficiarii circa bona patrimonialia superflua: nam hæc obligatio est specialis beneficiariis circa bona Ecclesiastica superflua & illa sola bona spectat.

Nec dicas Patres & canones loqui de bonis immobilibus: nam apertè loquuntur de bonis, quæ ad sustentandos ministros Ecclesiæ, & alendos pauperes impendi debent. Constat autem nunquam ministris licuisse bona immobilia consumere in suos vel pauperum usus.

Prob. 2. Quia bona Ecclesiæ sunt ei donata à fidelibus ea intentione, & cum onere ac pacto saltem implicito seu tacito, ut impenderentur in cultum divinum, & alios pios usus, scilicet, in sustentationem ministrorum Ecclesiæ & pauperum, in fabricam, ornamenta Templi, &c. quatenùs hæc bona donata sunt in cultum divinum, ideòque in usus pios Deo gratos. Nam 1. A Patribus, & Conciliis bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, bona Dei, hoc est, bona Deo consecrata, quatenus donata sunt tantùm in ejus cultum, & usus pios ipsi gratos. Item Ecclesiæ Prælati dicuntur œconomi, & dispensatores, non absoluti domini bonorum Ecclesiæ. 2. Fideles bona sua donando Ecclesiæ volebant opus salutare, meritorium, & Deo gratum

tum facere, & illa Deo consecraret: quod non fecissent quoad partem superfluam bonorum, si non dedissent cum onere & pacto, saltem implicito seu tacito, ut in usus pios & Deo gratos omnia impenderentur: nam non est opus pium dare ministris Ecclesiæ bona illorum sustentationi superflua, ut de iis faciant quod libuerit, & possint ea in usus profanos impendere. 3. Hæc intentio fidelium satis constat ex Patribus & Conciliis. S. Ambrosius, l. 2. de offic. c. 20. dicit, fideles Ecclesiæ ministris probis sua obtulisse, ut per eos ad pauperes pervenirent. *Quicumque* (inquit) *bonum operarium videt, nisi confert quod ille suo officio dispenset, securus quòd ad pauperem sua perveniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem.* S. Thomas, in epist. 2. ad Cor. cap. 12. lect. 5. ait, quòd Principes & alii bona Ecclesiæ *non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes: & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus.* Conc. gener. Lat. II. c. 10. ait: *Decimas Ecclesiarum, quas in usus pietatis concessas esse canonica demonstrat authoritas, à laicis possideri prohibemus.* Concil. Aquisgran. ann. 816. cap. 16. *Res Ecclesiæ, sicut à SS. Patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: fideles namque Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam; ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesia exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, imò eorum in quibus Christus pascitur, & vestitur, curam gerere penitus non negligant, &c.* Concil. Valent. ann. 855. cap. 21. *Quia cum ipsa res Ecclesiæ à piis & fidelibus Deo oblata, juxta antiquorum Patrum sententiam, nihil sint aliud, nisi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum; si eas fideliter & integrè ecclesiasticis usibus non deferimus, & in eos qui obtulerunt, & in Deum cui oblata sunt, gravissime nos reatu implicamur.* Concil. Tribur. cap. 13. *Ideo danda* (sunt decimæ) *ut Deus placetur, & ministri Ecclesiæ liberiores fiant ad spiritualis servitii expletionem, nec non secundùm statuta canonum in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant, &c.* Omitto multa alia Concilia idem declarantia.

Neque dicas ante erectionem beneficiorum, quæ octavo vel nono sæculo accidit, fuisse quidem obligationem justitiæ impendendi superflua in usus pios; sed postea Ecclesiam instituendo beneficia dominium eorum redituum absolutum ac liberum transtulisse in beneficiarios, cum sola obligatione charitatis vel religionis impendendi superflua in usus pios.

Nam contra est 1. Bona Ecclesiæ post erectionem beneficiorum non amiserunt naturam & conditionem boni merè ecclesiastici & Deo dicati, ideòque in usus pios impendendi. Nam bona ecclesiastica sunt bona specialiter in Dei cultum donata, & in opera Deo grata dicata, & sic ab Ecclesia acceptata. 2. Cùm data sint à fidelibus solùm in Dei cultum & pios usus, imposita est obligatio perpetua justitiæ ea sic impendendi. 3. Posteriora Concilia de illis bonis loquuntur sicut priora, & dicunt ea esse bona Dei, impendenda in usus pios. Nam Leo X. const. 7. approbante Concil. Later. V. statuit, *ut Cardinales Ecclesiarum bona temerè non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni, & optimi reditus per sanctos Patres statuti, & ordinati fuerunt,* scilicet secundùm naturam & donationem illorum bonorum. Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. ait: *Omnino eis* (Episcopis) *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant ... Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam sæcularia quàm regularia obtinentibus observari, sed & ad S. Rom. Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.* Concil. Mediol. I. sub S. Carolo, tit. 63. *& sacrorum canonum decretis statutum est, & SS. Patrum testimoniis celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honestè sublevandis, qui Christi ministri effecti essent, vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse; siquidem ubi primùm Ecclesia bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium, quàm in sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset.* Concil. Rothomag. anni

ni 1581. *de Monast.* ait: *Ne existiment commendatarii sibi commendatum monasteriorum regimen ad luxum vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.* Idem habet Concil. Aquense ann. 1585. & Concil. Burdigal. ann. 1583. titul. 16. ait reditus Ecclesiæ esse Dei proprios. Et, tit. 26. *Peculium Christi sunt bona Ecclesiæ Episcopis, sacerdotibus, & Clericis, cùm ad honestum vitæ eorum subsidium & spiritualis sumptum ministerii, tum ad pauperum alimentum atque sustentationem tradita.* Et Concil. Rhemense, ann. 1583. c. 18. ait: *Si deinceps quisquam Ecclesiæ bona, quibus pauperes ali oportuit, in ejusmodi lusus profudisse convictus sit, & qui quæstum fecit, rem pauperum malè partam restituere, & qui jacturam passus est, tanquam sacri patrimonii dilapidator graves pœnas exsolvere cogantur.* His adde S. Bernardum, qui, serm. 18. in Cantic. sic ait: *Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegeque sibi retineant; & in usus superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur; duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.* Prætera olim quarta pars redituum Ecclesiæ in illorum divisione pauperibus assignata fuit: nunc verò est permixta cum reditibus beneficiorum; nam nullibi separata reperitur.

Dixi, cùm onere & pacto saltem implicito, quatenus fideles sua bona Ecclesiæ donabant ad Dei cultum & animarum salutem, ideòque cum onere ut ea in usus pios ac Deo gratos impenderentur.

Obj. 1. Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. statuit, ut beneficiarii, qui servitium debitum in Ecclesia quolibet die statuto omiserint, non acquirant dominium distributionum. Et Pius V. declarat non recitantes officium non facere fructus suos. Ergo beneficiarii, qui rectè suo officio funguntur, acquirunt dominium fructuum.

Resp. Acquirunt redituum dominium; sed restrictum & gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus, non autem absolutum & liberum. Sic si darem alteri centum aureos ad peregrinationem cum onere erogandi id, quod ultra necessarium sustentationem superfuerit; is acquirit dominium pecuniæ, sed gravatum; ideòque tenetur ex justitia superflua pauperibus erogare; & si non eroget, tenebitur ad restitutionem. Similiter beneficiarii possunt dici habere dominium fructuum beneficii, quia habent dominium partis necessariæ ad honestam sustentationem, & dispensationem superfluorum in pios usus impendendorum; sed dominium illud est gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus; sicut hæres habet dominium hæreditatis cum onere justitiæ solvendi debita defuncti. Item qui bona fide pecuniam alienam suæ permiscet, fit dominus totius cumuli: sed cum onere justitiæ solvendi alienam suæ permixtam.

Obj. 2. Ex communi Theologorum sententia, Clerici habent dominium absolutum ac liberum partis bonorum, quæ necessaria est ad suam sustentationem: ergo & bonorum superfluorum.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quòd bona ad congruam Clerici sustentationem necessaria, ei data sint absolutè, cum solo onere rectè fungendi officio spirituali. Largitio quippe bonorum necessariorum congruæ sustentationi ministri Dei est pia impensa jam facta; pium est enim & gratum Deo sustentare ejus ministrum in ejus obsequium: sicut erogatio eleemosynæ necessariæ sustentationi pauperis est pia impensa & bonum opus, quamvis pauper ille postea malè uteretur hoc dono. At bona superflua Clerici sustentationi non sunt data absolutè, sed cum onere illa in pios usus impendendi: nam datio talium bonorum facta absolutè & sine hoc onere non est pius usus, cum non sit opus pium & Deo gratum dare alicui bona superflua, de quibus possit pro libito disponere in quosvis usus, etiam vanos. Bona autem omnia Ecclesiæ sunt bona Deo consecrata, & data ea solùm intentione ut in pios usus impenderentur.

Obj. 3. Fideles bona sua Ecclesiæ Prælatis donarunt absolutè & sine ullo onere.

Resp. Neg. Nam fideles bona sua Prælatis Ecclesiæ donarunt in cultum divinum, ideòque impendenda in solos usus pios, utpote solos Deo gratos. Fideles enim bona sua non donarunt Prælatis Ecclesiæ, ut de illis disponere possent in usus profanos: alioqui non pium & Deo gratum opus fecissent, quod tamen solùm facere intendebant: pium quippe opus non est dare Prælatis bona superflua ad quosvis usus etiam profanos. Quòd si fideles hoc onus in pactum non deducebant, ratio est,

est, quia probè sciebant suam illam intentionem Prælatis illis satis notam esse, & videbant bona omnia ecclesiastica in pios usus semper impendi. Hoc autem videntes, sua bona in tales usus impendendos donabant.

Obj. 4. Si ita est, Ecclesia non deberet tolerare consuetudinem in multis locis vigentem, qua beneficiarii de omnibus bonis suis testantur pro arbitrio, & qua consanguinei divites eorum bonis ab intestato succedunt.

Resp. Neg. Quia 1. Ecclesia ad vitandas perturbationes & multas lites potest hujus obligationis observationem cujusque conscientiæ relinquere; & sufficit, ut cap. 12. *de testam.* declaret, *quod mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferre non possint*; cùm jam id de immobilibus declarasset, 2. Cùm nullus præsumendus sit malus, nisi probetur; non est censendus beneficiarius donare consanguineis, vel impendere in usus profanos partem piis causis ex justitia debitam, sed tantùm bona patrimonialia, vel donatione aut industria acquisita, vel suæ sustentationi debita, quæ parciùs vivendo sibi reservavit. 3. Etsi constet partem aliquam bonorum piis causis esse debitam ex justitia, forum externum hoc tolerat ad impedienda multa mala, quæ ex innumeris litibus orirentur, ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis: sicut non dat actionem circa venditionem injustam, dum læsio non excedit dimidiam partem justi pretii: Et verò ex communi sententia mortaliter peccant beneficiarii, si testentur de superfluis ad usus non pios. Cur hoc Ecclesia tolerat? Cur talem dispositionem non irritat?

Ex dictis sequitur laicos, qui sive testamento, sive ab intestato succedunt bonis provenientibus ex beneficiis, vel qui aliàs dono acceperunt, nisi sint pauperes, teneri in conscientia ad illa restituenda pauperibus loci beneficii; vel aliis piis causis. Nam testator vel donator non potuit jus in illa transferre ad usus profanos, cùm ipse illud non habuerit: nam: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, reg. jur. 79. in 6. Nemo enim dat quod non habet. Item qui alea lucrati sunt aliquid notabile ex bonis illis superfluis, tenentur, *rem pauperum male partam restituere*, ut statuit Concilium Rhemense, ann. 1583.

Nota 1. Ex dictis saltem patet beneficiarios teneri non solùm ex charitate, sed etiam ex religione impendere bona superflua in usus pios, idque jure divino naturali: cum constet bona illa esse bona Deo dicata & ad ejus cultum data: ideòque si aliter impendant, reos esse culpæ mortalis & sacrilegii: ac proinde etiamsi non constaret peccasse contra justitiam, meritò ipsis in satisfactionem imponitur obligatio tantumdem ex bonis patrimonialibus restituendi piis causis, quantùm ex ecclesiasticis in usus profanos impenderint.

Nota 2. Clerici, qui pensionem clericalem accipiunt, tenentur quoque superflua in pia opera impendere. Quia accipiunt illa ut ministri Ecclesiæ, & cum onere illis bonis affixo. Item commendatarii, cùm subeant locum beneficiarii titularis in munere, jure & commodis, subeunt quoque eadem onera. Præterea bona monasterii sunt bona Deo dicata: unde omnia ex natura sua, & ex vi donationis illorum debent impendi in pios usus. Religiosus verò habens beneficium extra monasterium, non unitum monasterio, tenetur bona superflua impendere non in usum monasterii, sed in usus pios in loco sui beneficii, ut in subsidium pauperum, in fabricam, & ornamenta templi parochiæ: nam ex jure & ex institutione beneficii habet facultatem ac obligationem superflua in pauperes beneficii & alios pios usus ejus loci præ cæteris impendendi. Quare illud: *Quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit*, non intelligitur de iis, quæ ex beneficio acquirit, sed ex donatione vel propria industria.

Nota 3. Per congruam sustentationem intelligitur quidquid necessarium est ad victum, vestitum, & habitationem beneficiarii ac personarum ei necessariarum, ad hospitalitatem exercendam, ad modicas aliquas donationes remuneratorias; uno verbo ad honestam ac convenientem cujusque vivendi rationem, ab omni luxu & intemperantia alienam secundùm cujusque statum, officium, dignitatem, ordinem, & qualitatem beneficii. Quæ omnia æstimari debent judicio prudenti, & secundùm consuetudinem piorum, ac timoratorum ejusdem conditionis, & sacros canones de vita & honestate Clericorum, & regulam à Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. traditam, videlicet: *Ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili & mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.*

Nota 4. Nomine piorum operum intelliguntur omnia opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia. Item omnia quæ ad Dei cultum & animarum salutem spectant; nam bona illa donata sunt non solùm ad subveniendum necessitati corporali, sed etiam spirituali fidelium, & ad promovendum cultum divinum. Pauperes verò censentur ii, qui carent necessariis sive ad vitam, sive ad statum suum sustentandum secundùm suam conditionem.

Porrò locus beneficii, cæteris paribus, anteponendus est cæteris, hinc si in illo sint necessitates extremæ vel graves, illis statim subvenire debet beneficiarius. Aliàs potest exteris opitulari, modò communium necessitatum proprii loci non obliviscatur.

Sed an Clerici teneantur etiam sub mortali impendere in pios usus partem superfluam bonorum, quæ accipiunt ex ministerio spirituali, ut administratione Sacramentorum, concionibus, sacrificiis, fungendo vicaria temporali, &c.

Resp. Non pauci afferunt cum Innoc. in cap. *Quia nos*, de testament. & Panormit. Quia 1. ex jure non possunt de illis testari sicut de patrimonialibus, cap. 9. *de testam.* ibi: *De his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum*. At talia sunt bona illa, quæ titulo officii aut ordinis percipiuntur. 2. Ex Concilio Nannetensi, cap. 10. *Presbyteri noverint decimas & obligationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros*. Et Conc. Rhedon. ann. 1273. cap. 12. *Quidquid habent Clerici* (scilicet ut Clerici) *pauperum est*. Idem habet S. August. sup. citat. 3. Ex S. Hieron. l. 14. in Ezech. ad cap. 46. *Qui ditior est Sacerdos quàm venit ad Sacerdotium, quidquid plùs habuerit, debet dare pauperibus ... Ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo*. Et, ex S. Bern. Epist. 2. ad Fulcon. ubi generaliter ait: *Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. 4. Quia ejusmodi bona sunt bona Deo consecrata, utpote intuitu religionis & cultus divini, perinde ac bona beneficiorum, data ad sustentationem ministri, & alios pios usus. Nec fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis, vel pretium laboris, (nam hoc esset simoniacum, cùm opus & labor sint spiritualia) sed ut necessitatis & subventionis stipendium, inquit S. Thom. quæst. 100. art. 2. ut scilicet Clerici habeant unde sustententur, & si quid supersit, in pios usus impendant, & pauperes alant pro suo officio. *Oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solùm ut eas in suos usus convertant; verùm etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum; partim verò in his quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum, &c.* ait idem S. Thom. 2. 2. qu. 86. art. 2. Et verò bona Ecclesiæ, quæ à Patribus dicuntur bona Dei, & in pios usus impendenda, nihil ferè aliud erant tribus primis sæculis sub Imperatoribus ethnicis, quàm pecunia & alia mobilia, quæ à fidelibus dabantur Clericis titulo ministerii spiritualis.

Quæst. VI. *An Clericus, qui habet bona patrimonialia sufficientia, potest sibi sumere ex bonis ecclesiasticis partem suæ sustentationis necessariam, & disponere de patrimonialibus, perinde ac si careret beneficio?*

Resp. Longè plures affirmant cum S. Antonino, 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 18. & Prob. 1. Ex cap. 16. & cap. 30. *de præbend.* & can. *Charitatem* 12. quæst. 2. ibi: *Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*. Ubi nulla fit distinctio divitum & pauperum; & cap. *Clerici* 1. quæst. 2. *Clerici omnes stipendia sanctis laboribus debita secundùm servitii sui meritum consequantur*. 2. Quia qui servit altari, potest vivere de altari, ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? ... Nescitis quoniam qui altari deserviunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinavit iis; qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, & Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*. 3. Qui occupatus est in commodum aliorum, habet jus percipiendi ab iis necessaria ad suam sustentationem, quamvis dives sit. 4. Ex c. *Episcopi*, & c. *Manifesta*, & sequentibus 12. q. 1. colligitur Episcopos posse retinere bona patrimonialia cum portione canonica bonorum Ecclesiæ. Idque supponit Alexander III. c. *Quia* de testament. ubi statuit Clericos posse testari de bonis patrimonialibus, non autem de ecclesiasticis reditibus.

Ad canones & textus Patrum in oppositum objici solitos, respondet Ecclesiam olim, cùm ejus reditus essent exigui, statuisse ut distribuerentur solùm iis, qui indigerent, non au-

autem iis, qui patrimonium haberent: postea verò hanc disciplinam mutasse.

Quæst. VII. *Ad quid tenentur Episcopi, Parochi, & ii, quibus animarum cura incumbit?*

Resp. 1. Ii tenentur generatim jure divino residere, & per se officium suum rectè præstare, oves sibi creditas verbo, exemplo, & Sacramentis pascendo, eorum salutem ac utilitatem spiritualem procurando, & peccata ac scandala, quantùm possunt, impediendo. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? .... Greges meos non pascebant, &c.* Et, ex 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei; providentes spontaneè secundùm Deum ...... Forma facti gregis ex animo.* 2. Ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere: pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt ... S. Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant .... Declarat omnes ... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis infrà scriptis, &c. Eadem omninò etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, S. Synodus declarat & decernit, &c.* 3. Quia quicumque accipit aliquod officium præsertim cum emolumento, obligat suam personam ad proprias illius functiones, taciteque promittit se illas obiturum quantùm res feret; nec aliter ei committitur officium. Neque sufficit, quòd suum officium præstet per alios, nisi necessitas vel majus bonum commune cogat eum ad tempus abesse: nam rectæ rationi repugnat, ut quis officium, præsertim cum emolumentis habeat, & onus illius in alium transferat. Præterea pastorale munus est per se personale; nam is constituitur pastor, cujus cura, diligentia & industria electa est ad pastoralia munera obeunda. His adde Jus canonicum, tit. *de Cleric. non resid.*

Hinc Episcopi & Parochi peccant mortaliter contra jus divinum naturale, idèoque indispensabili, si notabili tempor. sine gravi & justa causa absint. Quòd si justa absentiæ causa subsit, tenentur per alium idoneum gregi suo sufficienter providere. Circa hoc utrumque Conc. Trid. ibidem eorum conscientias onerat proposito Dei timore; & justas absentiæ causas exponit, quæ sunt, *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ vel reip. utilitas.*

Porrò residentia est personalis præsentia in loco beneficii ad debitum officium ibi præstandum. Quamvis autem omnia beneficia de jure communi & ex primæva sui institutione residentiam requirant; possunt tamen aliqua simplicia eam non exigere, vel ex fundatione, vel consuetudine rationabili, ut cùm beneficia illa non habent sufficientes reditus ad sustentandum beneficiarium, qui proinde cogitur alibi manere, ut habeat unde vivat.

Nota. Provisi de beneficio curam animarum habente, vel de canonicatu, tenentur publicam fidei professionem facere, alioqui fructus suos non faciunt, ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 12.

Resp. 2. Speciatim de parochis, tenentur.

1. Habere scientiam competentem, & sufficientem ad rectè dirigendas oves suas in rebus ad salutem pertinentibus; ideòque scire dogmata fidei, & Theologiam moralem: item Scripturas sacras & Canones, & statuta propria suæ Diœcesis. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina,* cap. 1. dist. 38. Ex Concil. Tolet.

2. Constanter residere in sua parochia, ex Concil. Trident. cit. & ex cap. 3. *de Cleric. non resident.*

3. Pro ovibus orare, & sacrificium offerre, & quidem juxta Toletum, Fagnan. Gavant. & alios, iis applicare Missam diebus festis ac dominicis; quia Concil. Trid. dicit simpliciter teneri pro ovibus suis sacrificium offerre; quod indicat specialem applicationem, & obligationem diversam ab ea, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum omnibus fidelibus. Et Concil. Mediolan. IV. à Sede Apostolica approbatum, prohibet curatis ne diebus dominicis, & aliis, quibus pro populo celebrare tenentur, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus. *Ita Fagnan.*

Item Sacr. Congregatio Cardinalium apud Gavant. & Barbosam declaravit non posse parochum accipere stipendium pro Missa iis diebus, quibus tenetur ex officio celebrare in sua parochia, nempe diebus festis ac dominicis. Et verò parochus accipit à suis ovibus sustentationem, ut sua munia possit obire, & Missas his diebus celebret, non aliis profectò applicandas. (a)

4. Populum frequenter, ut diebus saltem dominicis, necessaria ad salutem docere, & doctrinam christianam explicare, eumque ad virtutes ac vitam christianam adhortari per se, si possint, vel per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint: ita ut omnes facile quæ ad salutem consequendam necessaria sunt, scire possint, ex Conc. Trid. sess. 5. c. 2. ibi: *Quicumque parœciales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* At eos, si huic muneri suo defuerint, cogi debere per censuras Ecclesiasticas. Et sess. 24. cap. 4. mandat Episcopis ut saltem dominicis & aliis diebus festis pueros in singulis parochiis doctrinam christianam doceri curent. Hinc Bonacina ait, *Parochum mortaliter peccare, si uno continuo mense integro, aut etiam duobus vel tribus mensibus, tertius anni discontinuis non concionetur: quia hæc videtur materia gravis non solùm secundùm se, sed etiam respectivè.*

5. Sacramenta suis parochianis ministrare quoties ea rationabiliter petunt, vel alium idoneum providere. Nam ex officio tenentur oves suas pascere, ordinaria media salutis à Christo instituta præbere, suorum utilitatem spiritualem procurare, & præstare ea omnia, quæ pastoris sunt; inter quæ præcipuum est sacramenta ministrare & necessaria ad salutem docere, & sub hoc onere accipiunt stipendium sustentationis.

6. Peccata corrigere præsertim publica, & scandala tollere vel per se si possunt, vel ea deferendo Episcopo, si publica sint, & omnes peccati occasiones quantùm fieri potest avertere, ideoque inquirere peccata publica. Item scire an singuli sacramenta debita in Paschate suscipiant, & sacrum diebus festis audiant, &c. *ipsi enim pervigilant*, (hoc est, ex officio, seu pervigilare debent) *quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Hebr. 13.

7. Magnam & peculiarem curam habere pauperum, & providere ne ob inopiam à justitia deflectant; eorum necessitates inquirere, iisque quantum possunt subvenire, ex Concil. Trid. supr. Nam ii sunt loco parentum, & ad hoc specialiùs obligantur, quàm alii. Item pauperes sepelire, etiam sine ullo stipendio, & pro eorum salute orare.

8. Nullos matrimonio conjungere, nisi sufficienter peritos rerum fidei & præceptorum Dei ac Ecclesiæ; ideòque horum ignaros priùs docere: quia illi postea ista liberos suos edocere tenentur.

9. Invigilare ut Ludi magister rectè fungatur officio, pueros doctrinam christianam doceat, bonisque moribus imbuat verbo & exemplo.

10. Frequenter visitare infirmos, etiamsi sacramentis sint muniti. Quia quò vicinior est mors, eò majus salutis periculum ingruit à dœmone, & major est corporis ac animi infirmitas: ergo tunc maximè suorum saluti providere debent.

11. Servare statuta Diœcesis, & curare ut à suis

(a) Vide Constit. 103. SS. D. N. BENEDICTI XIV. tom. 1. Bullarii pag. 166 quæ incipit; *Cum semper oblatas*, in qua Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis, commendat, & inculcat, ut Concilii Tridentini, Apostolicæque Sedis Decreta, de applicanda ab animarum Pastoribus pro Populo Missa, executioni sedulo mandari curent. Ac statuit. 1. Etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac regulares ad id teneri. 2. Decernit, ac declarat, quod „ licet Parochi, seu alii „ animarum curam habentes, congruis præfinitis red„ ditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam „ immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus, „ seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non „ applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

3. Teneri ad Missæ applicationem diebus dumtaxat festis de præcepto, iis etiam comprehensis festis, quibus Populus tenetur Missam audire, licet „ permissum sit opera servilia exercere.

4. Facultatem concedit Episcopis dispensandi Parochos pauperes ab applicatione pro Populo diebus festis, ea tamen lege, ut in Ecclesia Parochiali celebrent, ac iisdem Missas infra hebdomadam pro Populo applicent „ quas in diebus festis, infra hebdo„ madam occurrentibus juxta peculiarem intentionem „ alicujus pii Benefactoris obtulerint.

5. Ut in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus; & Collegiatis Missa Conventualis quotidie celebranda pro Benefactoribus in genere applicetur, contraria consuetudine minime obstante.

6. In hujusmodi Collegiatis absolvit ab applicatione secundæ, & tertiæ Missæ Conventualis, nisi aliud usu receptum fuerit.

à suis serventur: nam obligant in conscientia, cùm sint lata à superiore habente potestatem præcipiendi & ferendi leges.

12. Tenentur ex justitia, etiam cum certo vitæ periculo, ovibus suis subvenire non solùm in extrema, sed etiam in gravi eorum necessitate spirituali, ex Joann. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Nam ratione officii ad amplius obligantur quàm extranei Sacerdotes, qui cum periculo mortis tenentur proximo subvenire in extrema. Hinc juxta omnes, Parochus tenetur suis peste laborantibus sacramenta, præsertim Pœnitentiam ministrare per se, vel per alium idoneum, nisi Episcopus jubeat ut ipsemet ministret: quamvis enim saluti suæ absolutè providere possint per actum perfectæ contritionis, tamen quia talis actus difficilis est, censentur esse in necessitate gravi. Et Sacra Congregatio apud Fagnan. approbante Gregorio XIII. censuit Parochos tempore pestis teneri omninò residere in suis Ecclesiis, & per se vel per alium idoneum ministrare peste infectis Baptismum & Pœnitentiam. Id tamen possunt per alium idoneum ob majorem utilitatem parochiæ, ut ipsi sanis prodesse possint, & erga illos officio pastoris fungi. Idem dic de superioribus regularium.

13. Denique omnium bonorum operum ac virtutum exempla præbere, ex Concil. Trident. supr. & ex ad Tit. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*. Et ex 1. ad Timoth. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, quò virtutis amorem & vitii odium ac fugam suis efficaciùs ingenerent, scientes, quod pro animabus illorum rationem sint redditurí, *ad Hebr. 13.* Igitur vitam suam ita instituant, ut quod verbis populum docent, ipsi opere confirment, ac veluti imagine ostendant, *forma facti gregis ex animo*.

Sed quantum temporis absentia sine causa justa ad mortale sufficit?

Resp. Cabassutius, l. 5. Jur. canon. cap. 1. docet absentiam 15. dierum intra annum non esse mortalem; modò relinquatur idoneus substitutus. Sed num pauciores sufficiant, alii viderint. Possunt autem Parochi ob certas causas justas & necessarias, sed priùs (ut statuit Conc. Trid.) per Episcopum cognitas & probatas, abesse sine culpa, relicto Vicario idoneo ab Episcopo approbato. (a)

CAPUT II.

De statu & obligationibus Religiosorum.

Quæst. I. Quid est status Religiosus?

Resp. Est stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem christianam per tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ.

Ad ejus essentiam tria requiruntur. 1. Tria illa vota, quæ substantialia vocantur, eaque perpetua de se & ex parte voventis. Nam Religio est stabilis quædam forma vitæ perducens ad perfectionem charitatis per primaria Christi consilia, quibus removentur præcipua impedimenta, & homo se suaque omnia consecrat Deo in perpetuum holocaustum. Non necesse est tamen, ut sint solemnia: nam qui in Societate Jesu vota simplicia emittunt, sunt verè Religiosi, ut definiit Gregor. XIII. Bulla *Ascendente Domino*: quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis in perpetuum Dei obsequium; quæ sufficit ut quis constituatur in statu religioso. Nam ad statum propriè dictum non requiritur immutabilis omni modo, sed satis est quòd Religiosus se ipsum votorum vinculis liberare nequeat, ut patet in servo, qui rectè dicitur esse in statu servitutis, quamvis possit à Domino manumitti. Hinc vota Religionis alia sunt simplicia, quæ fiunt sine solemnitate; alia solemnia, quæ fiunt cum certa solemnitate ab Ecclesia instituta. Quæ solemnitas juxta multos in eo consistit, ut vota emittantur sub certa regula à Sede Apostolica approbata, juxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & via ordinaria indissolubilibus. 2. Approbatio Ecclesiæ: quia ordo religiosus est status supernaturalis distinctus à communi statu christianorum, & sacra quædam communitas, in qua debet esse spiritualis jurisdictio in utroque foro. Hæc reservata est Papæ in Conc. Later. & Lugdun. 3. Traditio facta superiori ut ministro Dei illam acceptantis, qua vovens se totum Deo in

(a) Ad obligationes Clericorum spectat Const. 20. quæ incipit. *Universalis Ecclesiæ Cura*, in qua sub pœnis excommunicationis, & nullitatis contractus prohibentur, alienationes fructuum Beneficiorum „ sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorundem beneficiorum, quos alteri „ quoad vixerint vendunt, recepta pecunia ad eam „ summam, & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, consequi potuissent.

in Religione dedicat, & Religioni propter Deum tradit irrevocabilem ex parte sua.

Quæst. II. *Quanam requiruntur ad valorem professionis Religiosæ?*

Resp. Sequentia. 1. Certa ætas, quæ ex Conc. Trid. sess. 25. c. 15. est annus 16. completus. 2. Ut non fiat nisi post annum integrum & continuum probationis, ibid. Dico, *continuum*, ita ut si novitius, vel die uno Religionem deseruit, reversus debeat rursus integrum annum probationis conficere, ut validè profiteatur. Imò duarum horarum interruptione reddi novitiatum nullum resolvit S. Congregatio, teste Fagnano, ad cap. *Ad nostram*, de Regular. Nam ex Canonistis dum in aliquo decreto requiritur aliquod tempus, illud debet esse continuum. 3. Ut non fiat cum vinculo matrimonii consummati; aut sine consensu conjugis, ex cap. 3. & cap. 12. *de conversat. conjug.* 4. Ut profitens nullum habeat impedimentum in illo ordine essentiale, quia per illud redditur inhabilis ad professionem hujus Religionis, nec ejus traditio verè acceptatur. 5. Emissio trium votorum substantialium spontanea, non fraude nec metu injusto extorta, quæ sui ipsius traditionem complectitur. 6. Acceptatio traditionis facta nomine Dei & Religionis ab habente potestatem illum incorporandi tali Religioni, cap. 13. *de regular.* Nam professio fit ad modum contractus onerosi utrimque obligatorii, quo professus se dem suam adstringit Deo, traditque se Religioni propter Deum, & Religio ipsa obligatur, ad eum tamquam membrum suum tractandum, alendum, curandum, gubernandum, retinendum secundùm Religionis institutum. Ergo requiritur ut juxta cujusque Religionis decretum, habeat potestatem & voluntatem admittendi nomine Religionis, & obligandi Religionem.

Eadem requiruntur, ut vota simplicia Societatis nostræ sint valida. Nam per illa quis verus Religiosus efficitur, & non soli Deo, sed etiam Societati obligatur tradens se illi; & Societas quoque obligatur ad ipsum alendum, gubernandum, imò & retinendum, nisi justa causa illius dimittendi subsit, ut constat ex suis constitut. & Bullis SS. Pontificum.

Observa 1. Professio fieri potest vel expressè, vel tacitè. Expressè fit, cùm quis utitur formula promissionis, quæ voluntatem se Deo & Religioni obstringendi ac tradendi explicet. Tacitè fit tripliciter. 1. Cùm quis exacto probationis tempore defert per triduum habitum professorum, ubi is aliquo signo distinctus est, cap. 3. *de regul. in* 6. 2. Si talis habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium, ut si in capitulo suffragium dederit, cap. 4. *de reg.* 3. Si ex ea Religione, ubi novitii & professi eundem habitum habent, deferas habitum per totum annum sequentem tempus novitiatus, eo expleto censeris professus, cap. 1. *de regul. in* 6. *& Clement.* 2. *de regul.* Debent autem hæc fieri animo profitendi, & consentiente illo, cujus est admittere ad Religionem.

2. Ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 19. qui emisit professionem nullam propter vim ac metum, vel defectum ætatis, aut quid simile, potest reclamare intra quinquennium à die professionis, causas nullitatis deducendo coram superiore & ordinario, retento semper habitu. Sed post quinquennium non debet audiri.

3. Ut professio, quæ nulla fuit ab initio, valida fiat, necesse est ut ipse sciens esse nullam, postea ratam habeat, vel certè apud se ita statuat: Volo illam esse validam, etiamsi fortè ob aliquam causam ab initio valida non fuisset. Non enim satis est eam ratificare; ex eo quòd putetur ab initio fuisse valida: quia hæc ratificatio ex errore proficiscitur, unde non est voluntaria cùm incogniti nulla sit voluntas; & ignorans nullitatem votorum non censetur contraxisse novam obligationem diversam à priore.

4. Ex communi sententia, cætera vota simplicia extinguuntur per professionem, saltem si profitens velit commutare, cap. 4. *de voto*, quia talis commutatio est evidenter in melius: nam (ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 12. ad 1.) *Omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum; sed per religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat.* Sed controvertitur an ad hanc commutationem requiratur, ut profitens illam intendat, necne. Quare Suarez consulit, ut profitens admoneatur de hujusmodi commutatione facienda.

5. Professus obligatur ad tendendum ad perfectionem, nam ex vi suæ professionis tenetur velle statum suum servare, & secundùm illum vivere. *Ille qui statum Religionis assumit non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam*, ait S. Thomas, 2. 2. quæst. 186. art. 2. & est communis sententia. Religiosus enim status est essentialiter status perfectionis acquirendæ; & quisque tenetur omnia statuì

sui

suo essentialia velle servare, & secundùm illum vivere.

Quæst. III. *An Papa potest dispensare in votis solemnibus ex gravi causa?*

Resp. Affirm. *Ita communis sententia*. Quia 1. Solemnitas votorum est ex solo jure Ecclesiastico, ut constat ex cap. unic. *de voto in 6.* & ex constit. Greg. XIII. *Ascendente Domino*. Ergo potest eadem authoritate tolli. Ergo Papa potest in votis solemnibus dispensare, perinde ac in simplicibus. 2. SS. Pontifices sæpe in his votis dispensarunt, ut cum Ramiro Rege Arragoniæ, Casimiro I. Rege Poloniæ Religiosis professis, & aliis apud Cajet. Azor. & alios. Nec obstat cap. 6. *de statu Monach.* ubi Innoc. III. dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Quia solum vult sine abdicatione & castitate statum religiosum non posse consistere, etiam cum licentia Papæ; ac proinde Papam non posse dispensare cum Monacho manente in statu Religiosi Professi. At de plenitudine potestatis potest aliquem extrahere ex illo statu, ad contrahendum matrimonium ob gravem causam, v. gr. ut religio & pax in regno firmentur.

Quæst. IV. *An Religiosi sunt capaces dominii rerum temporalium?*

Resp. 1. Religiosi non solemniter professi possunt in particulari habere dominium bonorum temporalium, licèt non possint de illis pro libito disponere, nec iis uti sine licentia superioris. Constat ex constit. Gregor. XIII. *Ascendente Domino*, sic statuente de iis, qui post probationis biennium vota simplicia emiserunt in Societate Jesu. Quare non est de essentia paupertatis religiosæ, ut privet dominio, sed solùm ut privet potestate utendi & disponendi pro libito & sine licentia superioris, & ut illo volente obliget ad abdicandum suarum rerum dominium. Enim verò dominium, cujus usus ita impeditus est ac dependens, & alienatio sic obstricta & debita, parvi momenti est; tuncque non plus habet in temporalibus rebus potestatis, quæ exerceri possit ad libitum, quàm is qui caret dominio.

Resp. 2. Religiosi solemniter professi possunt habere in communi dominium bonorum temporalium, ita ut illud sit penes communitatem, ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. quia neque ex ordinatione Ecclesiæ, neque ex intentione voventium communitas religiosa sit incapax dominii; & aliunde intentio fidelium bona Religiosis donantium est transferre illorum dominium in communitatem religiosam. Hæc tamen non habet dominium illorum absolutum ac liberum, sed ligatum ac restrictum ad congruam sustentationem Religiosorum & pios usus, ita ut non possint in usus profanos impendi sine injustitia. Nam hæc bona sunt Deo dicata, & donata solùm ad pios usus; eademque est ratio illorum ac aliorum bonorum Ecclesiasticorum. Porrò bona Religiosorum immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servari possunt, alienari nequeunt, nisi in commodum Religionis; nam sic à jure statutum est; hæcque est intentio donantium, ut Religio perseverare possit.

Resp. 3. Religiosi solemniter professi sunt in particulari incapaces omnis dominii, proprietatis, & similis juris bonorum temporalium, sive mobilium, sive immobilium. *Est communis sententia, & certa*, inquit Lessius. Nam Ecclesia hanc incapacitatem annexuit solemni voto paupertatis, sicut & incapacitatem matrimonii solemni voto castitatis. Item in nostra Societate Coadjutores formati sunt incapaces omnis dominii, nisi à Societate legitimè dimittantur. Quia Ecclesia hanc incapacitatem annexuit illorum votis, licèt tantùm publicis, non solemnibus. At Religiosi professi retinent dominium famæ, & jura merè spiritualia: nam his non renuntiant, & Ecclesia eorum voto annexuit incapacitatem dominii rerum duntaxat temporalium.

Resp. 4. Religiosi professi beneficiarii, ut Abbates, Priores, & similes habentes beneficia regularia vel sæcularia, habent jus administrandi, dispensandi fructus sui beneficii; tum ad congruam sustentationem, tum ad causas pias; quia id eis à jure & consuetudine concessum est. At nihil possunt impendere in usus profanos, vel consanguineis non indigentibus donare: alioqui peccant contra justitiam, & accipientes tenentur ad restitutionem. Quia istorum bonorum non sunt domini, sed solùm administratores & dispensatores, habentes tantum jus & facultatem impendendi illa bona secundùm præscriptum Canonum ac Religionis, & intentionem eorum, qui ea Religioni vel Ecclesiæ donarunt. Imò etiam peccant contra votum paupertatis, disponendo de re temporali sine licentia legitima.

Quæst. V. *Ad quid obligatur Religiosus ex vi voti paupertatis?*

Resp. Ex communi sententia tenentur. 1. Nullam rem temporalem pretio æstimabilem sine licentia superioris accipere, retinere, absumere, destruere, permutare, commodare, alienare, donare, aut ea uti. Nihil enim pretio æstimabile potest habere & tractare ut proprium, id est, propria voluntate ac authoritate, seu proprio arbitratu ac nomine; & sine dependentia ac licentia superioris. Nam per votum paupertatis, etiam simplex, quod fit in Societate Jesu post biennium probationis, homo privatur potestate utendi & disponendi sine licentia superioris de quavis re temporali, & usu ullo dominii libero ac independente, quamvis retineat dominium, sed restrictum & dependens à superiore, etiam quoad retentionem, & cum obligatione illud relinquendi ad nutum superioris. Per solemne verò Religiosus privatur insuper omni dominio etiam radicali, proprietate, & simili jure rerum temporalium. Constat ex sensu ac usu Ecclesiæ, & cap. *Non dicatis.* 12. quæst. 1. Ex S. August. epist. 109. ubi ait: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia .... Quòd si aliqua* (monialis) *rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Ex c. 6. *de statu monachor.* ubi Innocentius III. ait: *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, &c. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori assignetur .... Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. *Nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia vel mobilia quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Imò juxta Navarrum, & Suarez, votum illud obligat ad non desiderandum habere aliquid proprium & ut suum, ex cap. *Voventibus.* 17. qu. 1. ibi; *Voventibus virginitatem non solùm nubere, sed etiam velle damnabile est.*

Hinc ex communi sententia Religiosus sive solemniter professus sive non, peccat si quid seu domi, seu foris sine superioris licentia expressâ, vel implicitâ aut tacitâ, aut in necessitate prudenter præsumpta accipiat, possideat, retineat, destruat, commodet, commutet, absumat, donet, alienet, aut aliqua re utatur. Nam ista omnia sunt actus proprietatis, cùm fiant proprio arbitratu ac authoritate, & sine licentia superioris. Omnis autem actus possessoris proprietarii est Religioso illicitus: nam per votum paupertatis abdicat se potestate possidendi aliquid ut proprium & sine dependentia ac licentia. Imò ista non solùm sunt sacrilegia contra votum, sed etiam furta contra just. tiam, ut notat Suarez: nam cùm res sit communitatis, committitur furtum usurpando rem alienam, vel ejus usum, invito domino, seu administratore ac possessore, qui est loco domini, nempe Religione, quæ habet dominium, vel saltem administrationem & possessionem bonorum illorum. Idque etiamsi res illa Religioso ab externis donata sit; quia hoc ipso quòd ab illo acceptatur, acquiritur communitati, tum ratione voti & traditionis suæ ac pacti, tum Religione quidquid acquirit Religiosus, acquirit Religioni, ut constat ex variis juribus, ex consensu Doctorum, & ex praxi ac sensu Ecclesiæ. *Furtum est privata possessio .... Societatis, enim expilatio est rei cujuscumque & undecumque in privatum usum severatio*; ait S. Basil. in constit. mon. cap. 34. Quare omnis alienatio, donatio, &c. sic facta est irrita, & restitutioni obnoxia. Unde nec licet Religioso rem acceptatam reddere donatori, quia id esset alienare quod acquisitum est Religioni. Neque enim bona Religionis dicuntur communia in eo sensu, quòd Religiosus quisque possit pro libitu ea in suum usum accipere, cùm è contra sic potiùs essent cuilibet furanti propria; sed in hoc solo sensu dicuntur & sunt communia, quod sint communitatis, cujus superior possit ea singulis juxta cujusque necessitatem ad usum concedere.

Nostri verò, qui vota tantùm simplicia emisere, peccant mortaliter, si de rebus, quarum habent dominium, disponant vel utantur in quantitate notabili sine licentia superioris. Nam licèt possint retinere & acquirere dominium radicale bonorum temporalium, sunt tamen privati jure actuali de illis disponendi suo arbitratu & sine licentia superioris. Sed controvertitur, an dispositio sine licentia superioris facta sit quoque invalida.

Porrò ii non habent dominium, nisi bonorum quæ in sæculo possidebant, vel quæ postea ex successione necessaria & ab intestato,

ſtato, vel fortè etiam ex libera parentum diſpoſitione obveniunt, quæque ad eorum patrimonium pertinere videntur. Unde aliæ res, quas aliunde, ut ab amicis, vel induſtria acquirunt, hoc ipſo fiunt Societatis, ideòque harum diſpoſitio ſine licentia facta eſt certò invalida. Quia intentio Societatis aut ſuperiorum licentiam acceptandi concedentium non eſt, ut hujuſmodi rerum dominium acquirant.

Item Religioſus ſæpiùs quid leve ſine licentia recipiens, abſumens, vel impendens, vel deſtruens ex bonis communitatis, vel aliunde datis, etſi ſine animo iterandi & attingendi quantitatem notabilem, peccat tamen mortaliter, quando ſcienter pervenit ad quantitatem ſufficientem ad mortale furtum ſic factum. Nam eſt eadem ratio ac de furtis minutis, ut docet Sanchez; & ultima acceptione complet quantitatem notabilem furti & proprietatis. Quod verum eſt, licèt iſta ſint eſculenta, vel poculenta domus, nam hæc ſunt pretio æſtimabilia, & ſuperior debet eſſe circa illas acceptiones graviter invitus: tum quoad modum, cùm repugnent diſciplinæ religioſæ & ſubordinationi debitæ; tum etiam quoad ſubſtantiam, cùm repugnent mortificationi, & foveant ſenſualitatem, quæ eſt magnum impedimentum perfectionis. In his tamen ad mortale requiritur eadem quantitas, quæ in eſculentis & poculentis reſpectu famulorum ad furtum mortale. Idque certum omninò cenſendum eſt, ſaltem ſi iſta ſine rationabili neceſſitate ſumantur.

Hinc etiam peccat contra votum paupertatis Religioſus, qui à ſæculari invitatus, manducat aut bibit ſine licentia ſuperioris. Nam comeſtio & potatio, ex communi hominum ſenſu eſt uſus activus facti rei temporalis in proprium commodum, & pretio æſtimabilis, qui proinde per votum paupertatis illicitus eſt ſine conſenſu ſuperioris, ſicut comeſtio & potatio rei ſine conſenſu domini eſt injuſta: & Religioſo non licet uti ulla re temporali pretio æſtimabili ſine licentia ſuperioris. Nam qui uſum rei pretio æſtimabilem accipit ſuo arbitratu & ſine licentia, jam aliquid pretio æſtimabile accipit propria voluntate ac authoritate, & ſine licentia ſuperioris, ac proinde quoad aliquid pretio æſtimabile ſe gerit ut dominus. Ita *Suarez*, *Sanchez*, & alii. Nec obſtat, inquit *la Croix*, quod Religioſus non peccat admittendo ſuffitum pretioſum ſibi factum ab externo, nam in hoc habet ſe merè paſſivè, & externus ipſe hunc ſuffitum verè conſumit in gratiam Religioſi: at Religioſus comedendo aut bibendo ipſemet conſumit, & activè ſe habet: nam cibum vel potum illum accipit in ſuum uſum, ſibi applicat, & ſumit in alimentum. Illſung addit contrariam opinionem fuiſſe à R. P. Vitelleſco Præpoſito Generali Societatis prohibitam tamquam non conſentaneam paupertati, quam Societas profitetur, neque à Profeſſoribus noſtris docendam, neque ulli reipſa exercendam. Porrò uſus rei, quæ uno uſu conſumitur, ut alimentum tanti æſtimatur quanti res ipſa, quia tunc tota res accipitur, ut notat Suarez.

2. Tenetur eſſe animo paratus exui rerum ſibi permiſſarum poſſeſſione & uſu, omni momento, quo ſuperior voluerit. Nihil enim poteſt retinere, niſi cum dependentia continua à voluntate ſuperioris: nam quod auferri non poteſt, habetur ut proprium.

Hinc peccat contra votum, qui rem cum licentia acceptam abſcondit, ne ſuperior eam auferat, repetat, vel licentiam datam revocet. Item qui murmure, querelis ſuperiorem impedit ne rem conceſſam repetat, vel dum ſuperior aliqua ei aufert: conqueritur tanquam de injuria. Nam iſta omnia ſunt actus ſibi uſurpantis uſum independentem ac irrevocabilem, cujus eſt incapax per votum paupertatis. Quippe non poteſt acquirere ſibi jus ad res temporales; quod non ſubordinetur ſuperiori, eique acquiratur, alioqui jam haberet aliquid proprium pretio æſtimabile, nempe jus ad talem uſum irrevocabile. Item talis jam rem poſſidet animo ac modo proprietario; & vult habere & quantùm in ipſo eſt, facit licentiam irrevocabilem. Licentia autem irrevocabilis in hac materia eſt iniqua & nulla, utpotè repugnans paupertati; cùm per illam res jam poſſideatur ut propria, quippe quæ jam repeti nequeat. *Ita ex communi Suarez*.

3. Tenetur rem ſibi conceſſam dimittere ſtatim atque ſuperior revocat licentiam datam; alioqui jam eam habet ſine licentia.

4. Rem quamlibet determinatè conceſſam ad unum uſum, non poteſt adhibere ad alium uſum etiam honeſtum. Nam hic uſus eſſet ſine licentia: ideòque eſſet actus proprietarius, qui per votum paupertatis prohibetur: nam votum tollit facultatem habendi proprium, & proinde etiam actum talis facultatis: quod enim tollit facultatem, à fortiori tollit actum. Unde peccat mortaliter, ſi pecuniam notabilem ad unum uſum conceſſam impendat in alium ſine licentia. Item non

potest id, quod ad usum sibi conceditur, alteri commodare sine facultate, quia Religiosus habet tantum jus utendi ad suam utilitatem rebus sibi concessis continuò dependens. Usuarius autem non potest usum rei sibi concessum concedere alteri, hoc enim est usufructuarii, *Institut. de usu & habitu.* A fortiori, ut notat Layman, non licet Religioso secum auferre vel alteri dare esculenta aut poculenta, quæ in mensa singulis apponuntur, nisi adsit licentia generalis usu ipso expressa, vel inducta in rebus hujusmodi: sicut cùm quis aliquos convivio excipit, non facit eos dominos rerum appositarum, neque copiam facit, ut eas ad alios transmittant, aut in proprias domos asportent. Nec refert quòd sua parsimonia aliquid sibi reservavit; nam ista ei solùm conceditur, ut ipse absumat ad suam sustentationem; & quidquid residuum est, manet in bonis Monasterii. Estque communis & vera sententia, inquit Suàrez, non licere Religioso sine ulla licentia superioris donare intra vel extra Religionem aliquid ex rebus sibi concessis ad usum suum, licèt possit ipse illud consumere, ut si de quantitate cibi aliquid sibi subtrahat, vel ex quantitate pecuniæ, quam iter agendo posset expendere. Quia ei conceditur tantùm talis usus facti pro se; & ideò præter illum non potest ullum alium sua authoritate usurpare: si ergo illum usurpat, in eo se gerit, ut dominus. Præterea quidquid sua parsimonia conservat, hoc ipso, illud conservatur Religioni: nam quidquid Religiosus acquirit, non sibi, sed Religioni acquirit. Ergo à fortiori conservat, &c.

5. Tenetur adhibere eam saltem diligentiam in conservandis rebus sibi ad usum concessis, quam adhibere solent viri prudentes & diligentes in rebus suis. Nam habet obligationes usuarii, cum precario conceditur usus salva rei substantia, estque actus dominii independentis rem negligere, vel libito deteriorem facere, aut destruere. Quod si res etiam ad consumptionem tribuatur, ut vestis, oleum, & tribuitur ei tantùm ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem Monasterio damnosam, & ex negligentia acceleratam. Quare si res sua negligentia pereat, aut deterior fiat, vel si quid plus æquo consumat, peccat contra votum & justitiam.

6. Non potest habere superflua, pretiosa & statui paupertatis non convenientia, nec quidquam etiam validè impendere in usus turpes, vel vanos, vel dedecentes statum Religiosi, ita ut magis videantur convenire sæculari diviti, quàm Religioso pauperi. Nam, ut ait Delugo, votum paupertatis non solùm obligat ad non utendum sine licentia Prælati, sed etiam ad conservandum statum pauperis, & vitandos sumptus qui pauperes non decent secundùm Religionis institutum. Et omnis superfluitas, utpote solorum sæculi divitum propria, repugnat per se statui religioso & voto paupertatis. Idque etiam si superior consentiat: nam superior tales usus nec licitè, nec validè concedere potest. *Ita Navarrus, Sanchez, Delugo, Layman, & alii*, tum quia repugnant statui pauperis, & à canonibus prohibentur; tum quia superior non est dominus bonorum communitatis, nec eorum quæ dantur Religioso, sed solùm administrator secundùm Canones & regulam Ordinis. Jura autem & decreta à summis Pontificibus, qui sunt supremi omnium Religionum Prælati, condita vel confirmata, ei solùm concedunt administrationem ad usus necessarios, & pios, ac statum religiosum decentes, vetantque quidquam ad profanos & vanos usus impendi. Et Conc. Trid. sess. 25. cap. 2. ait: *Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit.* Ergo superior non habet potestatem concedendi hanc licentiam, quæ proinde nulla est. Unde Sacra Congregatio Cardinalium, teste Fagnano, in cap. *Monachi* declaravit, *Regulares præter supellectilem, quæ statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum superiorum regularium alia bona mobilia superflua, & dependenter à voluntate eorumdem superiorum, & ad solum usum proprium possidere seu retinere, & possidentes vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam superiorum à culpa & pœna.* Quare nec Prælatus cum ipso conventu potest hanc licentiam concedere: nam licèt conventus sit dominus eorum bonorum, hoc tamen dominium est restrictum, per votum paupertatis, Ecclesiæ decreta, & intentionem donatorum ad usus necessarios, utiles, & pios. Ita *Delugo, Lessius, Navarrus, Sanchez, & alii.*

Hinc Religiosus impendens aliquid notabile, etiam cum licentia superioris, in usus vanos, superfluos & profanos, ut in ludos, convivia, vanas picturas, res sumptuosas, vestes sericas, &c. vel pretiosa aut superflua, aut statui suo indebita retinens; vel de bonis in suum usum concessis, aut de bonis

Mo-

Monasterii lautè vivens, & opiparè epulans; peccat contra votum paupertatis; cùm hæc licentia nulla sit. Qui verò in ludo aliquid lucratus est ex bonis Religiosi, vel accepit ad usus vanos & dedecentes ejus statum, tenetur illud restituere Religioni, perinde ac si accepisset à fure. Igitur cùm pecunia vel res generaliter conceditur à superiori, intelligi debet concedi solùm in usus honestos, necessarios vel utiles, & statui religioso decentes, cùm aliter nec licitè, nec validè concedi queat.

7. Procurator, Oeconomus, & similes non possunt quidquam dare, impendere, alienare, pro libitu, sed solùm secundùm ordinis regulam, & superioris voluntatem, & quatenus ratione muneris eis commissum est. Unde Sanchez cum multis infert procuratorem peccare mortaliter contra votum, si quid notabile in alios usus præter assignatos à superiore, quantumvis lis ex se liciti sint & communitati deserviant, expendat sine expressa vel prudenter præsumpta superioris voluntate, quia agit ut dominus. Item dispensator aliquarum rerum tenetur eas distribuere secundùm regulam & voluntatem superioris, ita ut non det alia nec plura, vel pauciora, nec meliora, vel deteriora quàm scit superiorem velle; qua parte enim discedit à voluntate superioris, incurrit vitium proprietaris, cùm expendat vel distribuat perinde ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet. Præterea quidquid fit ultra facultatem sibi concessam, fit sine licentia, sed proprio arbitratu ac authoritate; ideòque est actus proprietarius: actus enim proprietarius est is omnis, qui proprio arbitratu, & authoritate fit; talis autem est is omnis, qui fit sine licentia superioris. Ita Suarez, & alii. *Oportet quòd ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter quàm ei sit à superiore commissum*, ait S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. Porrò in nostra Societate officiales pendent in omnibus à voluntate immediati superioris localis.

Ipsi verò Religionum Prælati peccant contra paupertatis votum, & justitiam, si bona conventus aliter impendant vel donent, quam Ordinis sui regula, vel approbata consuetudo, aut superiorum Prælatorum voluntas eis permittit. Et si quid notabile donent vel impendant in usus vanos, aut superfluos, peccant mortaliter, & alienatio irrita est, & restitutioni obnoxia. Quia Prælati non sunt bonorum communium domini, sed solùm administratores in utilitatem Religionis & pios usus, ex cap. 2. *de donat.* & voto ut alii obstringuntur. Nec id possunt etiam cum consensu conventus: nam etsi conventus habear dominium istorum bonorum; tamen hoc dominium per votum paupertatis, Ecclesiæ decreta, & per intentionem donatorum est restrictum ac limitatum ad pios & necessarios usus, ut dictum est.

Sed notanda sunt sequentia.

1. Licentia superioris requisita debet esse vel expressa, vel implicita, quæ scilicet contineatur virtualiter & implicitè in alia expressa; vel tacita, quæ rei cognitionem in superiore supponit, & quæ ex circumstantiis prudenter adesse judicetur, ut cùm Prælatus, sciens subditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet cùm facilè possit; nam tunc tacitè consentire censetur: secùs si difficile impedire posset, eo quòd, v. g. timeret ne domus turbaretur tuis querelis, tunc enim merè tolerat, non concedit, unde non excusaris. Licentia tamen tacita, vel generalis in Religionibus bene ordinatis non conceditur, nisi in rebus levis momenti & crebro occurrentibus.

2. Licentia præsumpta seu interpretativa non sufficit, nisi cùm res & causa urget, & superior non potest tunc adiri; ita ut censeatur non velle, ut ejus licentia expressa tunc requiratur, vel concedere licentiam quamvis non petatur. *Ita Lessius, & alii.* Nam non sufficit quòd licentia daretur si peteretur, cùm enim conditio illa non ponatur in re, non ponitur id quod ex ea sequeretur. Sic non cessat obligatio legis, quia superior in ea dispensaret, si rogaretur. Præterea aliqui inferiores semper aut ferè semper pro libitu sine actuali dependentia de rebus disponerent.

Hinc ad mortale vitandum non sufficit quòd superior licentiam concederet, si peteretur, sed facultas expressa requiritur, si res differri, aut superior adiri possit. Quia aliàs superior esset rationabiliter invitus, non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam; nam superior ex officio tenetur sub mortali non consentire, ut inferior de rebus disponat non petita licentia, cùm peti potest: nam alioqui dissolveretur & everteretur religiosa disciplina cum gravi damno spirituali Religionis, quod ex officio tenetur impedire superior. Quare superioris displicentia quoad talem modum parit displicentiam quoad substantiam. Secùs de patrefamilias, qui spectat tantùm utilitatem temporalem.

Pot-

Porrò qui rem ex præsumpto consensu accepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam ut retinere possit. Quia licentia requiritur non solùm ad accipiendum, sed etiam ad retinendum: ergo hæc ad retentionem peti debet, cùm potest. *Delugo &c.*

3. Requiritur licentia omnino voluntaria quæ non sit per vim, metum, fraudem obtenta, nec procedat ex errore. *Ita Suarez, Sanchez, Delugo, & alii*. Hinc si Religiosus importuna sollicitatione vel querelis aliquid impetraret à superiore, ideò solùm permittente, ut hominis molesta importunitate se liberet; vel quia timet majus malum, aut ne subditus querelas & murmurationes effundat, ut ait Delugo, est paupertatis violator. Quia hæc non est licentia voluntaria, sed mera tolerantia extorta; & usus rei sic concessus est injustus, perinde ac usus equi à domino vi vel metu injusto extortus. Idem dic si fingat causam, ob quam ei concedatur licentia, vel taceat id, quo cognito non solet dari. *Ita Suarez, Sanchez, & alii*. Nam tunc error, vel ignorantia facit, ut licentia non sit voluntaria, ideòque ut sit nulla.

4. Non sufficit licentia tantùm debita, sed quæ probabiliter præsumatur deneganda, vel quæ irrationabiliter denegetur. *Ita Suarez, & alii*. Quia tunc acceptio usus, & dispositio esset verè & de facto sine licentia superioris, & independens, & fieret nomine proprio; nam voluntas debita, nulla voluntas est, quandiu contraria de facto inest. Et sicut quamvis dives teneatur pauperi dare eleemosynam in gravi necessitate, si tamen deneget, non licet accipere: ita hic. Præterea rectus ordo id postulat: nam quisque sibi facilè persuaderet licentiam sibi irrationabiliter negari, cum magno detrimento spirituali.

5. Ex communi sententia, quantitas sufficiens ad furtum mortale, sufficit etiam ad peccatum mortale contra hoc votum. Nam hoc peccatum proprietatis se habet instar furti, cùm sit usurpatio rei, vel usus, aut alienatio aut consumptio rei sine consensu superioris, sine quo est injusta & sacrilega. Hæc autem quantitas sufficiens est saltem ea, quæ absolutè & in se spectata censetur notabilis sine respectu ad personas.

Dico, *saltem*, nam sunt qui putant minorem quantitatem sufficere. Hinc (ut notant Sanchez, Delugo, & Ilsung) falsum est Religiosum in hoc habendum esse ut filium familias, si (ut docent multi) respectu illius major quantitas ad furtum mortale bonorum paternorum requiritur, quàm respectu extranei, eo quòd putent plùs requiri ut pater sit rationabiliter graviter invitus. Nam peccatum contra paupertatem non mensuratur præcisè ex damno temporali, sicut furtum filii; sed multò magis ex damno spirituali religiosæ disciplinæ, circa unum ex fundamentis præcipuis vitæ religiosæ. Gravitas autem culpæ qua sine licentia usurpatur usus rei, quæ hoc usu non consumitur, mensurari debet ex æstimabilitate talis usus, & temporis diuturnitate.

6. Si Religiosus inconsulto superiore recuset acceptare rem sibi ex liberalitate oblatam, Sanchez docet eum non peccare contra hoc votum. Quia vi illius non obligatur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, accipiendum, utendum sine licentia. Potest tamen peccare contra charitatem, impediendo sine justa causa bonum Religionis, cui illa res ipso acceptante acquirenda erat. At non peccabit, si donum non necessarium Religioni recuset ex justa causa, v. g. ut liberior sit ad sua ministeria obeunda, vel ad majorem ædificationem.

7. Quoties Religiosus damnum injustè intulit sive extraneis, sive Religioni, ejus bona usurpando vel destruendo, vel aliter nocendo, tenetur restituere, quantùm potest, ex iis bonis de quibus licitè potest disponere in alios usus, vel imminuendo expensas, quas licitè posset ex conventus bonis facere, nisi condonet Prælatus, vel dominus. *Ita Delugo, & alii*. Nam injuria omnis jure naturali resarciri debet, quantùm fieri potest, nisi condonetur.

8. Spectandæ sunt leges ac regulæ cujusque instituti, ut monet Delugo. Quia fieri potest, ut quod fortè non repugnat paupertati religiosæ spectatæ in genere, repugnat paupertati ut est propria talis vel talis religionis. Sic in quibusdam Religionibus quædam permittuntur, quæ non permittuntur in nostra Societate, repugnante ejus instituto quoad hoc strictissimo.

9. Si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet vel alienet, accipiens tenetur illud restituere Religioni. *Ita omnes*. Quia Religiosus caret potestate alienandi, & sic transferendi ejus dominium.

Quæst. VI. *Ad quid obligatur Religiosus ex voto Castitatis?*

Resp. Secundùm omnes tenetur sub mortali non solum abstinere à conjugio, sed etiam ab omni voluntario actu luxuriæ, tum interno tum externo, ut à turpi cogitatione,

ne, delectatione morosa, ab impudico sermone, desiderio, aspectu, tactu, ab omni actu venereo, ab omni probabili periculo horum, & ab omnibus iis quæ aliquo modo sunt contra castitatem. Nam votum castitatis etiam simplex, secundùm significationem receptam in Ecclesia, & consensum Doctorum, & praxim fidelium hæc omnia complectitur; & vovetur castitas tum corporis, tum mentis. Unde quidquid in sæculari soluto est peccatum contra castitatem, est insuper in Religioso sacrilegium contra votum; & duplicem habet malitiam in confessione exprimendam, unam luxuriæ contra virtutem castitatis, & alteram sacrilegii contra votum & religionem.

Porrò gravius sacrilegium est luxuria Religiosi sacro ordine insigniti, quàm sæcularis eodem ordine initiati: nam per prius flagitium violatur duplex votum solemne, duplexque consecratio.

Quæst. VII. *Ad quid obligatur Religiosus ex vi voti obedientiæ?*

Resp. Ex communi sententia, tenetur. 1. Ad servandam regulam secundùm vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam. Nam per votum obedientiæ subjecit se regulæ & potestati superiorum: hocque votum emisit secundùm regulam; ideòque se obligavit generatim ad vivendum secundùm regulam eo modo, quo ipsa intendit, & ad obediendum superiori præcipienti consentaneè regulæ. *Ita Lessius.* Quare si regula ordinis sub culpa absolutè obliget, ejus transgressio est contra votum, & sacrilega: Si verò regula ex voluntate instituroris non obliget sub culpa absolutè, ejus transgressio non est contra votum, modò Religiosus sit paratus ad pœnam subeundam cum imponetur. Quod addo, quia omnis regula religiosa, sub qua comprehenduntur etiam constitutiones & statuta Religionis, obligat in conscientia, etiam in nostra Societate, ad pœnam subeundam si imponatur. Nam, ut docet Suarez, regulæ, constitutiones & statuta Religiosorum habent rationem legis, nec sunt mera consilia, cùm habeant authoritatem à Papa illa confirmante, vel fiant per jurisdictionem ab eo acceptam; ideòque obligant in conscientia, vel ad culpam absolutè, vel saltem ad pœnam. Præterea superior habet jus puniendi actus contra regulas ac statuta; & quidem in Societate nostra expresse hæc potestas pro cujuscumque transgressione datur superiori.

2. Tenetur ad res contentas in regula pertinentes ad vota, & ad ea quæ in sua Religione præcepta sunt, & quidem sub mortali, si res illa sit gravis; sub veniali, si levis, quia tenetur servare vota illa secundùm regulam, & hæc obligant pro capacitate materiæ.

3. Tenetur ad omnia, quæ superior præcipit consentanea ordinis constitutionibus, regulis, statutis, & instituto, sive ea expresse, sive implicitè vel virtualiter in instituto ac regulis contineantur, vel ad illa etiam indirectè pertineant; & quidem si præcipiat in virtute obedientiæ, in nomine Christi, vel simili forma, qua indicet se velle obligare graviter, vel quantùm potest, tenetur subditus sub mortali obedire in materia gravi. Nam ad hoc se obligavit per votum obedientiæ, ut constat ex sensu & usu in Religionibus recepto; & superior habet potestatem præcipiendi & graviter obligandi secundùm regulam, secundùm quam Religiosus vovit obedientiam, & cui se subjecit, quamvis ipsa regula per se, & secluso præcepto superioris non obliget absolutè sub culpa. Aliàs votum obedientiæ inane & illusorium esset. *Transgressio horum trium* (votorum) *obligat ad mortale. Aliorum autem* (quæ continentur in regula) *transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ... vel propter præceptum sive oretenus à prælato, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 188. art. 9. Hinc, c. 27. de elect. in 6. dicitur: *Religiosi arbitrium, non ex sua (cùm velle & nolle non habeant) sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet.* In Societatis Jesu constit. part. 9. cap. 3. hæc habentur: *Generatim loquendo, in rebus omnibus, quæ ad propositum Societati finem perfectionis & auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute possit.*

Hinc Superiores præcipere possunt non solùm omnia, quæ sunt in regula, quamvis hæc per se absolutè non obliget, sed etiam quæ sunt moraliter necessaria ad præcavenda peccata, ad institutum, regulas, vel vota servanda; & nova statuta ad hunc finem condere. Nam hæc virtualiter & implicitè pertinent ad institutum ac vota, & sub illis continentur. Sic clausura arctissima jure præcipitur monialibus, quæ illam non voverunt; quia experientia docuit hanc esse moraliter necessariam ad custodiam castitatis, quam voverunt.

Item

Item ad vitæ religiosæ reformationem & observationem strictiorem, sine qua disciplina religiosa & institutum ordinis in suo vigore conservari moraliter nequit, possunt à superioribus obligari professi. Nam hoc implicitè ac virtualiter voverunt; & subjiciens se alicui ad finem, se quoque subjicit in iis quæ necessaria sunt ad illum finem. *Ita Sanchez, Lessius, Layman, & alii.* Nec consuetudo habet tantam vim, ut Religioni vel Papæ adimat potestatem reformandi & tollendi talem consuetudinem. *Ita Suarez.*

Quòd si superior forma præcipiendi non utatur, non videtur obligare sub mortali, nisi aliunde constet. Videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet, inquit Lessius, quia non intendit consulere & suadere duntaxat, sed aliquo modo præcipere & obligare quantumvis, non tantum quantùm posset. Et ipsa ratio disciplinæ religiosæ postulat, ut inferior obtemperet, etiamsi ei extremum præceptum non imponatur. Ita ille, addens superiorem non posse ratione hujus voti obligare subditum ad ea, quæ sunt vel contra regulam, vel supra regulam, vel infra regulam, scilicet inutilia, nisi præcipiat ex causa, quæ fit juxta regulam. Quia subditus ex vi voti hujus non intendit promittere, nisi vivendi normam & obedientiam secundùm proprium institutum & regulam. Potest tamen superior majorem austeritatem præcipere in pœnam commissi delicti; quia potest injungere pœnam dignam & consentaneam delicto, nam hoc exigit officium ac munus superioris; & ideo non est hoc supra regulam, quia ex vi illius subjicitur Religiosus condignæ pœnæ: ergo obedientia secundùm regulam includit obligationem parendi in hac pœna. Ita Suarez ex communi Doctorum sententia.

4. Potest obligari à superiore cum periculo vitæ, quando aliqua actio periculosa necessaria est ad bonum commune Religionis. *Ita Suarez, & alii.* Hinc potest obligari ad opitulandum fratribus ejusdem Religionis peste infectis; quia ad conservationem & bonum regimen Religionis pertinet quòd Religiosi mutua sibi obsequia præstent, & in necessitate sibi subveniant: ideòque hoc saltem implicitè ad regulam pertinet. *Ita Cajetanus, Castropal. Sanchez, &c.* Item tempore pestis Religiosi, quorum institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenentur jussu superioris sæcularibus peste infectis sacramenta ministrare, si Parochi ei muneri obeundo non sufficiant, & superior tenetur id præcipere. Quia hoc est secundùm eorum regulam, cùm eorum munus sit esse Episcoporum & Parochorum coadjutores in salute spirituali proximi adjuvanda. *Ita Sanchez, & alii.*

Prætérea notanda sunt sequentia.

1. Peccatum contra votum obedientiæ habet duplicem malitiam, unam sacrilegii ratione fracti voti, & alteram injustitiæ contra hominem, ratione traditionis & promissionis factæ Religioni & ejus Prælatis. *Ita Suarez.*

2. In dubio de potestate superioris, vel an res præcepta sit licita, tenetur subditus parere, ex cap. *Quid culpatur.* 23. qu. 1. quia tunc melior est conditio superioris, qui est in possessione authoritatis & potestatis præcipiendi, & in quem inferior suam libertatem abdicavit. Idque rectus ordo & subordinatio debita postulat. Prætérea superior habet jus præcipiendi id omne, quod non est certum excedere ejus potestatem.

3. Superior regularium habet etiam potestatem patrisfamilias in ordine ad politicam domus gubernationem, etiam erga novitios. Unde ex quarto præcepto Decalogi potest suos obligare in hac materia, licet in regula non contineatur. Habet quoque à Papa jurisdictionem ecclesiasticam quasi episcopalem in suos subditos & novitios, vi cujus potest illos obligare independenter à voto, sicut Episcopus suos subditos.

4. Superiori aliquid ordinanti, quamvis non sub præcepto, nec in virtute obedientiæ, dicere, *Nolo parere*, vel *Nolo facere*, secundùm communem Doctorum sententiam est peccatum mortale; quia hæc verba continent gravem contemptum potestatis legitimæ, & irreverentiam contra superiorem, ut superior & Dei minister est, qui contemptus redundat in Deum ipsum, juxta illud, *qui vos spernit, me spernit.* Idem docet Delugo, si hoc dicatur vicario, vel subpriori vel ministro: quia est superior quasi vicarius & delegatus Prælati Principalis, & Prælatus seu rector vult ut obediatur vicario suo ministro sicut sibi jubenti sub præcepto obedientiæ: quare tunc verè contemnitur authoritas superioris, quod semper est mortale.

5. Superiores regularium possunt præceptis, statutis, ac sententiis subditos suos ubicumque terrarum existentes obligare, excommunicare, fugitivos propria authoritate capere. Quia potestas in suos iis competit non ra-

ratione territorii, sed ratione personalis obligationis, ex voto obedientiæ.

6. Papa est primus ac supremus omnium Religionum Præpositus generalis; unde Religiosi tenentur vi voti obedientiæ ei primariò obedire in omnibus, in quibus tenentur suis Prælatis regularibus. Nam hoc votum per se primò ac principaliter fit summo Pontifici tamquam supremo omnium Religionum Præposito.

7. Ab Innocentio XI. damnata est hæc Michaelis de Molinos propositio: *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò exteriùs pertingit. In interiore verò aliter res se habet, quò solus Deus & director intrant.*

Quæst. VIII. *An peccat Religiosus violans regulam per se non obligantem sub culpa, nisi ad subeundam pœnam, cùm imponetur, si eam subire paratus est?*

Resp. 1. In praxi raiò ac vix fieri potest, ut non peccet saltem venialiter, ob inordinatum aliquem affectum, ut sensualitatis, curiositatis, vanitatis, &c. vel ob negligentiam, otiositatem, acediam; vel ob defectum finis honesti, vel debitæ circumstantiæ in actu, quo violatur regula; vel ob aliquam aliam inordinationem. *Ita Suarez, Sanctius, Lessius, & alii commun.* Et Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. Nam quævis inordinatio est peccatum, cùm adversetur rectæ rationi ac legi divinæ, & vitiet actionem. Sic, v. gr. omissio meditationis, vel examinis, vel studii, ex negligentia seu torpore quodam semper est peccatum acediæ. Præterea omnis actus deliberatus, qui non est bonus, hoc ipso malus est, cùm nullus sit indifferens in individuo, & lex divina naturalis præcipiat ut homo semper honestè ac decenter naturæ suæ rationali vivat, seu agat. Ut autem actus sit honestus, necesse est ut ejus objectum sit bonum, vel saltem indifferens, sed referibile ad bonum finem ad quem conducat, ut fiat modo debito, cum concursu rationabili omnium circumstantiarum, & ex fine honesto seu motivo virtutis. Si unum ex his desit, hoc ipso actus non est bonus, sed malus: *Bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* At raiò ac vix fieri potest, ut actus, quo violatur regula, fiat modo debito. & cum concursu rationabili omnium circumstantiarum, & ex motivo honesto: cùm regulæ & constitutiones Religionum ad rectitudinem morum in tali statu debitorum & virtutum actus spectent, sintque medium perfectionis respectu talis hominis, ei declarans voluntatem divinam. Idem dic de omissione vel actione contra voluntatem superioris nolentis per se obligare sub culpa.

Ob eamdem rationem vix fieri potest, ut quis sine peccato rejiciat inspirationem divinam circa bonum meri consilii. Qui enim fieri potest ut bonum, ad quod Deus hic & nunc nos impellit, & ei placet à nobis fieri, possit omitti rectè, honestè, & ob bonum finem? Cum autem non detur actus moralis indifferens in individuo, omnis actus qui fit vel omittitur deliberatè non ex fine honesto, est hoc ipso saltem peccatum veniale. Quare Toletus, lib. 3. cap. 2. inter peccata omissionis recenset, *divinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum, cùm possit quis operari, licet non obligetur ex præcepto.* Et meritò viri timorati humiliter se accusant de inspirationum divinarum repulsa. Itaque in his casibus raiò abest peccatum vel acediæ, vel sensualitatis, vel vanitatis, vel impatientiæ, &c. Nam vel levissima inordinatio sufficit ad veniale.

Resp. 2. Mortaliter peccat Religiosus, qui regulas illas circa exercitia spiritualia, abnegationem sui, actus virtutum, religiosam disciplinam, frequenter & ex consuetudine violat, teneturque graviter hanc consuetudinem vitare & emendare. *Ita Sanchez, Layman, & alii.* Quia 1. Tunc intervenit contemptus saltem interpretativus vitæ regularis ac perfectionis; & se conjicit in periculum violandi vota, ad quorum observationem illæ regulæ sunt media saltem moraliter necessaria, ut experientia constat. 2. Scandalum aliis, & grave damnum spirituale Religioni affert, religiosamque disciplinam graviter perturbat. 3. Ex vi votorum, quibus se Religioni in perpetuum ex parte sua addixit, tenetur sub mortali ad perseverandum in Religione absque nocumento notabili Religionis, & ad ita se gerendum ut sit tolerabilis & expelli non debeat. Qui autem regulas violare solet, intolerabilem se reddit, ut expelli debeat: aut si toleretur, graviter nocet Religioni. Adde quod Conc. Trid. sess. 25. c. 1. *Præcipit ut omnes regulares tam viri quàm mulieres ad regulæ quam professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant, atque imprimis, &c.* Hinc propositum non servandi communiter has regulas est mortale cùm contineat virtualiter & implicitè voluntatem inferendi grave damnum Religioni, & scandalum aliis. *Ita multi.*

Resp.

Resp. 3. Semper peccat mortaliter, qui regulam violat ex contemptu. *Hoc fatentur omnes, inquit Sanchez.* Quia hoc est contra votum professionis, quo Religiosus promisit subjectionem erga regulam; quod est aliquid grave, quod tunc violat; nam *transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus rennit subjici ordinationi legis vel regulæ*; ait S. Thom. Præterea hoc continet contemptum authoritatis à Deo acceptæ, unde manat regula. Idem docet S. Bernard. l. *de præcept. & dispens.* cap. 14. ubi ait violationem mandati levioris esse grave crimen propter contemptum: *Elatio quippe contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis, &c.*

Quæst. IX. *Quænam sunt obligationes Superioris Religiosorum?*

Resp. Traduntur cap. 6. de statu Monach. ubi Innocentius III. ait: *Præ cæteris potens sit in opere & sermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres & instruere possit in bono, & à malo revocare. Zelum Religionis habens secundùm conscientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obedientes foveat & confortet...... Vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus: ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quòd si prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit non solùm ab officio deponendum, sed & alio modo secundùm regulam castigandum; cùm offensâ non solùm propria, verùm etiam aliena de suis manibus requiratur.* Tenetur autem imprimis subditos promovere ad perfectionem propriam sui instituti; quia est finis talis Religionis, & ad hoc constitutus est superior. Unde tenetur diligenter curare, ut vota & regulæ omnes, quæ sunt media ad talem perfectionem, accuratè ab omnibus serventur; & impedire, quantùm potest, corrigere & punire non solùm peccata etiam venialia subditorum, sed etiam violationes regularum licèt per se non obligantium absolutè sub culpa. *Prælatus Regularis* (inquit Delugo, tom. 1. de justit. disputat. 9. sect. 2.) *potest graviter peccare negligendo culpas veniales in subditis, imò & observantiam circa regulas quæ tamen ex se non obligant subditos ad peccatum etiam veniale. Quia in hac ipsa negligentia prælatus defuit graviter obligationi, quâ ex munere suo tenetur consulere potissimùm bono & profectui subditorum, & observantiæ regulari; quæ per ejusmodi defectus toleratos maximè labefactatur: multò enim magis, & graviùs obligatur ex munere suo prælatus regularis ad procuranda bona spiritualia, quàm temporalia sui conventus. Quare si ob ejus culpam communitas patitur grave detrimentum in spiritualibus, non poterit ipse à peccato gravi excusari; & poterit contingere quod subditi solùm venialiter peccent, & prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis. Debet igitur prælatus vigilare, & adhibere moralem diligentiam in iis damnis præcavendis.* Ita ille.

Similiter (inquit la Croix, tom. 3.) *Peccat mortaliter superior, si per ejus dissimulationem passim negligatur observantia alicujus regulæ, v. gr. prohibentis ingressum in aliena cubicula, regulæ silentii, &c. licèt transgressio talis regulæ ne veniale quidem esset. Ratio est, quia observatio talis regulæ multum confert ad decorem, ædificationem & utilitatem talis communitatis, sæpe etiam præcavet graviùs mala in subditis. Ergo si superior negligat, infideliter fungitur munere suo, nocetque graviter communitati, ac graviùs peccat, quàm si in administrandis temporalibus gravem committeret negligentiam.* A fortiori peccat mortaliter superior, si per ejus incuriam & dissimulationem subditi somno vel otio vacent, exercitia spiritualia omittant seu negligant, &c. Quare (ut ait S. Antoninus, 2. part. tit. 9. cap. 5.) *Prælatus debet esse sollicitus ad inquirenda vitia subditorum, nec sufficit quod corrigat defectus, quos contingit eum scire, sed debet inquirere diligenter vitam subditorum, si fortè etiam occultos defectus potest deprehendere, ut admonendo & præcavendo malis obviet.* Estque hæc communis Theologorum sententia. Hinc etiam superiores tenentur avertere & non permittere suis subditis occasiones peccatorum, etiam venialium, & amittendi, vel minuendi fervorem spiritus ac studium perfectionis, cùm teneantur eorum perfectionem promovere & avertere ejus impedimenta.

Præterea diligenter perpendat mandatum illud Apost. Rom. 12. *Qui præest in sollicitudine*, &, Hebr. 13. *Ipsi pervigilant*, hoc est pervigilare ex officio debent, *quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Et illud, Eccli. 32. *Rectorem te posuerunt? Noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe.* Item illud Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. *Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa*

est,

est, oves suas agnoscere... ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c. Denique ex Concil. Trid. sess. 25. c. 2. superiores tenentur singulis subditis omnia, quæ iis necessaria sunt suppeditare ex bonis communitatis. Nam ex officio vices parentum erga illos gerunt, & bona ad hunc finem Religioni donata sunt; & alioqui donat occasionem multis malis ac peccatis, & interdum violationi paupertatis. Bona verò suorum sustentationi superflua erogare tenentur in causas pias, ut dixi de Clericis: nam bona Religionis sunt bona Deo dicata & in ejus cultum donata. *Reginald. & alii.*

Item superiores graviter tenentur apostatas & fugitivos requirere, ex cap. 24. de Regular.

Quæst. X. *An est obligatio sub mortali eligendi, vel proponendi digniorem in Superiorem regularium, licet prælatura sit temporalis?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia, teste Delugo.* Quia. 1. eadem est ratio ac de Episcopo & Parocho, cùm superior Religiosorum sit animarum pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imò & ad perfectionem promovere tenetur ex suo munere. 2. Alioqui grave damnum spirituale inferetur Religioni; nec efficaciter subditi ad perfectionem adducentur, ut experientia constat. Et verò (ut ait Delugo, disput. 35. sect. 5.) eadem mala oriri possunt in Religione, si non eligantur dignissimi, quæ in Ecclesia, cùm facilè possint eligi indigni, qui digni videbantur; & cùm adeò difficile sit invenire verè & absolutè dignum, qui suo exemplo, & prudentia continere possit subditos in disciplina religiosa, & hanc, si (ut plerumque contingit) relaxata sit, ad pristinum & debitum rigorem reducere, subditosque ad perfectionem religiosam promovere, qui est finis gubernationis religiosæ. *Ita ille.*

Quæst. XI. *An licet fœminis ingredi domum Religiosorum?*

Resp. Negar. Nec etiam licet superiori eas admittere. Nam id semper generatim prohibitum fuit, saltem ex consuetudine vim legis habente, ad amovendum scandalum, occasionem peccandi, perturbationem, & alia mala; ut constat ex S. Gregorio Magno, lib. 3. epist. 40. ad Valentinum Abbatem, & refertur canon. 20. caus. 18. qu. 2. ubi ait: *Pervenit ad nos, quòd in monasterio tuo passim mulieres ascendant, (& quod adhuc est gravius) monachos tuos sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quod absit) calliditate decipiat: ideò hujus te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittes ascendere, neque monachos tuos eas commatres sibi facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras quocumque modo pervenerit, sic te severissimæ noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur.* Ubi S. Pontifex conqueritur de ingressu mulierum in monasterium Religiosorum: ergo hic ingressus jam erat mulieribus illicitus; huncque ipse graviter prohibet, ut patet tum ex his verbis: *Ideò hujus te præcepti serie commonemus, &c.* tum ex gravi pœna intentata: *Sic te severissimæ noveris ultioni subdendum*; quod ad omnes Religiosorum domos & superiores spectat: *Ut cæteri sine dubio corrigantur.* Quamvis autem hæc prohibitio à S. Gregorio renovata, ad Abbatem, & in ejus persona ad omnes regularium superiores dirigatur; tamen ad mulieres etiam spectat, quæ supposita hac prohibitione non possunt Religiosorum domos ingredi sine scandalo, & cooperatione ad peccatum Religiosorum eas admittentium, vel injuria Religiosis illata, si invitis eorum Superioribus ingrediantur.

Hanc antiquam prohibitionem apertè supponunt Pius V. *constitut. Regularium*, & Gregorius XIII. const. 28. revocantes quamlibet licentiam ingrediendi Religiosorum domos mulieribus prænobilibus & Ducissis concessam: nam si hic ingressus omnibus mulieribus illicitus non fuisset, minimè licentia Papæ Ducissis opus fuisset. Idem vetant multa Concilia particularia, & Clerus Gallicanus ann. 1643.

Imò ex constit. Pii V. *Decet Romanum Pontificem*, edita ann. 1570. omnes mulieres Religiosorum domos ingredientes extra casus permissos, ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusentur ob ignorantiam invincibilem. Ita Navarrus, Suarez, Sanchez, Castropalao, Fagnanus, & Cabassutius Gallus, in sua juris Canonici theoria & praxi, addens hanc excommunicationem in Gallia Episcopis reservatam esse. Religiosi verò, qui mulieres quascumque introducere admittereve præsumunt, contrahunt ipso facto pœnam privationis officiorum, & inhabilitatis in posterum

rum

tum ad illa & alia omnia, & suspensionis à divinis latam, *Constitut. Regularium*, quam idem Pius V. ad causam, quo introducerentur quæcumque mulieres extendit, constit. *Decet Roman. Pontif.* cit. ubi ait: *Apostolica authoritate tenore præsentium dicimus & declaramus fuisse & esse mentem & intentionem nostram, quòd dicta littera* (Constit. Regularium) *non solùm comprehenderent & comprehendant mulieres habentes aut prætendentes facultatem & indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes & quascumque mulieres tam in genere, quàm in specie.*

Ex dictis intelliges vulgus graviter errare existimans ingressum in Religiosorum & monialium domos licitum esse, cùm murus dirutus est, & aditus patet. Nam hic casus nullibi excipitur in Jure, nec à Doctoribus: *Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*; & tum valet ratio prohibitionis, nempe quies, tranquillitas Religiosorum, scandali, tentationum, & occasionum peccandi amotio. Nec tunc ingressus magis licitus est quàm cùm Monasterii janua casu aliquo aperta est.

Ingressus tamen in Religiosorum domos licitus est. 1. Omnibus mulieribus causa processionis, & sepulturæ, ut declaravit idem Pius V. eadem constit. Non tamen eis tunc licet alia loca, ne hortum quidem, ingredi (*a*) 2. Imperatricibus & Reginis, earumque filiabus cum suo comitatu: nam in prohibitione generali non fit earum expressa & specifica mentio. Idem est de supremis Ducissis ob eamdem rationem: nam in sua ditione sunt tanquam Reginæ, & eadem authoritate pollent; quod etiam patet ex consuetudine tacitè à Prælatis Ecclesiæ approbata. Sed aliæ mulieres, quæ eas comitantur, non debent ab iis discedere. 3. Fundatricibus, ex declaratione à Sacra Cardinalium Congregatione facta pro Minimorum ordine: quæ etiam valet pro aliis Religiosis, saltem quorum regula eas excipit, vel qui aliorum ordinum privilegia participant.

Quæst. XII. *An licitus est ingressus in monasteria Monialium?*

Resp. Omnibus tum viris tum fœminis sub excommunicatione ipso facto contracta prohibitus est sine licentia Episcopi, vel Superioris, ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 5. ubi ait: *Ingredi intra septa monasterii* (sanctimonialium) *nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem* tan-

---

(*a*) Authoris nostri opinio communis erat dum ipse scripsit: Sed SS. D. N. BENEDICTUS XIV. Pontificatus sui anno II. die 3. Januarii 1742. Constit. quæ incipit *Regularis Disciplinæ*, inter abusus recenset, ac improbat Mulierum ingressum in Monasteria Virorum, etiam in publicis Supplicationibus, aliisque ab Authore relatis casibus. „ Quoniam autem, *inquit*, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas Leges, ac Præcepta hujusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes; Fœminis quibuscumque aditum, ingressumque, tam manifestè, ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii verò privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive à jure, sive ab homine factas, & impertitas, seu facta, & impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque; fœminas quaslibet intra Monasteriorum Claustra, Septa, Cœnacula, Cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut unà secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis prætextu, cùm Supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum Sacris Sanctorum, Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus per Claustra, Septa, & alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & fœminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, & comitari licitum, quinimo ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse ostendunt.

Itaque primò hæc omnia abolere, ac improbare constituit.

Secundò: Abolet, & revocat quascumque facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas Concessiones, factas sive per S. R. E. Cardinales, sive per Cardinalium Congregationes, sive per Legatos à Latere, vel Apostolicos Nuncios „ quocumque modo, ac tenore, & sub quibuscumque verborum formis expressas.

Tertiò. Censuris subjectos esse declarat, qui iis facultatibus uti velint.

Quartò: Denique præservat privilegia à S. Sede legitimè concessa Patronis, Fundatoribus, insignibusque Monasteriorum Benefactoribus „ Dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili Forma brevis, vel sub Plumbo desuper expeditas literas dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuisse priùs Ordinariis locorum Antistitibus, vel Præsulibus, per legitima, & authentica documenta constare fecerint, & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, vel Missas audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, & opera exercendi studio ingrediantur, & dummodo de earum adventu, & ingressu interdiù, & opportunè faciendo, Superiores pro tempore certiores facere, ad hoc ut absque Fratrum incommodo, & offensione, recto tramite ad Ecclesias peragatur, & alia de jure servanda serventur.

tantùm Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis: neque aliis ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Hoc decretum in Gallia usu receptum est. Gregorius autem XIII. constit. ann. 1657. edita, quæ incipit, *Ubi gratiæ*, postquam revocavit licentias omnes ingrediendi monasteria, & domos Religiosorum, ac sanctimonialium quibusvis etiam Ducissis concessas, prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda omnibus & quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, & regularibus, ne nisi casibus necessariis, & cum licentia Episcopi vel superioris, Monasteria monialium ingrediantur, & simul ipsis monialibus sub eadem pœna vetat, ne ullam personam aliter admittere præsumant, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & privilegiis, &c.

Quæst. XIII. *Ad quid tenetur, qui vovit Religionem?*

Resp. I. Qui vovit Religionem in genere seu indeterminatè, tenetur ingredi aliquam, in qua vigeat disciplina religiosa. Si non admittatur in uno ordine, vel in probatione deprehendat hunc sibi non expedire, ex communi sententia tenetur probare alias plures Religiones suæ linguæ; quia tale votum est votum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideòque de omnibus sub disjunctione. Sed quia tentatis pluribus diversorum ordinum, & ab ipsis repulsus, inde judicare potes ab omnibus te esse repellendum, vel nullam tibi convenire; ideo voto satisfacis si tot Religiones petas & experiaris, ut prudenter judicare possis ex earum repulsa vel experientia, ab aliis omnibus repellendum, vel ea tibi non expedire: quod colligitur ex causa repulsæ & disconvenientiæ, quæ sit generalis & communis omnibus aliis ordinibus.

Qui autem vovit determinatè unum ordinem, si in una domo illius ordinis receptus non fuerit; tenetur tentare plures alias ejusdem ordinis, quamdiu est spes probabilis admissionis. Si verò domum particularem ita determinavit, ut aliam ingredi non intenderit, nequidem implicitè, si ibi non recipiatur, non tenetur alias tentare, sed absolutè cessat votum. Quia non vovit dimissionem sæculi, nisi dependenter ab ingressu talis loci, & jam conditio sub qua vovit, non est in ejus potestate. Si tamen ob aliquod impedimentum temporale non fuit receptus, tenetur eo cessante se iterùm offerre, quia ejus admissio videtur solùm fuisse dilata ad tempus: secùs, si absolutè repulsus est, tali impedimento non extante: nam non intendit se ulteriùs obligare, si absolutè repelletur, alioqui deberet semper manere incertus & suspensus.

Portò qui vovit aliquam determinatam Religionem, potest perfectiorem ingredi, quia hoc est melius. Sed qui ita vovit aliquam Religionem determinatè, ut simul ingressum Religionis in genere intenderit, tenetur priùs conari ut admittatur in illam determinatam; & non admissus tenetur aliam ingredi. Quia hoc utrumque vovit; & tale votum est virtualiter duplex, alterum Religionis in genere ac vage, alterum hujus. Ergo utrumque compleri debet, quantum potest. *Ita Sanchez, &c.*

Resp. 2. Qui vovit Religionem, tenetur diligenter ac seriò curare ut recipiatur, eam ingredi tempore statuto, & sincere experiri tyrocinium, & postea profiteri si judicet Religionem illam sibi convenire; atque ad hunc finem adhibere media idonea, & impedimenta quantùm in se est amovere. Nam ista omnia virtualiter & implicitè vovit; & intendit se obligare ad ingressum Religionis, in ordine ad statum ipsum amplectendum, si conveniat: & alias ingressus esset vanus & inutilis, nec proinde voti materia. Quare voto non satisfacit, si ex sola animi levitate egrediatur: nam ex vi voti tenetur se probare, & de ratione probationis est, ut res probata admittatur si conveniens videatur. *Ita Suarez.* Tenetur autem in his adhibere diligentiam moraliter possibilem: nam, ut ait Sanchez, obligatio Religionis est gravissima; ac proinde astringere debet ad diligentiam humano modo possibilem, qualem postulant res arduæ & magni momenti. Quod si sua culpa effecit, ut rejiceretur, vel non reciperetur, tenetur postea seriò curare ut iterùm admittatur. Nam votum obligat ad non apponendum sponte sua impedimentum executioni ejus, alioqi esset inane & illusorium. Si verò intra probationis annum bona fide factæ, judicet ex causa sufficienti sibi non expedire statum illum, potest relinquere. Quia jure communi concessus est annus probationis in favorem tum Religionis, tum etiam ingredientis, ut post sufficiens experimentum possit liberè eligere quod sibi magis expedire judicaverit. Vovens autem Religionem non renuntiat huic favori, sed censetur velle ingredi secundùm jus commune & usum ordinarium.

Qui verò vovit etiam profiteri, tenetur profiteri & perseverare, etiamsi ea vitæ norma ei incommoda & difficilis appareat. *Ita Azor, Lessius, Layman, & alii multi.* Nam is vovit absolutè, & se obligavit ad profitendum: si judicaretur idoneus, & ratio vivendi esset tolerabilis; plùs enim vovit, quàm qui vovit solùm ingressum, ut constat ex S. Thom. 2. 2. quæst. ult. art. 4. & ex communi sensu ac usu. Unde non ei licet egredi, nisi ineptus sit, vel difficultas tanta sit, ut periculum peccandi vel impediendi majus bonum inducat.

Resp. 3. Qui vovit Religionem non præfinito tempore, tenetur statim eam ingredi & supradicta præstare. Quia dilatio minuit rem promissam, nempe obsequium Dei: nam quò plùs differt, eò minùs reddit Deo, cujus obsequio promisit se totum vitæ suæ tempus daturum in Religione, si hæc ei conveniat. *Ita Sanchez, Deluge, & alii.*

CAPUT III.

De Obligationibus Conjugum.

Quæst. I. **Q***Uænam sunt obligationes Conjugum inter se?*

Resp. Ex communi omnium sententia tenentur. 1. Simul cohabitare & convivere, ex Genes. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et 1. Corinth. 7. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere* (sine justa causa) *quòd si* (etiam ex justa causa) *discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Nam hanc cohabitationem non solùm quoad lectum, sed etiam in convictu & cæteris exigunt natura contractus matrimonii, vinculum ac debitum conjugale, prolis susceptio ac conveniens educatio, & mutua obsequia præstanda. Licet tamen viro ob justam causam sine facultate uxoris ad breve tempus discedere, non vice versa, imò diù abesse licet viro, si res familiaris vel obsequium principis id exigat. Alias non licet, ex c. 1. de conjug. leprof. *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs.* Habitationis autem electio ad virum pertinet, cùm sit mulieris caput, ex 1. Cor. 11. unde uxor tenetur maritum sequi, cap. *Unaquæque* 13. quæst. 2. nisi obstet grave periculum corporis vel animæ, vel speciale pactum antecedens: nam præceptum naturale, vitandi peccatum & tuendi vitam prævalet.

2. Debent sibi mutuum amorem charitatis specialem. Nam sunt specialiter mutuo conjuncti, tum per contractum insolubilem, tum etiam per Sacramentum, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia, quam inter se imitari debent. Uxor autem debet insuper marito honorem, obsequium, & in iis quæ ad gubernationem domus, filiorum educationem, & bonos mores spectant, obedientiam. Item tenetur domus curam habere, *ad Tit.* 2. & viro opportunè & sufficienter necessaria subministrare.

Vir verò uxori debet regimen, curam, tutelam, sustentationem, & correctionem rationabilem; nam vir est caput & superior uxoris. Quamvis autem, ex S. Antonino, & S. Thoma, in 4. dist. 35. art. 2. ad 1. maritus possit aliquando uxorem verberare moderatè, ad ejus correctionem ob gravem culpam, si ejus emendatio id exigat; tamen in praxi uxoris verberatio raiò, moderatè & utiliter fit. Certe extra hanc exigentiam non licet verberare uxorem, nec verbis contumeliosis afficere: nam ipsi debetur honor & amor; cùm uxor sit commembrum viri, comprincipium familiæ licet subordinatum, & socia atque adjutrix domesticæ administrationis. Hæc officia mutua tradit Apost. Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ .... Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam .... Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.* Et, ad Tit. 2. *Viros suos ament, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis.*

Tenetur etiam vir uxorem alere, ac sustentare convenienter suo statui pro suis facultatibus; idque tum ex conjugalis vinculi & amoris debito, tum ex officio capitis familiæ, cujus primum membrum est uxor; tum ex justitia: nam ideò ab ea accipit dotem, & bonorum administrationem obtinet, ut matrimonii onera sustineat, uxorem & familiam sustentet, l. 20. Cod. *de jure dotium.* Quòd si dotem non exegit, tenetur adhuc uxorem alere, quia juri suo cessit, & est semper ejus caput, habetque ejus operas sibi obligatas. Ideòque vir tenetur diligentiam & laborem saltem mediocrem adhibere ad bona conservanda & acquirenda, ut possit uxorem & familiam convenienter statui suo sustentare.

Hinc graviter peccat uterque conjux, si ri-

rixas, odium, dissensiones excitet vel foveat; si pacem & societatem conjugalem turbet; si alterum contumeliis afficiat; si ad iram gravem vel aliud grave peccatum incitet, aut ei peccandi occasionem præbeat; si sine sufficientibus indiciis malè judicet de alterius continentia; si rem familiarem non curet; si bona dilapidet, &c.

Speciatim autem uxor graviter peccat, si viro in re gravi ad bonos mores, vel ad familiæ bonum & domus gubernationem spectante, non obediat, cùm in his sit viro subjecta; si impetium sibi vindicet: nam alienam potestatem sibi usurpare nefas & iniquum est; si quid notabile ex bonis communibus impendat, vel alienet contra voluntatem rationabilem mariti, & consuetudinem legitimam fœminarum similis status; si domus curam negligat; si virum inopem non alat cùm potest: nam uxor dives virum inopem sustentare, & casus ejus fortuitos ferre debet, ex l. 22. ff. *Soluto Matrimon.* hoc enim exigit specialis amor conjugalis, quem ei debet.

3. Conjuges debent sibi mutuò fidem conjugalem in ordine ad copulam conjugalem, & omnem actum venereum qui ex se ad illam refertur ac tendit, ita ut in illis quivis actus venereus cum aliena persona, vel circa alienam, ut copula, tactus, oscula, vel horum desiderium, delectatio venerea, pollutio voluntaria, & omnia peccata luxuriæ, præter malitiam luxuriæ & propriam, contineat injustitiam mortalem ratione conjugii. Nam, ex 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo uterque conjux solus habet dominium integrum corporis alterius quoad copulam, ideòque & ad omnes actus ad illam ordinatos; & obligatur ad abstinendum ab omni actu venereo cum alio, eo quòd de se ad copulam & adulterium referatur, ut rectè docet Sanchez. Quare conjugi fit injuria, si aliquis actus venereus exerceatur erga alteram personam, vel optetur.

4. Tenetur uterque reddere debitum conjugale, hoc est, corpus suum ad copulam conjugalem dare alteri rationabiliter petenti, ex 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro ...... Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et quoad hoc uterque habet æquale jus. Nam ex vi contractus matrimonii vir & fœmina transferunt in se mutuò potestatem corporum in ordine ad copulam; & sic uterque habet jus in corpus alterius ad copulam. Hæc obligatio est sub mortali, cùm sit justitiæ, & in re gravi. Præterea ex debiti denegatione alter conjux conjicitur in periculum pollutionis & incontinentiæ. Unde est mortale vel semel sine justa causa debitum negare illud seriò, instanter & rationabiliter petenti, vel si sit periculum incontinentiæ. Non est tamen mortale denegare, si compars remissè petat, & dilationem facilè concedat citra periculum incontinentiæ, cùm tunc non graviter exigatur: imò nec veniale, si petens non sit sui compos, ut in ebrietate vel amentia, quia in illa petitio non est actus humanus; item quoties petens non est rationabiliter invitus, quod patet in aliis debitis, ut si reddi nequeat debitum sine notabili detrimento sanitatis, & periculo morbi; si nimis sæpe petatur, aut tempore fluxus menstrui, graviditatis, puerperii, citra periculum incontinentiæ. Nam conjuges non tradunt sibi invicem potestatem suorum corporum nisi ad usum rationabilem, & salva personæ incolumitate, cui rectus ordo naturæ priùs consuli exigit, quam generationi prolis.

Item conjux non tenetur debitum reddere, si compars adulterium commiserit: quia ob tale crimen & fidem violatam amisit jus exigendi. Hæc tamen potest petere debitum tamquam licitum & benevolè concedendum, non exigendo tamquam debitum, quandiu compars ignorat vel dissimulat; quia non tenetur crimen suum prodere, nec pœnam hanc in se exequi, donec ei à conjuge innocente imponatur. Quod si uterque conjux adulterium commiserit, utique licet debitum petere & reddere, eo quòd *comparia crimina compensatione mutua deleantur*, cap. ult. de adul.

Porrò non licet debitum denegare ob devotionem, vel communionem intentam, si absolutè exigatur, vel periculum sit incontinentiæ, dissensionum, &c. Neque ob paupertatem seu metum impotentiæ sustentandi prolem numerosiorem: nam debent in Dei providentia confidere. Tamen S. Antoninus censet licere conjugibus mutuo consensu abstinere à copula ad vitandam filiorum multitudinem, modò absit periculum incontinentiæ. At mulieri non licet denegare debitum ob incommoda & molestias, quas gravidæ experiuntur, vel ob difficultatem ordinariam partus: nam nubendo talibus pœnis à Deo Evæ & aliis mulieribus impositis se spontè subjecit.

S. Carolus monet conjuges, ut in magnis

anni solemnitatibus, diebus dominicis, diebus jejuniorum, & certo tempore orationi destinato, & quibus diebus Eucharistiam percepturi sunt, sumpserintve, ab usu matrimonii quantùm possunt, communi consensu abstineant: idque conformiter multis canonibus antiquis.

Quæst. II. *Quibus casibus non licet debitum petere?*

Resp. 1. Ex communi sententia sub mortali non licet conjugi. 1. Qui vovit castitatem sive ante sive post matrimonium, c. 3. *de convers. conjug.* Nam tenetur servare votum quantùm potest, abstinendo ab omni actu venereo non debito ex justitia: votum enim illud includit obligationem præcepti negativi pro omni tempore obligantis, cùm sit promissio abstinendi ab omni actu venereo. Unde nec ei licet inchoare actus ordinatos ad copulam. Tenetur tamen reddere petenti, utpote habenti jus exigendi, nisi votum emissum sit cum consensu compartis, quæ juri suo cesserit: quo casu neutri licet petere nec reddere. Qui verò post matrimonium consummatum vovit religionem aut ordines sacros, potest petere & reddere debitum. Quia per hoc votum contraxit solùm obligationem suscipiendi religionem, vel ordines, si supervixerit; sed statim post mortem conjugis tenetur votum implere.

2. Qui tempore matrimonii culpabiliter cognovit personam consanguineam compartis in primo vel secundo gradu. Nam Ecclesia id graviter vetat ob affinitatem contractam cum conjuge per incestum, cap. 1. & 10. *de eo qui cognovit*, & donec acceperit dispensationem, quam dare potest Episcopus, & regulares habentes privilegium. Comparti tamen innocenti reddere tenetur, *cum suo jure non debeat sine sua culpa privari*, cap. 6. eod. tit. Secus, si compars cum consanguinea hanc affinitatem etiam contraxerit: nam tunc neutri licet petere & reddere debitum; quia, cùm uterque sit suo jure privatus, redditio esset incestuosa & illicita, nec hæc permittitur: nisi ob jus conjugis innocentis.

3. Qui extra casum necessitatis prolem suam legitimam baptizat, aut in Baptismo vel Confirmatione tenet. Quia contraxit spiritualem cognationem, quæ tum impedit petitionem debiti, ut colligitur ex Rituali Romano: nam id quod dirimit matrimonium contrahendum, si superveniat matrimonio contracto, impedit petitionem debiti, ut constat ex communi consensu Doctorum. Secùs, si in casu necessitatis baptizavit, ex cap. *Ad limina*, quæst. 1. Nam quòd quis obligationi suæ satisfecerit, non debet privari jure suo.

4. Qui contraxit cum dubio de valore matrimonii, donec dubium prudenter deposuerit. Tenetur tamen reddere comparti, quæ bona fide contraxit, cap. 2. *de secund. nupt.* Quòd si uterque cum tali dubio contraxerit, neutri licet debitum petere vel reddere, quia manente tali dubio exponerent se periculo fornicandi, & abstinendo nullum periculum peccandi adeunt. Item qui post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter exquirere, & durante dubio non potest debitum petere, ne ultrò se exponat periculo fornicandi: tenetur tamen reddere, cap. 44. *de sent. excomm.* Nam debet vitare periculum violandi jus alterius, imò certam injuriam, quæ fieret privando possessorem bonæ fidei sua possessione absque sufficienti probatione. Qui verò moraliter certus est de nullitate matrimonii, nec potest debitum petere, nec reddere, etiam ignoranti, *ibid.* nam scienter fornicaretur: copula enim cum non conjuge est saltem fornicatio. Unde debet potiùs mortem oppetere.

Resp. 2. Secundùm multos, saltem veniale est petere debitum. 1. Tempore fluxus menstrui, ex S. Gregor. cap. *Ad ejus* dist. 5. S. Hieron. in cap. 18. Ezechiel. & S. August. quæst. 64. in Levit. & lib. 3. contra Julian. cap. 21. ibi: *Talis pudicitia* (conjugalis) *nec menstruatis, nec gravidis utitur fæminis, nec ejus ætatis, qua certum est eas jam concipere non valere.* Nam hic concubitus est indecens, & minùs congruit generationi ac bono prolis. Imò ex S. Thoma, in 4. dist. 32. art. 2. proli sæpe noxius, ob indispositionem mulieris ad concipiendam prolem. Hinc aliqui putant esse mortale, quia putant talem copulam solere multum nocere proli. Sed S. Antoninus negat esse mortale, & S. Thomas, art. cit. dicit tunc debere reddi petenti, si monitioni non acquiescat. Quòd si fluxus esset quasi perpetuus & nimis diuturnus, juxta S. Thomam, ibidem, S. Antoninum & alios licet debitum petere.

2. Tempore graviditatis, etiam citra periculum abortus: nam hoc tempus non congruit, cùm tunc concipi fœtus nequeat. Unde S. Aug. lib. de bono conjug. cap. 9. ait: *Sunt viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant.*

3. Tempore puerperii, tum ob mulieris in-

indispositionem, tum ob nocumentum prolis jam natæ si à matre alatur, vel ejus quæ nasci posset, vel etiam ipsius matris: nam juxta Medicos inde imminent uxori incommoda non levia. Unde S. Gregor. cap. *Ad ejus* cit. ait. *Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri.*

4. Diebus dominicis ac festis, nisi rationabilis causa id exigat. Quia cùm talis actus, propter carnalem delectationem admixtam, animam absorbeat & valde deprimat, multumque mentem distrahat, hominem reddit ineptum ad spiritualia, quibus præcipuè diebus illis vacandum est. Ita S. Thomas, supplem. quæst. 64. art. 5. S. Bonav. Tolet. &c. Unde (ut ait Suarez) est opus incongruum pro tali tempore, & in eo tunc exercito sine justa causa cohonestante apparet aliqua inordinatio contra ordinem quem dictat prudentia, postulatque temperantiæ ac religionis virtus, apponendo sibi & conjugi impedimentum tantæ distractionis & hebetudinis ad Deo prout oportet tali tempore vacandum. Prudentia autem in omni opere requirit congruitatem temporis, & omnis actus qui non fit omnibus debitis circumstantiis, est malus; quippe bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Hinc illud, Eccl. 3. *Omnia tempus habent ... Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.*

Porrò fatentur licitè debitum reddi posse in his casibus, si petens monitioni non acquiescat. Imò petitio videtur posse excusari à culpa per grave periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri posset.

Quæst. III. *Quibus casibus non licet debitum reddere petenti?*

Resp. 1. Est mortale reddere debitum, quoties est mortale petere, ob circumstantiam se tenentem ex parte copulæ; quæ ob eam fiat illicita; ut si petatur in loco sacro vel publico, vel cum periculo abortus aut effusionis extra vas naturale, vel gravis detrimenti prolis, vel mortis alterutrius conjugis, &c. *Sanchez & alii.* Quia tunc est cooperatio formalis ad actum graviter illicitum, & prava ista circumstantia actus afficit petitionem ac redditionem.

Resp. 2. Quando petere est mortale ob circumstantiam personalem petentis, ut si habeat votum castitatis, juxta S. Antoninum & alios multos, si petens averti nequeat, compars tenetur reddere. Quia cùm actus ille de se sit licitus, petens retinet jus suum; nec reddens cooperatur petitioni, sed ex supposita cooperatur copulæ, quæ licita est, ex parte reddentis, & à se debita. Alii verò cum Rich. Comitolo, &c. docent tunc non licere reddere; quia petens hìc & nunc non potest talem actum licitè facere, & per votum amisit usum sui juris; cum non possit habere jus ad peccandum: ergo non licet ei cooperari. Suadent autem ut compars, quæ non vovit, petat dum prævidet à vovente petendum, & tum utrique licita est copula. Si vovens prævenerit, alter dicat petenti; volo ego ut tu mihi reddas. Quod si petens contraxit affinitatem cum conjuge per incestum ipsi notum, non licet debitum reddere, quia potest ei justè negari, cùm jus petendi amiserit: unde reddere esset moraliter cooperari ejus peccato.

Si verò usus conjugii sit solùm venialis ex parte petentis, ut si petat ob voluptatem, reddi debet graviter exigenti: ne petens exponatur periculo graviùs peccandi, & detur occasio rixarum, odii; &c. nec tunc censetur moraliter cooperari culpæ alterius: quia copula potest aliter peti, & hìc & nunc licitè exerceri, estque gravis causa reddendi. Si autem peteret situ vel modo non consueto & venialiter malo, juxta multos potest & debet reddi, si non possit petens adduci ad aliter coeundum, & sit periculum ne graviùs peccet si denegetur: juxta alios non tenetur reddere, quia non petit modo debito & naturali, nec habet jus ad copulam tali modo exercendam.

Quæst. IV. *An aliquando conjuges teneantur petere debitum?*

Resp. Non tenentur per se loquendo: quia nemo per se loquendo tenetur uti jure suo quod prò se introductum est, *cùm liberum sit unicuique suo juri renuntiare*, c. 6. de privil. An tenentur per accidens. 1. Si alter, præsertim uxor, ex signis vel ex dispositione videtur cupere hoc remedium, licèt ex verecundia taceat. S. Thom. in 4. dist. 32. art. 2. nam tunc potiùs debitum redditur petenti implicitè seu interpretativè. 2. Si alioqui sit periculum incontinentiæ in comparte, nam quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, cum facilè potest. 3. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. 4. Si prolis procreatio necessaria sit ad avertendum grave damnum, præsertim religionis vel reip.

Quæst. V. *An licet exigere usum conjugii præcisè ad vitandam in se incontinentiam, ut pollutionem, adulterium, quamvis nulla sit spes prolis gignendæ?*

Resp. Juxta multos licet, quia 1. Matri-

monium secundariò institutum est in remedium concupiscentiæ, ex 1. Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat .... & iterum revertimini in ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* 2. Licitè & approbante Ecclesia contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendæ prolis. 3. Sicut est actus licitus & charitatis exigere debitum ad impediendum incontinentiam compartis, ita & ad eam in se vitandam; cùm ordo charitatis postulet, ut in iisdem circumstantiis priùs nostro quàm proximi bono spirituali, imò & temporali necessario consulamus. 4. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 5. ait: *Tunc est veniale petere ubi non speratur proles, imò nec veniale si fiat propter vitandam fornicationem in se vel in alio. Et in hoc concordans Doctores.* 5. Catechismus Romanus Concil. Trid. part. 2. de matrim. num. 13. exponens *quibus de causis vir & mulier conjungi debent?* Sic ait: *Prima ratio est hæc ipsa diversi sexus natura, instinctu expedita societas, mutui auxilii spe conciliata... altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum & divitiarum hæredes relinquantur, quàm ut veræ fidei & Religionis cultores educentur ... Tertia est, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, ut scilicet, qui sibi suæ imbecillitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre; matrimonii remedio, ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo Apostolus scribit, 1. Cor. 7. propter fornicationem, &c. hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi preponere quisque debet, qui piè & religiosè nuptias velit contrahere.*

Secundùm alios est culpa venialis. Probant, 1. ex S. August. Enchir. c. 78. & l. de bono conjug. cap. 7. ibi. *Reddere debitum conjugale nullius est criminis: exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa venialis.* Ex S. Gregor. l. 32. moral. cap. 17. *Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.* Et ex S. Thom. in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 2. *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet, causa prolis procreandæ; & debiti reddendi. Aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minùs veniale.* Et ad 2. *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundùm hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam; quæ est de peccatis venialibus?*

Sed respondent prioris sententiæ patroni patres solùm intendere, quod cùm actus conjugalis non propter generationem prolis exerceatur, plerumque fit veniale peccatum, quia plerumque & ordinariè sub prætextu vitandæ incontinentiæ voluptas carnalis intenditur tanquam finis actus, quod illicitum est. Cùm autem aliquid sæpe & ordinariè fit, de illo simpliciter & sine restrictione loqui solent homines.

Sanchez cum aliis censet tunc solùm debiti petitionem ad vitandam incontinentiam carere culpa, cùm aliis adhibitis mediis, præsertim oratione, stimuli carnis sedari nequeunt; ita ut non voluptas, sed sola periculi peccandi vitatio intendatur; additque semper esse veniale primariò intendere vitationem incontinentiæ, non prolis generationem, ubi spes est prolis; quia inordinatio est secundarium finem præponere primario fini, qui est prolis generatio, dum obtineri potest. At cùm finis primarius impossibilis est, docet licere, cum impossibile intendi nequeat, eo omisso secundarium finem intendere, præsertim si adsit aliqua necessitas.

Quæst. VI. *An conjuges tenentur sub mortali abstinere ab usu conjugii, dum mulier hactenus morsuos edidit filios?*

Resp. Asserit Sylvius; sed Sanchez, Sanbovius & alii negant: quia felicem partum sperare possunt: cùm possit contingere & aliquando contingat, ut mulier post multos abortus feliciter tandem pariat. Quare tunc debent oratione crebra, eleemosynis, & aliis piis operibus benedictionem Dei efflagitare, & vitare omnem intemperantiam etiam in hoc usu, & alias culpas, quæ sæpe sunt causa abortus.

Quæst. VII. *Quandonam peccant conjuges in usum conjugii?*

Nota. Certum est hunc esse licitum, si fiat cum debitis circumstantiis ad procreandam prolem, per quam Deus glorificetur. Nam ob hunc finem Deus matrimonium instituit: vel etiam ad reddendum debitum, cùm hæc redditio sit actus justitiæ.

Resp. 1. Secluso quovis periculo, & alia inordinatione, est semper venialis culpa, si exerceatur ob solam voluptatem. *Est communis sententia.* Prob. 1. Ex S. Augustino l. 1.

l. 1. de nupt. c. 15. *Carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non prater conjugem, venialem habet culpam*. 2. Innocentius XI. oppositum damnavit. 3. Homo semper tenetur agere propter finem honestum, utpote solùm consentaneum naturæ suæ rationali. 4. Est debiti ordinis eversio quærere actum propter delectationem, cùm delectatio sit propter ipsum actum; idque præsertim in actu conjugali, qui ex se ad prolis generationem ordinatur.

Resp. 2. Peccant mortaliter. 1. Si habeant copulam extra vas debitum, aut cum effusione feminis extra illud: nam hoc adversatur fini naturali feminis & copulæ, qui est prolis generatio, ideòque bono speciei. *Ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & conjuge quisque utatur, contra naturam est, & flagitiosum*. Ita S. August. l. 2. de nuptiis & concup. c. 20. Imò iste abusus, *qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs in uxore*, ait S. August. l. de bono conjug. cap. 11. quia adversatur etiam bono fidei conjugalis, cui cedere conjuges nequeunt. Nam uterque conjux tenetur servare alteri corpus suum castè; nec habet jus in corpus alterius, nisi ad copulam naturalem generationi aptam. Item si habeant copulam extra vas debitum, etiam sine animo ibi consummandi, sed se excitandi ad consummandum in vase debito: nam tunc est actus sodomiticus, & sodomia inchoata: ille enim tactus ex se ordinatur ad effusionem feminis extra vas. *Sanchez, & alii*. 2. Si servato vase debito non servetur naturalis situs, cum periculo effusionis feminis extra vas. Quòd si seclusо tali periculo non servetur sine necessitate, ut dum vir ob majorem voluptatem accedit à tergo, vel succumbit, juxta multos est solùm veniale, quamvis grave & graviter increpandum: quia est abusus, ac naturalis ordinis eversio in solo modo accidentali, cùm non impediatur generatio: & inordinatè quærere voluptatem intra matrimonii usum sit solùm veniale, modò in ea non ponatur finis ultimus, cùm tunc non sit gravis inordinatio. Sed (ut notat S. Thom.) etsi hoc non sit mortale ex parte actus, est tamen signum concupiscentiæ mortalis, cui non sufficiunt modi ordinarii. Ex eodem autem S. Doctore nulla erit culpa citra periculum effusionis, quando corporis dispositio alium situm non patitur. 3. Si actus valde turpes & graviter repugnantes honestati naturali exerceant, eos præsertim, qui per se ordinantur ad copulam in vase indebito, suntque ejus inchoatio, ideòque mortales. 4. Si impediant generationem, vel conceptam prolem extinguant. 5. Qui de industria actum conjugalem interrumpunt absque feminatione integra, ob periculum proximum pollutionis, quod tunc numquam abest saltem ab alterutro. Item juxta Navarrum, Azor, & alios contra S. Antoninum, si in coitu vir de industria non feminet, etiam consentiente uxore: quia tunc est periculum proximum pollutionis saltem in viro. Certe contra naturam est coitum sine feminatione relinquere, cum coitus conjugalis sit ordinatus à natura ad prolis generationem: unde tunc copula est illicita & inordinata. 6. Si actum illum exerceant cum periculo abortus: nam abortio est mortalis; ergo mortale est ejus periculum voluntarium: vel cum gravi nocumento prolis aut valetudinis conjugum; nam graviter tenentur vitam propriam & prolis tueri. 7. Si cum affectu adulterino ad aliam personam, quæ in ipso actu præsens repræsentetur vel optetur; vel cum affectu fornicario seu affectu accedendi ad suam etiamsi non esset sua: nam affectus ille mortalis est: vel cum tanto ad voluptatem affectu, ut in ea finis ultimus ponatur, ut si cum alia quàm uxore æque facturus esset, ut notat S. Thomas; vel ob finem aliquem graviter malum, nam finis dat actui malitiam propriam, cùm in ipso intendatur. 8. Si exerceantur coram aliis, ob grave scandalum, & turpitudinem actus taliter exerciti; vel in Ecclesia ob sacrilegium, est enim contra reverentiam Deo & loco sacro debitam, & per eum polluitur Ecclesia. 9. Mulieres quæ susceptum femen de industria ejiciunt, aut ejicere conantur, vel quæ proprium privatim fundunt: nam hoc repugnat fini feminis, qui est generatio; unde gravis est inordinatio.

Quæst. VIII. *An & qualia sint peccata tactus, & aspectus obsceni inter conjuges?*

Resp. 1. Tactus ex se ordinati ad copulam sunt iis liciti, si sine periculo pollutionis immediatè referantur ad copulam conjugalem, nec fiant propter voluptatem. Quia cùm licitus sit actus consummatus, etiam liciti sunt actus prævii ex se ad illum ordinati, & licitè se juvant ac excitant conjuges ad actum honestum. Si verò fiant præcisè ob voluptatem majorem, quamvis ordinentur ad copulam, sunt culpa venialis: quia numquam licet agere propter voluptatem. Quòd si exerceantur cum periculo proximo pollutio-

tionis, ex communi sententia sunt mortales: quia cùm pollutio graviter repugnet generationi, est æque saltem illicita conjugatis ac aliis; & proinde tenentur sub mortali vitare ejus periculum proximum, & non ponere causam illis proximam. Item juxta S. Antonin. Sylvestr. Comitol. & alios, sunt culpa mortalis, si exerceantur absque animo perveniendi ad copulam: quia illi actus venerei non sunt conjugibus liciti, nisi quatenus ad copulam conjugalem ordinantur: ergo si ad eam non ordinentur, jam fiunt illiciti, per inde ac si inter solutos exercerentur. At juxta alios sunt solum veniales: quia, inquiunt, tales actus natura sua ordinantur ad copulam ipsis licitam, nec quidquam illis deest, n si quod hic & nunc non referantur ad copulam: solus autem defectus debiti finis est per se loquendo solùm venialis.

Certè in praxi hi actus in multis censendi sunt mortales, saltem ob periculum proximum pollutionis, quod rarò abesse potest, cùm ex se commotionem spirituum genitalium valde excitent.

Resp. 2. Graviter illiciti sunt etiam conjugibus tactus quidam valde infames, dum scilicet inter membrum tangens & tactum fœda nimis est disproportio, Quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, & indicant affectum voluptatis prædominantem ac graviter inordinatum; nec conjugium potest excusare actiones, quæ ex se ad copulam conjugalem non ordinantur. Quare cùm infamias illas à mortali excusasset Sanchez, id in posteriori editione retractavit. Sciant igitur conjuges *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*. 1. Thess. 4.

Quæst. IX. *An peccat mortaliter conjux, si in absentia compartis, secluso periculo pollutionis captet delectationem veneream, vel se libidinosè tangat?*

Resp. Affirm. Quia tactus impudicus & delectatio venerea valde commovent spiritus genitales, eorumque motum excitant: quæ commotio spirituum genitalium ex natura sua tendit & ordinatur ad seminis effusionem, ideoque absente comparte ad pollutionem. Ac sicut pollutio est lethalis, ita & omnis actus voluntarius ex natura sua ad illam ordinatus. *Ita Navarr. Sylvestr. Azor, Vasquez, Layman, & alii.*

Quæst. X. *Ad quid tenetur qui post votum castitatis vel religionis matrimonium sine dispensatione contraxit?*

Resp. 1. Qui post votum castitatis contrahit, peccat mortaliter, & semper tenetur abstinere à petitione debiti, & post mortem conjugis à secundis nuptiis. Est communis sententia, & usu Ecclesiæ approbata, inquit Sanchez. Quia votum obligat in his omnibus quæ alteri injuriosa non sunt, & impleri debet votum quantùm potest. At juxta varios non tenetur ante consummationem amplecti statum religiosum: tum quia hoc non vovit, & est medium extraordinarium ac valde arduum: tum quia, extrav. *Antiqua*, Joannes XXII. declarat conjugem qui ante consummationem matrimonii sine consensu uxoris sacros ordines suscepit, compellendum esse ad illud consummandum petente uxore, si ipse noluerit religionem profiteri: ergo, inquiunt, talis non obligatur ad religionem amplectendam, cùm ad eam non compellatur, sed ad consummandum, licèt voto castitatis obstrictus, & posset illud servare per hoc medium.

Sed alii plures cum S. Antonino, 3. part. tit. 1. cap. 16. docent talem teneri statum religionis amplecti, si aptus sit. Quia non superest ei alia via servandi votum, nisi voti dispensationem aut commutationem obtineat, vel alteri conjugi persuadeat continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum: quisque autem tenetur servare votum quantùm potest. Quòd si medium illud, quod ei superest, sit valdé arduum, sibi imputet, cùm sua culpa se conjecerit in necessitatem illud adhibendi ad servandum votum. Sylvius addit, quòd si talis non sit idoneus ad religionem, & hæc alia media non prosint, non peccabit, nequidem prima vice, si rogatus consummet, quia ad hoc tunc tenetur.

Resp. 2. Qui post votum ingrediendi Religionem contraxit, tenetur ante consummationem ingredi. *Ita omnes*. Quia id licitè adhuc potest, & ad id se voto adstrinxit. Sed licèt consummando graviter peccarit, postea tamen potest debitum non solum reddere, sed etiam petere. Quia non vovit castitatem, sed tantùm ingressum aut professionem status in quo vovenda est, aut saltem non vovit nisi in religione servandum. At ex communi sententia post mortem vel adulterium conjugis tenetur religionem ingredi: nam tenetur implere obligationem, quæ tempore matrimonii fuerat solùm suspensa, cùm jam impleri possit. Si tamen jam non fuerit aptus, petat commutationem voti.

CAPUT IV.

De Obligationibus parentum & liberorum, & aliorum superiorum ac inferiorum erga se invicem.

Quæst. I. **Q***Uenam sunt Obligationes parentum erga liberos?*

Resp. Secundum omnes tenentur. 1. Illos alere & convenienter sustentare, hoc est victum, vestitum, habitationem, medicamenta præbere, tum ex jure canonico, cap. *Si quis* dist. 30. ubi anathematizatur, qui dereliquerit proprios filios, & eos non aluerit: tum ex jure Civili, Cod. *de alendis liberis*, & §. *de liberis agnoscend.* tum etiam jure naturali, quandiu liberi sibi ipsis res necessarias providere non possunt. Nam cùm eis per generationem esse dederint, debent quoque illud convenienter conservare, & ad suam perfectionem ac debitum vitæ statum perducere: Idque ipsa naturæ propensio ordinata satis indicat; suntque parentes administri providentiæ divinæ erga suos liberos. *Debetur liberis à parente secundùm naturalis amoris affectum sustentanda vita providentia sive proventus. Parentum enim est colligere, sive thesaurum recondere liberis, ut præter hoc quòd ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent*, ait Basil. in Psalm. 7. Unde tenentur etiam curare ut artes statui suo congruentes discant, eisque procurare statum suæ conditioni convenientem, & natis dotem constituere, cum ijs alimenta & sustentationem necessariam ac convenientem suppeditare teneantur.

Hinc graviter peccant parentes, si liberos parvulos diligenter non custodiant, & ab iis gravia mala non avertant; si infantes exponant, si rem familiarem non curent; bona dilapident, vel diligentiam saltem mediocrem non adhibeant ad acquirenda & conservanda bona necessaria ad liberos honestè secundùm suum statum collocandos, filias dotandas, & iis hæreditatem congruam relinquendam: nam debent etiam futuris eorum necessitatibus providere, ex 2. Cor. 12. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

Possunt tamen parentes exhæredare filios ex justa causa in testamento exprimenda, nempe ob gravem culpam & ingratitudinem in se admissam, vel dilapidationem bonorum familiæ, vel vitam luxuriosam filiæ, nam tunc tali pœna digni sunt. Quare in iisdem casibus possunt his denegare ea, quæ statui suo conveniunt: numquam tamen res necessarias ad vitam sustentandam, si aliunde non habeant.

Nota. Mater debet primo triennio liberos alere, & postea pater, donec ex arte vel officio possint vitam sustentare, ex lib. 9. Cod. *de patr. potest.* quod si pater ex inopia nequeat, tenebitur mater. In defectum patris & matris tenentur avi, & alii ascendentes, l. 5. §. *de lib. agnosc.*

2. Parentes præter sustentationem congruam debent liberis christianam institutionem, ex Ephes. 6. *Educate illos in disciplina & correptione Domini.* Nam finis matrimonii est generatio prolis, à qua Deus piè sanctèque colatur: ac institutio christiana est liberis ad hunc finem necessaria. Hæc in tribus potissimùm consistit. Ut eos maturè per se vel per alios doceant necessaria ad salutem, & ad vitam christianam agendam. *Filii tibi sunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Eccl. 7. Et S. Augustin. in Psalm. 5. ait: *Regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi.* 2. Ut eos non solùm verbis, sed etiam exemplo ad peccati fugam, cupiditatum cohibitionem, & virtutum exercitium adducant, & peccatorum occasiones ab iis avertant: *providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*, Rom. 12. A fortiori coram liberis; quos ex suo munere tenentur efficaciter ad virtutes, & timorem ac amorem Dei instituere. *Patres discant quomodo etiam commissis sibi exempla bene vivendi exteriùs præbeant. Scire etenim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per prava quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt.* S. Gregor. part. 3. Pastor, admonit. 5. & Sanctus Hieronymus, epist. 7. ad Lætam, de institutione filiæ monet: *Nihil in te & in patre suo videas, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplo doceri posse, quàm voce.* 3. Ut delinquentes corrigant objurgando, & cùm oportet, moderatè puniendo, juxta illud, Prov. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties*

eum, & animam ejus de inferno liberabis, & cap. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suum*; &, Eccli. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella ..... Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est; ne fortè induret, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendat*. Alioqui parentes sunt participes peccatorum liberorum, ex c. 3. dist. 86. ubi Joannes VIII. ait: *Facientis culpam procul-dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus participes judicantur*. Et ex S. Gregor. lib. 7. epist. 6. *Qui non corrigit resecanda, committit*. Quare, lib. 1. Regum cap. 3. Deus ait: *Suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos*.

Patri autem liberos, sicut nec domino servos occidere, mutilare vel vulnerare non licet; quia ista pertinent ad publicam potestatem exercendi justitiam vindicativam, sive ad perfectam potestatem coercitivam, qua carent parentes & domini ut tales: cùm enim præsint tantùm familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent solùm potestatem imperfectam, coercendi scilicet pœnis levioribus, quæ damnum irreparabile non inferunt. Sola quippe communitas perfecta, seu ejus princeps perfectam habet potestatem coercendi & puniendi malefactores, etiam morte.

Porrò educationis cura ad patrem tanquam ad familiæ caput maximè spectat, quamvis etiam mater ad eam graviter obligetur.

Hinc graviter peccant parentes, si non curent diligenter, ut liberi fidei rudimenta, & alia ad christianè vivendum necessaria maturè addiscant, pravorum consortium vitent, à vitiis abstineant, mandata Dei & Ecclesiæ servent; si consilio vel exemplo pravo ad peccatum inducant; si de eorum factis non inquirant, permittantque eos liberiùs vivere, ludo & delectationibus immodicis assuescere, iisque ad ea pecunias suppeditent; si patiantur eos vitam otiosam agere; si delinquentes non objurgent, puniantque moderatè, &c. Ex 1. Timot. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit* (facto scilicet) *& est infideli deterior*.

3. Tenentur liberis suis electionem status liberam relinquere; peccantque graviter, si eos invitos ad matrimonium, vel religionem cogant, vel ab iis avertant. Nam liberi habent jus sibi statum vitæ liberè eligendi; & eorum salus maximè pendet ab electione status, ad quem à Deo destinantur & vocantur. Quare, Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. excommunicat eos, qui fœminam cogunt ad religionem vel professionem, aut sine justa causa impediunt ejus vel ingressum vel professionem.

Item etiamsi liberi velint matrimonium inire, non debent parentes eos cogere ad contrahendum cum tali vel tali, si repugnent, cap. *de nupt.* 31. qu. 2. Quia, ut ibi ait Pontifex, quorum unum corpus est, unus debet esse animus. Alioqui datur occasio dissidiorum, rixarum, adulterii, &c. Grave autem peccatum est alios conjicere in periculum graviter peccandi.

Nota. Ex communi sententia, in defectum patris & matris ad prædicta tenentur jure naturali ascendentes ex linea paterna & materna.

Item parentes tenentur jure naturali etiam alere & christianè educare liberos illegitimos, qui & quamdiu sibi ipsis de rebus necessariis providere non possunt, cùm verè sint eorum parentes, ex cap. 5. *de eo qui duxit*, &c. Non possunt tamen iis aliquid ultra necessariam sustentationem, causa mortis donare vel relinquere: nam hoc vetant leges justæ, ne scilicet legitimorum hæredum minuatur hæreditas. Quod si fecerint, filii illegitimi excessum hæredibus legitimis, etiam ante sententiam restituere tenentur; cùm illius possidendi incapaces facti sint juxta legum authoritatem.

Quæst. II. *Ad quid obligantur liberi erga parentes?*

Resp. Secundùm omnes, debent parentibus amorem, reverentiam & obedientiam. Nam hæc tria continet & exigit præceptum naturale divinum: *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Deut. 5. & Matth. 19. ut docet Catechismus Romanus, & omnes Doctores. Idque dictat recta ratio propter triplicem respectum parentum ad filios, scilicet causæ, præeminentiæ & regiminis.

1. Itaque tenentur liberi parentes verè amare, & quidem magis quàm cæteros: cum illis plùs debeant, sintque conjunctiores quam aliis: & hunc amorem significare. Qua-

Quare tenentur bonum spirituale & temporale iis velle & suppeditare in eorum necessitatibus etiam communibus. Exigitque tum pietas, ut iis subministrent necessaria ad vitam honestè secundùm suum statum sustentandam; quamvis sua culpa in hanc necessitatem inciderint, & filii sua bona ab illis non acceperint. Quovis enim modo parentes erga liberos egerint, tamen iis vitam & conservationem debent, ex Matth. 15. & cap. 1. dist. 30. l. 1. & 2. Cod. *de alend. liber. ac parent.* Debent quoque subvenire parentibus in omnibus aliis necessitatibus quoad honorem, famam, libertatem, &c. & eorum defectus tegere ac patienter ferre. *In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum.* Eccli. 3. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Eccli. 7.

Hinc graviter peccant liberi, si parentibus signa odii ostendant, maledicant; vel signa amoris nunquam aut rarò dent; si durè tractent; si ipsos alloqui aut salutare detrectent; si de ipsis erubescant vel tanquam incognitos aut extraneos tractent; si graviter contristent, vel ad gravem iram impellant, etsi ex causa levi, quam prævident gravem molestiam iis procreaturam. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Prov. 19. *Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem: & maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Eccli. 3. *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Exod. 21. Si torvo oculo intueantur, vel asperè loquantur, perinde ac si odio haberent; si non subveniant in necessitate spirituali, vel corporali, ægros non invisant, carcere detentos liberare negligant; eorum sanitati non consulant, non curent maturè sacramentis muniri, & aliis auxiliis spiritualibus juvari; si eorum testamenta ac legata non exequantur, vel exequi differant, vel non curent pro iis mortuis preces & sacrificia offerri, &c. Si iis mortem exoptent, ut ab iis citiùs liberentur, vel citiùs eorum bona obtineant.

Porrò quæ essent mortalia contra charitatem, si fierent erga extraneos, sunt etiam contrà pietatem, & longè graviora si erga parentes; quæ circumstantia semper exprimi debet in confessione; nam tunc peccatum habet duplicem malitiam specie diversam contra charitatem & pietatem. *Toletus, Delugo, &c.*

II. Quoad reverentiam, ejus obligatio clarè exprimitur verbo *Honora*, &c. Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Nam (ut ait S. Thomas,) parentes participant rationem principii, cùm propter generationem, tum etiam propter educationem, disciplinam, & omnia, quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Præterea repræsentant dignitatem Dei, qui est omnium pater.

Hinc mortaliter peccant liberi, 1. Si parentes spernant, irrideant, contumeliis afficiant, de illis detrahant; eorum monita, consilia & minas contemnant, præsertim coram ipsis. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi, &c.* Prov. 3. Quæ autem in his ob levitatem materiæ erga alios non essent nisi venialia, erga parentes ob circumstantiam personæ ut plurimùm sunt mortalia. Ob hanc culpam Cham filius Noe, patris maledictum incurrit. Gen. 9. quod Deus postea confirmavit, ut posteris hujus culpæ gravitas innotesceret. 2. Si eos percutiant licèt leviter, aut iis minentur; imò si contra eos manum tollant, etsi sine animo percutiendi: in his enim censetur gravis irreverentia ac injuria erga parentes. 3. Si ad sublimem fortunam evecti, parentes ex contemptu agnoscere dedignentur. 4. Si eos in foro externo etiam vero crimine accusent, excepto crimine hæreseos, proditionis, conjurationis in Principem, quod aliter impediri non posset: in his enim ne patri quidem parcere debent propter damnum publicum, quod præ privato averti debet.

III. Liberi tenentur obedire parentibus in iis quæ spectant ad gubernationem domesticam, & ad bonos mores. In his enim subditi sunt parentibus, quorum est regere familiam, & eam bonis moribus imbuere. *Filii obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi.* Eph. 6. *Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino,* Coloss. 3. & Rom. 1. Qui non obediunt parentibus, dicuntur digni morte. Hinc S. Augustin. in titulum Psalm. 70. ait: *Ubi hoc jubet pater quod contra Deum non sit, sic audiendus est quomodo Deus, quia obedire patri jussit Deus.* Ratio est, quia (ut ait S. Thom. quodlib. 2. art. 9.) *Ad illa se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit jus prælationis. Habet autem pater carnalis jus prælationis in filium.*

2. Qui-

1. *Quidem quantùm ad domesticam conversationem: sic enim est paterfamilias in domo, sicut Rex in regno: unde sicut subditi tenentur obedire Regi in iis quæ pertinent ad gubernationem regni, ita etiam filii & alii domestici tenentur obedire patrifamilias in his quæ pertinent ad dispensationem domus.* 2. *Quantùm ad morum disciplinam: unde Apost. dicit* Hebr. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores: debet enim pater filio non solùm educationem, sed etiam disciplinam. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, & non in aliis.*

Hinc peccant mortaliter liberi, si in re gravi ad mores, vel ad domesticam curam, vel ad pacem & concordiam in familia tuendam, vel ad ejus bona, famam, honorem spectante non obtemperent; & speciatim si contra parentum prohibitionem, improborum societatem, popinas frequentent, aleæ ludum, compotationes vel quidlibet aliud illicitum aut periculosum exerceant; si contra eorum mandatum nolint dare operam literis aut artibus suo statui congruentibus, si iis inconsultis nubant, vel si filius contra eorum voluntatem ducat uxorem se indignam, vel nolit sine justa causa ducere quam parentes volunt, ob magnum familiæ bonum; si filia contra prohibitionem domo egrediatur, vel sola noctu viros alloquatur, &c.

Non debent autem filii parentibus obedire cùm aliquid præcipiunt vel vetant contra Dei, vel Ecclesiæ præcepta, aut consilia Evangelica. Nam *obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Actor. 5. Neque quoad electionem status, nam hæc pendet à divina vocatione. Debent tamen consensum & consilium petere, non autem sequi, nisi sit consentaneum vocationi divinæ.

Porrò filius familias, si parentes ejus opera non egeant, potest à paterna domo discedere ad discendam aliquam artem honestam statui suo convenientem, vel quærendum aliquod vitæ genus honestum, petita facultate, quam pater ei denegare non potest, ex l. ult. §. *deliber. exhib.*

Nota. Eadem fere ratio est de avo, proavo, & quolibet ascendente, respectu nepotis, pronepotis, & cujuslibet descendentis, & vicissim. Nam hi omnes considerantur quasi patres & filii, ascendentes quippe sunt mediati progenitores. *Delugo*.

Sed an filius cupiens ingredi religionem, tenetur in sæculo remanere, ut parentum necessitati subveniat?

Resp. Affirm. si necessitas sit extrema vel gravis, nec alius possit aut velit iis opitulari, & possit ipse remanendo in sæculo. *Est communis sententia*. Quia subvenire parentibus graviter indigentibus est præcepti divini naturalis: ingredi autem religionem per se est tantùm consilii. At propter opus consilii non est omittendum præceptum, utpote obligatorium. Imò tum religio cessat esse opus consilii respectu filii, cùm tunc sit ei illicita. Unde Christus, Matth. 5. arguit Pharisæos, quòd suaderent ut eroganda parentibus egenis impenderentur in cultum divinum. Quod verum est, etiamsi filius voverit religionem, nam illud votum solùm est de ingressu religionis, quatenus est opus melius, nec impedit observationem præcepti divini. At ingredi religionem relictis parentibus in gravi necessitate, non est opus melius, & impedit observationem præcepti divini.

Si verò non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multùm indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio filii religionem intrare, etiam contra præceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantùm ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his quæ sunt divini obsequii; & magis est obtemperandum Patri spirituum ut vivamus, quàm parentibus carnis, ut Apost. dicit ad Hebr. 2. ita Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 189. artic. 6.

Porrò neque parentibus licet ingredi religionem dum liberi carent necessariis ad sustentationem, vel educationem suo statui convenientem. Nam parentes jure naturali tenentur eis liberis providere; nec licet Deum tentare, ordinaria media omittendo sub spe divini auxilii. S. Thom. loco cit. Nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam & statum, & illos per alios rectè instituere possunt.

Nota. Nemo tenetur in sæculo remanere propter fratrum, vel sororum aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam. Quia nemo tantum iis debet, nec ita strictè tenetur iis subvenire, sicut parentibus; nisi tamen fratres vel sorores sint adhuc sub cura patris aut matris, nam tunc creant vel augent necessitatem ejus: quippe sub necessitate parentis includuntur omnia quæ pertinent ad statum & munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens liberorum educatio ac cura. Atque ita ratione parentis sic obligari quis potest erga fra-

fratres suos, qui tunc considleratur ut pars ejusdem parentis. *Ita Suarez.*

Sed quid, si filius professionem jam emiserit, an tenetur egredi, ut parentibus succurrat?

Resp. Juxta multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema, cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante sive post professionem evenerit. Quia in utroque casu æqualiter urget præceptum pietatis, nec minus sunt illius parentes in uno quàm in altero. Ut autem talis egressus sit licitus, requiritur. 1. Ut religiosus petat licentiam, nam hoc exigit debitum subjectionis & recta disciplina; & alioquin oriretur perturbatio communitatis & scandalum. Sed Prælatus tenetur hanc licentiam concedere: quòd si petitam deneget, dicunt posse religiosum egredi, eo quòd prælatus sit irrationabiliter invitus, & aliunde præceptum divinum naturale subveniendi parentibus urgeat. 2. Ut egressus gestet suæ religionis habitum. 3. Ut quamdiu manet in sæculo, servet quoad fieri potest regulas & statuta religionis: nam non desinit esse religiosus. 4. Ut redeat ubi primùm eorum necessitati sufficienter providit: nam cessat causa manendi extra monasterium. At si necessitas parentum sit solùm gravis, non extrema, non tenetur, nec proinde ei licet egredi sine legitima superioris sui licentia: quia religiosus est per professionem traditus religioni & potestati sui prælati. Res autem uni tradita non potest sine ejus consensu alteri concedi, etiam quoad usum, citra necessitatem extremam. Ita *S. Thom. S. Antoninus, & alii multi.*

Quæst. III. *Ad quid superiores & inferiores generatim obligantur erga se invicem?*

Resp. 1. Superiores tum Ecclesiastici tum sæculares tenentur procurare bonum subditorum, & eorum malum impedire secundum potestatem quam habent, & munus quod exercent erga illos, ex Eccli. 32. *Rectorem te posuerunt? Curam illorum habe.* Et, 1. Timoth. 5. *Si quis suorum curam non habet .... est infideli deterior.* Nam omnis potestas publica ac munus est propter bonum subditorum, & superiores ratione sui officii parentum vicibus funguntur.

Resp. 2. Ut filii erga parentes, ita cum proportione subditi erga superiores quoslibet, debent amorem, reverentiam, & obedientiam, secundùm cujusque potestatem ac munus. Nam (ut docet Cathec. Rom. de quarto præcepto) *Præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris, & officii nomine.* Idque constat ex Script. & Patribus, 2. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis .... quia sic est voluntas Dei .... Omnes honorate ..... Regem honorificate.* Et, Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Et Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, &c.* Eccli. 7. *Honorifica sacerdotes.*

Hinc graviter peccant inferiores, si superioribus in re gravi ad eorum munus pertinente non obediant; si eos contemnant, vel eorum defectus aliis referant, ut eos odiosos ac contemptos reddant; si illis debita ratione officii non suppeditent, ut decimas Ecclesiasticis, tributa principibus, & aliis stipendia, &c.

Quæst. IV. *Quænam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?*

Nota. Tutor est is, cui commissa est cura pupilli, & bonorum ejus. Curator est, qui assignatur minori, præcipuè in curam ejus bonorum. In hoc inter se differunt, quod tutor detur principaliter in curam personæ, & secundariò in curam bonorum impuberis: Curator verò principaliter in curam bonorum, & secundariò personæ puberis.

Resp. Tutor tenetur curam gerere pupilli, ejus personam tueri, eum bonis moribus imbuere, & christianè educare per se vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem addiscat. Item ejus bona curare, & fideliter ac diligenter administrare. Nam, in hunc finem jure publico constituitur, & assignatur pupillo loco patris, ideòque ejus vices erga eum gerit. Tutor enim est is, qui pupillo datur in defensionem & curam personæ ac bonorum pupilli. Curator verò tenetur rectè ac fideliter bona minoris administrare, & insuper ejus personam tueri cùm opus fuerit, & educationi ac institutioni invigilare: nam præcipuè assignatur in curam bonorum, secundariò in curam personæ. Quare si tutor, vel curator in hoc delinquat, vel graviter sit negligens, peccat graviter, & tenetur ad compensationem damni; quia peccat contra proprium officium ad aliorum commodum spectans, proindeque contra justitiam.

Hinc

Hinc tenentur statim inventarium omnium bonorum pupilli & minoris efficere. l. 24. Cod. *de admin. tutor.* Omnia eorum bona, jura & actiones diligenter conservare, & curare ut ex iis reditus annui percipiantur, bona aliàs peritura vendere, ex mobilibus prædia idonea comparare, ex digestis & codice. Quòd si neglexerint, vel res pupilli aut minoris in suos usus converterint, tenentur rem ablatam vel amissam restituere, & compensare totum lucrum cessans ac damnum emergens. Tenentur autem de culpa lata & levi, l. 7. Cod. *de Arbit. tutel.* nam justum pretium suæ administrationis exigere possunt; & sic eorum munus cedit in utilitatem suam & aliorum. Peccant etiam, si pupillo vel minori dent pecuniam ad usus malos vel inutiles, cùm ex suo officio teneantur fideliter ac utiliter eorum bona administrare.

Cæterùm pupilli & minores tenentur obedire & reverentiam exhibere tutoribus & curatoribus velut parentibus, quorum locum illi tenent.

Quæst. V. *Ad quid obligantur domini & famuli erga se invicem?*

Resp. 1. Secundùm omnes, domini tenentur. I. Gerere curam salutis famulorum & famularum, ex 1. Timoth. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Nam sunt ipsorum caput, & vices parentum erga eos gerunt: ideòque obligantur cum proportione ad ea, ad quæ parentes erga liberos tenentur. Quare graviter tenentur curare, ut famuli & ancillæ res ad salutem necessarias calleant, peccata & occasiones peccati vitent, Dei & Ecclesiæ præcepta servent, sacramenta tempore debito frequentent. Item tenentur bona exempla iis præbere, graviter delinquentes corrigere, & iis invigilare: *Attende domesticis tuis*, Eccli. 32.

II. Tenentur alimenta congrua præbere, & tempore statuto mercedem justam solvere. *Domini quod justum est & æquum servis præstate: scientes quod & vos dominum habetis in cælo.* Coloss. 4. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè.* Levit. 19. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Eccli. 34. Nec possunt ante terminum elapsum domo dimittere sine justa causa, quia violarent contractum. Quòd si dominus sine justa causa se tenente ex parte famuli, invitum eum dimittat ante tempus condictum, tenetur ei integrum stipendium dare, perinde ac si toto illo tempore ei servisset, nisi alteri eo tempore servierit, l. 38. §. *Locati.* Nam conductor pensionem solvere tenetur, quando re vel opera conducta usus non est, ob causam se tenentem ex parte sua. Si verò invito domino & sine justa causa famulus discedat, nihil ei conceditur in foro externo: at in foro conscientiæ debetur ei merces pro rata temporis quo servivit, nisi aliud ferat pactum, vel exitu suo intempestivo damnum domino intulerit retenta mercede aut illius parte compensandum: quia opera præstita est digna pretio, quo privari non potest in pœnam, nisi ex conventione, vel per sententiam Judicis. *Delugo, & alii.*

III. Tenentur eos non asperè ac superbè tractare, sed benignè tanquam fratres in Christo & cohæredes vitæ æternæ, quos debent sicut seipsos diligere. *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia & illorum & vester dominus est in cælis; & personarum acceptio non est apud eum.* Ephes. 6. Unde peccant si domesticos contumeliis afficiant, ut si appellent diabolos, canes, &c. si immoderato labore vexent, &c.

IV. Tenentur curare, ut in eorum morbis ac infirmitatibus auxilia temporalia & spiritualia non desint. Juxta multos tamen seclusa pactione vel consuetudine, non tenentur ex justitia famulis alimenta & stipendium dare toto tempore morbi diuturni. Nam hæc debentur solùm propter operas quotidianas, & conductor nihil tenetur solvere dum re vel opera sibi locata uti non potest, ob causam provenientem ex parte locatoris vel rei locatæ. Item non tenentur solvere impensas pro eorum curatione, nisi sint modicæ, vel nisi versentur in necessitate. Postulat tamen charitas, ut impensas saltem modicas faciant pro eorum curatione & alimentis; & hæc est praxis timoratorum. Imò charitas eos obligat ad gratis præstanda famulis pauperibus omnia, quibus indigent, si ea possint præstare.

V. Tenentur famulos expellere, qui liberos, aliosve domesticos verbis vel moribus pravis corrumpunt, si reprehensione non emendentur. *S. Carol. Instruct. Confess. & Concil. Mediol. III.* Nam tenentur à suis causas & occasiones peccandi amovere.

Porrò cùm famulus vel ancilla justis de causis expellitur, sufficit si pro rata temporis stipendium ei persolvatur. Nam justa causa expellendi famulum rectè censetur impedimentum ex parte locatoris proveniens, ob quod conductor jam ejus opera uti non potest.

Resp.

Resp. 2. Famuli & ancillæ debent suis dominis amorem, reverentiam, obedientiam & fidelitatem. Ex 1. Timoth. 6. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Et, Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut dominis, &c.* ex ad Tit. 2. *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Itaque tenentur dominis suis eadem præstare cum proportione, quæ filii parentibus: nam domini erga illos parentum vicibus funguntur. Et insuper tenentur ex justitia fideliter servire ac laborare, munus sibi commissum rectè obire, & res sibi creditas diligenter curare ac servare: nam ad hæc præstanda stipendio conducti sunt, & ex contractu oneroso obligantur.

Hinc mortaliter peccant, 1. Si in re magni momenti non obediant. 2. Si peccata ac defectus familiæ aliis referant. 3. Si non bene laboraverint toto tempore designato, & obsequia debita negligenter præstent: & tenentur tum ad restituendum partem stipendii pro rata laboris omissi; nam non habent jus nisi ad stipendium labori & operæ impensæ congruens: tum ad compensandum damnum & lucrum cessans, quia fuerunt injusta illorum causa, cùm sequantur ex omissione diligentiæ ac operæ ex justitia debitæ. Idem dic de aliis operariis conductis. 4. Si de bonis dominorum disponant sine eorum consensu. 5. Si grave damnum inferri permittant, cùm impedire possint; vel videntes inferri taceant, nec moneant dominum, sive illud inferatur ab extraneis (quod certius est; & *ita ferè habet communis gentium sensus*, ait Lessius,) sive à consamulis, etiam in rebùs, quarum cura sibi specialiter commissa non est; teneanturque illud resarcire in defectum aliorum. Non famuli omnes tenentur ex justitia non permittere ut damnum hero à quoquam inferatur: nemo enim famulum vel ancillam accipit, nisi cum hoc pacto tacito, ut impediat ejus damnum, si possit. Præterea domestici aliter & magis tenentur impedire damnum heri sui, quàm extranei, qui ad id ex charitate tenentur. Domestici verò, quibus specialiter domus vel alia res commissa est, tenentur insuper magna cura eam custodire, & diligenter invigilare ne quid damni in ea patiatur dominus.

VI. Si ante tempus condictum discedant sine justa causa. Nam ex contractu, ideòque ex justitia tenentur toto illo tempore servire, & sic tenentur resarcire damnum, quod dominus inde patitur, ut si majore pretio alium conduxit, &c. Omnis enim injustitia damnosa parit obligationem restituendi.

Quæst. VI. *Quænam sunt obligationes magistrorum, & discipulorum?*

Resp. Inter magistros, pædagogos & discipulos est quodam modo eadem obligatio, quæ inter parentes & liberos. Nam Magistri & pædagogi vices parentum erga discipulos gerunt in iis, quæ ad studia & bonos mores spectant.

Sed speciatim magistri & pædagogi graviter peccant. 1. Si cùm non sint idonei, nec sufficienter docti ad hoc munus rectè ac utiliter obeundum, illud suscipiant, aut non dimittant, aut se ad illud idoneos non præstent. 2. Si discipulorum progressum in litteris non sedulò promoveant. 3. Si non satis studeant ipsi, ut rectè officio fungantur. 4. Si ex proposito falsa ut vera doceant, vel superstitiosa aut saluti noxia. 5. Si negligant eos bonis moribus imbuere, nec delinquentes arguant, nec puniant cùm possunt. 6. Si ipsis malum exemplum præbeant. 7. Si improbos, & alios perniciosos ad scholam admittant, vel ex iis non dimittant, ne alios depravent. 8. Si doctoratus, vel licentiatus gradum indignis conferant; nam (ut docent S. Antoninus, Navarr. Sylvest. Sanchez, & alii) est mortalis culpa præsertim in Theologia, Jure canonico & civili, & Medicina, imò etiam videtur in Philosophia. Nam per hoc graviter bono publico nocent, & remp. vel Ecclesiam publico testimonio decipiunt in re gravi: unde fit ut indignis conferantur officia sæcularia, vel beneficia Ecclesiastica, cum damno multorum.

Porrò Concil. Later. V. sess. 9. præcipit, ut humaniorum litterarum magistri discipulos, rebus fidei, & præceptis Dei ac Ecclesiæ instruant.

Discipuli peccant. 1. Si magistris & pædagogis non exhibeant hororem ac reverentiam. 2. Si non obediant in rebus ad studia & bonos mores pertinentibus. 3. Si malorum consortium sibi vetitum non vitent. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Prov. 14. 4. Si libros prohibitos legant. 5. Si à schola absint sine justa causa. 6. Si tempore studiis destinato lusui vacent vel otio. Et quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligant,

gant, tum quia agunt in re gravi contra obedientiam patentibus ac præceptoribus debitam: tum quia se reddunt ineptos ad munus suo statui conveniens in posterum ritè obeundum: tum quia vita otiosa est fons & origo multorum peccatorum, præsertim adolescentibus. Quare non sunt absolvendi, nisi negligentiam suam emendare curaverint.

CAPUT V.

De Obligationibus personarum, Judicum vel Forensium.

In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia, Veritas, Fidelitas, & Justitia.

NOta. Qui officium aliquod ad aliorum commodum spectans suscipit, tenetur ex justitia. 1. Ad curandum, ut sua negligentia nemini damnum sequatur. 2. Ad procuranda commoda ejus, cui per officium servit, saltem quantum commodè potest; & ad diligenter obeunda ea, quæ ad tale munus spectant, & necessaria sunt ad finem, ad quem institutum est. Nam hæc tacitè promittit, & ad ea se obligat, hoc ipso quòd tale munus assumit; & ideo stipendium ei datur. Hinc si munus suum negligat, tenetur damna inde secuta resarcire, & stipendium acceptum restituere pro negligentia.

§. I.

De Judice.

Quæst. I. AD quid tenetur Judex, ut rectè judicet?

Resp. 1. Judex (idem dic de Advocato, Medico, &c.) tenetur ex justitia habere scientiam sufficientem ad munus suum rectè obeundum. Nam tenetur ex justitia rectè judicare: *Diligite justitiam, qui judicatis terram*, Sap. 1. *Justifica pusillum & magnum similiter*. Eccli. 5. Ergo tenetur etiam ad ea, quæ ad rectum judicium requiruntur, qualis est scientia legum, consuetudinum, &c. Debet etiam habere constantiam ac virtutem ad hoc munus necessariam: alioqui se exponit periculo injustè judicandi. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, Eccli. 7.

Hinc 1. petens aut suscipiens officium Judicis sine sufficienti scientia & idoneitate, peccat mortaliter: nam voluntariè exponit se periculo malè judicandi cum damno aliorum. 2. Judex debita scientia carens absolvi non debet, nisi se officio abdicet, vel nisi brevi tempore scientiam sufficientem acquirere possit & conetur. Nam nulli licet officium, cujus munia obire nequit, suscipere vel retinere, præsertim cum damno vel periculo proximi. 3. Si judex ex imperitia malè judicet, quamvis putet se rectè judicare, tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis. Nam est causa injusta talis damni, quod est ei voluntarium saltem indirectè, nempe in ignorantia culpabili, ex cap. ult. *de injur.* ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

Resp. 2. Ex communi sententia, ut judex rectè judicet, præter scientiam debet. 1. Habere jurisdictionem & authoritatem in personas judicandas, & in causam: alioqui injuriam facit tum partibus, causæ illarum se ingerendo; tum legitimo judici, ejus potestatem & officium usurpando: quæ usurpatio judicii ex communi æstimatione hominum est injuria gravis ex genere suo, cùm per illam violetur & jus privatorum & authoritas publica. Imò ejus sententia est irrita, cùm careat potestate ad judicandum necessaria, cap. 4. *de judic.* & cap. 4. *de pœnit.*

Porrò quatuor modis potest quis habere potestatem judicandi aliquem. 1. Ratione potestatis ordinariæ vel delegatæ. 2. Ex consensu partium; ut cùm partes ex compromisso se alicui subjiciunt, ut judici, vel ut arbitro. 3. Ratione delicti in suo territorio patrati. 4. Ratione rei, de qua contra possessorem causa movetur, ex cap. ult. *de foro compet.*

II. Tenetur judex habere certitudinem saltem moralem in cognitione causæ, alioqui imprudenter judicaret; & teneretur ad restitutionem, si ex negligentia cognoscendi malè judicaret, ex cap. ultim. *de injur.* cit.

III. Tenetur judicare secundùm leges, tum quoad modum procedendi, ordinem & formam judicii, tum quoad sententiam se-

ferendam & exequendam: ex c. 1. *de constit.* & ex S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 20. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: sicut audit, ita judicat: & sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causæ merita, non mutat.* Et ex institut. *de officio judic.* ibi: *Ne aliter judices quàm quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.* Nam ad hoc constitutus est à rep. vel principe. Quare non potest quemquam condemnare inauditum & sine testibus. *Clement.* 2. *de sentent. & re judic.* nec uti potest scientia injustè & contra juris ordinem parta, alioquin injuriam continuaret & augeret. Item nec potest secundùm omnes, condemnare eum, quem privata scientia scit esse nocentem, si juridicè non sit probatus reus. Quia non habet potestatem judicandi nisi ut persona publica: ergo non potest judicare, nisi secundùm scientiam publicam, quæ habetur per testes, legitimaque instrumenta & acta.

IV. *In summa æquitatem ante oculos habere debet judex*, l. 4. §. de eo quod certo loco. *In omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas spectanda*, l. 90. §. de reg. jur. *Decerne quod justum est, & judica inopem pauperem*, Prov. 31. Ut autem justitiam in omnibus constanter servet, memoria semper teneat illud, Sap. 6. *Discite judices finium terræ ..... quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.*

V. Quando jus non est clarum, tenetur ferre sententiam secundùm opinionem certò probabiliorem in quæstione tum juris, tum facti. Nam officium judicis est judicare secundùm merita causæ, & sententiam, quæ, inspectis allegationibus & probationibus, æquitati & juri conformior est: alioqui esset locus acceptioni personarum, contra Scripturam multis locis, ut, Deut. 1. *Quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Et contra regul. 12. jur. in 6. *In Judiciis non est acceptio personarum habenda.* Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem. *Probabiliter judico judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem.* Quare judex non potest ferre sententiam secundum judicium aliorum, si post diligentem & sinceram veritatis inquisitionem certus sit de majore probabilitate suæ opinionis: nam tunc certus est de obligatione secundùm illam judicandi. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Exodi 23.

Quòd si opiniones sint æque probabiles, & nullus ex litigantibus rem possideat, debet rem inter partes ex æquo dividere vel ejus pretium, si dividi nequeat. Nam judex non est dominus rei, sed tenetur suum cuique jus tribuere secundùm merita causæ: ergo uterque cùm æquale jus habeat, debet res æqualiter ei distribui; aliàs esset acceptio personarum. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Idem dic de quæstione facti. Judex enim tenetur causam adjudicare parti pro se habenti testimonia, vel instrumenta, aliave argumenta probabiliora, cùm jus probabilius reddant. l. 21. §. *de testib.* Quòd si hæ probationes facti sint æquales, æquale jus fundant: ideò æqualiter res est inter eos dividenda, si nemo eam possideat alioqui possessori adjudicanda, cùm in dubio & pari causa melior sit conditio possidentis, ex reg. 65. jur. in 6. In causis verò criminalibus si utrimque appareat æqualis probabilitas, debet reo favere, eum absolvendo, ex reg. 11. jur. in 6. Alioqui se exponeret periculo damnandi innocentem.

VI. Tenetur lites celeriter expedire cap. 2. de sentent. & re judic. ibi: *Jurgantium controversias celeri sententia terminare, & æquitati convenis & rigori.* Nam partes habent jus, ut non sine justa causa differatur judicium. Quare tenetur partis læsæ damna & impensas, quæ ex iniqua dilatione sequuntur, compensare.

VII. Debet habere rectam intentionem, scilicet justitiæ, ita ut nihil agat ex odio, invidia, aliove pravo fine: nam actio licèt ex objecto bona participat malitiam finis.

Ex dictis collige judicem, qui in cognoscenda, vel decidenda causa negligens, aut ini-

iniquus fuit, peccare mortaliter contra justitiam, & teneri ad resarcienda parti læsæ omnia damna, cùm fuerit eorum causa injusta.

Quæst. II. *An Judex potest capite condemnare eum, quem certò novit innocentem, si per testes legitimè probetur reus?*

Resp. 1. In tali casu, ex communi sententia, judex tenetur omnes vias inire, quibus possit eum liberare, ut impediendo accusationem, extrahendo judicium, remittendo causam ad superiorem, & apud eum assumendo officium testis, &c. Quòd si his mediis non possit eum liberare, secundùm multos non ei licet talem morte damnare, sed debet jurare se certò cognoscere ejus innocentiam, & potiùs officium dimittere, & quælibet pati. Quia directè innocentem occideret, & quidem ut causa principalis mandando ut occidatur, quod est intrinsecè malum, & contra illud, Exod. 23. *Insontem & justum non occides, quia aversor impium.* Enim verò intrinsecè malum est adimere alicui vitam sine authoritate: sed judex nullam habet authoritatem in vitam innocentis, cum hæc solius Dei dominio subjecta sit: nec resp. ipsa potest verum innocentem directè occidere, sicut potest directè bonis temporalibus spoliare, ob justam causam ad bonum commune pertinentem, quia habet dominium altum in bona subditorum, non autem in eorum vitam.

Equidem tenetur judex judicare secundùm allegata testimonia; & judicat ut persona publica, quæ sequi debet scientiam publicam, si non pe judicet. At in casu proposito non potest judicare, condemnando, quia innocentem occidere per se malum est; neque absolvendo, quia juridicè probatur reus.

Idem dic de mutilatione: quia respub. non potest hanc pœnam innocenti inferre, non enim habet dominium vitæ & corporis suorum subditorum. Quare nec minister justitiæ potest executioni mandare sententiam mortis vel mutilationis, quam certò scit esse iniquam: sicut enim per se malum est jubere occidi innocentem, ita & hæc jussa exequi.

Resp. 2. In causis civilibus, & in iis in quibus agitur solùm de pœnis pecuniariis, ex communi sententia, judex potest judicare secundùm allegata & probata. Quia resp. habet dominium altum bonorum privatorum, vi cujus potest de illis disponere, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu; ne cum populi scandalo forma seu ordo judiciorum publicorum evertatur ac impediatur; cujus quidem observatio necessaria est ad pacem & quietem reip. Nam iniqui judices possent impunè contra allegata & probata, prætextu scientiæ privatæ, jus recusare iis quibus vellent. Deinde nemo civium meritò potest ægrè ferre aut queri sibi injuriam esse factam à judice per talem sententiam; cùm videat se ab illo juvari non posse, neque par esse ut judex potiùs officium deserat, quàm sententiam ferat. Denique innocens potest hæc bona postea recuperare. Tenetur tamen judex in hoc casu priùs omni industria curare, ut falsitas detegatur, vel ut processus impediatur, imò remittere causam ad superiorem, si fieri possit sine detrimento boni communis.

Quæst. III. *An peccat & tenetur ad restitutionem Judex, qui reum condemnat ex cognitione injustè extorta?*

Resp. Affirm. *Ita Covarruv. Sot. Gomez, Lessius, Sanchez, Delugo, & alii.* Quia injuriam quam fecit, notitiam injustè extorquendo, continuat hac utendo, & dat injustè causam damni, quod ex illa sequitur. Præterea confessio injustè extorta est injusta, & sic nullum dat jus; nec ex ea procedi potest, cùm injustum sit medio injusto uti.

Confessio autem criminis injustè extorquetur. 1. Si Judex reum interroget, nulla præcedente infamia, vel semiprobatione, aut sine indiciis competentibus. 2. Si tormentis vel eorum metu elicuit confessionem sine indiciis sufficientibus ad torquendum. Nec refert quòd confessio fuerit postridie ratificata, quia cum fuerit irrita, nulla est ratificatio ex ea orta. 3. Si persona non poterat torqueri ob ætatem, vel infirmitatem, vel privilegium ac dignitatem. 4. Si dolo, v. gr. promissione impunitatis inductus est reus ad confitendum, nam tunc ei facta est injuria.

Quæst. IV. *An licet Judici munera à partibus accipere?*

Resp. 1. Non licet Judici quidquam accipere pro ferenda sententia sive justa, sive injusta. Non pro justa: quia ex justitia eam debet, & sic venderet quod suum non est, sed quod alteri debitum est; & acciperet contra jus quod alter habet ut jus suum obtineat sine suo sumptu. Ideòque sic accepta restituere tenetur, cùm nullum habet titulum retinendi, non enim hæc liberaliter & omninò voluntariè donantur, sed ad vexationem injustam redimendam. Neque pro injusta, ut patet; nam (ut ait S. August.

epi-

epistol. 54.) *Cum judicia & testimonia, quæ nec justa & vera vendenda sint, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur*. Et sic accepta restituere tenetur, quia accipiendo injustè agit contra officium; & Clerus Gallican. ann. 1700. oppositum damnavit. Spectato autem solo jure naturali, & ante omnem sententiam restitutio fieri debet ei qui dedit, juxta illud Sancti August. epist. cit. *Recipe quod mihi, dum tibi malè adessem, dedisti*.

Resp. 2. Neque licet Judici munera liberalia, & sponte ac sine ullo onere oblata à partibus accipere: quia id prohibetur jure communi humano, laicis, l. 18. §. *de offic. Præsid.* & l. 6. §. *de offic. Proconf.* & *Authent. Ut Judices sine quoquo suffragio*. Et ecclesiasticis verò, cap. 10. *de vit. & honest.* & cap. 11. *de rescript. in 6.* Immo, ut docet Delugo, etiam jure naturali, si munus sit magni momenti, tum ob scandalum, tum ob periculum morale pervertendi justitiam, quod quisque vitare tenetur: nam moraliter loquendo fieri non potest, ut ob donum illud non propendeat in favorem donantis; idque judicari debet à communiter contingentibus. Hinc illud, Deuter. 16 *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum. Justè quod justum est, persequeris*. Et, Eccli. 20. *Dona excæcant oculos judicum*. Adde quòd dans, sæpè non det omnino sponte ac liberaliter, sed quia timet ne judex alioqui priùs faveat parti adversæ, aut moras trahat, sicque dat pro actu ex justitia debito. Cùm autem dissentiant Doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte ac liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata; confessor debet semper judicem obligare ad talem restitutionem: tum quia fortè ad eam jam tenetur, ex conscientia; tum quia tali pœna dignus est, & per eam avocandus est à relapsu.

Nota. Sunt qui excipiunt leviora munuscula, in quibus corruptionis periculum abest, quæ ex urbanitate offeruntur, nec nisi quasi inurbanè recusarentur. Quia cessit ratio prohibitionis; & l. 18. §. *de offic. præsid.* & cap. 11. *de rescript. in 6.* Judex delegatus potest recipere *esculentum, vel poculentum munera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus*. Sed multi docent judices sæculares nihil omnino posse à partibus recipere, eo quòd leges digest. correctæ sint per jus authenticorum, quo prohibetur judicibus universaliter munera accipere, Auth. *Ut Judices sine quoquo suffragio*.

Quæst. V. *Quid Judici servandum circa Inquisitionem?*

Nota. Triplex est Inquisitio. Prima Generalis, quando in genere quæritur an leges serventur. Secunda Specialis, cùm de certa persona & certo crimine inquiritur. Tertia Mixta, cùm inquiritur generatim de persona, & specialiter de crimine, vel è contra.

Resp. 1. Judex & Magistratus nulla data occasione ex suo officio potest ac debet facere inquisitionem generalem, ex cap. 1. *de offic. Judic.* Quia ex officio tenetur prospicere bono communi, occasiones criminum tollendo, crimina puniendo in aliorum exemplum, & aliunde nemini fit injuria.

Resp. 2. Quando crimen est publicum, sed author ignoratur, Judex debet quærere in genere quis patravit: nam id exigit bonum publicum: alioqui scelesti homines spe impunitatis invalescerent, & crimina multiplicarentur.

Resp. 3. Non licet Judici contra aliquem facere Inquisitionem specialem tendentem ad punitionem, nisi præcesserit infamia, vel semiprobatio, vel aliquid quod justam det causam, ex cap. 21. & 23. *de Accusat.* & est communis sententia. Nam per illam inquisitionem quis suspectus & infamis redderetur.

Quæst. VI. *Quænam requiruntur ad subjiciendum torturæ reum?*

Resp. 1. Ex communi sententia, illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere est reo moraliter loquendo impossibile, spectatis viribus & complexione. Unde non potest Judex ex confessione sic extorta procedere. Peccat etiam graviter, si non priùs alios omnes mitiores detegendæ veritatis vias tentet, quàm torturæ subjiciat; cùm hoc sit postremum medium in defectum aliorum, damnosum & valde periculosum.

Resp. 2. Ad torquendum reum, qui jure non prohibetur torqueri, ex communi requiruntur probationes vel indicia de commisso gravi crimine, digno pœna mortis, tali medio & cruciatui congruentia; ita ut sola confessio rei ad plenam probationem deesse videatur. Nam tortura instituta est ad subsidium probationis, cùm argumenta & indicia sunt valdè magna, necdum tamen sufficientia, ut sic plena probatio eliciatur.

Porrò prohibentur torqueri, nisi in crimi-

nibus exceptis, viri illustres, vel in magna dignitate constituti, Doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes, & nondum confirmatæ à partu.

Resp. 3. Semel tortus, si nihil est confessus, non potest iterum torqueri, nisi nova crimini indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si verò crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram judice, repetitur tortura: quia per talem revocationem indicia non sunt elisa, & alioqui tortura semper esset inutilis. Si verò, tertiò tortus ac confessus, tertiò retractet, absolvendus est: quia præsumendum est vi tormentorum coactam fuisse confessionem falsam. Excipiunt aliqui, nisi indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiosè à reo negari.

Quæst. VII. *An sententia Judicis obligat in conscientia?*

Resp. 1. Sententia justa semper per se obligat in conscientia. *Est communis sententia.*

Quia est præceptum legitimum superioris, & usus potestatis legitimæ, cui qui resistunt, Dei ordinationi resistunt, & sic ipsi sibi damnationem acquirunt.

Resp. 2. Secundùm communem, sententia certò injusta per se non obligat. 1. Si constet niti falsa præsumptione, ut falsis probationibus, quamvis lata sit secundùm allegata & probata. Quia nulla est, cùm nitatur falso fundamento, ideòque nullo: neque enim judex habet potestatem disponendi de juribus & bonis aliorum, sed solùm reddendi unicuique jus suum, & declarandi quid cuique debitum sit. Nec bonum exigit, ut privati amittant reipsa jus suum per sententiam injustam. Præterea cùm sententia sit actus justitiæ, cujus est suum cuique tribuere ad æqualitatem; non valet, nec obligat si veritati justitia non conformetur. 2. Si sit injusta ex omissione debiti ordinis juris quoad essentialia, & formæ judicialis: quia judex non habet potestatem ferendi sententiam, nisi servato juris ordine. *Injustum judicium non est judicium*, ait S. Thomas, 2. 2. q. 70. art. 4. ad 2. Hinc qui per iniquam sententiam, quam sciebat esse injustam, accepit bona alterius, tenetur semper ea restituere, nec unquam præscribere potest. Quia sunt aliena, & possessor malæ fidei nunquam præscribit: imò tenetur impensas & damna compensare. Qui verò bona fide aliquid accepit per sententiam injustam, quam putabat justam, si ante tempus præscriptioni requisitum, cognoscat fuisse injustam, restituere tenetur accepta, non tamen impensas nec fructus bona fide consumptos, saltem si iis non sit factus ditior. Quòd si ea possedit bona fide toto tempore ad præscribendum sufficienti, non tenetur restituere, quia legitimè præscripsit.

Sententia tamen injusta servanda est, quantùm requiritur ad vitandum scandalum, perturbationem, & incommoda graviora. Nec licet per vim se defendere contra judicem, & ejus ministros, cùm servatus est juris ordo: quia judex habet jus exequendi sententiam, quam servato juris ordine tulit. Imò nec id licet in praxi, si non servatus sit, quando inde perturbatio vel scandalum secuturum est, ut plerumque fit.

Quæst. VIII. *Ad quid tenetur Judex circa pœnæ impositionem?*

Resp. Ex communi sententia, si lex pœnam imponit, tenetur judex facta sufficienti probatione crimen declarare, & pœnæ per legem impositæ executionem procurare: si verò lex minetur tantùm pœnam, tenetur judex eam imponere, & executioni incumbere. Nam judex est minister & executor justitiæ à principe vel rep. constitutus, ad curandum ut serventur leges, & puniantur crimina; unde ex officio ei incumbit custodia & executio legum, & punitio criminum. Quare non potest remittere pœnam lege statutam, nisi in casibus jure expressis aut consuetudine receptis: nam inferior non potest dispensare in lege superioris. Præterea est contra bonum commune, quòd delicta maneant impunita, aut non satis punita; nam est moralis occasio ut multiplicentur. Imò ipsi supremo principi non licet condonare crimina nisi aliquando ex justa causa, alioqui occasionem præberet patrandi crimina, & iis cooperaretur, cùm maxima peccandi illecebra sit impunitas, sicque magnum reip. damnum inferret. Judex verò ne quidem potest minuere pœnam, etiamsi actor consentiat, nisi quando delinquentis ætas, infirmitas, vel modus delinquendi gravitatem criminis minuens, aut justa aliqua ratio id postulet, vel id ad bonum commune pertinere, dictat epichia. Item non ei licet, saltem ordinariè augere pœnam lege statutam, alioqui injuriam inferret reo, à quo majorem pœnam exigeret, quam ex lege deberet: nam lex pœnam statuens, eo ipso judicis potestatem restrinxit, ne graviorem imponeret. Aliquando tamen potest augere pœnam propter extraordinarias circumstantias, quæ crimen multùm aggravent, ut si crudelissimo genere mortis patratum fuisset homicidium, &c.

Quia

Quia lex statuens pœnam, loquitur de delictis ordinariis, seu ordinario modo patratis, nec excludit judicis providentiam, quantum ad bonum commune, & aliorum exemplum necessaria est.

§. II.

De Accusatore.

Nota. Accusator, & denuntiator inter se differunt. Nam accusare est deferre crimen judici ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione crimen probandi: denuntiare verò est deferre crimen præcipuè ad emendationem rei, vel ob bonum commune, sine obligatione illud probandi.

Quæst. I. *An & quis tenetur accusare vel denuntiare?*

Resp. Ex communi sententia, qui ad hoc deputati sunt, vel stipendium accipiunt à rep. ut fiscalis, & custodes ac vigiles tenentur ex justitia deferre crimen, ac proinde ad damna ex omissione delationis secuta. Item custodes agrorum, nemorum, &c. saltem quantum necesse est ad vitandum damnum domini, vel illatum resarciendum: nam ad id tenentur ex officio; & contractus, seu quasi contractus intercedit inter eos & remp. seu communitatem, ut ad id teneantur. Alii verò privati accusare seu potiùs denuntiare tenentur, etiam citra superioris præceptum, quando crimen est noxium reip. & adhuc pendet in futurum, vel continuandum putatur, ut hæresis, proditio, falsæ monetæ fabricatio, crimen læsæ majestatis, veneficium, publicum latrocinium, &c. Nam quisque tenetur, etiam cum proprio damno, malum communitatis avertere quantùm potest: pars enim tenetur etiam cum proprio detrimento prospicere incolumitati totius. Item cùm id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis: nam charitas obligat ad impediendum grave malum innocentis, dum sine nostro gravi incommodo possumus, quamvis inde malum impendeat reo, quia innocens præferri debet voluntariè nocenti. *Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi.* Eccli. 4. Nec tunc præmitti debet secreta monitio, nisi certò constet per eam malum impeditum iri. Nam in re tanti momenti eligi debet id quod tutius est bono publico vel innocenti: facile enim posset talis privatim monitus simulare pœnitentiam, & occultè exequi quod statuerat; & quisque jure naturali obligatur ad defendendum innocentem ab injuria hominis nocentis, etiam cum aliquo damno nocentis, qui sibi illud imputare debet, cùm aliter ejus injuria impediri nequit.

Qui crimen probare nequeunt, non debent accusare: quia *ad hoc nullus tenetur quod non potest debito modo perficere*, ait S. Thom. quæst. 68. art. 1. Sed tunc debet admonere eos, qui malum impendens avertere possunt; & si hæc monitio sufficiat ad impediendum damnum, non nominata persona, à qua illud imminet, non licet eam nominare. Quia neminem licet sine necessitate lædere in fama aut aliis bonis, præsertim privata authoritate.

Sed si delictum sit occultum, & probari possit, sed ex eo non impendeat damnum, & speretur proximus emendandus privatis monitis, & ad debitam satisfactionem inducendus; an privato licet eum accusare, non præmissa monitione secreta?

Resp. Juxta multos non licet: quia tunc sine justa causa infamaretur proximus, & hoc saltem repugnat charitati. Sed S. Thom. in 4. dist. 19. art. 3. qu. 1. ad 4. postquam horum sententiam retulit, addit: *Vel dicendum secundùm alios quod in accusatione non agitur ad emendationem peccantis, sed ad bonum commune, scilicet justitiam conservandam per punitionem delinquentis. Et ideò accusatio in judicio bona conscientia potest fieri, etiamsi monitio non præcedat. Nec est contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis.*

Quæst. II. *An accusator aliquando tenetur desistere ab accusatione?*

Resp. Tenetur quando deprehendit accusatum esse innocentem; vel cùm crimen incipit esse dubium, & tale remanet post diligentem veritatis inquisitionem, vel cùm videt se probare non posse: tunc enim injuriam inferret, si pergeret in accusatione; nam quisque jus habet ne accusetur crimine falso, aut dubio, aut etiam vero, quod probari nequit, nam frustra accusaretur, & sic sine causa ei inferretur infamia.

§. III.

De Testibus.

Suppono ad legitimam & plenam in judicio probationem regulariter requiri & sufficere duos testes, ut constat ex omnium sententia & praxi, & ex Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Dico, *regulariter*; nam aliquando unus sufficit, ut ad impediendum matrimonium

cap. 27. *de sponsalib.* Item ad leviores pœnas: unde ex testimonio publici custodis mulctari solent futantes ligna in sylva communi, & in religionibus leves pœnitentiæ imponi solent ex unius testimonio: quia in iis ita expedit facere ad bonum commune. *Ita Delugo.* Aliquando verò duo testes non sufficiunt, ut in testamentis, &c. Testes autem debent sensu externo percepisse id, de quo testantur, & de eodem facto cum iisdem circumstantiis deponere, & esse omni exceptione majores, hoc est, contra quos nihil jure opponi possit, cur non sint ad testificandum admittendi.

Sunt autem aliqui qui jure rejiciuntur, nimirum. 1. Servus. 2. Mulier jure canonico in criminalibus, sed in jure civili in omni causa admittitur. 3. Minor 20. annis in criminalibus, in civilibus autem impubes. 4. Inimicus. 5. Consanguinei, & domestici actoris, exceptis quibusdam casibus apud Lessium. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Persona vilis & inops, de qua suspicio est facilè posse corrumpi, secùs si honesta sit. 10. Delirus & semifatuus. Ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo sunt ad testificandum inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis, ut hæresi, crimine læsæ majestatis, falsæ monetæ, maleficio, furto famoso, &c. item quando delictum est commissum eo tempore & in eo loco, ubi copia testium haberi nequit, ut in campo, sylva, cubiculo, nocturno tempore.

Quæst. I. *An & quando quis tenetur testificari?*

Resp. 1. Ex communi sententia, est obligatio sub mortali. 1. Cùm hoc necessarium est ad avertendum grave malum impendens spirituale vel temporale publicum vel privatum innocentis, quamvis id non requiratur à judice. Nam tunc tenemur denuntiare, ut dixi, & charitas graviter obligat ad proximum ab injusto damno liberandum, & ad damnum injustum proximi impediendum. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. addens: *Si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psalm.* 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate; & Proverb.* 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem .... Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cùm à superiore compellitur secundùm ordinem juris. Quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur; vel si immineat periculum accusatori, non est curandum; quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet, eo nolente.* Si tamen accusator ex obligatione accusarit, v. gr. quia crimen reip. vel religioni directè perniciosum erat, quale est hæresis, conspiratio contra principem: tunc debet ejus damnum vera testificatione averti.

2. Posito præcepto superioris, vel judicis, exceptis casibus mox dicendis. Nam omne præceptum justum obligat in conscientia, & bonum commune id exigit; alioquin enim crimina sæpiùs impunita manerent, & justitia non posset administrari, cum gravi reip. detrimento.

Porrò secundùm multos testis legitimè interrogatur, ideoque tenetur testificari, quoties præcessit vel accusatio, vel denuntiatio, vel querela ab alio porrecta; nec ad hoc requiritur (licèt à fortiori sufficiat) infamia delinquentis, aut semiprobatio, aut indicia, sicut requiritur ut reus ipse legitimè interrogetur. Quia bonum commune postulat ut judex habeat tunc jus interrogandi: nam alioquin nunquam posset puniri crimen certum, cujus author est occultus; & sic plurima crimina forent impunita, quod est contra bonum publicum. Plus autem requiritur, ut quis teneatur testari contra seipsum, quàm contra alium extraneum; potestque facilè haberi semiprobatio absque confessione rei, quæ vix ac ne vix quidem habetur absque testimonio testis.

Resp. 2. Etiam posito præcepto & monitorio, non tenentur ex communi sententia testari nec deferre. 1. Qui rem norunt ex confessione sacramentali. 2. Qui rem accepit sub secreto naturali, consilii, vel auxilii petendi causa, ut Advocatus, Theologus, Medicus, Obstetrix, Chirurgus, &c. Nam tunc est obligatio naturalis servandi secreti: alioqui peccatores à consilio petendo averterentur; unde desperatio & multa mala sequi possent; nec tunc est intentio judicis ut reveles, cùm bonum publicum & conservatio societatis civilis exigat secretum servari. Excipe nisi testificatio necessaria sit ad avertendum imminens grave damnum communitatis, vel privati innocentis; tunc enim tenetis aperire secretum etiam juratum, quod tunc non obligat, cùm sit de re illicita. Nam quisque tenetur, saltem ex charitate, impedire grave damnum publicum, vel privatum innocentis, qui reo præferendus est.

Ita

Ita comm. cum S. Thom. Alii autem qui delictum viderunt, vel ab aliis audierunt, & postea jurant non revelaturos, tenentur obedire præcepto, etiamsi non agatur de damno aliorum avertendo; nam qui secluso juramento vel promissione tenentur revelare, adhuc tenentur non obstante juramento, quod tunc non obligat, cùm fit de re illicita & contra jus superioris. 3. Qui rem accepit à viris non fide dignis, quia hæc testificatio nullam in judicio faceret fidem. 4. Si scias alterum non peccasse mortaliter: nam mens judicis est inquirere de delicto graviter culpabili. 5. Si ex tua testificatione tibi vel tuis immineat grave damnum, nisi bonum publicum eam exigat, vel nisi privatum damnum alienum impediendum tuo longè prævaleat, ita ut secundùm regulas prudentiæ & charitatis tenearis illud subire. Nam leges humanæ ordinariè non obligant cum gravi nocumento seu damno. 6. Pater, filius, maritus, uxor, fratres, sorores, consanguinei vel affines delinquentis usque ad secundum gradum juxta aliquos, & juxta plures usque ad quartum, ex cap. *Si testes* 4. *qu.* 3. referente legem Jul. 4. §. *de testib.* tum quia bonum commune requirit, ut conservetur pax, & vitentur odia ac dissensiones in familiis: tum quia ordinariè id fieri nequit sine gravi damno revelantis ob conjunctionem. Excipe semper crimina læsæ majestatis, hæresis, veneficii, aliave, quæ communitati grave damnum afferrent, nisi revelarentur.

An autem famuli ac domestici eximantur à testimonio ferendo contra dominum, controvertitur. Sed in hoc standum est praxi fori contentiosi, in quo si illorum exceptio non admittatur, testari tenentur.

7. Quando per mandatum intenditur solum emendatio rei, vel satisfactio partis læsæ, qui novit crimen, non debet illud aperire ante præmissam monitionem, nisi constet non profuturam. Nam præceptum correptionis fraternæ tunc urget; & cùm sit juris naturalis ac divini, ejus obligationem tollere nequit præceptum humanum. Quòd si reus monitus resipuit, & satisfecit, non licet eum denuntiare. Quia diffamaretur proximus sine justa causa; nec superior censetur velle tunc revelationem, cùm jam ejus intentioni satisfactum sit. Si verò judex intendat punitionem, secundùm multos tenetur subditus reum patefacere etiam post ejus emendationem, quia bonum commune id exigit; alioqui enim crimina sæpe manerent impunita, & sic in perniciem reip. multiplicarentur.

8. Monitorium non obligat ad revelationem ipsum authorem criminis, nec cooperatores; possunt tamen per censuras compelli ad satisfaciendum parti læsæ.

9. Si crimen per illatam injuriam, v. gr. literas aperiendo, cognovisti: quia hæc injuria, conventioni de secreto servando æquivalet, nullum jus ex Injuria oritur tibi.

Nota. Qui intra tempus in monitorio præscriptum non revelavit, cùm debuisset; peccavit mortaliter, & excommunicationem latam contrahit, teneturque quàm primum commodè poterit, revelare, si hoc adhuc prodesse potest. *Est communis sententia.* Quia non cessat obligatio cessante termino, quando terminus non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam apponitur, quod hìc fit. Et talis adhuc manet in peccato inobedientiæ, & potest obedire præcepto: ergo tenetur.

Quæst. II. *Quandonam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?*

Resp. In his casibus. 1. Si affirmet ut verum id quod non certò novit. 2. Si dum testari tenetur, occultet se ne interrogetur. 3. Si judici legitimè interrogatus non obediat. 4. Si veritatem occultet, cap. 1. *de crim. fals.* 5. Si pro dicenda veritate pretium accipiat; non tamen pro labore itineris, impensis, vel lucro cessante. 6. Si falsum testetur, quod est grave scelus, ex Proverb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus .... testem fallacem*, & cap. 21. *Testis mendax peribit*. Præter perjurium peccat contra justitiam, & tenetur resarcire omnia damna inde secuta; imò & revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura. Quia per injuriam est causa efficax periculi & damni alterius; & in damno æquali melior est conditio innocentis, ejusque potiùs habenda ratio. Hinc etiam qui alium induxit ad falsum testimonium, tenetur ex justitia eum monere, ut illud revocet: quod si noluerit, tenetur qui induxit, rem totam aperire judici, etiam cum periculo vitæ, si innocens illud subeat, & spes sit retractationem profuturam; quia est causa injusta talis periculi & damni.

Porrò testis, qui bona fide testificatus est falsum, tenetur ex justitia suum testimonium retractare, si ex eo sequatur damnum alteri. *Ita Molina, Lessius, Delugo & alii.* Quia quisque tenetur ad procurandum ne ex sua actione sequatur aliis damnum injustum.

Peccant similiter contra justitiam, & tenen-

nentur de damno, qui falsa instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, & iis ad pervertendum judicium utuntur. Item qui aliquam scripturam, vel syngrapham, aut apocham adulterat, peccat mortaliter etiamsi ista fiant ad manifestam injuriam propulsandam, & suum jus certum recipiendum; quia ista faciens decipit remp. in re gravi, ac nocet publicæ fidei: unde id graviter legibus vetitum est. Hoc tamen casu non tenetur ad restitutionem, cùm habeat jus certum ad rem hac via acceptam. Idem dic de eo, qui scripturam publicam amisit, si pro sua indemnitate aliam similem efficiat: nam ejusmodi scripturarum falsificatio est valde perniciosa reipublicæ, cujus maximè interest, ne falsificentur scripturæ, vel sigilla publica; alioqui magna ex parte periret fides actuum publicorum, si hoc licitum esset. Quare lex id vetans, cùm justa sit & in materia gravi, graviter obligat.

Quæst. III. *An tenetur ad restitutionem, qui à judice etiam in generali citatus se occultat, vel testimonium fraude declinat, vel veritatem reticet?*

Resp. Communior sententia asserit. Quia resp. imponit onus ac officium ferendi testimonium post citationem; & sic qui aliquid scit, tenetur ex officio sibi imposito tanquam publica quædam persona veritatem testari: sicut qui à rep. invitus constitueretur judex teneretur ex justitia judicare. Præterea lex ac justum præceptum Judicis tribuit actori ac reo jus ad testimonium alterius, sicut sententia justa tribuit jus ad bona alterius. Alioquin quilibet sæpe frustra jus haberet implorandi authoritatem judicis. Quare si testis veritatem taceat, injuriam facit, & sic tenetur resarcire damnum inde parti læsæ secutum.

Item qui subtrahit, supprimit, lacerat, vel tradere renuit instrumenta alteri profutura ad suum jus obtinendum, tenetur damnum restituere, cap. *Si quis* 12. quæst. 2. etiamsi sit in favorem adversarii, ex cap. 4. *de test. cogend.* ubi Alexander III. ait: *Quòd nemo debet adversario instrumenta subtrahere: & quòd tam ille qui subripit instrumenta, quàm qui adversario parem advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit à se litem foveri, & experiri debet in se judicis authoritatem elusam.*

Quòd si fugias vel te occultes antequam citeris ad testificandum, juxta multos peccas etiam contra justitiam; & teneris ad restitutionem. Sed hoc negant alii, eo quòd jus, quod oritur parti ex tuo testimonio, procedat ex solo præcepto; & præceptum non obliget antequam impositum sit. Peccas tamen, saltem contra charitatem; nam hæc obligat ad impediendum grave damnum injustum proximi, cùm potest impediri, saltem sine gravi nostro damno.

§. IV.

De Reo.

Quæst. I. **A**N *Reus tenetur fateri veritatem?*

Resp. 1. Si reus non interrogetur legitimè seu juridicè, non tenetur fateri suum crimen; sed potest judicem eludere, absque tamen mendacio. Quia judex non habet jus interrogandi, nec obligandi reum, nisi cùm procedit juridicè. Ut autem interrogetur juridicè seu secundùm ordinem juris, requiritur ut præcesserit vel infamia, vel indicia competentia, vel semiplena probatio seu assertio unius testis omni exceptione majoris, ex cap. 21. & 24. *de accusat.* Quamvis juxta multos ad interrogandos testes ab accusatore productos sufficiat accusatio. Quare judex debet reo aperire statum causæ, probationes, indicia, testes, ut sciat se juridicè interrogari; & ut si quid contra habeat, possit opponere.

Resp. 2. Reus à legitimo judice juridicè interrogatus, tenetur sub mortali apertè veritatem & crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 69. art. 1. Covarruv. Cajetan. Navarr. Sot. Toletus, Azor, Lessius, Sanchez, Layman, Turrian. estque communis sententia, teste Delugo, contra alios docentes non teneri, si aliàs sit spes evadendi; secùs si absit.

Prob. Quia judex in hoc casu habet jus interrogandi, & exigendi veritatem ob bonum publicum: ergo reo inest obligatio eam fatendi, facitque contra jus judicis, authoritatem & justitiam publicam si eam occultet. Nam jus in judice ad interrogandum reum, exigendamque ab eo veritatem, & obligatio in reo ad illam clarè detegendam, sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit. Et verò si reus non teneretur veritatem fateri, non posset justè torturis adigi ad eam confitendam, cùm iniquum sit torturis compellere aliquem ad id, ad quod non tenetur. Præterea quisque sub mortali tenetur superiori legitimè præcipienti obedire in re gravi, at judex est superior, & legiti-

gitimè præcipit, dum secundùm juris ordinem interrogat reum. Unde Catech. Rom. de octavo præcepto ait: *De reis autem & testibus vult eos Deus verum confiteri, cùm ex judicii formula interrogantur*. Jam verò præceptum humanum justum, cui per se conjunctum est periculum mortis, obligat cum tali periculo, alioqui nunquam per se obligaret. Item præceptum humanum obligat cum periculo vitæ, dum fit ob bonum commune grave & necessarium. Bonum autem commune exigit, ut crimina puniantur, & ut reus juridicè interrogatus verum fateatur: alioqui sæpe judicia eluderentur cum magno reip. damno, & multa crimina impunita manerent, unde facile pullularent. Et discrimen est inter reum & testem: quòd hic sit innocens, non ille.

Neque dicas judicem habere jus præcipiendi reo ad mortem condemnato, ne fugiat è carcere, & tamen reo licet fugere. Nam si judex habet jus reo hoc præcipiendi, & revera præcipiat, tunc non licet reo fugere; quià præceptum justum ac legitimum violare per se illicitum est, ideòque nequidem mortis vitandæ causa licitum esse potest. Sed hoc præceptum non est necessarium bono communi, sicuti est præceptum clare confitendi veritatem, quia facilè hæc fuga aliter impediri potest.

Neque etiam obstat, quod testes à judice interrogati veritatem revelare non tenentur, si inde sibi aut suis grave detrimentum timeant. Nam tunc jus judicis in tali casu non se extendit erga testes, sicut erga reum, nisi hoc necessarium sit ad impediendum grave damnum communitatis: testes enim utpote innocentes, jus habent vitam, bona sua & consanguineorum conservandi; non autem reus ob crimen à se patratum & semiplenè jam probatum.

Denique reus non potest evadere nisi mentiendo: omne autem mendacium in judicio justo circa crimen, est mortale, cùm sit in re gravi & contra justitiam. *Ille qui mentitur in judicio se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cujus est judicium; & contra dilectionem proximi, tum ex parte judicis, cui debitum negat; tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat*. Unde & in *Psalm.* 140 dicitur: *ne declines cor meum in verba malitia, ad excusandas excusationes in peccatis*, ait S. Thom. qu 69. art. 1. ad 3. Adde quod à reo exigatur juramentum de dicenda veritate. Quare non potest absolvi reus, nisi veritatem aperuerit saltem ante sententiam: nam quamdiu judicium durat, censetur eadem interrogatio judicis durare, ideòque eadem fatendæ veritatis obligatio, & negatione illa injusta causam injustam tuetur. Ita communiter Doctores, teste Sanchez contradicente.

Imò juxta Cordub. Navarr. Cabassut. & alios, etiam post sententiam mortis tenetur. Sed hoc alii negant; nisi necessarium sit ad avertendum grave malum publicum aut privatum, eò quòd sententia lata judicium sit finitum, & finito judicio finiatur rei obligatio ad respondendum: nam cessat finis interrogationis, qui est rei damnatio vel absolutio. Item lata sententia cessat prorsus interrogatio judicis; imò ipse jam non potest interrogare, quippe qui functus est officio suo, ex cap. 10. *de fide instrum.* & l. 55. §. *de re judic.* ibi: *Judex postquam semel dixit sententiam, judex esse desinit*. Neque hæc confessio rei necessaria est ad securitatem conscientiæ judicum: nam si judicarunt secundùm allegata & probata, securi sunt absque tali confessione: si secùs, ea nihil ipsis prodest ad solatium. Nec inde sequitur infamia judici aut aliis, cùm omnibus notum sit solitos esse reos crimina negare. Reus tamen post damnationem teneretur crimen fateri, si ejus confessionem exigeret bonum commune vel scandali amotio, vel si esset periculum ne quis postea innocens eodem crimine accusaretur & damnaretur: nam charitas exigit, ut proximi damnum grave impediamus cùm possumus sine nostro gravi damno.

Porrò consentiunt Doctores reum, si absolvatur, non teneri apud judicem confiteri crimen suum, sed ei sufficit confessio sacramentalis cum debita pœnitentia, quia jam est extra judicis potestatem.

Resp. 3. Reus interrogatus tenetur etiam complices seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, & bonum commune exigat ut detegantur: nam tunc legitimè interrogatur de illis. Secùs, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitimè, ex l. *ultim. Codic. de accusat.* & cap. 1. *de confessis*, nisi crimen exceptum sit, & in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, publicum latrocinium, veneficium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emen-

emendatos, alioqui non absolvendus: quia hoc saltem charitas exigit. Item tenetur complices detegere, dum legitima consuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis, quæ detegi reipublicæ interest, reus de complicibus interrogetur.

Resp. 4. Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter. Quia est directè & positivè causa moralis injusta suæ mortis, cùm falsa sui infamatione directè moveat judicem ad injustam sui occisionem, estque tam sui homicida, quàm qui alteri falso testimonio mortem infert, est illius homicida. Cùm autem homo non sit dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injustè causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

Quæst. II. *Quandonam licet reo appellare?*

Resp. Licet si prudenter judicet sententiam esse iniquam, vel quia est innocens, vel quia si sit nocens, damnatus est ad pœnam justo graviorem, aut non est servatus ordo juris; nam cuique licet justum præsidium contra injuriam sibi quærere, cap. 53. *de appellat.* At ei non licet, si putet contrarium: *cùm appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*, cap. 6. *de appellation.* ex Conc. Later. Alioqui faceret injuriam tum judici, cui calumniam imponit, & cujus officium impedit, tum adversario suo, cujus justitiam quantùm potest perturbat ac impedit. *Iniqua est omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit*, ait S. Bern. l. 3. *de consid.* cap. 2. unde injustè appellans tenetur omni jure ad impensas litis, & alia damna adversario inde secuta.

Quæst. II. *Quid licitum est reo circa pœnam & fugam?*

Resp. Reus justè damnatus ad mortem, quam vitare fugiendo nequit, ex communi sententia tenetur ad locum destinatum proficisci, collum parare, manus apponere, & facere ea, quæ à ministro justitiæ commodè fieri nequeunt. Quia hæ actiones sunt necessariæ saltem moraliter ad executionem pœnæ justæ, cùm sine illis non possit saltem convenienter & commodè pœna justa executioni mandari. Unde censentur justè præcipi à judice per sententiam mortis, ut convenienter exerceatur justitia; & aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ sunt cum morte. Non licet tamen reo exequi pœnam mortis aut mutilationis, v. g. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præfocare, se projicere è scala; quia seipsum directè occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare: & ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant juri naturali.

Resp. 2. Reo etsi verè nocenti licet ante & post sententiam fugere ad vitandam mortem, aut mutilationem, nisi se obligaverit ad permanendum. Ita communiter cum S. Thoma, qu. 69. art. 4. ad 2. quia non conjicitur in carcerem, ut ibi teneatur sponte remanere; nam esset nimis grave ac durum tale præceptum, ob summam hominum ad sui conservationem à natura insitam inclinationem; nec hoc est necessarium ad bonum commune, nam potest facile aliter detineri.

Hinc regulariter licet reo fugere ad vitandam mortem, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit; nisi juramento, aut voto, aut speciali promissione se obligaverit ad permanendum; cùm tunc utatur jure suo. Item licet fugere ne capiatur, vel etiam à ministro apprehendente se excutere; non tamen vim inferre custodi vel ministris, percutiendo, vulnerando, &c.

Resp. 3. Multi, imo teste Delugo, Doctores communiter censent reo licere vitandæ mortis causa carcerem effringere. Quia cùm fuga sit ei licita, licitum est etiam medium ad id necessarium: neque in hoc resistit formaliter judici, sed fugit periculum. Neque vim infert potestati publicæ, quia hæc non est in vinculis, & lapidibus, sed in judice & ministris.

Negant autem eum tunc violare jus reip. sed præcisè utitur jure suo. Dicuntque leges id sub capitali pœna vetantes, l. 1. §. *de effract.* esse merè pœnales, & se habere velut vincula quæ reum pœnarum metu contineant. Unde non est punitio propriè dicta, sed modus coercendi & retinendi reum ne fugiat. Delugo verò ait eas leges quoad mortis pœnam esse injustas.

An autem aliis liceat suppeditare reo instrumenta ad effringendum carcerem, negant Toletus, Navarrus, Sot. Valent. & alii; qui tamen fatentur reo licere effringere carcerem, quia ista suppeditare est contra bonum publicum exigens, ut custodia publica sit firma ac tuta. Affirmant Cajetan. Salon. & alii, quia licet consulere reo fugam utpote ei licitam, quidni & præbere media ad hunc finem necessaria. Item licet

reo

reo ostendere viam & modum, quo possit elabi. Ergo, &c.

Consentiunt omnes id non licere officialibus & ministris justitiæ; quia agerent contra officium suum, quo tenentur diligenter reos custodire & judici subservire. Negant etiam omnes, teste Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carceres seu portas, effodiendo parietes, vel alia similia faciendo; quia custodiam publicam violarent; & aliàs nihil posset esse satis firmum ac tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum reip. detrimentum. Si enim non licet effringere portas, vel parietes domus privatæ, minùs licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret reo ipsi, propter naturale jus conservandi vitam, non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem.

Resp. 4. Reo ad mortem justè damnato non licet resistere, nec se defendere contra judices vel executores sententiæ. Quia resisteret potestati à Deo ordinatæ ad vindictam malorum; ideoque sibi damnationem acquireret, ad *Rom.* 13. Deinde judex ac ministri habent jus puniendi reum & exequendi sententiam, & sic iis resistendo fieret injuria; nec potest esse bellum ex utraque parte justum, seclusa ignorantia invincibili. Ita S. Thom. qu. 69. art. 4. addens innocenti injustè seu contra ordinem juris damnato licere resistere, sicut licet resistere latronibus, nisi propter scandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur.

Innocens verò damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundùm allegata & probata, licèt carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica & scandalo: nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundùm allegata & probata: tunc enim judex utitur legitimè potestate legitima, cui non licet resistere, & habet jus exequendi sententiam. Ita Sot. Malder. Covarr. Vasquez, Sanchez, Lessius dicens esse fere communem sententiam. Quòd si damnatus posset sine violenta resistentia & scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cùm sit verè innocens.

Resp. 5. Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ. Imò mortem commerito licet se judici ultrò sistere, & occasionem justitiæ exercendæ offerre: Nam sicut alteri licet suadere judici, ut publica authoritate reo justam mortem decernat; ita & reo idem licet ad satisfaciendum Deo & justitiæ publicæ.

Resp. 6. Ex communi sententia, damnatus ad exilium, vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eò se conferre, & manere in exilio vel in carcere. Ita S. Thom. Sanchez. Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si judex expressè jubeat ut sine alia monitione reus eam solvat. Quia hæ pœnæ non habent injustitiam nec crudelitatem ex hoc præcisè quòd à reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per seipsum exequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam à judice damnatus est, præsertim cùm talis pœna, ut est carceris, exilii, & mulctæ, non egeat executione alterius; nam quisque tenetur parere justæ sententiæ, & obedire superiori justa & moraliter possibilia præcipienti.

Porrò si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere: nam succedit in eodem onere bonis affixo. Cùm autem Jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna, quæ nondum fuit debita vivente reo.

Non pauci censent damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides præsertim jurata remanendi. Quia non tam damnatur, ut ibi maneat, quàm ut detineatur; & quia nimis esset grave reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere potest: cùm in triremibus manere sit res durissima, quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit religiosus: nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ tenetur parere prælato in hac pœna justa ipsi præcepta.

§. V.

De Obligationibus Advocati.

Dico secundùm communem sententiam: Advocatus tenetur ex justitia. 1. Habere competentem scientiam, qua valeat sufficienter justitiam & merita causarum secundùm jura cognoscere & proponere; cùm pro idoneo Advocato se exponat, & ut talis stipendia accipiat; alioquin se committit periculo graviter nocendi aliis.

2. Suo clienti præstare diligentiam debitam

tam pro qualitate causæ, & fidelitatem, eique indicare causæ æquitatem, vel injustitiam, probabilitatem obtinendi, & periculum eam perdendi. Nam hæc omnia pertinent ad ejus officium; & stipendio conductus est, ut utiliter, justè & diligenter negotium gerat.

3. Abstinere se à fraudibus, falsis probationibus, conviciis, & aliis injuriis contra partem adversam: nam ei faceret injuriam.

4. Non accipere ultra pretium justum, scilicet taxatum: vel si non sit, illud censetur justum, quod habetur tale judicio prudentum, spectata qualitate negotii, peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac consuetudine approbata, nam excessus supra justum pretium est injustus. Nec ei licet pacisci cum cliente de aliquota parte, si vincat, nempe ut pro pretio det, v. g. tertiam vel quartam partem illius, quod ex victoria consequetur: nam hoc prohibetur l. 53. §. *de Pact.* ne Advocatus, quia sua res agitur, conetur per fas & nefas victoriam obtinere, & ne fraudibus occasio detur.

5. Non licet Advocato tueri causam, quàm scit esse injustam, vel nihil ferè habere probabilitatis, ita ut semper apud judices rejiciatur. Nam injustum est injustitiam tueri, & alios ad eam inducere. Tamen ex causis civilibus æque probabilibus, juxta multos, ei licet alterutram tueri, modò cliens de periculo perdendæ litis moneatur. Quia utraque pars habet jus proferendi suas rationes in judicio per se vel per alium, & Advocatus solùm sui clientis jura proponit, non judicat. Sed limito, modò cliens sit possessor, vel ipse Advocatus judicet clientis causam esse probabiliorem, aut saltem talem visum iri judicibus. Nam non potest agere causam contra possessorem, quam judicat esse dubiam, & talem communiter haberi ac judicibus visum iri; quia non ei licet causam suscipere, nisi quam talem esse judicat, ut eam possit probare judici, & persuadere ut pro illa sententiam ferat, hoc enim est Advocati officium. At tunc non potest talem judicare causam quam censet esse dubiam; idque certius ac clarius est si causa sit contra possessorem, cùm ipse sciat in dubio & pari causa meliorem esse conditionem possessoris, ideòque injustè eum vexatum iri.

A fortiori in causa criminali dubia non licet tueri partes actoris. Quia hic in tali casu graviter peccat contra reum, ergo etiam Advocatus, cùm constet in dubio reum debere absolvi, ideoque causam actoris esse injustam.

Item non licet suscipere causam civilem, quam certò judicat esse minùs probabilem, & talem visum iri judici. Nam defenderet causam, quam magis judicat esse injustam, quàm justam; & induceret judicem ad adjudicandum causam habenti jus minùs probabile, ideòque ad injustè judicandum, conareturque impedire ne sententia feratur in favorem ejus, cujus jus censet esse potius ac melius, quique proinde vincere debet, quod iniquum est. Quare Advocatus antequam causam suscipiat, tenetur ejus æquitatem & probabilitatem perpendere, eamque clienti indicare.

Hinc Advocatus peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. 1. Si cùm non sit satis peritus ac idoneus, Advocati officium suscipiat. 2. Si defendat causam, quam scit esse injustam; & tunc tenetur compensare omnia damna inde secuta sive parti adversæ, sive clienti, quem non monuit de injustitia causæ ab eo ignorata, nam illorum est causa injusta, auxilium & consilium præstando pro injustitia. 3. Si quamlibet causam sine discrimine & consideratione ejus justitiæ suscipiat, solùm attendens ad formalitatem juris, nihil expendens causæ meritum. 4. Si in progressu causæ iniquitatem deprehendens, non moneat clientem ut desistat, nec ipse eam deserat, licet prius justam putaverit: nam aliàs scienter injustitiam tueretur. *Non debet tamen eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet*, ait S. Thom. qu. 71. art. 3. 5. Si ob ejus imperitiam, vel negligentiam, vel malitiam cliens causa cadat, aut indebitas impensas faciat, vel aliud damnum patiatur, ex cap. ult. *de injur.* Nam horum damnorum est causa injusta, sive committendo, sive omittendo contra munus sui officii, ad quod præstandum se tacitè obligavit. 6. Si periculum litis amittendæ non indicet clienti, qui eo cognito non fuisset litigaturus. 7. Si causæ expeditionem cum damno clientis differat, & postponat. 8. Si fundamenta, vel secreta causæ detegat adversario. 9. Si in defendenda causa utatur aliqua falsitate, proferendo scripturas falsas, testes falsos, adducendo leges falsas, vel abrogatas, aut doctrinam reprobatam, vel leges veras in falsos sensus scienter detorquendo, &c. 10. Si falsa crimina parti adversæ imponat, vel vera, sed occulta ad causam non pertinentia referat, vel utatur conviciis. 11. Si accipiat pretium justo majus. 12. Si injustam transactionem suadeat.

13. Si

13. Si plures causas accipit quàm rectè expedire possit. 14. Si injustis dilationibus & cavillationibus partem adversam vexet, vel impediat ne jus suum prosequatur. 15. Si scripta sua nimiùm extendat, & vanis ac inutilibus rationibus refertiat, ut majus lucrum acquirat.

Nota. Advocatus tenetur sub mortali in extrema vel gravi necessitate pauperum, gratis eis patrocinari, sicut etiam Medicus, Chirurgus, & alii operam suam gratis præstare tenentur. Nam quisque tenetur ex charitate proximo graviter egenti impendere subsidium necessarium, cùm potest saltem sine gravi suo damno: alioqui non amat proximum sicut seipsum. *Erue eos qui deducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Prov. 24.

§. VI.

De obligationibus Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.

Dico. Ii omnes generatim tenentur fideliter ac justè exequi suum officium; & proinde scire omnia quæ ad illud spectant, debitamque diligentiam adhibere. Quòd si quid faciant vel omittant contra proprium officium, peccant contra justitiam, ideòque tenentur resarcire damna inde aliis orta. Quæ enim sunt debita ex officio ad aliorum commodum spectante, debentur ex justitia, cùm debeantur ex contractu implicito in assumptione officii: nam suscipiens officium, hoc ipso se obligat ad id omne, ad quod institutum est. Nec excusantur ob ignorantiam, cap. *ult. de injur.* quia tenentur ex justitia sufficientem scientiam ac peritiam habere, aut officium non assumere cum periculo damni aliorum, & *imperitia culpæ adnumeratur*, l. 174. §. *de regular. jur.*

Item peccant & tenentur ad restitutionem, si stipendium majus eo, quod lege vel consuetudine taxatum est, accipiant. Quia tunc accipiunt pretium operæ justo majus; cùm pretium taxatum sit unicè justum, & consistat in indivisibili, ut patet in emptione; nec excessus spontè donatur; sed dans vult tantùm solvere justum pretium. Quòd si stipendium non fuerit taxatum, illud solùm erit justum, quod secundùm communem prudentum æstimationem est æquale operæ ac obsequio præstito: nam si sit inæqualitas inter pretium & operam, jam est injustitia. Speciatim verò.

1. Referens peccat si defectu studii, aut diligentiæ sufficientis malè referat, aut aliquid substantiale omittat, si conetur unius jus magis quàm alterius exponere, &c.

2. Secretarius peccat, si juramentum violet, si processus aut sententiam diligenter non custodiat, vel partibus sine mandato judicis ostendat; si testimonia non fideliter transcribat, &c.

3. Tabellio seu Notarius peccat, & tenetur de damno, si ignoret, quæ ad suum officium pertinent; si instrumenta non rectè conficiat; si juramentum vel secretum violet; si in testimoniis testium, vel dictis ac factis partium aliquid addat, vel detrahat: si sincerè omnia prout se habent non scribat; si ministro transcriptori cum erroris periculo aliquid committat; si acta & instrumenta negligenter custodiat, cum periculo damni partium; si differat instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueat; si testamentum hominis rationis usu destituti scribat: si testes falsos admittat: si solemnitates necessarias in contractibus ex ignorantia, negligentia, vel malitia prætermittat; si conficiat instrumentum falsum, usurarium vel injustum. Si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat; si testimonium aliquod necessarium cum alterius damno non exhibeat; si parti petenti instrumenta sua vel alia, sine quibus recuperare nequit id quod sibi debetur, occultet, vel transumptum neget, &c. nam in his omnibus peccat contra officium & justitiam, & causam damni dat.

4. Procurator peccat, si litem injustam suadeat, procuret, vel suscipiat; si suadeat reo vel parti, ut veritatem neget; si partes ad compositionem iniquam adducat; si falsos testes inducat: si differat ac protrahat causam, vel petat dilationes supervacaneas, aut non petat necessarias: si falsa vel incerta ut certa proferat; si causam primo acceptatam, primò non procuret, si nomine partis juret sine particulari ejus informatione cum periculo pejerandi: si sua imperitia, vel negligentia, aliave culpa causa sit cur lis perdatur, &c. Vide dicta de Advocato.

5. Apparitor peccat, si non servet jusjurandum; si accepto mandato capiendi aliquem, vel ejus bona, spe muneris monuerit, ut sibi caveat; si plura negotia expediens in co-

eodem loco, vel eodem die, tantundem pro singulis exigat, quantùm pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus acciperet; si lustrans domos asperiùs agat, ut aliquod munus extorqueat, si vim injustam aut aliam injuriam inferat; si falsum in actis suis enuntiet; si tempore præscripto acta juridica sibi commissa non faciat, &c.

CAPUT VI.

De obligationibus Ducum & Militum.

Dico 1. Belli Duces graviter contra Justitiam peccant, ideoque ad restitutionem tenentur. 1. Si vi, vel fraude, dolove milites conscripserint. 2. Si suos milites invitos aliis Ducibus vendant vel commutent: 3. Si curam eorum, tum quoad corpus, tum quoad animam non gerant. 4. Si abeundi potestatem promissam denegent. 5. Si militibus stipendia debita subtrahant, vel minuant, aut potum vel cibum corruptum aut periculosum præbeant. 6. Si militum furta, rapinas, concussiones, stupra, & alia crimina, quantum possunt non impediant, nec puniant. 7. Si pagos aliquos majori quàm par sit militum copia gravent, vel si aliquos ob pecuniam acceptam à militum hospitio eximant, qui idcirco apud alios incolas mittantur. 8. Si quid accipiant ad impediendas vexationes militum: nam ex officio & justitia jam tenentur eas impedire. 9. Si temerè prælium ineant, vel sine causa justa vitam militum exponant. 10. Si fortiter non pugnent. 11. Si non habeant completum numerum militum, pro quo stipendia accipiunt. Nec licet eis, ad compensandum stipendium priùs sibi debitum, postea in lustratione militum ficta nomina conscribere: tum quia compensatio licitè fieri non potest fraude & falsitate: tum quia hoc fieret cum gravi damno seu periculo reipubl. seu Principis, qui putans se habere tot militias, non plures conscribit vel mittit ad castra, unde hostes non vincuntur, aut etiam vincunt. 12. Si fidem hostibus datam frangant, aut dolosè interpretentur.

Dico. 2. Milites omnes tenentur sub mortali ex justitia. 1. Duci ac præfecto militiæ parere, fortiter pugnare, stationem servare, arcem sibi commissam diligenter custodire, & defendere etiam cum vitæ periculo. Nam ad hæc omnia præstanda conducti sunt, & stipendia accipiunt. 2. Sine Ducis sui licentia à castris & exercitu non discedere; nam sub hac etiam obligatione conducti sunt, & alias non posset haberi sufficiens numerus ad pugnam paratus. 3. Non discedere à militia ante tempus condictum, nam pacta servari debent. 4. Suis stipendiis contenti esse, & neminem concutere, ex Luc. 3. Nihil auferre vel extorquere à non hostibus, & ab iis apud quos diversantur, nec quidquam exigere præter id quod à principe constitutum est: alioqui injuriam faciunt, & tenentur ad restitutionem, cùm nullum jus ad istas habeant. Nec excusantur eo quòd stipendia integrè non solvantur; nam hæc solutio sicut debitum, spectat ad solum Principem vel Duces. Milites enim alendi sunt ex ærario Principis; nec unus locus præ cæteris gravandus est. 5. Sine jussu Ducis aut saltem post ejus prohibitionem damna hostibus non inferre, cap. *Miles* 23. quæst. 5. nam ad hoc requiritur authoritas publica, cujus Milites sunt tantùm executores. Nihil auferre vel exigere à subditis reip. hostilis, qui Principi vel Duci aliquid solvunt pro redimenda omni exactione & damnificatione: nam hac solutione jus acquirunt ad immunitatem ab omni damno & exactione. 7. Semper meminerint se obligari legibus divinis & humanis, & semper teneri abstinere ab omni crudelitate, luxuria, ebrietate, blasphemia, impietate, perjurio, duello, furto, injuria, sacrilegio, &c.

Quæst. *An qui dubitant de justitia belli possunt aut debent militare?*

Resp. Subditi, qui de belli justitia dubitant, Principi jubenti parere debent, ac militare: Nam in dubio quisque tenetur obedire superiori suo, cùm hic sit in possessione potestatis præcipiendi, idque exigat debita subordinatio. *Vir justus si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi*, ait S. August. l. 22. contra Faustum c. 75. Idem dic de extraneis, qui ante bellum erant stipendiarii; quia debent Principi suas operas ad militandum, quo jure certo in dubio privari non debet Princeps. Item milites subjecti vel conducti justitiam belli examinare non tenentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit; quæ ipsis dubium positivum afferat. At extranei nondum stipendio conducti, belli justitiam investigare debent,

bent, nec militare nisi facta inquisitione, prudenter judicent talem Principem bellum justum gerere; alioqui non possunt prudenter judicare se non peccare militando. Nec eis licet militare sub Principe, de cujus justitia dubitant; quia nulla cogente & excusante obediendi necessitate exponerent se periculo gravissimæ injuriæ aliis inferendæ. Porrò nemo debet contra proprium Principem aut patriam militare, cum hoc sit contra pietatem & fidelitatem debitam.

CAPUT VII.

De obligationibus Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum.

DIco. Hi tenentur sub mortali. 1. Habere sufficientem scientiam & peritiam. Nam lex naturalis & humana vetat; ne quis artem, præsertim periculis refertam, quam ignorat, exerceat; & alioquin se exponunt periculo gravissima detrimenta inferendi proximo. 2. Impendere debitam diligentiam ad curandos morbos: nam ad hoc ex officio & pacto saltem implicito, ideòque ex justitia tenentur. 3. Adhibere remedia tutiora, certiora, aut in horum defectum probabiliora, & quæ citiùs sanitatem allatura sunt: tum quia alioqui vitam proximi periculo imprudentet exponerent, tum quia tenentur ex charitate, & ex officio ac justitia, meliori modo quo possunt, & cum minimo damno ac periculo alios curare; & idcirco eorum opera conducitur. Quòd si omninò dubium sit medicamen, nec probabiliter judicetur profuturum, communior docet, inquit Filiuccius, non esse dandum. Quia si detur, exponitur æger periculo, fortè sanandus: si non detur & mors sequatur, ea non culpa Medici, sed violentia morbi eveniet. Si tamen nulla sit spes de salute infirmi, nec adsit remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur num profuturum an nociturum sit, debent illud adhibere: quia sic infirmi negotium utiliter geritur: nam potest curari si detur, & versatur in certo mortis periculo si non detur; meliorque est salus incerta, quàm mors certa. 4. Tenentur saltem ex charitate statim ægrum monere per se vel per alios de periculo mortis, ut suæ saluti æternæ maturè providere possit. Et Concilium generale Lateranense IV. cap. *Cùm infirmitas*, de pœnit. districtè præcipit Medicis, ut priusquam curationem corporis incipiant, infirmos *moneant & inducant, ut medicos advocent animarum*. Hanc legem innovavit Sanctus Pius V. constit. 2. addendo ne Medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet, cùm scilicet morbus gravis est, vel periculum est ne gravis fiat.

Hinc peccant. 1. Si absque sufficienti peritia morbos curare tentent. 2. Si debitam curam & operam pro gravitate morbi non impendant. 3. Si medicamenta minùs idonea, certa ac tuta, relictis certioribus, vel evanida adhibeant; aut cùm certa desunt, sed suppetunt probabiliter utilia, dent inexplorata explorandi gratia. 4. Si curationem negligant aut protrahant lucri causa, aut naturam morbi non satis expendant, vel ea non bene perspecta temerè adhibeant remedia obvia, aut periculosa. 5. Si aliquid contra legem Dei suadeant. 6. Si sine justa causa carnium usum permittant, à jejunio præcepto avertant. 7. Si pauperibus graviter ægrotantibus gratis non opitulentur. 8. Si medicamenta ad impediendam generationem, vel ad fœtum expellendum præbeant, vel doceant. 9. Si optent morborum frequentiam. 10. Si occultos morbos pudendos eorum, quos curant, divulgent. 11. Si mercedem justo majorem exigant, &c.

Mercatorum, Opificum & Operariorum obligationes ac peccata patent ex dictis de Contractibus, de Justitia, & alibi.

Paucis tamen rusticorum & opificum obligationes hic congero: Igitur,

Hi omnes tenentur. 1. Artis aut professionis suæ sufficientem peritiam habere. 2. Illam sine fraude, negligentia, & cujusquam damno exercere. 3. Debitam diligentiam ad opus suum perficiendum, & utile aliis ac secundùm rationabilem eorum voluntatem præstandum adhibere. 4. Nihil ultra justum pretium exigere. 5. Contractus & pactiones in omnibus fideliter servare.

Hinc graviter peccant & ad restitutionem tenentur. 1. Rustici, qui gravi imperitia vel negligentia grave damnum dominis in messibus, arboribus, agris, sylvis, vineis aut animalibus procreant. 2. Coloni, qui dominos suos defraudant, non præbendo integram fructuum partem, de qua conventum est, vel non nisi de deterioribus fungibus; vel bona dominorum aut jura non curant. 3. Opifices, qui laboribus suis vel impensis parcentes, opus imperfectum ac vitiosum efficiunt. 4. Mercenarii, qui non diligenter laborant toto diei tempore, quo tenentur, & pro quo conducti sunt.

TRA-

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE, ET INJURIIS, ET RESTITUTIONE.

PARS PRIMA. DE JUSTITIA ET JURE.

CAPUT PRIMUM.

De Justitia.

Nota. Justitia sumitur. 1. Pro gratia sanctificante, quam qui habet, dicitur justus. 2. Pro complexione omnium virtutum, seu virtute generali. 3. Pro speciali virtute morali, ut hic.

Quæst. I. *Quid est Justitia, prout est virtus specialis?*

Resp. Est virtus moralis, perficiens & inclinans voluntatem ad constanter ac perpetuò tribuendum unicuique jus suum, id est quidquid ei debitum est ex jure. Nam jus hic sumitur non pro jure formali, quod est facultas legitima ad aliquid, sed pro jure objectivo, seu objecto illius facultatis, nempe pro debito ex jure, seu debito rigoroso. Duplex quippe est debitum; unum simplicis honestatis, & est illud cujus violatione contrahitur solùm turpitudo moralis: tale est debitum gratitudinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solùm turpitudo moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo cui illud debetur. Justitia autem versatur circa hoc debitum rigorosum. Unde ejus objectum materiale est redditio debiti rigorosi: formale verò est specialis honestas hujus redditionis. *Justitia suum unique tribuit, alienum non vindicat. Utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat.* S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 24.

Quæst. II. *Quomodo dividitur justitia?*

Resp. Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam.

Justitia legalis est virtus inclinans ad tribuendum Communitati, seu Reip. debitum, ut debitum Communitati propter bonum commune; sive ad præstanda ea omnia, quæ communitati debita sunt in ordine ad bonum commune. Dicitur legalis, quia habet pro objecto id, quod debetur communitati ratione Legum. Vocatur etiam generalis, quia versatur circa debitum ex jure communi seu generali, quod habet communitas sive ejus princeps, ad actiones & bona privatorum in ordine ad bonum commune. Hæc justitia est vera species justitiæ propriè sumptæ; nam versatur circa debitum rigorosum propriè dictum ut tale: communitas enim & ejus princeps habet verum jus justitiæ in subditos, ad exigenda ea quæ necessaria sunt vel utilia ad bonum commune. Et vicissim est in subditis debitum & obligatio rigorosa præstandi ea quæ communitas aut princeps pro suo jure exigit, in ordine ad bonum commune. Idque ex natura rei, nam stare non potest communitas sine tali jure in subditos.

Justitia commutativa est virtus inclinans ad reddendum ad æqualitatem debitum rigorosum particularibus vi dominii aut proprietatis, vel pacti aut contractus, alteriusve tituli particularis, ratione cujus habent jus in re, vel jus ad rem: unde spectat jus fundatum in titulo particulari & æqualitatem rei ad rem. Sic vocatur, quia inter actiones quas moderatur; valde frequentes & illustres sunt commutationes, hoc est, mutuæ utrimque dationes & acceptiones; nam versatur adhuc circa alias actiones, putà simplices tributiones, ut cum, v. g. datur quod promissum est liberaliter cum intentione dandi jus ad rem, promissione acceptata.

Justitia distributiva est virtus inclinans communitatem, seu ejus principem & ministros ad distribuenda civibus bona communia, officia, munera proportionatè ad cujusque merita & dignitatem: onera verò communia proportionatè ad cujusque facultatem & vires. Unde spectat non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas seu ad personarum merita, dignitatem, & facultates.

Justitia vindicativa est virtus inclinans superiorem ad reum pro merito puniendum. Non est omnino contradistincta à commutativa & legali, sed ad utramque pertinet sub diverso respectu. Nam vindicta debetur læso & communitati ex officio à principe vel judice, & sub hac ratione vindicta pertinet ad justitiam commutativam. Item debetur reip. ratione Legum propter bonum commune; reipubl. enim interest, & legibus statuitur ut puniantur crimina, & sub hoc respectu pertinet ad legalem.

Porrò violatio cujuscumque justitiæ supradictæ est peccatum ex genere suo mortale, secundùm doctrinam omnium, inquit Suarez.

ræ. Nam quælibet est virtus magni momenti, & habet finem gravissimum, nempe civium pacem, concordiam, charitatem, securitatem, bonum commune, &c. Unde ejus violatio in materia gravi, est gravis inordinatio.

CAPUT II.

De Jure.

Quæst. I. Quid est jus?

Resp. Jus formale, cui respondet debitum rigorosum, est potestas legitima ad aliquid, cujus violatio obligat ad restitutionem, vel satisfactionem, vel pœnam, quæ possit exigi à læso.

Dicitur. 1. *Legitima*, id est, Lege aliqua concessa, vel Legi conformis, vel justo titulo nixa.

2. *Ad aliquid*, scilicet retinendum, obtinendum, agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum aut fruendum aliqua re, vel de ea disponendum.

Quæst. II. *Quomodo dividitur Jus?*

Resp. Dividitur, 1. in jus in re seu reale, quod est potestas legitima circa rem sibi obligatam & suam factam, ideòque dat actionem in rem ipsam, ita ut possit res illa vindicari ac repeti ubicumque fuerit; & in jus ad rem, quod est potestas legitima ad obtinendam sibique obligandam rem nondum sibi obligatam seu factam suam, ideòque non parit actionem in rem, sed in personam quæ illam debet. Sive jus in re est jus, quod quis habet in re, ut jam sua facta, & dat actionem realem. Jus ad rem est jus, quod quis habet ut res aliqua fiat sua, & parit actionem personalem. Actio autem hic est jus prosequendi in judicio id quod suum est, vel quod sibi debetur.

Dividitur 2. in varias species.

Quæst. III. *Quænam sunt species juris realis?*

Resp. Sunt dominium, usus, ususfructus, servitus, emphyteusis, feudum, pignus & hypotheca, quibus affinis est possessio. Hic aliquæ, cæteræ alibi exponentur.

§. I.

De Dominio.

Quæst. I. *Quid est Dominium, & quotuplex?*

Dominium in genere est jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tamquam sua. Unde duplex est, jurisdictionis, & proprietatis. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, prohibendo, judicando, puniendo, &c. Duplex est, aliud politicum seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in regibus & aliis principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa & Episcopis, &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, remunerare.

Dominium proprietatis, de quo solo hic agitur, est jus disponendi de re aliqua tamquam sua, seu suo nomine, arbitratu, & authoritate, nisi lex vel pactum obsistat. Quod addo, quia ejus usus potest lege vel pactione impediri: sic pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum dominus; nec debitor pignus, quamvis sit ejus dominus, ob pactionem cum creditore initam.

Dividitur. 1. in altum, quod habet resp. seu princeps disponendi de bonis & actionibus privatorum ad bonum commune; & in humile quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis in proprium commodum. 2. In plenum seu perfectum, quod est jus disponendi de re & fructibus ejus tanquam suis; & non plenum, quod est jus disponendi vel de sola re, vel de solis emolumentis: unde subdividitur in directum, quo quis habet solam proprietatem rei sine jure percipiendi ejus fructus; & in utile, quod est jus disponendi de fructibus & emolumentis rei, non de ipsa re.

Quæst. II. *Quænam subjiciuntur dominio hominis?*

Resp. 1. Res omnes externæ & inferiores usibus humanis subjectæ, cadunt sub dominium hominis jure naturæ, ut agri montes, flumina, plantæ, bestiæ, metalla, & his similia. Ex Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Nam homo habet à natura potestatem disponendi de illis in suum commodum.

Resp. 2. Ex communi Doctorum sententia, homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem. Quia omnes homines jure naturæ sunt pares, cùm sint ejusdem naturæ, ab eodem parente & in eumdem finem conditi. Potest tamen homo illud habere jure gentium & civili, ut constat ex Scriptura.

Dominium autem in servos seu mancipia, quatuor modis acquiritur. 1. Jure belli justi. 2. Nativitate, ita ut qui nascitur ex serva, servus fiat. 3. Justa condemnatione, ut cùm quis ob crimen servituti damnatur à judice.

4. Emptione, homo enim, cùm sit Dominus suæ libertatis, potest se ipsum vendere. Possunt etiam parentes ob gravissimam necessitatem vendere proles non emancipatas: quamdiu enim proles sunt sub patria potestate, parentes habent jus ex illis percipiendi omnia emolumenta, quæ ipsi de se percipere possent si essent sui juris. Jure tamen civili solus pater potest vendere prolem, & solùm propter nimiam paupertatem, & victus causa. Imò in Gallia ne pater quidem id potest propter quamcumque necessitatem, nam Leges vetant & irritant ejusmodi venditiones.

Hinc non licet servis fugere, saltem si venditione vel nativitate facti sint servi, modò iis alimenta necessaria tribuantur, nec vi impellantur ad peccandum, quam aliter vitare nequeant: nam fugiendo, seipsos Domino subtrahunt & furantur, contra jus quod habet in illos, ideoque ei injuriam inferunt. *Servum fugitivum sui furtum facere, & ideo non habere locum nec usucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est.* L. 1. Cod. *de servis fugit.* An autem justo bello captis & in servitutem redactis ab infidelibus, liceat fugere ad suos, controvertitur. Sed inter omnes constat non licere, si promiserint se nunquam fugituros; nam jure naturali fides data servari debet. *Azor.*

Resp. 3. Homo non habet dominium vitæ suæ, sed solus Deus est Dominus vitæ hominum. Ita omnes, ex Sap. 16. *Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Quia homo non potest licitè disponere de suo esse, illud destruendo pro arbitrio; nam non potest esse Dominus sui esse: quia Dominus, est quid relativum, ideoque ad aliud; & dicit superioritatem, quæ nequit esse erga seipsum, quamvis quisque possit esse Dominus suarum actionum. Item homo non est Dominus suorum membrorum; quia non est Dominus sui ipsius, ergo nec membrorum; nam homo est omnes partes simul, quæ suum esse componunt & integrant.

Resp. 4. Ex communi sententia, neque resp. seu princeps habet dominium vitæ suorum subditorum, ex Script. cit. Nam Deus solus illud habet, cùm solus sit creator hominum, qui cùm solus dederit eis totum esse, ad eum solum pertinet illud esse pro arbitrio destruere, & occidere innocentes. Princeps tamen habet convenientem usum vitæ subditorum in ordine ad bonum commune. Nam potest illam in bello exponere, quando id necessarium est ad bonum commune, & interficere homines sceleftos, ut custos tranquillitatis & boni publici; sicut homo, ut custos vitæ suæ, potest resecare membrum putridum; & exponere partem pro salute totius.

Resp. 5. Ex communi sententia, homo est verè Dominus suæ famæ & honoris. Nam homo famam propria industria, virtute, ac labore sibi acquirit & auget; potest ejus restitutionem condonare; & in multis casibus potest se ipsum infamare ob justam causam, v. g. ad sui humiliationem, ad coercendam superbiam, ad restituendam famam alteri, ad Dei misericordiam commendandam. Non tamen licet seipsum infamare sine rationabili causa; nam esset contra rectam rationem, & illud, Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine.*

Quæst. III. *Quænam requiruntur ad acquirendum dominium?*

Resp. 1. Ad acquirendum dominium rei quæ nullius est, sufficit sola rei apprehensio facta animo illam faciendi suam: *Quod enim nullius est, id ratione naturali, occupanti conceditur.* L. 3. §. *de acquir. rer. dom.* Nisi aliter speciali aliqua Lege vel consuetudine statutum sit.

Resp. 2. Ad acquirendum dominium rei, quæ habet Dominum, jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus, sed jure positivo duo ordinariè requiruntur, scilicet titulus, & traditio, ex L. 20. Cod. de pact. *Traditionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur,* Juncta Lege 31. §. de acquir. rer. domin. *Numquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.*

Titulus autem est fundamentum dominii, ac radix, sive ratio & causa, propter quam dominium alicui competit, ut venditio; per eum tamen non habetur dominium aut jus in re, sed solùm jus ad rem, nisi accedat traditio, quæ est veluti conditio requisita à jure, ut tituli acquiratur dominium. Traditio verò duplex est: alia realis, qua res ipsa datur in manus; & alia ficta seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem aliam actionem Lege vel consuetudine institutam.

Dixi, *ordinariè*, quia licèt ad acquisitionem dominii semper requiratur titulus, tamen ad eam Lex non requirit traditionem in his casibus. 1. In hæreditate, cujus dominium acquiritur sola acceptatione hæreditatis. leg. 23. §. *de acquir. vel amitt. poss.*

2. In

2. In legato, cujus dominium acquiritur, ubi primùm hæres hæreditatem adit, l. 66. §. *de furt.* 3. In beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem & acceptationem acquiritur. 4. Ex titulo donationis, venditionis, aliove simili acquiritur dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis ob speciale privilegium.

Quæst. IV. *Quomodo acquiritur dominium animalium?*

Resp. 1. Animalia ex sua natura mansueta & domestica, ut oves, equi, gallinæ, anseres, boves, &c. quantumvis aberrent & fugiant, semper remanent prioris Domini, nec fiunt occupantis. Ita omnes, *ex Institut. de rer. divers.* ubi dicitur furari, qui hæc animalia detinet, cùm effugiunt. Nam hæc etiam si fugerint, non assequuntur naturalem libertatem, cùm naturali sua indole sint domestica; ac proinde remanent prioris Domini. Quare non licet ea capere vel detinere, nec eorum pelles, si extincta sint. Idem de animalibus ex natura sua feris vel silvestribus, ut sunt cervi, lepores, &c. quæ ejus, à quo capta sunt, custodia seu loco concluso coercentur; vel quæ usu mansuefacta habent consuetudinem redeundi ex libera vagatione in potestatem Domini, ut columbæ, cuniculi, accipitres, cervi cicurati, &c. Nam tandiu carent naturali libertate. Animalia autem, quandiu carent libertate naturali, habent Dominum, & sic non sunt occupantis. Præterea tales feræ non minùs possidentur à Dominis quàm aliæ domesticæ. Hinc non licet capere pisces ex vivario alterius, nec cuniculos aut columbas pascentes in agro tuo occidere, quamvis possis abigere; nec eas illecebris aut fraude in tuum columbarium traducere: alioquin teneris restituere, cùm habeant Dominum, qui habet jus ne ex ejus dominio extrahantur vel occidantur. Nec obstat quòd cuniculi & columbæ damnum privatis afferant: nam cùm sint reip. utiles, privati debent illud pati propter bonum publicum, & tale onus censetur à rep. illis imponi hoc ipso quòd ex privilegio vel consuetudine conceditur columbarium erigi, vel garenam institui.

Si verò ejusmodi animalia redeundi consuetudinem amittant, censentur recuperasse naturalem libertatem, & sic sunt primò occupantis. Nam jam nullius sunt; & jam in ordine ad priorem Dominum perinde se habent ac si numquam capta fuissent, ut avis quæ ex cavea in liberam aream evasit, vel piscis qui è tuo vivario in fluvium transit, *ex Institut. de rer. divis.* Hinc tibi licet retinere columbas, quæ sponte, non attractæ, se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Examen verò apum quamvis avolet ex alveario tuo, tamdiu tuum manet, quamdiu in tuo conspectu versatur, nec difficilis est ejus prosecutio. *Institut. de rer. divis.* Quòd si difficile sit illud sequi & recuperare, potest à quovis capi.

Resp. 2. Animalia fera & sylvestria, si antea nullius fuerint, vel quæ aliquando alicujus fuerunt, sed jam naturalem libertatem recuperarunt, fiunt primò occupantis, *Institut. de rer. divis.* & l. 3. §. *de acquir. rer. dom.* Quia, cùm naturali libertate gaudeant, nullius sunt: quæ autem nullius sunt, fiunt primò occupantis, nisi Lex specialis vel consuetudo obstet. *Porrò quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendisset, sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset: quoniam si quid ex ea re damnum cepit, habet proprias actiones.* L. 39. §. de Lege Aquil.

Sed cujus est fera læsa, vel laqueo capta?

Resp. Si feram læsisti, quantùm satis est ad capiendum, & læsam insequeris cum certitudine morali eam capiendi, est tua. Tunc enim censetur amisisse naturalem libertatem per vulnus inflictum, & à te quasi capta: unde si alius eam ceperit, tenetur tibi restituere. Item si fera laqueo tuo ita capta sit, ut non sit evasura, est tua: unde non potest ab alio capi, sicut nec piscis per tuum rete captus; nam ei ademisti libertatem, & per instrumentum tuum occupasti: possumus enim sicut manibus, ita & instrumentis rem apprehendere, & in potestatem nostram redigere. Quòd si fera erat facilè evasura, est primò occupantis; quia nondum amisit libertatem, *ex Institut. de rer. divis.*

Quæst. V. *Cujus est Thesaurus?*

Resp. Jure naturali & gentium totus est inventoris; nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali & gentium primi occupantis. Thesaurus autem nullum habet Dominum, nam definitur in jure, *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.* L. 31. §. *de acquir. rer. dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ, &c. Dicitur autem vetus depositio: nam si non sit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ Domino, & in ejus defectum ejus hæredibus restitui debet: qui si cognosci nequeant, impendi debet in usus pios, quia sunt bona

incerta. *Si quis aliquid vel lucri causa; vel metus, vel custodia, condiderit sub terra, non est thesaurus: cujus etiam furtum fit.* L. *Nunquam*, §. de acquir. rerum dom.

Jure tamen civili communi, obligante in conscientia, hæc statuta sunt de thesauro, 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit. *Instit. de rer. dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam judicis. 2. Qui fortuitò thesaurum in fundo alieno repetit, fit Dominus dimidii, alterum verò dimidium tenetur antè sententiam judicis tradere Domino speciali fundi, sive sit princeps, sive privatus, *ex Instit. de rer. divis.* quæ dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum. 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu Domini, totus est Domini, l. unica *Cod. de Thes.* Varii tamen putant inventorem non teneri ante sententiam judicis tradere nisi dimidium, ob hæc verba Legis ex ea parte pœnalis. *Totum locorum Domino reddere compensatur.* 4. Si thesaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica, juxta multos dividi debet cum fisco; juxta alios totus est inventoris.

Nota. In his sicut in aliis spectandæ sunt speciales locorum Leges vel consuetudines, & servandæ. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus, in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera Domini fundi, tertia dynastæ seu alti justitiarii, vel regis, si solus in loco sit altus justitiarius. Thesauri verò à Domino fundi inventi media pars est inventoris, alia dynastæ vel regis. Imo circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

Sed quid, si in aliqua domo inveniatur pecunia occultata, cujus depositio non sit antiqua?

Resp. Ea non est invenientis, cùm thesaurus non sit, utpote non vetus depositio, nec ulla Lex eam invenienti tribuit. Sed si homines ejusdem familiæ in illa domo habitaverint continuo & diuturno tempore, hæredibus illius familiæ restitui debet: nam prudenter præsumitur ab aliquo ex hac familiâ fuisse occultata. Si verò locatores plurimi in eadem domo habitarint, nec ulla haberi possit præsumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, tunc illa distribui debet pauperibus vel applicari aliis bonis operibus proximo utilibus; quia est bonum alienum inventum & incertum. Bona autem aliena inventa, quorum Dominus vel ejus hæres cognosci non potest, sic impendi debent, ut dictum est in tract. de justit. c. 3. quæst. 21.

Quæst. VI. *Cujus sunt lapidicinæ, venæ metallicæ, gemmæ, lapilli, &c.*

Resp. 1. Lapidicinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, fodinæ ferri, plumbi, quæ sunt in fundo alicujus, pertinent ad Dominum fundi. Nam vel sunt pars fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ, vel sunt ejus fructus. Idem dic de venis metallicis, spectato solo jure naturali & gentium, quia sunt partus fundi, cùm in eo nascantur seu formentur, vel ejus partes. Jure tamen civili in variis locis venæ auri & argenti in fundo privatorum repertæ, sunt partim principis, partim inventoris. Possunt autem Principes ob bonum commune, sibi jus effodiendi hæc metalla vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet, etiam in agris alienis, & eruta fisco applicandi ad sustinenda onera reip. compensato solo damno, quod infertur loco.

Resp. 2. Gemmæ, corallium, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in promonteriis; sunt occupantis, *Institut. de rer. divis.* quia nullius sunt.

Quæst. VII. *Quinam sunt alii speciales modi acquirendi dominium?*

Resp. Sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, inædificatio, pictio, implantatio, satio, nativitas, *ex Institut. de rer. divis.* & l. 7. §. *de acquir. rer. dom.* Itaque

1. Per *alluvionem*, id quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur, fit Domini fundi, cujus fit adjectio. Dico, *insensibiliter*; nam si notabilis pars tui prædii statim subita aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet.

2. Per *specificationem*, cùm res aliena ita mutatur in aliam speciem, ut ad primum statum reduci nequeat: ut si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua; sed teneris solvere pretium lanæ, & damna si quæ sint, & ad hoc datur actio alteri. At si res aliena in pristinum statum restitui possit, ut vas argenteum in massam argenteam, dominium vasis acquiritur ei, cujus est materia.

3. Per *accessionem*, cùm quid ad ornatum alteri rei adjicitur: ut si quis alienam domum pinxerit, pictura Domino domus cedit, nec tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit.

4. Per *confusionem*, & *commixtionem*. Si ma-

materiæ ad duos dominos spectantes, sive casu, sive communi consensu confundantur vel permisceantur, quod resultat, fit commune utrique pro rata materiæ, si materiæ ab invicem secerni nequeant, ut duo vina confusa, vel duo acervi tritici permixti: si verò tres separari possint, ut oves in grege permixtæ, debent separari.

Si autem alienam pecuniam, Domino inscio vel invito, tibi hoc ignoranti datam misceas tuæ, volens totam habere tuam, nec jam discerni possit à tua, acquiris ejus dominium. L. 78. §. *de solut.* Teneris tamen restituere rem æqualem, nam nemo locupletari potest ex re aliena cum damno ejus Domini. *Reg.* 48. *de jur. in 6.*

5. Per *inædificationem*, ædificium in alieno fundo constructum cedit Domino fundi, qui tenetur materiam & operas solvere, si alter bona fide ædificaverit: secùs si mala fide. Item si quis in fundo suo ædificat ex materia alterius, fit Dominus materiæ, sed tenetur alteri de damno. Quòd si Mævius in fundo Caji ex Titii materia ædificet, ædificium cedit Cajo; sed Titius potest petere pretium materiæ, vel eam vindicare si diruatur ædificium.

6. Per *Pictionem*. In tabula aliena pictor fit Dominus tabulæ, sed tenetur priori Domino tabulæ de damno.

7. Per *implantationem*, & *sationem*, nam arbores, plantæ in aliquo fundo à quolibet collocatæ, eo ipso quòd radices egerunt, cedunt Domino fundi. Idem est de seminibus in agro alieno sparsis: nam sicut ædificia solo cedunt, ita multo magis plantæ & arbores, cùm à terra sustententur, alimentum & incrementum trahant. Qui tamen arborem alienam in suo fundo transplantavit, tenetur de damno.

8. Per *Nativitatem*. Quod ex animali fœminei sexus nascitur pertinet ad Dominum animalis, l. 5. *de rei vindic.*

Quæst. VIII. *Quinam sunt capaces dominii?*

Resp. 1. Omnis & sola substantia intellectualis est capax dominii: quia dominium est facultas de re aliqua disponendi arbitratu suo, quæ facultas non potest esse sine intellectu & voluntate. Hinc bruta dominium non habent in terræ gramina; neque qui ea prohibet, injuriam ipsis infert, sed eorum Domino.

Resp. 2. Infantes sunt capaces juris & dominii. Constat tum ex communi usu omnium gentium, tum ex illo, ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium.* Nam licèt ad usum dominii requiratur usus rationis, tamen ad dominium habituale & in actu primo, sufficit natura intellectualis, ac libertas innata; & aliunde possunt infantes jus suum exercere per eos, qui eorum curam agunt, nempe per parentes, tutores, remp.

Quæst. IX. *An Filiusfamilias habet Dominium bonorum, quæ dicuntur fortunæ?*

Nota 1. Filiusfamilias dicitur is, qui adhuc est sub patria potestate. Patria autem potestas est jus Lege civili inductum, quod habet solus pater, vel avus paternus in personam & bona liberorum legitimorum, vi cujus potest de illis disponere secundùm quod Leges ei permittunt.

Nota 2. Bona filiorumfamilias sunt quadruplicia, nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia.

Castrensia sunt ea, quæ acquiruntur in militia, vel occasione militiæ, ut stipendia militaria, hostium spolia, ducum vel commilitonum dona; vel in obsequio principis in ejus aula exhibito: item ea quæ eunti ad militiam, vel ad obsequium principis dantur, & lucra omnia, quæ ex talibus bonis, interventu alicujus contractus, proveniunt.

Quasi castrensia dicuntur ea, quæ habent privilegium castrensium, & sunt ea quæ filius acquirit ex officio & munere publico, ut judicis, advocati, tabellionis; ex professione alicujus artis liberalis; & quod datur intuitu realis functionis, ut libri, &c. ex liberalitate principis, ex officio clericali, ex beneficio Ecclesiastico; item quæ dantur filiofamilias, ut ipse tantùm, non pater, usumfructum habeat. Denique id omne, quod acquiritur post clericatum. Authent. *Presbyteros, Cod. Episc.*

Adventitia sunt ea, quæ neque castrensia sunt, neque quasi castrensia, neque à patre aut ejus intuitu donata sunt, sed aliunde filio proveniunt, purà successione in bona materna, amicorum donatione, aut legato, inventione thesauri, propria industria, labore, &c.

Profectitia sunt ea, quæ proveniunt à patre vivo, vel patris gratia donata sunt, vel ex bonis paternis acquisita, verbi gratia, negotiando.

Resp. Filiusfamilias habet plenum dominium in bona castrensia, & quasi castrensia, eorumque administrationem liberam. Unde potest sine consensu patris de illis arbitratu suo disponere per contractus, donationes, imò per testamentum, si compleverit ann. 14. Bonorum autem adventitiorum habet proprietatem, sed pater usumfructum, unde filius

lius non potest de illis disponere. Profectitiorum verò filiusfamilias nec habet proprietatem, nec usumfructum. Ratio horum est dispositio juris civilis.

Quæst. X. *An servi seu mancipia habent dominium aliquarum rerum?*

Resp. Non habent dominium lucri & fructuum suarum operarum ac laboris, sed Dominus, ut constat ex jure: at habent dominium etiam perfectum non solùm famæ & bonorum spiritualium, sed etiam, secundùm multos, temporalium. 1. Quæ Dominus eis concessit. 2. Quæ servo dantur ad compensationem injuriæ illatæ in bonis, quorum est Dominus, ut in fama. 3. Quæ eis data sunt ea conditione, ut non acquirantur Domino. 4. Quæ de bonis suis ludo aut aliqua negotiatione sine Domini detrimento lucrantur. Ratio est quia jura non reddunt servum incapacem dominii; nec consentaneum esset imbecillitati humanæ ut tale onus imponeretur invito; esset enim magna occasio peccandi. Imò jura supponunt in eo dominii capacitatem; nam l. *Vix* §. *de judic.* servis datur actio contra dominos, si dicant se suis nummis redemptos. Quare jura, quæ dicunt servos, quidquid acquirunt quavis causa vel occasione, dominis acquirere, intelligenda sunt regulariter & de lucro sui laboris, aut saltem consuetudine jam mitigata sunt. Hinc servus à religioso solemniter professo differt, qui est prorsus incapax dominii.

§. II.

De Præscriptione.

NOta. Præscriptio sumpta pro usucapione, ut nunc sumitur, est acquisitio dominii per possessionem bonæ Fidei continuatam tempore per Legem definito. Nomine dominii, jura, servitutes, officia & beneficia etiam comprehenduntur.

Quæst. I. *An per præscriptionem vere acquiritur in foro conscientiæ dominium rei alienæ absque consensu & culpa prioris Domini?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia.* Quia resp. vel princeps, vi dominii alti in bona subditorum, habet potestatem disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, ideòque transferendi rerum dominia & jura absque consensu & culpa prioris Domini, quando id postulat bonum commune. At principes hac potestate usi sunt, & reipsa voluerunt rerum dominia sola præscriptione sic transferri, id postulante bono publico, ne scilicet dominia essent incerta, lites multiplicarentur; ut patet ex multis Legibus civilibus approbatis jure canonico, quæ sine ulla limitatione & distinctione dicunt, *Bono publico usucapionem introductam esse, ne scilicet quarumdam rerum diu & fere semper incerta dominia essent*, l. 1. §. de usucap. *Ut aliquis litium finis esset*, l. ult. §. pro suo, & usucapionem definiunt, *Adjectionem dominii per continuationem possessionis temporis Lege definiti*, l. 3. §. de usucap. Item jus canonicum, quod præcipuè bonum animæ spectat, approbat indistinctè præscriptiones bonæ fidei, ut patet ex toto tit. *de prescript.* Itaque præscriptio introducta est principaliter, non ad puniendam negligentiam prioris Domini, sed ob prædictos fines ad bonum commune spectantes, & quietem civium ac familiarum; & ad excitandam diligentiam & curam possessorum circa bona sua, cap. 5. *de prescript.*

Hinc licet retinere rem legitimè præscriptam, etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius, nisi tamen prior Dominus per judicem restituatur in integrum: quæ restitutio conceditur minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio à die, quo majores facti sunt. Idem jus Ecclesiæ, & aliis piis locis conceditur per quadriennium à die, quo Ecclesia novit præscriptionem bonorum suorum, ex cap. 1. *de restit. in integrum in 6.* & interdum conceditur etiam majoribus ob justas causas. Post sententiam autem judicis est obligatio in conscientia res præscriptas restituendi; quia justa est, nec nititur falsa præsumptione, sed Legibus ita disponentibus.

Obj. 1. Nemo potest justè acquirere dominium rei alienæ invito illius Domino. *R.* Præscriptione acquiritur dominium, volente & sic statuente Principe, habente altum dominium in bona subditorum, vi cujus potest servata proportione de illis disponere ad bonum commune, sine consensu privatorum, qui non habent nisi dominium ipsi subordinatum. Præterea prior Dominus non est rationabiliter invitus, cùm Lex præscriptionis sit justa, & expediat bono communi, quod semper anteponendum est privato.

Obj. 2. Injustum est aliquem re sua privari absque ulla culpa. *R.* Hoc justum est, quando id postulat commune bonum, cui jure merito cedere debet privatum.

Obj. 3. Lex præscriptionis fundatur principaliter in præsumptione negligentiæ prioris Domini. Ergo si hic caruit negligentia,

non

non privatur re sua in conscientia. *R.* Neg. ant. Nam præcipua Legis præscriptionis ratio est, ut tollatur incertitudo dominiorum, & ut impediantur lites plurimæ, quarum alioqui finis non esset, ut patet ex Legibus supra citatis. Unde quamvis Lex præscriptionis minus principaliter & partialiter niteretur præsumptione negligentiæ prioris Domini; tamen per illam Legem princeps vult & potest transferre dominium absolutè & efficaciter propter alias rationes spectantes bonum commune, quod translationem dominii rei alienæ postular, quamvis nulla intercesserit negligentia prioris domini. In quo lex præscriptionis differt à sententia Judicis fundata in falsa præsumptione: nam Judex per suam sententiam non intendit nec potest transferre dominium, sed tantùm vult & potest declarare ad quem pertineat.

Instabis. Ex cap. 5. de præscript. lex præscriptionis instituta fuit initio *propter vitandam miserorum segnitiem:* Ergo nunc etiam fundatur in præsumptione negligentiæ. *R.* Neg. conseq. Nam aliud est excitare diligentiam & curam circa bona, aliud punire negligentiam. Ergo intendere excitare diligentiam & vitationem negligentiæ, non est hæc unica ac principalis ratio legis.

Obj. 4. Si post præscriptionem constet rem fuisse alienam, novus possessor non est ampliùs in bona fide: ergo tunc jam non potest licitè rem illam retinere. *Resp.* Neg. ant. Nam verè potest judicare rem jam esse suam ex justo præscriptionis titulo, quamvis antea fuerit aliena.

Quæst. II. *Quænam conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?*

Resp. Quatuor, videlicet possessio, bona fides, titulus, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum.

1. Requiritur possessio, ex reg. 3. jur. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*; & ex l. 25. §. de usucap. Sufficit autem possessio civilis. Hinc usufructuarius, conductor, feudatarius, &c. non possunt rei proprietatem præscribere, cùm rem non possideant suo nomine, sed solùm nomine directi domini; item nec colonus, nec is qui ab eo agrum emisset, absente & ignorante domino: quia civilis possessio manet apud dominum absentem, quamdiu retinet animum possidendi, vel donec sciat rem suam ab alio occupatam, nec audeat eum repellere. Quamvis autem qui per alium possidet, v. g. per colonum, possit præscribere, non tamen is qui alieno nomine possidet: quia qui alterius nomine possidet, non est verè possessor, sed alius per eum possidet.

2. Requiritur bona fides, ex reg. 2. jur. in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit:* alioquin furta & injuriæ foverentur, iisque via aperiretur. Hæc debet perseverare toto tempore ad præscribendum requisito, ut constat ex Concil. Lateran. gener. IV. c. 41. relato in cap. ult. de præscript. ibi: *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quàm civilis; cùm sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.*

Bona autem fides hìc est persuasio, qua quis prudenter judicat rem esse suam, & à se licitè retineri: nam (ut notat Lessius) si quis ex ignorantia crassa aut affectata, vel ex inordinata cupiditate existimat rem esse suam vel non esse alienam, non est bona fides. Duplex hic bona fides distinguitur. 1. Cùm quis prudenter judicat rem esse suam, & hæc requiritur ad inchoandam possessionem. Nam qui inchoat possessionem dubitans sit ne res sua, an aliena, ex communi sententia, non est bonæ fidei possessor: ideòque non procedit præscriptio, donec deposito prudenter dubio possessionem inchoet: quia nulla est ratio cur ipse potiùs rem possideat quàm alter, ac proinde eam sibi vindicans, faciat injuriam alteri; nec ejus conditio est melior quàm conditio alterius. 2. Cùm quis post diligentem inquisitionem veritatis nescit, nec judicat probabiliùs rem, quam habet, esse alienam, ideòque judicat se posse ut suam retinere. Hæc juxta multos sufficit ad continuandam possessionem, quia ut quis post inchoatam bona fide possessionem perseveret esse possessor bonæ fidei, satis est quòd post diligentem veritatis inquisitionem non habeat rei alienæ conscientiam, ex Conc. Later. cit. & ex S. Aug. in c. *Si virgo*, 34. qu. 1. *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur. Hinc justè injustus possessor vocabitur.* At dubitans num res sit aliena vel sua, non habet conscientiam rei alienæ, & ignorat se possidere alienum. Deinde possessio bona fide inchoata est ratio sufficiens ad rem sibi retinendam, donec pro-

betur esse alienam: quia *in pari causa potior est conditio possidentis*, reg. 65. jur. in 6. Possessor autem cùm dubitare incipit, tenetur diligenter exquirere veritatem, qua diligenter investigata, si perseveret dubium, potest juxta multos determinatè & prudenter judicare se posse rem ut suam retinere: eo quòd in tali dubio melior est conditio possidentis. Sed sine tali judicio non potest rem illam retinere: nam si dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat sibi eam retinere, non continuat possessionem bona fide, l. 32. §. *de usucap.*

Hinc 1. Leges civiles statuentes præscriptionem triginta & quadraginta annorum procedere etiam cum mala fide, abrogatæ sunt jure canonico, ut patet ex Conc. Later. cit. & cap. 5. *de præscript.*

2. Si creditor certo tempore non exigat à te debitum, licèt postea ei denegetur actio in judicio, non tamen præscribis contra illum si noris debitum; sed teneris solvere totum debitum, nam habes conscientiam debiti quod tua sponte teneris solvere, & sic cares bona fide ad præscribendum. Si quis tamen invincibiliter ignoret debitum, vel prudenter putet solutum suisse, potest illud præscribere spatio triginta annorum cum illa bona fide. L. 3. *Cod. de præscript. 30. vel 40. ann.*

Nota. Ignorantia juris saltem clari etiam inculpata, ex communi sententia impedit præscriptionem saltem ordinariam: ut si acceperis aliquid à pupillo sine tutoris authoritate, ignorans invincibiliter eam requiri, non præscribis. Secus de ignorantia facti invincibilis, ut si ignores eum esse pupillum, currit præscriptio, ex l. 4. §. *de juris & facti ignor.* ibi *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat*. De ignorantia invincibili juris dubii controvertitur. Imò juxta multos invincibilis ignorantia juris clari non obest præscriptioni triginta vel quadraginta annorum; quia jura loquuntur de præscriptione ordinaria, quæ tribus, vel decem, vel viginti annis expletur, cùm illa sola, inquit Lessius, cognita sit jure digestorum, unde jura citata desumpta sunt.

3. Requiritur titulus coloratus sive apparens, qui scilicet putetur probabiliter verus, licèt sit falsus, ut cùm intervenit causa de se apta ad transferendum dominium, v. g. donatio, venditio, &c. sed ex latente aliqua causa fuit invalida. Constat ex utroque jure. Et *Usucapio*, Cod. de usucap. & c. 27. de præscript. ibi: *Cum in præscriptione rerum Ecclesiasticarum, bona fides, & justus titulus* (supple apparens) *exigantur*. Nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Ad præscriptionem tamen longissimi temporis, nempe triginta vel quadraginta annorum, præsumitur titulus præcessisse, quia difficiliùs probatur qua ratione inchoata sit possessio tam longo tempore durans; nisi juris præsumptio sit contra præscribentem.

Dixi, *coloratus*, nam titulus verus, seu validus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione. Quare cùm in l. cit. requiritur titulus verus, & in cap. cit. justus, utraque hac voce intelligitur causa de se apta ad transferendum dominium, quamvis reipsa sit invalida ob aliquem defectum occultum.

4. Requiritur possessio cum bona fide continuata per totum tempus lege definitum, quod tempus diversum est pro diversitate rerum præscribendarum. Nam ex communi sententia, res mobiles possessione triennali cum titulo præscribuntur, *Instit. de usucap.* Sed sine titulo requiruntur triginta anni: quia res immobiles contra privatum præscribuntur triginta annis sine titulo: ergo idem censeri debet de mobilibus, cùm nil aliud de his statutum sit absente titulo.

Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni, contra aliam Ecclesiam, vel hospitale, vel monasterium, vel pias causas, quadraginta anni, ex Authentica. *Quas actiones*, c. de SS. Ecclesiis. Ad præscribenda verò immobilia privatorum, cum titulo requiruntur decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes, *Instit. de usucap.* Sine titulo requiruntur triginta anni, ut colligitur ex l. 3. *Cod. de præscript. triginta vel quadraginta annorum*, & ex cap. 3. *de præscript.* ubi dicitur res præscribi possessione triginta annorum, nulla facta mentione tituli. Si autem dominus fuit partim præsens, partim absens, tot anni sunt abjiciendi, quot absuit, ex Authentica. *Quod si*, cod. de præscript. long. temp. ita ut duo anni absentiæ computentur tantùm pro uno anno præsentiæ. Unde si præsens fueris octo annis, & postea in alieno territorio habites, ut res immobilis præscribatur contra te, requiruntur adhuc quatuor anni. Res autem quælibet minoris non præscribitur nisi triginta annis.

Dixi, *sine titulo*, supple, qui probetur: nam tunc præsumitur præcessisse. Quare ad præscribendum requiritur titulus coloratus, vel

vel qui probetur, vel qui præsumatur præcessisse.

Nota 1. Præsentes hic dicuntur ii, qui in eodem territorio, licèt non in eadem civitate, habitant; absentes, qui in diversis territoriis. 2. In hac materia tempus breve dicitur, quod est minus decennio. Longum est spatium decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Longissimum triginta vel quadraginta annorum. Immemoriale verò, cujus initii non extat memoria etiam apud seniores. 3. Bona mobilia sunt res corporales, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia, &c. Ad hæc revocantur debita & actiones, quæ ex rebus mobilibus competunt. Immobilia sunt quæ loco moveri non possunt, ut domus, fundus &c. Ad quæ reducuntur res incorporeæ, ut jura, servitutes, census, ususfructus, beneficia; item debita & actiones, quæ ex rebus immobilibus competunt, aliaque jura ad illa spectantia.

Quæst. III. *An qui bona fide accepit aliquid ab authore malæ fidei potest illud præscribere?*

Resp. 1. Hæres qui bona fide aliquid ab authore malæ fidei accepit, nunquam potest illam præscribere. Est communis sententia, ex instit. de usucap. & l. 11. §. de divers. temp. præscript. ibi: *Cùm hæres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit.* Quia hæres in jure censetur una persona cum defuncto, succeditque uti in omnia jura, ita etiam in omnes obligationes reales & onera: unde cùm defunctus ob injustitiam contraxerit obligationem rem mala fide possessam restituendi, hæres in hac obligatione succedit. Item *vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem authoris sui culpa comitatur*, l. 11. Cod. de acquir. & retin. poss.

Resp. 2. Qui rem bona fide ab authore malæ fidei accepit alio titulo quàm hæreditatis, putà donationis, emptionis, legati, &c. potest eam præscribere tempore ordinario. Est communis sententia, ex l. 5. §. *de diverss. temp. præscript.* Excipiuntur duo casus. Primus. Si res sit immobilis, & ille contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri, tunc enim ad præscribendum requiruntur triginta anni, ex Authent. *Mala fidei*, Cod. de præscript. longi temp. Secundus, si res illa sit furtiva, vel vi possessa, nam non potest tunc præscribi spatio decem vel viginti annorum *instit. de usucap.* Sed juxta multos potest spatio triginta annorum, ex l. *Sicut.* Cod. *de præscript. triginta, vel quadraginta annorum.*

Quæst. IV. *An res omnes præscribi possunt?*

Resp. Multa præscribi non possunt, scilicet, homo liber, res sacræ & religiosæ, ut calices, templa, cœmeteria, &c. jus decimarum percipiendarum à laico, res publicis usibus destinatæ, ut forum, pons, via publica, &c. limites provinciarum, episcopatuum & parochiarum, si de illis constat; res populi, immunitatis ab iis quæ quis ut subditus debet principi, ut sunt tributa, obedientia, &c. quamdiu scilicet manet subjectio, nam subditus potest præscribere immunitatem, per quam definat esse subditus: ad quod requiruntur quadraginta, vel quinquaginta anni cum titulo, & sine titulo tempus immemoriale. Nulla tamen potest præscribi exemptio à jurisdictione spirituali Summi Pontificis, quia Christus absolutè voluit omnes christianos illi, ut Vicario suo & Ecclesiæ capiti visibili, semper subjectos esse in spiritualibus.

§. III.

De usu, usufructu, & servitute.

Quæst. I. QUid est usus?

Resp. Usus duplex est, nempe juris & facti. Usus juris, de quo solo agunt Juristæ, est jus seu potestas legitima utendi rantùm re aliena, salva ejus substantia. Usus facti est actualis usus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipso usu consumatur, sed revocabile ad nutum concedentis: tale est jus quod habent religiosi utendi vestibus ac alimentis, & cæteris rebus sibi concessis.

Quæst. II. *Ad quid tenetur usuarius?*

Resp. Tenetur 1. rem, cujus habet usum, integram diligenter conservare proprietario: nam non habet jus ea utendi, nisi salva ejus substantia. 2. Non ei licet percipere fructum distinctum ab ipso usu concesso; quia solus usus ei conceditur: imò nec potest usum sibi concessum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi nisi ad suum usum.

Quæst. III. *Quid est ususfructus?*

Resp. Est jus utendi & fruendi re aliena, salva ejus substantia, lib. 1. §. *de usuf.* Unde est jus non solùm utendi re aliena, sed etiam omnem ejus fructum percipiendi. Porrò usus est assumptio rei ad aliquid, ut equi ad equitandum: fructus verò est id, quod provenit ex re, ut agnus vel lana ex ove.

Hinc

Hinc usufructuarius potest omnem fructum rei & utilitatem percipere, v. gr. in fundo, quidquid in eo nascitur, ut fœnum, segetes, lapides, metalla, arenæ, &c. quæ crescunt in fundo; item proventus venarionum, aucupiorum, &c. fructus arborum: in animalibus verò fœtus, lanam, lac, &c. In sylvis cæduis potest se gerere ut paterfamilias, cædendo quotannis certam portionem: non potest tamen arbores grandiores nisi valde vetustas & ferè inutiles, neque frugiferas cædere. Non fit autem dominus fructuum, nisi postquam eos percepit: potest etiam omnem utilitatem ususfructus & usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere, sine consensu proprietarii.

Quæst. IV. *Ad quid tenetur usufructuarius?*

Resp. Ex instit. *de rer. divis.* & digest. *de usufructu*, tenetur 1. uti re, cujus habet usumfructum, sicut bonus paterfamilias utitur re sua, quam sibi & posteris conservare cupit. Unde non potest arbores non cæduas cædere, agrum deteriorem etiam negligentia sua facere, teneturque de damnis sua culpa proprietario illatis. 2. Si habeat usumfructum pecorum; tenetur in locum capitum demortuorum, vel inutilium, alia capita è fœtu substituere, quæ substituta cedunt in dominium proprietarii. Similiter tenetur loco vitium, vel arborum demortuarum, alias serere, non tamen loco dejectarum vi tempestatis. 3. Rem domino suo integram diligenter conservare. Unde tenetur pro illius conservatione sumptus moderatos facere: sic tenetur ad modicas refectiones domus, ut integra permaneat, non tamen ad magnos sumptus, quibus efficiatur melior. 4. Tenetur præstare sumptus ad fructuum perceptionem necessarios, & solvere tributa, quæ pro re frugifera debentur.

Quæst. V. *Quid, & quotuplex est servitus?*

Resp. 1. Servitus activè sumpta est jus, quod quis habet in re aliena ut sibi serviat, id est, ut in ea aliquid fiat vel non fiat in suum commodum. Passivè sumpta, est subjectio seu obligatio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.

Resp. 2. Servitus generatim duplex est, realis, & personalis. Realis est ea, quæ à re immediate debetur alteri rei, ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi jus transeundi per tuum. Personalis est ea, qua res obligatur personæ, vel contrà. Servitus realis alia est urbana, quæ debetur prædio urbano; alia rustica, quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur omne ædificium habitandi causa confectum, sive in urbe, sive in villa, & hortus amœnitatis causa ei annexus. Rusticum verò sunt ager, vinea, pratum, pecorum stabulum à domo sejunctum.

Servitutes urbanæ sunt, ut lignum in tuum parietem admittatur, ut stillicidium in tuas ædes vel aream tuam recipiatur, ut murus altiùs non attollatur, ut fenestra in muro non aperiatur. Servitutes rusticæ nominatæ sunt iter, actus, via, aquæductus. Iter est jus, quo pedes vel eques potest commeare per fundum alienum, non tamen ducere jumentum aut vehiculum. Actus est jus jumentum & armenta ducendi per prædium alterius. Via continet in se iter & actum. Aquæ ductus est jus aquam ducendi per fundum alienum. Innominatæ verò sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

§. IV.

De Possessione.

I. Possessio alia est facti, quæ est actus possidendi, abstrahendo an justè an injustè; & alia juris. Possessio facti, quæ ordinariè intelligitur nomine possessionis, definitur rei apprehensio vel detentio, corporis, animi, & juris adminiculo. Dicitur 1. *apprehensio* vel *detentio:* quia vel primum fit, & tunc est apprehensio, quæ est inceptio possessionis: vel jam facta est, & tunc est detentio, quæ est continuatio possessionis. 2. *Rei*, qua voce intelligo cum Lessio, non solùm res corporales, sed etiam incorporeas, ut sunt census, beneficium, & similia, quæ à Theologis dicuntur possideri, à Jurisperitis verò quasi possideri. 3. *Corporis adminiculo:* quia ut res aliqua possideatur, debet apprehendi aliquo actu corporali, v. gr. manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se vel in alio in quo contineri censeatur. 4. *Animi:* quia res debet apprehendi animo illam possidendi tanquam suam. 5. *Juris*, id est jure non resistente, seu impediente: nam ad possessionem requiritur, ut jus, seu Leges non impediant ne detentio rei censeatur possessio ejus. Hinc detentio rei facta à laico nequidem est possessio facti, jure id impediente. Contra fur acquirit possessionem facti respectu rei furtivæ pro-

fanæ, quia jus non impedit ne detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

Possessio juris est jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri. Dicitur 1. *Jus*, per quod differt à possessione facti, quæ est ipsa occupatio vel detentio, ex qua jus oritur, si justa est: quod si non sit justa, non oritur ex ea jus in conscientia. 2. *Insistendi rei*, hoc est, rem pacificè detinendi, & juris remediis, interdum etiam armis, tuendi adversus perturbantes. 3. *Tamquam suæ*: nam si quis insistat rei nomine alterius, non est vera possessio. Hinc tutor non possidet bona pupilli, sed pupillus possidet per tutorem, quia tutor non retinet illa bona ut sua, sed nomine pupilli.

II. Possessio dividitur in naturalem, & civilem. Possessio naturalis est ea, qua res possessa corpore & animo retinetur ut sua, dum scilicet quis corporaliter insistit detentioni rei tanquam suæ: quod facit qui rei in conspectu positæ ita vicinus est, ut ei continuò adesse possit. Civilis est, qua res corpore & animo apprehensa retinetur solo animo; sic possidet res suas is qui abest, quandiu habet animum eas retinendi. Hic additur tertia species possessionis, quæ civilissima dicitur, & est ea, quæ sola dispositione Legis acquiritur absque omni corporis & animi adminiculo, etiam ab inscio: sic hæres parvulus possidet hæreditatem defuncti sine ullo apprehensionis actu & cognitione.

PARS II.

De injuriis, & necessaria restitutione in genere.

CAPUT PRIMUM.

De injuria seu injustitia in genere.

Quæst. I. *Quid est injuria?*

Resp. Est voluntaria violatio juris alieni. Sicut enim per actum justitiæ jus suum alteri tribuitur, ita per actum injustitiæ hoc jus violatur. Porrò injuria censetur gravis, ideòque mortalis, quando per se apta est parere tristitiam magnam seu difficilè sedabilem, aut aversionem animi difficilè impedibilem, spectata communi hominum conditione ac dispositione naturali, & communiter parit. Nam talis injuria graviter repugnat justitiæ fini, qui est pax, tranquillitas, mutuus amor per conservationem æqualitatis & jurium.

Quæst. II. *An violentia potest fieri injuria?*

Resp. 1. Fit injuria consentienti ex dolo, vi, vel metu injustè incusso: quia talis non cedit moraliter juri suo, saltem sufficienter ad tollendam injuriam. Nam cessio juris tollens injuriam debet esse omnino voluntaria, & expers omnis injustæ coactionis ac deceptionis; injuria enim non potest parere ullum jus injurianti, & nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare. Hinc, qui ad vitam servandam dat pecuniam latroni, patitur injuriam, licèt velit eam dare, quia in illam dationem non consentit, nisi per vim injustam: idem dic de consentiente per ignorantiam, ut si quis solvat centum, putans se ea debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat; nam non vult dare centum si non debeat.

Resp. 2. Fit etiam injuria consentienti, quoties consensus est moraliter nullus, ut patet. Sic fit injuria solventi usuras, vel pretium justo majus pro merce, &c. quia consensus in ista est nullus, cùm sit de re impossibili. Nam dans vult ista dare tantùm tanquam pretium, non autem gratis: sed impossibile est illorum esse pretium, mutuum enim est essentialiter gratuitum, & pretium est essentialiter quid æquale merci: ergo excessus pretii non est pretium.

Resp. 3. Quoad jura abdicabilia, consentienti omnino voluntariè non fit injuria, ex reg. juris 23. in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria*. Quia eo ipso quòd sponte consentit, cedit efficaciter istis juribus: ideòque actio non est contra jus, sed secundùm jus alteri concessum. Sicque nulla est violatio juris, nec proinde injuria.

Resp. 4. Quoad jura inabdicabilia consentienti fit vera injuria. *Prob.* 1. ex cap. 36. *de sentent. excomm.* ubi Innocentius III. ait, percussionem clerici, ad satisfactionem alicujus offensæ juxta morem patriæ, triginta circiter fustium percussionibus corpus suum ultro subjicientis, esse injuriosam, licèt non sit violenta, *cùm ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quàm in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus*. 2. Quia jus inabdicabile est illud, cui efficaciter cedere non potest Dominus: ergo cùm tunc consensus sit inefficax ad tollendum jus quod habet consentiens ne fiat illa actio, revera manet totum jus illud, ac proinde talis actio est verè injuriosa, utpote contra jus alterius permanens. 3. Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum*.

Quip-

Quippe jus mariti est inabdicabile, cùm ex natura matrimonii jus copulæ sit essentialiter conjugibus affixum. Maritus tamen consentiens censetur condonare injuriæ reparationem.

CAPUT II.

De natura & necessitate restitutionis.

Quæst. I. *Quid est restitutio?*

Resp. Est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio, debita ex justitia ad æqualitatem; vel etiam, rei alteri debitæ solutio. Nam de ea sic sumpta hic agitur. Unde est actus justitiæ commutativæ, quæ versatur circa qualitatem rei ad rem, ex S. Thoma, 2. 2. quæst. 62. art. 1. Differt à satisfactione sive latè, sive strictè sumpta. Nam satisfactio latè sumpta est quid generalius, & complectitur tum restitutionem, tum etiam quamlibet reparationem, & subitionem pœnæ pro offensa alteri illata: satisfactio verò sumpta strictè est inhonorationis ac contumeliæ illatæ reparatio, & sic spectat personam. At restitutio est rei alienæ redditio, damni compensatio, vel debiti solutio, & spectat res, non personas: nec semper supponit injuriam, ut satisfactio: nam, v. gr. qui depositum reddit, verè restituit, licèt nullam injuriam intulerit. Quæ tamen de restitutione dicentur, applicari debent satisfactioni latè sumptæ, & reparationi famæ, honoris, & aliorum bonorum, cùm sit eadem ratio ac regula pro his omnibus.

Quæst. II. *An restitutio actualis necessaria est ad salutem necessitate præcepti?*

Resp. Affirm. Nisi impotentia excuset, vel adsit justa causa differendi. Constat 1. ex Rom. 13. *Reddite omnibus debita .... Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et, Ezech. 33. *Si fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum: vita vivet, & non morietur, &c.* Et, Jacob. 5. *Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.* 2. Ex reg. 4. jur. in 6. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Idem habet S. August. Epist. 54. & refertur in cap. *Si res* 14. quæst. 6. ibi: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pænitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum: sed ut dixi, cùm restitui potest.* 3. Quia qui non restituit cùm potest, nec habet rationabilem causam differendi, voluntariè nocet, & facit injuriam proximo: nam eum privat possessione & usu rei suæ vel debitæ, & violat jus quod habet, ut rem illam nunc possideat. At injuria qualibet prohibita est Lege divina naturali, præsertim hac generali: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Suum cuique reddendum.* Quod procedit, sive res sit debita ob injuriam, sive ex contractu justo, cùm sit utrobique eadem ratio, & creditor habeat jus strictum possidendi rem sibi ex contractu debitam.

Hoc autem præceptum divinum naturale est primariò negativum, & secundariò affirmativum. Nam primariò vetat ne retineatur alienum vel alteri debitum invito rationabiliter domino, & ideo præcipit actum restituendi. *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*, ait S. Thom. quæst. 62. art. 8. ad 1. Quare obligat semper pro semper: nam semper illicitum est retinere rem alienam domino rationabiliter invito.

Præterea omissio restitutionis est virtualiter acceptio rei alienæ continuata, invito domino, ideòque furtum continuatum contra præceptum negativum, *Non furtum facies.* Unde Conc. gener. Later. IV. cap. 39. ait, *non multum interesse, præsertim quoad periculum animæ, detinere injustè ac invadere alienum.* Et à Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. Qui decimas non solvunt, res alienas invadere dicuntur.

Hinc mortaliter peccat; qui notabili tempore omittit restitutionem, vel solutionem integram, quam potest facere, vel etiam brevi tempore omittit; si inde creditor damnum grave patiatur. Quia tunc graviter lædit jus alterius, nec accusator eo quòd imposuerit hæredibus suis obligationem restituendi, cùm hanc ipse nunc habeat, & implere teneatur. Adde quòd sæpe hæredes non restituant, ideòque periculum sit ne omittatur restitutio. Qui autem non potest restituere, debet habere voluntatem saltem implicitam restituendi, cùm primum facultas restituendi aderit, & moralem diligentiam adhibere ad hanc facultatem comparandam: qui enim tenetur ad finem, simul tenetur ad media ad eum necessaria. Qui verò non potest totum restituere, tenetur statim restituere ac solvere partem quam potest, cùm circa illam non habeat justam excusationem.

Quæst. III.

Quæst. III. *Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, & multiplicatur?*

Resp. 1. Qui non restituit, vel debita non solvit, cùm potest & debet, actu peccat toto tempore quo id omittit. Quia omissio restitutionis vel solutionis debitæ toto eo tempore quo fieri potest, est injuriosa proximo: nam per illum continuè læditur jus quod habet possidendi rem suam, vel sibi debitam, & ea utendi; & talis omissio est sufficienter voluntaria, cùm omittens possit & debeat restituere, & ad hanc obligationem advertere. Tunc enim si non restituit, habet voluntatem continuam saltem interpretativam detinendi rem alienam vel alteri debitam: quæ voluntas permanet moraliter, quamdiu non retractatur, vel interrumpitur; sicut qui alium injustè conjicit in carcerem & ibi relinquit, continuè peccat, quia continuè lædit jus proximi.

Igitur qui non restituit, cùm potest, peccat actu singulis momentis, non quidem singulis novum peccatum addendo, sed prius actu continuando. Quod quò plus durat, eò fit gravius ratione majoris liberæ durationis, vel etiam majoris nocumenti, quod inde domino evenit, nisi tale peccatum detentionis interrumpatur, & multiplicetur.

Resp. 2. Iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, novum peccatum admittit, & sic multiplicat numero peccata injustæ detentionis. 1. Quoties habet voluntatem expressam non restituendi. Nam quilibet ejusmodi actus est peccatum; & nihil est exterius, in quo illi actus uniantur & continuentur, ad faciendum unum moraliter actum. 2. Quoties interrumpit illud peccatum actuale detentionis, & postea advertit vel advertere potest ac debet ad obligationem restituendi, & tamen non restituit, cùm potest: quia toties omissio restitutionis est ei saltem interpretativè voluntaria, & nova culpa. Interrumpitur autem moraliter per contritionem vel propositum restituendi, per impotentiam restituendi, per somnum vel longam distractionem, aut occupationem circa alias res: nam tunc volitio non restituendi non durat virtualiter eadem numero.

Ex dictis sequitur iniquum detentorem teneri explicare in confessione. 1. Totum tempus quo sua culpa non restituit vel non solvit, ut intelligatur gravitas peccati, & quantum fieri potest multitudo actuum internorum, vel continuatio æquivalens multis actibus internis. 2. Numerum volitionum non restituendi, seu quoties admisit novum peccatum detentionis; nam tot sunt peccata numero distincta. 3. Quoties interim occasionem restituendi habuerit & neglexerit, ut intelligatur multitudo actuum seu omissionum exteriorum. 4. An dominus ex illa detentione tristitiam magnam vel grave damnum passus sit, ut intelligatur tota malitia detentionum.

Sed quid si detentor utatur re aliena?

Resp. 1. Si domino perinde sit, utarisne re sua, an eam apud te detineas otiosam, non magis peccas utendo, quàm retinendo solùm. Quòd si dominus longè ferret ægriùs usum quàm otiosam detentionem, eo quòd res usu atteratur, vel periculo exponatur, tunc graviùs peccas usu ejus rei, quàm nuda detentione: nam plus est cæteris paribus uti re aliena, quàm eam nudè detinere invito domino, ac proinde major est injuria. 2. Si res apud te facta sit deterior, ita ut prudenter judices dominum eam non ampliùs velle, sed potiùs pretium ejus, non peccas ea utendo, aut eam destruendo, quia hoc non facis invito domino. Peccas tamen ejus pretium non restituendo cùm primum potes.

CAPUT III.

De radice obligationis restituendi.

Quæst. I. Unde oritur obligatio restituendi?

Resp. Ex quatuor capitibus, scilicet. 1. Ex injusta acceptione, qua intelligitur injusta & culpabilis rei alienæ ablatio, retentio, vel damnificatio, ex c. ult. de injur. ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.* Nam jus per injuriam auferri nequit; ergo in eo, cujus res ablata vel destructa est, semper manet jus ad illam habendam, vel ejus pretium, quod est res æquivalenter; ac proinde manet in altero obligatio restituendi. 2. Ex re accepta, id est, ex re aliena in se vel in æquivalenti extante apud alium sine hujus culpa: nam *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*, reg. jur. 58. in 6. Præterea dum res est aliena, eo ipso subest juri alterius, qui inde minùs habet dum ea caret, quàm habere deberet. 3. Ex contractu explicito, vel implicito, seu quasi contractu in assumptione officii seu muneris: nam quidquid fit contra pactum, vel officium ad aliorum commodum spectans, est contra justitiam commutativam, ideòque obligat ad restitutionem.

nem. 4. Ex Lege positiva & justa sententia. De his duobus ultimis alibi dictum est.

Quæst. II. *An oritur obligatio restituendi ex damnificatione nullatenus peccaminosa v. gr. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam?*

Resp. Non oritur extra contractum & officium. Quia 1. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, capit. 2. de const. 2. Quia qui damnum sine ullo peccato extra contractum & officium intulit, ex nullo capite tenetur restituere: non ratione injuriæ, cùm non peccaverit; neque ratione rei acceptæ, aut contractus, vel Legis, vel sententiæ, cùm nihil horum extet. 3. In hoc casu damnum non illatum fuit damnificato rationabiliter invito: nemo enim potest velle rationabiliter, ut quis sibi non inferat damnum etiam tum cùm de eo inferendo non cogitat, & involutariè ac necessariò infert: nam non potest rationabiliter velle id, quod tunc impossibile est. Præterea qui damnum sine ullo peccato extra contractum & officium intulit, se habet instar possessoris bonæ fidei, qui non tenetur restituere rem alienam, quam bona fide consumpsit, si ex ea non sit factus ditior.

Dixi, *extra contractum*, quia Leges imponunt contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa merè juridica; & contrahens hoc ipso quòd contrahit, illud onus tacitè in se suscipit, cùm velit & debeat contrahere secundùm Leges. Quare, quamvis damnum non sit illatum domino rationabiliter invito, tunc tamen indemnitas ei debetur ex pacto seu contractu explicito vel implicito: sicut debetur cùm res perit casu fortuito, nisi præcesserit pactum cum præstandi.

Quæst. III. *An oritur obligatio restituendi ex damnificatione veniali?*

Resp. 1. Ex damnificatione & furto veniali ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali. Quia non restituendo injustè privatur dominus possessione & usu rei suæ, vel sibi debitæ, sufficientis ad materiam injustitiæ venialis, quæ tolli debet.

Resp. 2. Ex damnificatione gravi quoad materiam, sed veniali ob defectum advertentiæ, oritur obligatio restituendi. Quia tunc committitur vera culpa & injuria, licèt levis: at omnis injuria ex natura rei, ideòque jure naturali resarciri debet, ex cap. ult. *de injur.* cit. Non videtur tamen esse obligatio restituendi totum damnum citra contractum aut officium: quia injuria venialis ac imperfecta non debet citra contractum aut quasi contractum, tantam obligationem parere, quantam injuria gravis & perfectè voluntaria. Et quia tunc damnum leviter peccanti, leviter est imputabile: Ergo non tenetur totum compensare. Deinde cùm ea restitutio sit pœna seu onus jure naturali culpæ correspondens, debet esse culpæ proportionatum. Sunt tamen qui docent, tantùm posse esse damnum, ut pars illius correspondens culpæ veniali, sit adhuc gravis momenti, ideòque sub mortali restitui debeat, quia alioqui retineretur res notabilis debita, invito domino, quod est mortale.

Cæterum in praxi quando damnum grave est, censeri ordinariè debet intervenisse culpam mortalem. Nam (ut notat Lessius,) generaliter in operibus externis periculosis, citra subitaneam passionem vehementem, rarò contingit advertentia imperfecta: scilicet opera illa periculum suum statim & facilè ingerunt, mentemque ad sui considerationem excitant. Præterea ad mortale sufficit confusa cognitio periculi, vel obligationis diligentius advertendi: quæ facilè haberi potest. Quare in dubio an culpa sit mortalis, an venialis, totum damnum resarciri debet, præsertim cùm in dubio potior sit conditio innocentis.

Quæst. IV. *An oritur obligatio restituendi ex damno dato per culpam juridicam in officio, vel extra illud commissam?*

Nota. Culpa duplex distinguitur: theologica, & juridica seu civilis. Culpa theologica est peccatum imputabile, sive mortale, sive veniale: culpa juridica est omissio diligentiæ debitæ ad cognoscendum, vel cavendum, vel faciendum, vel providendum, ex qua sequitur damnum, sive illa omissio sit peccatum, sive non. De hac sola hìc agitur; & triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa lata est omissio diligentiæ, quam passim in rebus ejusmodi propriis adhibere solent homines diligentiores & prudentiores ejusdem conditionis. Levissima, est omissio diligentiæ, quam soli diligentissimi & prudentissimi adhibent. Ut si quis, v.gr. librum, sibi commodatum relinquat ante ostium domus, & amittatur, tunc censetur amisisse per culpam latam: si reliquit in cubiculo suo, non obserato ostio, erit culpa levis; si ostium obseravit, sed non advertit an esset bene obseratum, est levissima.

Resp. 1. Ex communi sententia, extra officium & contractum, non oritur obligatio restituendi damni secuti ex culpa levi & levissima.

sima. Quia citra contractum & officium nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in suis operibus ne alteri noceat, quam in similibus casibus adhibere solent homines ejusdem conditionis diligentes ac prudentes: nemo enim tenetur esse diligentior ac prudentior cæteris hominibus diligentibus & prudentibus ejusdem conditionis: nisi ad id specialiter se obligarit. Constat tamen, inquit Lessius, esse obligationem restituendi damnum secutum ex culpa lata, nisi constet illam esse prorsus inculpabilem: quia quisque ex justitia tenetur, ne alteri noceat, adhibere in actionibus suis eam diligentiam, quam adhibere solent in ejusmodi actionibus diligentes ac prudentes; nam quisque jus habet ne sine justa causa & authoritate sibi inferatur damnum: ergo si non adhibet, non facit id ad quod tenetur ex justitia, & sic damnum inde secutum censetur ei voluntarium, & meritò imputatur, ac proinde illud tenetur resarcire.

Resp. 2. Per se loquendo nemo tenetur in conscientia ad restitutionem propter culpam levem, vel levissimam in officio, vel arte commissam, sed tantum propter latam. *Est communis, aut ferè communis sententia.* Quia nemo tenetur in officio, vel professione sua adhibere majorem diligentiam & providentiam, quam soleant adhibere diligentes & prudentes ejusdem professionis: nam nec gravius onus quis vult sibi imponere, dum officium suscipit, vel artem exercet, nec resp. plus ab ipso exigit.

Hinc advocatus, v. gr. qui bona fide præstitit id quod diligentes & periti advocati in similibus causis præstare solent, non tenetur ad restitutionem, si causa cadat, eo quòd non præstiterit id quod diligentissimè præstitisset. Idem dic de judice, magistratu, medico, architecto, &c.

Dixi, *per se loquendo:* nam si quis profiteatur se diligentiorem & peritiorem aliis, aut diligentissimum, & sic eos qui tales quærunt, ad se pertrahat; is tenetur adhibere majorem aut etiam maximam diligentiam & prudentiam. Quia id promisit, & ad id se obligavit saltem implicitè: unde tenetur resarcire totum damnum ex levi vel etiam ex levissima culpa secutum, cùm non adhibendo majorem, vel maximam diligentiam, peccaverit graviter in re gravi contra pactum saltem implicitum, ideòque gravem injuriam fecerit.

Porrò culpa quæ dicitur lata in jis, qui officium vel artem exercent, censeretur levis in aliis privatis: Unde illi dici possunt teneri de culpa levi comparatè ad alios, qui non tenentur ex officio vel pacto, cùm debeant majorem diligentiam adhibere, quàm si nihil commodi perciperent, vel non ex officio facerent.

Resp. 3. Qui præbet consilium in rebus ad suum officium vel artem pertinentibus, tenetur ad restitutionem ratione culpæ latæ. Quia ex officio tenetur in consilio dando adhibere eam diligentiam & prudentiam, quam adhibere solent in similibus casibus homines diligentes ejusdem professionis. Ergo si non adhibet, peccat contra justitiam; ideòque tenetur ad restitutionem damni ex hac culpa secuti. Item tenetur ratione ignorantiæ, quia talis ex officio tenebatur hoc scire, & in responso vitare errorem, ex quo damnum secutum est: unde meritò censetur causa injusta damni secuti. Et utrumque patet ex cap. ult. *de injur.*

Non tenetur tamen ad restitutionem, qui consultus aperit bona fide duntaxat opinionem suam, dicendo ita sibi videri, nec suadendo ut alter faciat; & à fortiori si indicet se dubitare. Nam tunc si alter sequatur, suæ imprudentiæ damnum adscribere debet, modò consultus non habeatur à consulente peritior ac prudentior quàm revera sit. Imò si des consilium in rebus quæ ad tuum officium non spectant, & quarum parum peritus es, & alter sciens tuam imperitiam, consilium tuum sequatur, non teneris de damno inde secuto, nam damnum illud sibi imputare debet, & scienti ac volenti non fit injuria. Si tamen agitur de damno tertii, ut si suadeas alteri contractum injustum, vel ut non restituat, peccas graviter in re gravi, & teneris illi tertio: nam illi tertio & quidem invito damnum infers tuo malo consilio. Nec obstat quòd veritatem inculpatè ignorares; quia nihilominus imprudenter agis: nemo enim nisi imprudenter miscet se consiliis dandis in rebus quas non intelligit, & sciens ac volens exponit se periculo errandi cum damno tertii, quod proinde ei sufficienter est voluntarium, meritòque imputatur. Ita ferè Lessius.

Porrò hæc regula juris 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur:* intelligitur solùm de eo, qui bona fide dat consilium in rebus ad suum officium non pertinentibus, & qui ratione sui muneris aut status peritiam non profitetur. Vel nomine fraudis intelligitur culpa lata, quæ ei æquiparatur in jure.

Quæst. V.

Quæst. V. *Ex qua culpa juridica in contractibus oritur obligatio restituendi?*

Resp. 1. Si contractus cedit in utilitatem solius accipientis, ut in commodato, accipiens tenetur ad restitutionem, si res aliena pereat, vel deterior fiat ex culpa etiam levi & levissima: Sed non tenetur, si fecit id quod diligentissimi ac prudentissimi in simili re propria conservanda facere solent. Constat ex l. 18. §. *commod.* & ex instit. lib. 3. tit. 15. & ex cap. 1. *de commod.* Ratio dispositionis juris est, quia æquitas naturalis postulat ut is qui gratis utitur re alterius in suam tantùm utilitatem, maximam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat.

Excipitur precarium, in quo accipiens tenetur solùm ex dolo vel culpa lata, l. 8. §. *de precario*: eo quòd res concessa precariò, potest à Domino quovis tempore revocari, non autem res commodata: quare æquum est, ut qui accepit precarium, non teneatur de tanta culpa.

Resp. 2. Si contractus sit utilis utrique contrahenti, ut contractus pignoris, locati & conducti, uterque tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa lata & levi, non autem levissima, ex l. 5. §. *commod.* & l. 23. *de reg. jur.* Ratio est, quia cùm res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat ut eam valdè diligenter custodiat; non tamen ad tantam diligentiam teneatur quantam si in sui tantùm utilitatem accepisset. Quare ad nihil tenetur, si fecerit quod diligentiores faciunt in simili re propria conservanda. Hinc artifices, qui laborant in re aliena ob stipendium, & domestici, quibus incumbit ex officio cura custodiendæ rei domesticæ, tenentur resarcire damnum ex culpa etiam levi secutum. Qui tamen conductus est ad transportandum columnam vel alias res fragiles, tenetur de culpa levissima respectu aliarum rerum, l. 25. §. *locat.* Quia nempe talis negligentia in ejusmodi rebus non censetur levissima, sed major propter summam diligentiam, quam illæ res ex natura sua exigunt. *Delugo, & alii.*

Resp. 3. Si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut in deposito, accipiens tenetur solùm ad restitutionem ex culpa lata, & dolo, ex l. 5. §. *commod.* & l. 23. §. *de reg.* & instit. lib. 3. tit. 15. Nam æquitas postulat, ut qui habet rem alienam in commodum solius domini, non teneatur ad majorem diligentiam & custodiam, quam passim adhibere solent in rebus suis homines, cùm nullum commodum inde percipiat.

Hinc si depositum pereat apud te sine tua culpa lata, non teneris illud restituere, nisi in his casibus. 1. Si adsit pactum de majori vel maxima custodia adhibenda, vel etiam de casu fortuito præstando, ex l. 1. §. *deposit. Contractus enim Legem ex conventione accipiunt*, ibid. 2. Si in culpa fuisti tecum deferendo depositum in locum periculosum, vel fuisti in mora non reddendo, cùm potuisti, & debuisti, teneris ad restitutionem, quantamcumque custodiam adhibueris, ex variis juribus, & cap. ult. *de depos.* ibi: *Pacto, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.* 3. Si accepisti mercedem pro deposito custodiendo, ex eodem cap. Tunc enim teneris de culpa levi: quia contractus depositi cedit in tuam & domini utilitatem, transitque in locationem operæ ad illud custodiendum. 4. Si teipsum ad depositi custodiam offeras petenti diligentissimum custodem, tunc teneris de culpa levissima, l. 1. § *depos.* quia tunc censeris custodiam diligentissimam promittere.

Obj. In prædictis Legibus depositarius dicitur obligari solùm ex dolo, non ex culpa. *Resp.* In jure lata culpa dolo æquiparatur, Lege 32. §. *depos.* & Lege 226. §. *de verb. obligat.* ibi: *Magna negligentia culpa est magna, culpa dolus est.* Quare cùm Leges decernunt dolum solùm præstandum esse, non culpam, culpæ nomine levis & levissima intelligitur, & sub nomine doli comprehenditur culpa lata. Cùm autem statuunt in contractibus culpam esse præstandam, per culpam intelligitur aliquando levis, aliquando levissima, pro subjecta materia.

Resp. 4. Est obligatio in conscientia resarciendi secundùm has Leges ante sententiam judicis, damnum secutum sine peccato, sed ex culpa merè juridica in contractibus. *Ita Covarruv. Navarr. Molin. Vasquez, Lessius dicens esse communiorem, & alii.* Prob. Quia qui ex contractu rem alterius accipit, obligat se saltem implicitè ad eam servandam cum onere per Leges annexo, & ad præstandam curam ac diligentiam, quam Leges præscribunt: cùm præsertim hæ Leges fundentur in naturali æquitate, & sancitæ sint propter bonum commune, ut contractus facilè ineantur; & ad excitandam curam ac diligentiam circa res alienas. Neque enim fundantur in præsumptione culpæ mortalis; nam v. gr. in culpa levissima non potest forum externum præsumere peccatum mortale, ut notat Vasquez, & tamen, cap. unico de accommodato dicitur simpliciter; *Cùm gratia sui quis commodatum accipit, de levissima etiam culpa tene-*

tenetur. Unde tunc est obligatio restituendi ex contractu, cui Leges justæ eam annexuerunt, & quam contrahens hoc ipso quòd contrahit, tacitè in se suscipit, cùm velit & debeat contrahere secundùm Leges.

Quæst. VI. *An qui inculpabiliter dixit vel fecit aliquod, ad quod jus nullum habet; & ex quo impendet damnum proximo, tenetur ex justitia illud impedire, vel restituere, si non impediat quantùm commodè potest?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia quisque tenetur ex justitia curare ne ex sua actione eveniat damnum proximo contra jus illius, ideòque impedire ne malum ex sua actione secutum perseveret: alioqui qui non impedit, quantùm commodè potest, censetur causa moralis perseverantiæ effectus à se positi, & damni secuti, quod proinde ei imputabitur: nam quisque jus habet ne ei damnum sine justa causa, & authoritate inferatur.

Hinc qui inculpatè errorem docuit, vel consilium noxium dedit, tenetur, ubi advertit, deducere; qui inculpatè res alienas incendit, tenetur, quantùm commodè potest, ignem extinguere, alioqui continuatio incendii foret ei voluntaria & moraliter imputabilis. Si tamen non posset impedire alterius damnum sine graviori aut saltem æquali suo damno, non poterit illi imputari, sed censebitur justè permitti. Nam multò minor est obligatio tunc impediendi, quàm non inferendi positivè damnum; cùm ipsa non oriatur ex injusta læsione vel actione; ideòque non est obligatio impediendi damni, nisi cùm potest impediri sine gravi aut saltem æquali suo damno. Cujus quidem damni proprii gravitas debet spectari respectivè ad damnum, quod inde proximo sequetur.

Quæst. VII. *Quid restitui debet ratione injustæ acceptionis vel damnificationis?*

Resp. Qui injuriam alteri intulit, rem ejus culpabiliter accipiendo, aut detinendo, aut damnum inferendo, &c. tenetur in conscientia restituere rem, si adhuc extet; vel ejus pretium si ipsa non extet: item omnes fructus naturales ac mixtos, sive perceptos, sive non perceptos, sed quos dominus percepturus erat, & compensare omne damnum emergens ac lucrum cessans. *Est communis sententia*. Quia ratione injuriæ contrahitur obligatio injuriatum omnino indemnem reddendi, & restituendi in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset: alioqui injuria integrè non tolleretur, nec æqualitas, quam justitia intendit, reponeretur, & sic non cessaret totaliter injustitia. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione injustæ acceptionis vel damnificationis, est quantitas boni alieni ablati, & damni illati ac lucri impediti, quamvis lædens nihil inde emolumenti perceperit, ex cap. *Gravis*, de restit. spoliat. ubi Cœlestinus III. ait: *Mandamus ablata cum integritate restituere, damna plenarie resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis, provisuri, ut non tantum fructus à novo & violento possessore perceptos, sed quod possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem.*

Igitur fur, vel malæ fidei possessor, vel damnificator injustus tenetur. 1. Rem alienam injustè possessam restituere domino. Nam quamdiu retinet, facit ei injuriam violando jus quod habet rem suam possidendi & ea utendi. Quòd si res aliena non extat, tenetur ejus pretium restituere, cùm sit causa injusta damni, quod patitur dominus privatione rei suæ, quam tenebatur restituere. 2. Compensare omne damnum emergens & lucrum inde cessans domino, l. 5. Cod. *de rei vindic.* Nam est causa injusta utriusque, teneturque dominum indemnem servare, ut tollatur injuria illata. Porrò lucrum justum alterius impedire est illi damnum inferre: nam est eum privare lucro sperato ad quod jus habet, & facere ut minus habeat quàm habuisset. 3. Restituere omnes fructus naturales & mixtos quos percepit, quamvis dominus non percepisset, nec illi extent amplius, nec ex illis factus sit ditior, ex l. 22. Cod. *de rei vindic.* ibi: *Certum est malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare.* Quia fructus rei hoc ipso quòd producuntur, fiunt illius qui est dominus rei; & res quælibet domino suo fructificat ex instit. *de rerum divis.* Nam res ubicumque est, semper domini est, & domino valet, quod ibi valet. Ergo fructus æque restitui debent ac res ipsa; & nunc est etiam obligatio restituendi ex re accepta. Quòd si illi fructus interea, dum retinentur, pereant, pereunt non domino, sed injusto detentori, qui est in mora culpabili. Item tenetur restituere fructus omnes naturales & mixtos, imò & merè industriales, quos dominus singulari sua diligentia licitè percepisset, quamvis ipse damnificator nullos perceperit, ex l. 33. §. de rei vindic. ibi: *Fructus non modò percepti, sed & qui percipi potuerunt, honestè æstimandi sunt.* Et ex cap. *Gravis* cit. Nam debet compensari omne damnum emergens & lucrum cessans.

Nota 1. Fructus merè naturales sunt illi qui

qui ex re aliqua gignuntur sine ulla ferè industria aut labore, ut herbæ in pratis, arborum poma, animalium fœtus. Merè industriales sunt ii, qui ex sola industria & labore proveniunt, licet mediante aliqua re tanquam mero instrumento; ut quæstus, qui ex negotiatione, vel ex usu artificioso alicujus instrumenti, puta penicilli, percipitur. Fructus mixti sunt ii, qui ab ipsa re, mediante industria & labore proveniunt, ut fructus agrorum, vinearum; ad quos revocatur pretium locationis ædium, earumque rerum, quæ habent usum locabilem. Nam pretium locationis rerum est fructus earum, quem pariunt mediante usu sui, qui est pretio æstimabilis, & datur solùm pro usu rei, ex l. 19. & 36. §. *de usuris*. Hi fructus vocantur civiles, & debentur domino rei, l. 5. Cod. *de rei vindic.* ibi: *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse ostendis, Præses provinciæ, cum pensionibus quas percepit, aut percipere poterat, & omni causa damni dati, restitui jubebit.* Soli autem fructus merè industriales, quos dominus rei non percepisset, non sunt restituendi, quia non sunt fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ. Sic qui pecunia furtiva negotiatus est, non tenetur lucrum suum restituere, sed solùm pecuniam oblatam, & omne damnum emergens ac lucrum cessans, si quod est.

Nota 2. Semina & alia similia, si sint aliena, non fructificant domino suo, sed domino agri, l. 25. §. *de usur.* ibi: *Omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur.* Quia sunt magis agri, quam seminis, quod mortuum est, & ab agro vivificari & ali debet. Hinc qui triticum furtivum seminavit in agro suo, non tenetur restituere segetes, sed aliud triticum in eadem mensura cum damno emergente & lucro cessante, si quod est secutum domino tritici.

Nota 3. Restitutio fructuum facienda intelligi debet deductis pretio operæ ac laboris, & impensis quæ à domino fieri debuissent ad illos percipiendos, ad conservationem rei, & ad ejus melioramenta, quibus rei valor crevit domino, ex l. 7. §. *Soluto matrimon.* Quia his deductis dominus non patitur damnum, & reponitur æqualitas.

Quæst. VIII. *An injustus damnificator tenetur insuper aliquid solvere pro culpa in pœnam?*

Resp. Non tenetur ante sententiam judicis. Quia punitio ad judicem pertinet; sed post sententiam tenetur pœnam solvere, quia judex habet jus eam infligendi, & justa sententia obligat in conscientia. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 3.

Quæst. IX. *An fur vel injustus possessor, aut damnificator tenetur restituere rem alienam, si peritura fuisset apud Dominum?*

Nota 1. Possessor malæ fidei est is, qui rem alienam injustè accepit, vel retinet, aut consumpsit; vel alienavit, putans aut dubitans esse alienam, vel se non legitimè possidere; vel ex ignorantia graviter culpabili judicans esse suam. Possessor bonæ fidei est, qui rem alienam detinet, judicans prudenter esse suam. Unde bona fides nunquam potest oriri ex ignorantia, quæ non excusat à culpa mortali in acceptione rei & omissione inquirendi cujus res sit: nam tunc non potest prudenter censeri justa possessio.

Resp. 1. Injustus possessor tenetur rem alienam restituere, si illa non erat peritura apud Dominum nisi per injuriam alterius, v. gr. furtum. *Est communis sententia.* Quia sicut ille alius faciendo injuriam, teneretur restituere; ita tu præveniens teneris integrè damnum resarcire, cùm fueris causa injusta totius damni.

Nota 2. Si res periit dolo vel injuria injusti possessoris, quia vel amisit culpa lata, vel eam scienter destruxit, absumpsit, alienavit, &c. tenetur ejus pretium restituere domino, etiamsi apud hunc casu peritura fuisset. *Est communis sententia, teste Layman.* Quia talis est hic & nunc causa injusta interitus rei, quæ verè perit per injuriam detentoris, ac proinde ratione injustæ læsionis, statim contrahit restituendi obligationem, quæ subsequente fortuito casu non extinguitur. Sic qui occidit hodie Petrum, alioqui cras interficiendum à fera, est causa injusta mortis Petri, & tenetur ad restitutionem. Idque magis adhuc constat, si tempore quo ex culpa periit vel destructa est res aliena, non erat notitia interitus vel periculi futuri. Quia cùm periculum illud ignoraretur, res illa verè tantùm valebat apud homines sicut si peritura postea non fuisset. Totus ergo valor ille fuit per injuriam ablatus ab injusto possessore, & ipse totius illius debiti reus factus est, atque adeo suscepit jam in se onus & obligationem totius illius debiti solvendi. A quo debito non liberatur ex eo quòd eventus subsequens ostendat rem fuisse postea perituram vel minùs valituram: quia hoc non facit rem minùs valuisse tum cùm injustè destructa

est,

est, pro quo tempore taxari debet valor damni illati. *Ita Delugo*.

Resp. 2. Item tenetur restituere rem alienam, quæ casu apud ipsum periit, si non sit omnino certum casu perituram fuisse apud dominum. Quia in dubio melior est conditio innocentis, & domini possidentis jus certum recipiendi rem suam, vel ejus pretium.

Imò juxta multos tenetur, etiamsi res certò fuisset peritura apud dominum casu, vel justa hostium spoliatione. Quia 1. hoc ipso quòd quis rem alienam injustè aufert, vel detinet, facit domino injuriam, cui est per se annexa obligatio restituendi; per accidens autem est quòd esset casu similiter apud dominum peritura. 2. Qui injustè accipit, injustè detinere incipit: sed qui injustè detinet, semper est in mora restituendi: qui autem est in mora, tenetur etiam de casu fortuito, nam mora trahit ad se periculum rei, ut statuunt jura. 3. Casus subsequens non facit ut fur vel injustus possessor damnum reipsa non intulerit, sed solùm facit quod imputatum fuisset alteri causæ. Item qui semel ratione rei injustè acceptæ obligatur, per eventum fortuitum postea subsequentem non absolvitur.

Obj. 1. Nullum damnum ex injuria est illatum domino, cùm constet eum ex casu fortuito non minùs privandum fuisse re sua, quàm si nulla fuisset injuria illata, ideòque nihil minùs habeat quàm aliàs fuisset habiturus: ex injuria autem oritur obligatio restituendi solùm damnum ex ea secutum, non aliud. R. Damnum domino illatum est, spectato statu in quo privatus fuit re sua per injuriam, cui per se annexa est obligatio restituendi.

Obj. 2. L. ult. §. *ad legem Rhod.* statuitur quòd si navem conduxerim ad merces meas convehendas, ipse verò nauta me invito merces meas in navem deteriorem transtulerit, cum qua merces meæ perierint, teneatur mihi de hoc damno, si altera navis salva evaserit; sed non teneatur si ambæ naves ea navigatione perierint, quia æque merces meæ in priori navi conducta periissent. R. Ibi non agitur de injusto possessore, qui rem alienam habet per injuriam, sicut in nostro casu.

Sed si rem alienam quæ incendio, vel aliter peritura erat apud dominum auferam, & post elapsum periculum non statim restituam, & postea apud me pereat, non jam peritura apud dominum, an teneor ejus pretium restituere?

Resp. Affirm. *Ita omnes*. Quia res illa à periculo libera & secura ad dominum pertinebat, & sic ei statim tunc reddi debuit, quare si non fuit reddita, injuria ipsi facta fuit per injustam detentionem, quæ fuit causa damni; nam apud dominum non ampliùs periisset.

Quæst. X. *An ratione injuriæ restitutio facienda est juxta summam æstimationem, quam res à tempore detentionis habuit?*

Resp. 1. Si res aliena apud furem vel injustum possessorem facta est deterior, quàm cùm accepta est, tenetur restituere secundùm statum illum, quem res tunc habebat. Nam tempore quo accepit, res illa tantumdem valebat, & accipiendo damnum injustum domino intulit, privando eum re sua in tali statu, & facultate eam majore pretio vendendi.

Resp. 2. Si res apud injustum possessorem melior effecta est sive intrinsecè, & in substantia, ut si vitulus evaserit in bovem, sive extrinsecè & in valore, ut si auctum sit ejus pretium ob emptorum multitudinem, restitui debet domino in tali statu, si extet. Nam res semper manfit in ejus dominio: melioratio autem & incrementum rei pertinet ad ejus dominum. Si autem res illa non extet, & vendita fuerit majore pretio, quam vendidisset dominus, totum pretium acceptum restitui debet domino: quia res tempore quo cariùs vendita est, & melior erat, domini erat, & domino debebatur: ergo pretium acceptum ei debetur, cùm sit valor suæ rei. Quòd si res casu periit, vel minor pretio vendita fuit, aut in deteriore statu & valore alienata vel consumpta, restitui debet domino, secundùm æstimationem quam in optimo statu & maximo valore habuit, si dominus eam tali tempore erat venditurus, vel passus est damnum emendo aliam summo valore: quia injustus possessor fuit causa injusta talis lucri cessantis vel damni. Idem dic, si incertum sit an dominus lucrum ex ejus melioramento fecisset, vel quo pretio venditurus fuisset, ut docent passim Doctores. Nam injustè privatus fuit potestate lucrandi, & vendendi summo valore, qua forrè usus fuisset: in dubio autem melior est conditio innocentis, & possidentis jus exigendi integram indemnitatem.

Imò juxta varios, restitutio fieri debet secundùm summum valorem & incrementum, etiamsi dominus re sua certò usurus non erat in tali statu; nec juxta summum valorem venditurus. Quia dum res apud injustum possessorem melior & carior facta est, domino me-

melioraṭa fuit, ipsique debita erat in tali statu. Ergo facta est domino injuria cum damno, cum privando re sua in optimo ejus statu & valore, quæ injusta detentio est nova injuria à prima acceptione distincta, per quam statim contracta est obligatio eam restituendi cum tali incremento & valore. Obligatio autem ex injuria contracta extinguitur per solam restitutionem, & quamvis nullum damnum dominus recipiat, spectato statu in quo futurus esset, si ad tempus minoris valoris rem servaturus esset; tamen recipit damnum, attento priori statu in quo habuit dominium rei plus valentis, quo majore valore ad se pertinente injustè privatus fuit. Confirmatur l. 8. §. *de condit. furt.* ibi: *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur. Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit: maximè cùm deteriorem rem factam fur dando non liberatur; semper enim moram fur facere videtur.*

Obj. Restitutio fieri debet solùm ad æqualitatem damni illati. At tunc non est illatum damnum secundùm summum valorem rei; nam ejus incrementum non erat certò profuturum domino, cùm dominus fuisset eam venditurus ante tempus illius incrementi, nec coactus fuit eo tempore aliam emere. *R.* Damnum domino illatum est attento priori statu in quo habuit dominium rei plus valentis, & revera privatus fuit re sua in optimo ejus & statu & valore.

Quæst. XI. *An qui ponit actionem ex qua damnum obvenit alteri, tenetur illud restituere?*

Resp. 1. Si damnum evenit tertio ex actione tua mala, vel otiosa, quæ fuerit periculosa sive per se, sive ratione circumstantiarum, teneris illud resarcire, quamvis aliunde adhibueris diligentiam ne evenerit, & illud non intenderis. Quia. 1. Illud damnum est tibi sufficienter voluntarium in causa, nempè in actione tua mala periculosa, per quam illud creas. 2. Intulisti injuriam damnosam illi tertio, quippe qui jus habebat ne malam illam actionem sibi periculosam faceret.

Secùs est, si damnum eveniret alteri ex tua actione non mala licèt periculosa, sed utili tibi, cujus faciendæ jus habebas, modò adhibueris debitam ad illud impediendum diligentiam, quæ adhiberi potuit, retenta illa actione licita: tunc enim damnum illud tibi non imputaretur, cùm utaris jure tuo, ex cap. 31. de elect. *Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo.* Et ex l. 193. §. de reg. jur. *Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.* Sed si non adhibueris debitam cautionem ne aliis damnum eveniret, teneris de damno. Nam quisque tenetur ex justitia curare ne ex sua actione damnum eveniat alteri: nam proximus habet jus ne ei damnum inferatur sine justa causa & legitima authoritate. Propter eandem rationem teneris restituere damnum, si jus non habeas faciendi aliquid periculosum, licèt non malum. Sic qui in itinere foveam, lupi capiendi causa, facit, tenetur de damno. L. 28. §. *ad leg. Aquil.*

Resp. 2. Teneris resarcire damnum, quod alteri evenit ex tua culpa, scilicet actione mala vel inutili, si damnum illud intendisti, licèt ex ea plerumque damnum non eveniat. Nam tunc damnum tibi voluntarium est in se, & meritò censeris illius causa, cùm reipsa ex directa intentione illud intuleris per actionem tuam malam, vel inutilem.

Resp. 3. Teneris resarcire damnum, quod obvenit alteri ex actione tua mala vel inutili, quamvis ex ea plerumque damnum tertio non eveniat, nec illud intenderis, si prævideris probabiliter eventurum. Quia 1. tunc damnum illud est voluntarium tibi in actione illa mala tanquam in causa, vel saltem tanquam in occasione, quæ est æquivalenter causa. 2. Fecisti injuriam alteri qui jus habebat ne actionem illam malam faceres in talibus circumstantiis, nempe cum suo periculo, quamcumque aliunde diligentiam adhibueris. S. Thom. 2. 2. quæst. 74. art. 8.

Resp. 4. Non teneris resarcire damnum, quod ex tua actione mala non periculosa obvenit, si illud non intenderis, nec potueris prævidere obventurum, eo quòd nunquam aut ferè nunquam illud eveniat ex tali actione in talibus circumstantiis. Quia tum damnum illud nec in se, nec in alio tibi voluntarium est, cùm nec illud intenderis, nec potueris prævidere; nec requiritur cautio ubi non est periculum. Hinc qui alienam arborem ascendit ad fructus furandos, & casu cadens supra socium, eum præter intentionem occidit, non est reus homicidii, nec tenetur socio ad restitutionem. Quia talis ascensus, licet illicitus, non erat sic periculosus: unde ille solùm reus est furti. Quando autem S. Thomas, loco citato, dicit dantem operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur, esse reum homicidii, supponit illam rem esse aliquatenus periculosam, saltem ex circumstantiis.

Quæst. XII. *An in dubio de damno secuto* ex

ex actione mala per se damnificativa, est obligatio restituendi?

Resp. 1. Qui injustè posuit actionem ex se impeditivam lucri vel damnificativam, tenetur in dubio an reipsa alteri lucrum cessaverit, aut damnum secutum sit, restituere pro ratione dubii, seu quanti æstimatur certum subeundi damni periculum. Quia talis fuit causa injusta periculi, quod alter subit patiendi damnum, nec constat non passum fuisse; iniquumque est, ut innocens in tali dubio totum periculum certum subeat, & alter sit immunis omni obligatione.

A fortiori qui certus est de patrata à se actione injusta per se sufficiente ad damnum inferendum, & de damno secuto, sed dubitat an secutum sit ex illa, tenetur restituere saltem pro ratione dubii, & æstimationis periculi. Dico *saltem*; nam juxta Lessium & alios multos, tenetur de toto damno: tum quia possessio est pro actione injusta, quòd talem effectum procrearit, nisi oppositum constet; tum quia præsumptio juris valet, quamdiu de contraria veritate non constat: sed tunc est præsumptio juris damnum ex illa actione, v. gr. consilio malo secutum esse, ex reg. 45. jur. in 6. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*.

Obj. Non est æquum, tantum teneri restituere eum, qui solùm ex probabili præsumptione, quantum qui ex certa scientia damnum intulit. R. Hoc est justum, quando constat positam esse causam injustam damni, & damnum secutum esse: nam in dubio an damnum revera ex illa actione secutum sit, melior est conditio innocentis & domini.

Idem dic de omissione injusta, hoc est, omissione rei ex justitia debitæ, dum dubitatur an ex ea secutum sit damnum: nam in moralibus omissio injusta est æquivalenter actio injusta.

Quæst. XIII. *An qui solo exemplo movit efficaciter alium ad damnum inferendum, tenetur damnum ab hoc illatum resarcire in ejus defectum?*

Resp. Affirm. Si hoc eventurum probabiliter præviderit. Quia. 1. talis posuit actionem malam & periculosam ratione circumstantiarum, ex qua probabiliter prævidit damnum tertio secuturum: ergo fecit ei injuriam: nam quilibet habet jus ne fiat actio mala cum periculo damni sui. 2. Verè movit alium ad damnum inferendum, & æque est causa damni quod ex motione exempli sequitur, ac si ex consilio sequeretur. 3. Qui occasionem damni dat sine justa causa, damnum dedisse censetur, ex cap. ult. *de injur.* & l. 30. §. ad leg. Aquil. *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*. Idem dic de eo, qui hoc eventurum prævidere aut potuit aut debuit.

Quæst. XIV. *An quis tenetur restituere damnum irrogatum per suum mancipium, animal, vel filium?*

Resp. 1. Ante omnem sententiam tenetur ratione culpæ, si negligens fuit in præcavendo, ex cap. 3. 4. & ult. *de injur.* Nam tunc damnum illud ei voluntarium fuit in omissione diligentiæ debitæ; ideòque ei meritò imputatur. Hinc qui animal ferum non tenuit domi clausum, vel catenis ligatum, tenetur de damno ab eo illato. Ob eandem rationem, qui potestatem in alios habent, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, si, ubi est periculum damni, non provideant ne fiat à suis. Nam dominus & pater tenetur ex justitia impedire ne aliis damnum inferatur à suis, vel per sua animalia.

Resp. 2. Si damnum irrogatum sit sine culpa voluntaria domini, hic tenetur dare pro noxa mancipium, vel animal, aut damnum compensare, ex jure civili, institut. digest. & Cod. *de noxal. actionibus*. Et canonico, cap. ult. *de injur.* ibi: *Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris: nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere*. Quæ leges non sunt pœnales, sed dispositivæ, & æquitati ac naturali rationi valdè consentaneæ. Quia cùm animal, vel servus non sint sui juris, sed totum quod sunt, domini sint; leges justè disposuerunt, ut sicut omnis utilitas ab eo proveniens domini est, ita etiam & damnum domini sit, nisi velit ipsum pro eo tradere: nam qui sentit commodum, debet sentire & onus, regul. 55. jur. in 6. Quare hæ leges obligant ante sententiam, nisi ex consuetudine legitimè præscripta, sententia requiratur: nam in foro conscientiæ idem dicendum est circa ista, quod æquus judex cognita veritate judicaret. *Ita Sanchez & alii*.

Item quando ex domo aliquid projicitur, vel effunditur, quod damnum intulit, si ante non fuit clamatum, caput familiæ in illa domo habitantis tenetur ad solvendum duplum illius damni, quamvis sine ejus culpa illati. L. 1. & l. 6. §. *de his qui effuder.* ibi: *Ha-*

Habitator suam, suorumque culpam præstare debet. Sed juxta multos, si dominus verè peccato careat, nihil tenetur restituere ante sententiam: quia sicusu receptæ sunt illæ leges, nec id necessarium est ad finem illarum. At post sententiam tenetur in conscientia parere sententiæ judicis, quia hæc non fundatur in præsumptione culpæ, sed in legibus, quæ ad bonum commune & pacem publicam ita statuerunt, & ut domini diligentiùs caverent ne damnum aliis à suis inferatur.

Resp. 3. Parens non tenetur ex delicto filii, vel damnum resarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpa commissum est, ex Instit. *de noxal. act.*

Quæst. XV. *An qui impedivit alterum à consecutione alicujus boni, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Qui quocumque modo etiam solis precibus vel consilio, saltem absque causa justa, impedit aliquem à consecutione boni ipsi ex justitia debiti, sive habeat jus in re, sive solùm jus ad rem, peccat contra justitiam, & tenetur compensare totum damnum. *Ita omnes*. Quia illius fuit causa injusta, violando jus, quod habet alter ad habendum illud bonum. Unde si alter habebat jus in re, impediens tenetur restituere valorem illius rei; si verò solùm jus ad rem, v. gr. per justam promissionem acceptatam, electionem, præsentationem, &c. censetur restituere quanti jus illud judicio prudenti æstimabitur.

Idem dic de impediente alterum ne utatur jure suo, v. gr. exercendi suam artem, operam locandi, petendi aliquid, &c. Nam quilibet habet jus utendi jure suo; quod jus tunc violatur.

Resp. 2. Qui vi, fraude, dolo, minis, detractione, calumnia, mendacio, vel alio modo injusto impedit aliquem à consecutione beneficii vel officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex justitia non debiti, ut doni, legati, &c. tenetur restituere quanti judicio prudenti ea spes ei valebat. *Est omnium, teste Sanchez*. Quia licèt impeditus non habeat jus strictum ad tale bonum, jus tamen habet ne ab illius consecutione, per vim, fraudem, vel aliam quamvis viam illicitam impediatur, & ut perfectè liberum cuique sit ei gratificari. Ergo tali facta est injuria, quæ resarciri debet. Idque sive vis, vel fraus exerceatur circa eum, qui impeditus est à consecutione boni: ut si quis vi eum detineat, vel minetur ei ne petat, vel eum decipiat; sive circa collatorem, ut minando ne conferat, vel falsò persuadendo alterum esse indignum.

Dixi, *quanti spes, &c.* Nam non tenetur ad æquale, *quia gratiam illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri*, ait S. Thomas, quæst. 62. art. 2. ad 4. Quòd si nulla erat spes, non tenetur restituere damnum, cùm reipsa nullum intulerit. Si tamen exigua spes fuisset, compensanda est judicio prudenti.

Qui autem à consecutione beneficii Ecclesiastici, vel officii, aliquem indignum impedivit per vim & fraudem, licèt peccaverit, non tenetur damnum restituere, quia non fecit injuriam quoad illud, cùm nullum ad illud habeat jus, etiam conditionatum & in libera collatoris voluntate positum, nam illicitum est conferre beneficia vel officia indignis. Item qui à consecutione beneficii aliquem dignum & spem habentem impedit, ut digniori conferatur, non facit injuriam impediendo, nec tenetur ad restitutionem: quia ille non habet jus etiam remotum ut digniori præferatur. Si tamen impediat calumnia vel detractione, tenetur ad restitutionem famæ sicut in primo casu.

Idem dic, si dignum solis precibus & commendatione impedias, ut æque digno conferatur: quia non habet jus ut illi præferatur in bonis communibus, nec injusta via impeditur, & tibi licet petere pro æque digno: secùs, si injusta via talem impedias; nam tunc teneris illi restituere quantùm ea spes ei valebat: quia jus habet ne injustè impediatur, ut beneficium conferatur alteri non digniori.

Resp. 3. Qui etsi sine vi vel fraude, vel alia injusta via impedit dignum a consecutione beneficii vel officii, ut detur indigno, tenetur ad restitutionem Ecclesiæ vel reip. quæ inde damnum injustè patitur. *Est communis sententia*. Quia utraque jus habet ne damnum ei quovis modo inferatur. Idem dic si modo etsi non injusto impedias digniorem, ut detur minus digno; quia Ecclesia & resp. habent jus habendi optimos ministros & magistratus. Sed juxta multos non tenetur restituere impedito: quia non violavit justitiam commutativam erga illum, quippe qui nullum jus talis justitiæ habet ad beneficium vel officium: non enim habet jus in re, nec jus ad rem, quo debitum ei sit beneficium vel officium, & quo possit illud jure exigere.

Resp. 4. Ex communi sententia, qui sine vi, fraude, vel alia via injusta aliquem impedivit à consecutione boni non debiti ex justitia, non tenetur ad restitutionem. Quia non fecit injuriam impedito, cùm nullum jus

jus habeat ad illud bonum, & impediens liberum cuique relinquat gratificari ei, si velit, & nullam viam injustam adhibeat. Nec refert, quòd alter statuerat donare; quia sine injustitia semper potest propositum mutare: ergo & ad id induci via non injusta. Odium autem seu animus nocendi per medium non injustum, & in iis, In quibus potest quis alioquin nocere absque injustitia; non est peccatum contra justitiam, sed solùm contra charitatem.

Hinc non tenetur ad restitutionem, qui sine vi, vel fraude, aut alia ratione injusta, sed solis precibus vel obsequiis aliquem avertit ab instituendo tali hærede, aut à relinquendo legato, vel donando aliquo bono, vel qui curavit revocari testamentum, & alium hæredem institui. Quia nemo habet jus ad successionem, vel legatum, quamdiu testator vivit, cùm liberè pro libito semper possit revocare & mutare testamentum. Tamen sine justa causa aliquem à consecutione boni non debiti impedire via non justa est contra charitatem, qua debemus velle bonum proximo, & quæ vetat ne alteri faciamus quod nobis fieri rationabiliter nolumus.

Sed quid, si alterius Procuratorem, vel Tabellarium, litteras aut mandata alterius deferentem ad impetrandum beneficium, vel ad aliquid negotium, detineam prætextu recreationis vel potationis, sciens hanc detentionem nocituram mandatario?

Resp. Peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Ita Delugo, & alii. Quia mandatarius habet jus ut Procurator, vel Tabellarius, seu famulus diligentiam adhibeat, & moram vitet, ad quod tenetur ex justitia; & tu scienter impedis executionem, ac usum ejus juris, seu id ad quod ille jus habet. Sed qui quovis modo etsi de se licito scienter impedit usum juris alterius, & id ad quod jus habet, facit ei injuriam, cùm violet ejus jus, ideòque tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Idem dic, si famulum alterius quovis modo detineas, sciens hanc detentionem causam esse damni domini, ad quod vitandum famulus ex justitia tenetur: nam cooperaris injustitiæ alterius, & verè es causa moralis talis damni.

Quæst. XVI. *An accepta ob opus malum restitui debent?*

Resp. 1. Sic accepta ante opus malum patratum restitui debent. *Ita omnes.* Quia ista non dantur nisi ex lege, ut accipiens se obliget ad opus malum, ad quod impossibile est obligari: unde datio est nulla, & sic rei dominium non fuit translatum; ex cap. ult. *de pactis*.

Resp. 2. Crimine patrato, pretium retineri potest, nisi per legem aliquam acquisitio sit irrita, vel accipiens fiat inhabilis ad acquirendum illius dominium. Ita S. Antoninus, Covarruv. Cajetan. Lessius, Delugo, & alii multi. Quia 1. accipiens non est inhabilis ad illud acquirendum, & pretium datum est omninò voluntariè, non quidem ut pretium peccati, quod est tantùm conditio sine qua non daretur, sed ut solutio promissi posita conditione. 2. Mulier potest retinere id quod acquisivit per meretricium, ex l. 4. §. *de condict. ob turp. caus.* & ex Sanct. Thom. quæst. 62. art. 5. ad 2. & in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 4. quæst. 2. *Si lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito actu; tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo contra legem non facit, & ideo hæc retineri possunt.* 3. Quia promissio de solutione pretii valet si consideretur ut facta ex suppositione conditionis positæ, quamvis non valeat ut facta sub conditione ponenda.

Ad leges in contrarium objici solitas, dico eas non reddere irritam acquisitionem rei ob turpem causam datæ, nec facere accipientem inhabilem ad acquirendum illius dominium; sed solùm decernere, ut ante opus patratum habeantur pacta illa invalida, & ut ne patrato opere inde oriatur obligatio civilis, ob quam scilicet posset in judicio exigi promissum: quod probatur ex l. 2. *Cod. de dict. ob turp. caus.* ubi res ob turpem causam accepta, ei qui accepit relinquitur: & ex l. 8. §. *eod. tit.* ubi dicitur solutum ob turpem causam non posse repeti.

Dixi, *nisi per legem &c.* Quia quando lege aliqua positiva accipiens redditur inhabilis ad acquirendum dominium, vel annullatur actus ex quo pendet acquisitio, tunc res accepta restitui debet. Nam per talem legem translatio dominii impeditur, etiam in conscientia, cùm bona & actus subditorum subjiciantur voluntati justæ Legislatoris in ordine ad bonum commune, quod semper per Legem justam intenditur. Quod si is, qui dedit, fiat per Legem incapax datum retinendi, si restituatur, tunc restitutio fieri debet pauperibus, vel aliis piis operibus: secùs, fieri debet dantis: quia cùm translatio dominii rei datæ nulla fit, res remanet prioris domini, qui illius dominio se non abdicavit, nisi ut in recipientem transferret. Equidem

dem si eam rem ob opus malum dederit, dignus est ut ea privetur, sed hæc pœna infligi debet à judice, non à privato.

Resp. 3. Quoad praxim, in pœnitentiam imponenda est à confessario obligatio dandi pauperibus vel piis causis accepta pro quovis opere malo patrato, si accipiens non indigeat: tum quia peccatum est tali pœna dignum: tum ne lucrum ex peccato reportet, & sic ad peccatum affectum retineat, & ad illud iterandum adjiciatur.

Quæst. XVII. *An accepta ob opus bonum jam debitum restitui debent?*

Resp. 1. Accepta pro actione vel omissione debita ex justitia restitui debent danti. *Est communis sententia.* Quia 1. Quæ accipiuntur pro actione vel omissione debita ex justitia, accipiuntur per injustitiam, nempe contra jus quod habet proximus ut id fiat vel omittatur sine sumptu suo: at accepta per injustitiam restitui debent. 2. Tunc nullus est titulus, seu jus accipiendi & retinendi; neque enim oritur ex contractu oneroso, cùm ejus natura sit ut utrimque obligationem pariat: nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam ex justitia obligatus est. Non item ex pacto gratuito, quia danti non est animus liberaliter dandi; sed dat coactè ex metu injuriæ, ne jure suo defraudetur.

Responsio vera est, etiamsi pretium tibi detur ab alio tertio, cui nihil debebas. *Est communis sententia.* Nam ille verè dat pro re, quam gratis dare debes, & ad quam jus habet is cujus causam gerit, & pro quo petit: ac proinde ei vendis mediante pretio ab amico dato id quod ei ex justitia debes. Nec refert quòd opus debitum feceris in gratiam dantis pretium; nam hæc relatio non tollit obligationem exequendi opus sine pretio, nec ullum commodum pretio æstimabile affert solventi pretium; estque solùm mentalis: ergo non impedit injustitiam.

Hinc peccant contra justitiam, & tenentur restituere, qui aliquid accipiunt pro ferenda sententia justa, pro testimonio vero dicendo, pro restituendo deposito, commodo, invento, vel pro solvendo debito; vel ad abstinendum à furto, homicidio, & detractione, &c. cùm hæc omnia sint debita ex justitia.

Resp. 2. Accepta pro opere debito ex charitate tantùm, vel aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu aut periculo fieri potest, restitui debent. *Item Covarruv. Molina, Lessius, & alii.* Quia communi hominum judicio talia opera non sunt pretio æstimabilia; nec omnino voluntariè ac liberaliter aliquid pro illis datur, sed coactè ob necessitatem.

Hinc qui accepit pecuniam, ut furem indicet, &c. tenetur eam restituere.

Si autem opus illud ex sola charitate debitum fieri nequeat sine labore, vel sumptu, vel periculo, aliqui docent accepta pro eo retineri posse: quia qui pro illo accipit vel exigit pretium, peccavit solùm contra charitatem, cùm illud sit pretio æstimabile. Alii verò nihil distinguunt, & censent accepta pro quovis opere ex charitate vel alia virtute debito, restituenda esse: quia iniquè exigitur & accipitur pretium pro opere, quod nullo oblato pretio præstari debet; & dans coactè & rationabiliter invitus dedit, nempe timuit ne alioqui non fieret id quod debetur. Delugo docet esse obligationem ex charitate, restituendi accepta ob opus debitum ex charitate, quando charitas obligabat ad subveniendum gratis proximo: quia ea obligatione posita, acceptio pretii impedit ne possit fieri satis præcepto charitatis, cùm pretio accepto non subveniatur gratis proximo prout charitas præcipiebat; sed tunc non est restitutio nisi latè dicta.

Resp. 3. Si constet aliquid spontè ac liberaliter donatum præcisè ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex justitia vel charitate debitum faciendum, hic non tenetur illud restituere. Quia donatio gratuita ac voluntaria est justus titulus retinendi donum gratuitum; nisi tamen Lege positiva inhabilis sit ad acquirendum dominium rei dono datæ, sicut est judex circa munus saltem magni momenti sponte oblatum.

Resp. 4. Qui aliquid accepit pro actione vel omissione, quæ solùm cedit in suum commodum, vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere. Quia illud ex causa vel sub conditione donatum est omnino voluntariè ac liberaliter: nemo enim emit ab alio actiones vel omissiones liberas ei soli utiles; ut si des alteri aliquid ut Sacrum audiat, jejunet, ne ebrietur, non obligando eum ad hoc opus, &c. Qui tamen accepit aliquid ne admittat crimen, quod Legibus punitur, cogitur in judicio ad restituendum; & post sententiam tenetur restituere, cùm sit justa, & Legi conformis.

Quæst. XVIII. *Quid restitui debet ratione rei acceptæ?*

Resp. Qui tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, ex communi sententia tenetur solum restituere rem alienam si adhuc extet, vel id in quo ex ea factus est ditior, si non

ex

extet apud se, & ad fructus extantes, aut quatenus ex iis factus est ditior. Quia tantumdem & non plùs habet ex re aliena, sive in æquivalenti. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione rei acceptæ est quantitas possessionis rei alienæ vel in se, vel in æquivalenti possessæ: ita ut tantum restituatur quantùm rei alienæ, in se, vel in æquivalenti possidetur, l. 25. §. *de petit. hæred.* Alienum autem in æquivalenti quis possidet, cùm rem alienam consumendo aut donando, rebus suis pepercit, vel alienando aliquid acquisivit.

Quæst. XIX. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

Resp. 1. Qui rem alienam bona fide possidet, putans prudenter esse suam, ubi primùm novit esse alienam, ex communi sententia tenetur eam restituere prima opportunitate, l. 22. §. *de petit. hæred.* quia dominus habet jus rem suam possidendi. Quòd si non reddat ubi primùm potest commodè, incipit esse possessor malæ fidei, & tenetur ad restitutionem tum ratione rei acceptæ, tum etiam ratione injustæ detentionis, quæ est æquivalenter injusta acceptio: unde si interim res etiam casu pereat, tenetur ejus pretium restituere: cùm fuerit in mora culpabili. Tenetur autem rem eamdem domino restituere, nec licet ei pecuniam vel aliud pro illa sine ejus consensu dare: quia res illa in individuo est domini, nec sine injuria potest dominus invitus cogi rem suam vendere, aut commutare, cùm habeat jus illam possidendi ac retinendi, & constat ex l. 3. *Regum*, c. 21. ubi de vinea Naboth.

Resp. 2. Ex communi sententia, si possessor bonæ fidei consumpsit, vel amisit, vel alienavit, nihil amisit, vel tenetur restituere, si non sit inde factus ditior, ex *instit. de offic. judic.* & l. 23. §. *de petition. hæred.* Nam cùm solùm teneatur ratione rei acceptæ & possessæ, non tenetur plùs restituere quàm ex ea possideat, sive in se, sive in æquivalenti. Sed tenetur restituere id in quo factus est ditior ex re aliena, eo l. cit. Quia id in quo factus est ditior, succedit in locum rei acceptæ, quæ tunc extat in æquivalenti apud ipsum, & eatenus possidet rem alienam in æquivalenti. Præterea iniquum est, ut quis ex re aliena cum domini jactura locupletetur: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria.* Reg. 48. jur. in 6.

Hinc nil tenetur restituere, si res aliena durante bona fide periit casu vel etiam culpa, item si eam donavit aut consumpsit, aliam non donaturus. Secùs, si aliam ex suis erat donaturus, quia tantumdem ex suis bonis servavit, & sic ex re aliena plùs habet quàm alioqui haberet. Si autem rem alienam sibi donatam vendidit, tenetur ejus pretium domino ipsius rei restituere: nam habet pretium rei quod est æquivalenter res ipsa, & sic factus est ditior ex re aliena.

Resp. 3. Ex communi sententia, possessor bonæ fidei, tenetur deductis expensis & laboribus restituere domino fructus rei naturales & mixtos qui apud illum extant, l. 22. cod. *de rei vindic.* Nam res fructificat domino suo, sive fructus qui ex re aliqua nascuntur, pertinent ad eum ad quem res ipsa pertinet; nam id totum, quod res est & potest, est domini sicut res ipsa. Si illi fructus non extent, tenetur solùm quatenus ex iis factus est ditior: nam res alterius extat tantùm apud ipsum æquivalenter quoad hoc, ex l. 1. cod. *de petit. hæred.* ibi: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint.* Sed non tenetur restituere. 1. Fructus meræ industriæ, quia non sunt fructus rei. 2. Fructus quos negligentia sua non percepit, quamvis eos percepisset dominus rei: nam non tenetur dominum indemnem reddere, nec restituere in pristinum statum, cùm eum ab eo non destruserit saltem culpabiliter: unde nec tenetur lucrum cessans aut damnum emergens compensare. 3. Juxta multos non tenetur restituere fructus naturales, & mixtos, quos bona fide & cum titulo colorato possedit per triennium, etiamsi inde factus sit ditior: quia res mobiles præscribuntur triennali possessione cum titulo colorato. *Instit. de usucap.*

Hinc possessor bonæ fidei tenetur tantùm restituere rem alienam, & ejus fructus, vel id in quo factus est ditior ex re aut fructibus ejus naturalibus vel mixtis.

Quæst. XX. *An & cui restituenda sunt bona vacantia & derelicta?*

Resp. 1. Bona vacantia, id est, bona quæ relinquit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui secundùm Legem ei ab intestato succedant, restitui debent fisco: quia ad fiscum pertinent, l. 4. cod. *de bon. vac.* Bona tamen mobilia vacantia peregrinorum in pios usus per Episcopum impendi debent, Auth. *Omnes peregrini*, cod. de succesf.

Resp. 2. Bona derelicta, vel quæ nullum umquam habuere dominum, jure naturæ & gentium sunt inventoris. Nam cùm nullius sint, fiunt primò occupantis, nisi aliter Leges speciales statuant, *ex instit. de rer. divis.* & lib. 1. §. *Pro derelicto:* Bona autem dereli-

relicta sunt ea, quæ dominus eo animo abjecit, ut jam esse sua nolit. *Instit.* Hinc bona naufragorum, vel bona quæ per incendium ejiciuntur, aut in tempestate projiciuntur levandæ navis causa, aut eluvione aquarum abripiuntur, non sunt habenda pro derelictis, quia dominus semper detinet voluntatem illa habendi ut sua: unde ei restitui debent etiamsi periculo eripueris, alias peritura, *ex instit. de rer. divis.* & l. 18. cod. *de furtis*, & ex cap. 3. *de raptor.* & ex Bullis Julii II. & Pauli III. Quia salva facta sunt domino suo, qui semper habuit voluntatem ut ad se reverterentur; res enim sive in periculo, sive extra periculum, semper est domini sui.

Quæst. XXI. *An & cui restitui debent bona inventa, & bona ac debita incerta?*

Nota. Bona ac debita incerta dicuntur ea, quorum dominus vel creditor, vel ejus hæres cognosci vel inveniri nequit post diligentem inquisitionem, quæ judicio prudenti sufficiat pro rei gravitate. Hinc non sunt incerta dum constat ea deberi certæ communitati, vel majori ejus parti. Item conservari debent, quando est spes dominum inveniendi. Quòd si dubitetur solùm cui ex pluribus res debeatur, tunc si dubium prudenter resolvi nequit, inter illos ex æquo dividi debet juxta quantitatem dubii, ut servetur æqualitas.

Resp. 1. Bona aliena inventa, quorum dominus vel ejus hæres, post diligentem inquisitionem cognosci non potest, impendi debent in pauperes, vel in alia pia opera. Quia 1. Catechismus Romanus dicit: *Si rerum inventarum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda*. 2. Sententia communis Doctorum, teste Lessio, cum S. Thoma docet ita impendi debere, & quidem jure naturali, quod satis patet ex ratione qua utuntur. 3. Res quæ remanent in dominio alterius, si nequeant ei reddi, jure naturali impendi debent secundùm ejus voluntatem rationabilem & prudenter præsumptam: nam non licet de eo cuiquam aliter quàm ex ejus voluntate disponere. At hæc censetur rationabilis voluntas dominorum, ut talia bona impendantur in pauperes, vel alia pia opera, cùm sic impendantur optimo quo impendi possunt modo, & id cedat in suam vel suorum vel publicam utilitatem, nullusque sit qui non putet eleemosynam esse opus bonum & utile. Jam verò qui amisit aliquid, semper retinet ejus dominium: nemo enim amittit dominium rei suæ, nisi vel sua propria voluntate, vel Lege aliqua, aut sententia justa, non autem casu fortuito. Unde illud S. Aug. cap. *Si quid* 14. quæst. 5. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti*. 4. Ex Authent. *Omnis*. Cod. *Communia, de success.* ibi: *Si intestati decesserint* (peregrini & advenæ,) *ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur*. Et, ex l. 44. §. *de furtis*, ibi: *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd cujus sit ignoret*.

Nota. Si in rei inventione nullus labor, vel sumptus impensus fuit, inventor non potest quidquam retinere aut exigere, quia nullum habet ad id titulum; sed tenetur rem totam gratis domino vel pauperibus reddere; nullum enim habet jus retinendi quidquam ex re aliena, & injustum est ut quis rem suam pretio sibi comparet. Potest tamen accipere, quæ ipsi dantur, vel liberaliter ex gratitudine, modò nihil exigat, vel propter laborem, si quis fuerit.

Resp. 2. Bona vel debita incerta sive ex delicto, sive ex contractu vel ratione rei acceptæ, restitui debent pauperibus vel aliis piis causis, idque jure naturali secundùm communem sententiam, teste Delugo. De bonis injustè partis constat. 1. Ex cap. 5. *de usur.* ubi Alexander III. jubet usuras pauperibus restitui, si non supersunt ii quibus debentur, vel eorum hæredes; *Cùm non remittatur peccatum nisi restituatur ablatum*; quæ ratio valet pro quibusvis debitis saltem ex delicto. Et, ex cap. *Nemo*, 14. quæst. 5. ibi: *Nemo qui rapit, moriens, si habet unde reddat, salvatur. Si eos quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuit*. 2. Nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare. 3. Dominus non vult ea retineri ab injusto possessore: alioqui daretur occasio injuriis inferendis sub spe justè retinendi injustè parta.

De bonis ac debitis non ex delicto constat etiam ex dictis: quia bona ac debita incerta sunt instar rerum inventarum, quarum dominus cognosci nequit, & eadem est ratio pro illis: ergo idem est judicium de illis. Enimverò bona quæ non possunt tradi domino, vel creditori, nec ejus hæredibus, jure naturali impendi debent secundùm voluntatem ejus rationabilem prudenter præsumptam, & ei restitui meliori modo quo possunt, ideòque dari pauperibus, vel piis causis,

sis, cùm id ei vel hæredibus vel reip. profit.

Sed quid si post applicationem inveniatur dominus?

Resp. 1. Si ante diligentem inquisitionem bona, vel debita incerta impendisti in pauperes, teneris adhuc restituere domino comparenti. *Est communis sententia.* Quia fecisti injuriam vero domino, qui jus habet ne bona sua amissa diligenti inquisitione alienentur; & quia tua culpa est, quòd non inveneris dominum, ut ei redderentur bona sua quando reddi poterant. Si tamen res adhuc existat apud pauperem, vel locum pium, hic restituere tenetur; quia qui dedit non potuit transferre dominium, quod proinde manet apud dominum. Quòd si post diligentem inquisitionem erogasti pauperibus, ad nihil teneris; non enim teneris ratione rei acceptæ, cùm nihil apud te extet; neque ratione injuriæ, quia jam restituisti eo modo quo potuisti ac debuisti; neque ex contractu, aut Lege, cùm nihil horum sit. Si tamen ea tibi tamquam pauperi applicasti, Lessius docet te teneri ea restituere domino postea cognito, modo adhuc extent in se vel in pretio; quia teneris ratione rei, nec es in tanta necessitate, ut ea tibi possis reservare.

Rectè autem monent, si res inventa vel debita sit magni momenti, potiùs eam xenodochio, vel monasterio pauperi, quàm aliis pauperibus dandam esse, sub obligatione eam restituendi domino si comparuerit. Si tamen bona fide in alios pauperes distributa fuerit, cùm jam nulla spes superesset inveniendi dominum, ad nihil amplius distribuens tenebitur, cùm adhibuerit debitam diligentiam ad restituendum domino, & jam restituere secundùm ejus voluntatem rationabiliter præsumptam.

Resp. 2. Secundùm multos, pauper vel plus locus, cui bona incerta erogata sunt, non tenetur ea restituere domino comparenti, nisi data fuerint sub hac conditione. Quia pauper, vel locus pius acquisivit absolutè dominium: nam res ei absolutè donata est, cùm dominus non poterat censeri invitus. Sed alii docent rem restituendam esse, si adhuc extet in se vel in æquivalenti: quia donatio facta est sub conditione tacita. *Si non compareat dominus:* alioqui negotium ejus non esset sat bene gestum: quod mihi videtur probabilius de re, quæ adhuc extat in se.

Quæst. XXII. *An qui habet rem alienam, tenetur ad restitutionem si pereat vel deterior fiat ex casu fortuito?*

Resp. Qui rem alienam injustè accepit, vel detinet, ex communi sententia tenetur de damno omni etiam fortuito: quia ratione injuriæ tenetur dominum rei indemnem servare. Qui verò rem alienam bona fide vel ex contractu habet, non tenetur de casu fortuito, si absint culpa, mora, & pactum, ex l. 23. §. *de regul. jur.* & cap. unico *de commodat.* Quia his seclusis res quælibet perit domino l. 9. Cod. *de pignor. act.* Et verò casus fortuitus est extra humanam prudentiam, cùm sit inopinatus rei eventus, qui ab homine prævideri aut vitari non potuit, ut incendium, latronum vis, mors, &c. Sed secundùm omnes, tenetur de casu fortuito, 1. Si intercedit pactum de illo præstando, nam pacta obligant ex justitia. 2. Si sit in mora culpabili restituendi, ut si tempore statuto non restituat rem cùm possit, & hæc postea pereat. Nam ex regul. 25. jur. in 6. *Mora sua cuilibet est nociva:* si enim restituisset, fortè non periisset; & per moram culpabilem fit injustus detentor. 3. Si ex culpa dedit occasionem casui fortuito, non observando pactum, ut si re usus sit in alio loco vel tempore alio quàm quo conventum est, & magis periculoso, in eoque res periit; vel si contra pactum ignem accendit in re locata quæ postea casu combusta est. Nam peccavit contra justitiam, quod si non fecisset, damnum non fuisset; & quia *qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. ult. *de injur.* Hæc traduntur c. 2. de depos. *Pacto, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.*

CAPUT IV.

De Cooperantibus ad damnum.

Quæst. I. *An qui cooperantur ad damnum alterius, tenentur ad restitutionem?*

Resp. Affirm. *Ita omnes.* Quia qui quoquo modo sunt causa efficax injusta damni, tenentur illud resarcire; nam quisque jus habet, ne ei quocumque modo directè, vel indirectè, immediatè vel mediatè damnum sine justa causa & authoritate inferatur, & ut resarciatur injustè illatum, ex cap ult. *de injur.* ubi Greg. IX. ait: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti: aut hac imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Hinc Innocentius XI. damna-

damnavit hanc propositionem: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

Novem autem sunt modi, quibus quis potest cooperari damno alterius: unde secundùm omnes, causæ cooperantes sunt novem, scilicet mandans, consulens, consentiens, palpo seu adulator, receptator, participans, mutus, non obstans, non manifestans: quarum sex priores sunt positivæ, tres verò posteriores negativæ. Comprehenduntur his versibus, apud S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 7.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quæst. II. *Quid requiritur ut cooperantes teneantur ad restitutionem?*

Resp. 1. Requiritur ut sua cooperatione fuerint causa damni. Nam qui non est causa damni, nullum damnum reipsa intulit: sed qui nullum damnum intulit, nullum tenetur resarcire. Porrò *non semper consilium, adulatio, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur consiliator aut palpo ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 7.

Resp. 2. Ut jubens, consulens, consentiens, laudans, receptator, adjuvans teneantur restituere, sufficit ut executor mandato, consilio, consensu, adulatione, recursu verè motus, vel alterius auxilio ac opera adjutus sit, ad damnum inferendum. Quia tunc sunt verè causa damni; neque enim est de ratione veræ causæ, ut ea non posita non ponatur effectus, sed tantùm, ut ex ea sequatur effectus: nam causa efficax est præcisè ea, ex qua physicè, vel moraliter provenit effectus. *Ita Covarruv. Cajetan. Sot. Azor, Vasquez, Molina, Lessius, Delugo, & alii.* Idque certum est, inquit Lessius, etiam si alius non defuisset, qui jussisset, consuluisset, adjuvisset, &c. nec credibile est aliquos id negare; ne eos quidem qui indistinctè requirunt ut alioqui damnum secutum non fuisset, sed supponunt nullam aliam causam fuisse superventuram: alioqui eorum opinio est apertè falsa. Quia talis ita est causa damni in hoc casu, ut si ipse, vel alius similis non moveret vel adjuvaret executorem, damnum non fieret: ergo verè est causa sine qua non fieret damnum: nam causa sine qua non, est ea, quæ ita cooperatur, ut sine ipsa vel simili superveniente, non fieret effectus à causa executrice. Igitur jubens, consulens, adjuvans, &c. tenentur restituere, etiamsi non defuisset alius qui jussisset, consuluisset, adjuvisset, &c. Enimverò alium præveniendo in injuria, contraxit obligationem, quam ipse contraxisset; & alioqui qui damnum injustè passus est ab aliis, non haberet jus exigendi restitutionem ob multitudinem hominum iniquorum.

Quare solùm controversia esse potest, quando executor absque illo consilio, mandato, laude, ministerio, auxilio, idem damnum illaturus fuisset, quamvis nulla alia similis causa fuisset superventura: quia nempe jam erat ex se ad id paratus, & promptus. Tunc etiam esse obligationem restituendi affirmant Cajetan. Sot. Medina, Vasquez, Molina, quos refert, & sequitur Delugo asserens hanc esse communem sententiam inter recentiores, modò severa suo consilio, mandato vel auxilio cooperetur de facto ad damnum. Quia talis est verè causa damni: nam esse causam non est quòd illa deficiente effectus non fieret, sed quòd illa etiam reipsa cooperetur ad damnum. Nec obstat quòd executor jam ex se esset causa efficax damni, nam duæ causæ totales morales possunt concurrere ad eumdem effectum, atque etiam duo motiva totalia, ita ut uno eorum deficiente effectus adhuc ex vi alterius fieret, v. gr. si medicus eat in aliquem locum vocatus à duobus infirmis ad eos curandos, ita ut propter singulos seorsim iret, movetur quidem ab utroque, ita tamen ut altero deficiente iret; tunc singula motiva verè concurrunt, & tamen altero deficiente effectus fieret. Unde quoties tuum consilium, vel auxilium verè movet, & influit, licet eo deficiente idem damnum fieret, adhuc verè es causa damni: nam verè damnum adhuc oritur ex tuo consilio, &c. Cæterum in dubio an alter tuo consilio, &c. efficaciter motus fuerit ad damnum inferendum, necne, teneris restituere. Quia in dubio nemo præsumitur malum sua sponte facturus; & quia possessio stat pro obligatione restituendi, cùm constet positam esse causam de se damni illativam. *Vide dicta, Qu. XI.*

Sed quid, si executor consilio, aut alia simili causa motus est tantùm ad damnum inferendum faciliùs, confidentiùs, vel citiùs?

Resp. Multi negant mandantem, aut consulentem teneri tunc restituere. Quia tum rem moraliter æstimando, non est causa efficax damni, & nihil interest ad damni illationem an faciliùs, confidentiùs, &c. illatum

tum sit, si revera sublato consilio, &c. illatum verè fuisset ab executore jam ad id ultrò determinato; & tunc consulens, laudans, &c. non tam sunt causæ substantiæ damni quàm modi, vel circumstantiæ qua mandatur executioni, ut quòd fiat hoc modo, hoc instrumento, hoc tempore, &c. Ergo non tenentur substantiam damni rependere. Et ita sentire dicunt S. Thomam, in 4. distinct. 15. qu. 1. art. 5. ad 3. quæstiunc. ubi ait de consulente: *Non obligatur semper ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quod consilium suum fuit efficax, & quod aliàs injusta ablatio commissa non fuisset:* & S. Anton. 2. part. tit. 2. c. 2. §. 6. ubi dicit jubentem & consulentem teneri de damno, *quod aliàs non fuisset factum*, supple, seclusa alia simili causa.

Medina verò, Cajetanus, Sot. Molina, Vasquez, Reginaldus & alii affirmant. Quia adhuc talis est vera causa damni: nam est causa hujus individuæ actionis damnosæ, quæ hìc & nunc fit, & ad eam concurrit.

Porrò adhuc probabilius est teneri ad restitutionem eum, qui fuit causa ut damnum citiùs inferretur, tum ex l. 51. §. ad leg. Aquil. ibi: *Si quis servo mortiferum vulnus inflixerit, eumdemque alius ex intervallo ita percusserit, ut maturiùs interficeretur, quàm ex priore vulnere moriturus fuerat, statuendum est utrum eorum lege Aquilia teneri:* tum quia alioqui potuisset executor mutare voluntatem, vel impediri à damno inferendo; & sic damnum sine tuo consilio, vel opera potuisset non extitisse, & fortè non extitisset: deinde es causa damni hìc & nunc illati.

Quæst. III. *An omnes cooperantes ad damnum tenentur singuli in solidum?*

Resp. 1. Mandans, consulens, consentiens, laudans, vel receptans, &c. tenetur ad restitutionem totius damni, si causa fuit totius damni; partis verò, si solùm partis causa fuit. Nam quisque tenetur resarcire totum & solum damnum, cujus causa injusta fuit: & quando multi ad idem damnum concurrunt, tunc singuli tenentur in solidum modo infra explicando.

Quoad participantes, cùm plures cooperantur ad idem damnum inferendum sic ut singuli sint causa actionis injustæ, seu conferant in actionem injustam; ut dum plures communi consilio, opera, auxilio, domum, vineam, hortum spoliant, gregem abigunt, vel ædes incendunt, aut unus præbet aliis instrumenta, v. g. claves, arma, scalas, &c. tunc singuli tenentur in solidum, id est, unusquisque tenetur non solùm restituere pro sua parte, sed etiam resarcire totum damnum, si alii non restituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt. Nam singuli in totum damnum influxerunt communi conspiratione, opera, vel auxilio; & reipsa actio damnosa est communis omnibus: ideòque singuli sunt causa totius damni, & quidem totalis totalitate effectus, cùm totum damnum oriatur à singulis, licèt sint partialis causa partialitate causæ, ex l. 51. §. *Ad leg. Aquil.* ad obligationem autem in solidum satis est quòd quilibet eorum sit causa, ex qua damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud sufficeret, sive non: nam licet posset unus per seipsum seorsim damnum inferre; at reipsa hic & nunc sine hoc tamquam socio alius damnum non infert, & sic uterque est causa damni in totum. Ita *Covarruv. Cajetanus, Sotus, Molina, Lessius, Tannerus, &c.* Nec obstat quòd concurrant ad totum damnum solùm partialitate causalitatis; ideòque solùm partialiter damnum à singulis proveniat; nam hoc probat singulos teneri tantùm absolutè ad partem damni, hypotheticè verò ad totum, seu ex hypothesi quod alii non restituant, qui tamen suam partem tenentur rependere alteri pro se restituenti; cùm actio damnosa verè à singulis manet.

Hæc autem obligatio in solidum ad totum magis adhuc constat respectu participantis, qui ita concurrit ad damnum, ut sola ejus actio sufficeret ad illud creandum, licèt non sola illud creaverit. Quia ex modo quo influit, totaliter ponit effectum, & est causa simpliciter illius: Ut si duo simul lethaliter vulnerent aliquem, singuli eum occidunt, quia singuli ponunt id quod sufficit ad ejus mortem. *Ita Delugo*. Item respectu causæ partialis, sine cujus causalitate, & cooperatione, quavis alia causa superaddita, effectus non fieret; nam tunc moraliter loquendo & in æstimatione prudenti singulæ ejusmodi causæ partiales æquivalent totalibus: nam licet singulæ non possint ponere effectum & damnum, possunt tamen illud impedire subtrahendo cooperationem, sine qua effectus non fiet. Ita *idem Delugo, Vasquez.*

Quando verò plures sic damnum inferunt, ut singuli solùm faciant partem damni independentes à se mutuò, ita ut unus non moveat, nec incitet, nec adjuvet alium, ut cùm plures per se separatim, sine communi consensu, conspiratione & opera damnum inferunt; tunc singuli non tenentur in solidum, sed

sed solùm pro sua parte, & independenter à se invicem. Quia tunc unusquisque non est causa totius damni, sed solùm partis damni, quod per se intulit.

Resp. 2. Causæ negativæ damni, seu non impedientes damnum alterius, scilicet, mutus, non obstans, non manifestans, cùm ex justitia tenentur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum. Quia sunt causa injusta totius damni post alios, nam causa permissiva damni contra debitum justitiæ, est vera illius causa injusta, cùm potuisset & debuisset ex justitia impedire, nec tamen impedivit: unde violavit jus quod alter habebat ut ejus damnum impediret, quod proinde ei meritò imputatur.

Quæst. IV. *Quo ordine cooperantes tenentur ad restitutionem?*

Nota 1. Constat omnes ad grave damnum injustum quovis modo cooperantes peccare mortaliter: nam, Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm qui faciunt* peccatum grave, *sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Nota 2. Is dicitur primo loco teneri ad restitutionem, qui sic ad eam tenetur, ut ipso restituente cæteri nihil debeant; & alteri restituenti ipse, quod solvit totum rependere teneatur. Secundo loco teneri dicitur, qui si restituerit, cæteri nihil debent excepto primo, qui totum solutum tenetur ei rependere: & sic de aliis.

Resp. Inter obligatos in solidum hic ordo ex communi Doctorum sententia servandus est.

Primo loco & ante omnes tenetur is, apud quem res aliena extat in se. Nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideòque primario: res enim aliena, quamdiu extat in se, per se debetur domino, semperque clamat pro eo.

Quod si res aliena jam non extat in se, & is, ad quem pervenit, consumpsit aut alienavit eam mala fide, sciens, aut saltem dubitans esse alienam; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere; *quia pro possessora habetur, qui dolo desiit possidere*, reg. jur. 36. in 6. & quia nova injuria, quam fecit alienando vel consumendo, non liberat eum à restitutione primo loco facienda, perinde ac si rem haberet, alioqui ex iniquitate sua commodum reportaret. Præterea cùm ex re aliena sciens ac volens præ cæteris commodum perceperit, æquum est ut præ cæteris restituere teneatur.

Si verò rem alienam habens, eam consumpsit, alienavitve bona fide, ignorans esse furtivam, is non tenetur restituere, nisi quantùm ex ea re factus est ditior, cùm fuerit possessor bonæ fidei. Ad hoc tamen primo loco tenetur, quia quoad hoc habet rem alienam in æquivalenti, & ex ea præ cæteris commodum percepit. Quare si alter damnum compenset, is ad quem res furtiva pervenit, tenetur huic restituere rem, si adhuc extet, vel ejus pretium si mala fide consumpsit, vel quantùm ex ea ditior factus est, si consumpsit bona fide: nam jus dominii translatum est in eum, qui damnum compensavit.

Secundo loco mandans seu jubens: quia est causa magis principalis; executor verò se habet ut ejus instrumentum. Nam damnum non solùm jubentis motione, sed etiam nomine & authoritate executori necessitatem quamdam moraliter imprimente fit. Item qui fraude induxit, vel metu aut vi coegit, & cui alter non est ausus contradicere; nam injuste conjecit executorem in obligationem restituendi, eique & damnificato injuriam intulit; & sic debet executorem indemnem servare, ideòque priùs resarcire totum damnum inde secutum. Quare si is restituerit, nihil tenetur executor ei rependere.

Eodem etiam quo jubens loco, tenetur is, qui suo nomine damnum fieri rogavit, aut suasit suo nomine fieri, censetur in se totum onus restituendi suscepisse, & se habet instar mandantis. Præterea is, cujus nomine fit damnum, est causa principalis; quæ instar finis & efficientis moralis movet cæteras: ergo ante cæteras tenetur. *Lessius.*

Tertio loco tenetur executor, quia est causa principalis post mandantem, cæteri verò sunt causæ secundariæ: nam magis suo nomine influit in damnum, & illud immediatiùs attingit, quàm illæ aliæ causæ. Deinde quod hæ causæ faciunt, id faciunt ut quodam modo servientes executori. Si tamen plures inter se inito consilio communem inimicum impetant, & unus ex eis illum occidat, vel ejus domum incendat; omnes æqualiter restituere tenentur; quia omnium nomine damnum factum est, & omnes sunt participantes.

Quarto loco, & priorum defectu, cæteræ causæ positivæ, nempe consulens, consentiens, laudans, receptans, adjuvans, tenentur singulæ ad suam partem secundùm proportionem suæ cooperationis; & quidem æquè primò ratione suæ cooperationis, sine ordine inter se. *Est communis sententia*. Quia una non est cooperata ad damnum mediante altera,

altera, & ut instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed unaquæque per se in suo ordine: unde una non est magis vel minùs principalis causa respectu alterius. Ergo si mandans vel executor non restituat, omnes istæ causæ secundariæ tenentur pro rata restituere; majorem quidem portionem quæ magis, minorem verò quæ minùs cooperata est. Tenetur tamen quælibet totum restituere in defectum aliarum.

Si tamen executor nomine omnium damnum intulit, omnes simul tenentur primo loco, quia illorum causa factum est, & consentiendo ut sic fieret, tacitè in se receperunt obligationem restituendi. Executor verò ut executor tenetur tunc secundo loco, nisi sit etiam unus illorum, quorum causa factum est, tunc enim tenetur simul cum aliis.

Ultimo loco, post omnes causas istas positivas & in earum defectum, tenentur causæ negativæ, seu non impedientes damnum contra debitum justitiæ. Tum quia causa negativa minùs ac remotiùs ad damnum concurrit, quàm positiva. Nam causa positiva reipsa creat positivè, physicè, vel moraliter damnum: negativa verò solùm non impedit influxum positivæ. Tum quia negativa non tenetur ad restitutionem, nisi quia alius damnum intulit, nec resarcit: unde damnum passus non potest petere restitutionem à non impediente, nisi priùs probaverit sibi damnum illatum esse, nec compensatum. Ergo prius est alios non restituisse quàm causam negativam teneri ad restitutionem: Ergo hæc tenetur solùm in defectum positivæ. Si tamen contingeret damnificatorem ex consideratione præteritæ negligentiæ superioris, vel custodis incitari ad damnificandum; tunc superior vel custos non impediens non se haberet ut causa merè negativa, sed simul ut positiva; ideòque teneretur simul conferre in restitutionem cum causis positivis, & non post illas, ut notat Delugo.

Porrò inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis præcipua; nisi tamen una teneretur magis immediatè impedire damnum.

Quæst. V. *Quando plures sunt causæ æque pr[...]ipales, vel æque secundariæ, ut videantur [...]aliter contulisse ad totum damnum, ad qu[...] singula tenentur?*

Resp. [...]nentur æquas portiones conferre ad damn[...]mpensationem: nam cùm æque principalit[...]operatæ sint ad totum damnum, æqual[...]& æquis partibus tenentur ad illius restit[...]nem. In defectum reliquorum quisque tenetur in solidum, quia quisque concurrit ad totum damnum, cùm sit causa totius actionis damnosæ: ergo in defectum sociorum tenetur totum damnum resarcire.

Quæst. VI. *Si una causa restituerit, an aliæ obligantur?*

Resp. 1. Si causa magis principalis totum restituat; cæteræ omnes liberantur ab onere restitutionis. *Est communis sententia.* Quia causæ minùs principales tenentur solùm restituere in defectum causæ magis principalis, & primariò obligatæ: ergo hac restituente aliæ sunt liberæ, nec tenentur ei quidquam rependere. Si verò causa secundaria restituerit, causa magis principalis & primariò obligata tenetur ei totum rependere. *Ita communiter.* Quia causa minùs principalis solvendo acquisivit jus quod creditor habebat exigendi solutionem à causa principaliori, quæ primariò tenebatur; nec par est, ut sit pejoris conditionis, ex eo quod solverit id quod altera primariò tenebatur solvere, & qua solvente nihil deberet; sicque ejus negotium utiliter gesserit, ex l. 43. §. *de negot. gestis*. Præterea alioqui debitor principalis melioris conditionis esset ob suam iniquitatem, quâ restituere noluit id quod immediatè debebat, & non in defectum aliorum.

Hinc 1. Si mandans restituerit, aliæ omnes causæ sunt liberæ: nam sunt minùs principales. Executori verò restituenti solus mandans tenetur ei totum rependere. 2. Si alia causa secundaria restituerit, jubens, & in ejus defectum exequens tenetur ei totum reddere; cùm executor sit causa magis principalis post jubentem. 3. Si causa positiva restituerit, libera est causa negativa; cùm hæc teneatur solùm in defectum illius. E contra si causa negativa restituerit, tenentur causæ positivæ secundùm suum ordinem ei totum solutum restituere. 4. Si creditor remittat causæ magis principali, ut jubenti vel executori, aliæ sunt liberæ. Quia cùm remissio extinguat debitum, debitor principalis liber est: ergo ii qui solùm in ejus defectum tenebantur, sunt liberi perinde ac si causa principalis restituisset. Si verò creditor condonet uni causæ minùs principali, tenetur adhuc restituere causa magis principalis: quia solùm remittitur obligatio causæ secundariæ, non causæ principalis, quæ per se tenetur independenter à minùs principali. Neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu cum ipsa debent, quia solùm portio alterius, non harum, condonatur; aliæ tamen

men jam non tenebuntur solvere portionem illius cui remissio facta est.

Resp. 2. Si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectum causæ priori loco obligatæ, tenentur singulæ pro sua portione ei rependere. *Ita communiter*. Quia aliàs non servaretur æqualitas inter cooperantes illos, cùm singuli æqualiter teneantur pro rata; & quia jus, quod habebat dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui priùs totum solvit: neque enim pro sociis solvit ut essent liberi à restitutione; sed quia, illis nolentibus vel non valentibus restituere, tenebatur domino restitutionem integram procurare; & sic habet jus repetendi ab illis, quod pro illis domino solvit, & quod ipsi dare debuissent. Neque enim alii fuere melioris conditionis, quia non fecerunt id ad quod tenebantur; nec ille debet esse pejoris, quia prior solvit id ad quod tenebantur, & sic negotium ipsorum utiliter gessit. Quod verum est, quamvis alios induxerit: nam non fecit eis injuriam: quia scientes & volentes induxit sine vi vel fraude, neque mandavit aut coegit, neque suasit ut in sui gratiam agerent, sed ob communem utilitatem vel propriam cujusque, unde non censetur totum onus restitutionis in se suscepisse.

Quòd si unus ex æqualiter obligatis nollet, aut non posset suam portionem restituere, cæteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter inter se dividere: v.g. si tres teneantur æqualiter ad restituendum triginta aureos, & unus illos persolvat, eo quòd alii duo nolint, aut nequeant suas portiones restituere: postea verò alter eorum duorum velit restituere, hic tenetur priori ultra decem restituere quinque, tamquam dimidium portionis, ad quam tenetur tertius, qui non vult vel non potest restituere: nam tenetur æqualiter cum eo qui prius totum solvit, subire onus pro eodem tertio, cùm sit æque concausa damni.

Quæst. VII. *Quandonam in particulari singulæ causæ cooperantes ad damnum, tenentur ad restitutionem?*

Resp. Ad singula seorsim totidem paragraphis.

§. I.

De Mandante.

Resp. 1. IS, cujus mandato, sive expresso, sive tacito, alter motus fuit ad damnum inferendum, ex communi sententia tenetur primariò ad restitutionem, sive præcipiendi authoritate polleat, sive non; quia talis est causa præcipua damni: nam ejus nomine ac authoritate fit damnum; & mandans seu jubens necessitatem quamdam moralem executori imprimit, qui censetur esse solùm ejus instrumentum, *cum is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur*, cap. 7. *de sent. excomm.* Imò tenetur resarcire non solùm damnum, quod præcepit, sed etiam quod ex mandato inde præter ejus intentionem secutum est, si res præcepta fuerit periculosa. Quia tunc mandans censetur causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse sua culpa occasionem tali damno, ex cap. ult. *de homicid. in 6.* ibi: *Is qui mandat aliquem verberari, licèt expressè inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

Dixi, *tacitè*, ut si quis famulo vel filio, aut alteri qui ipsius imperio moveatur, dicat: Vindictam ex tali opto; aut vellem ut tali inferretur tale damnum, l. 1. §. *mandat.*

Resp. 2. Ex communi sententia si jubens ante damnum illatum mandatum revocet, idque mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum postea illatum. Quia jam non censetur causa damni, cùm illud non proveniat ex mandato, tunc enim alter non agit ex vi mandati nec mandantis nomine sed suo nomine & motu. Secùs, si revocatio mandati ante damnum non innotescat; quia tunc ex vi mandati damnum infertur. Tenetur etiam mandans ad restitutionem, licèt mandatum revocaverit, si non impedierit subditum à damno inferendo; tunc enim tenetur ut non obstans.

Resp. 3. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias cùm possis, cohibendo vel significando te nullatenus id velle, teneris restituere. Quia censeris mandasse saltem tacitè, aut certè taciturnitas tua censetur consensus & approbatio. Deinde quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius & tamqu[am] aliquid sibi gratum, damnum proxim[o] injustè inferatur.

Sed an qui ratum habet damnu[m] suo nomine factum, tenetur restituere?

Resp. Neg. Si neque expressè [n]eque tacitè mandaverit. *Est communis [sent]entia*. Quia talis nullatenus est causa [da]mni: nam id quod posterius est tempo[re] non potest esse effi-

efficiens causa effectus præcedentis. Hæc autem reg. 10. jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, intelligi debet præsertim de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati & à consensu ejus pendentes, subsequente ratificatione confirmantur. Ratihabitio comparatur etiam mandato quoad culpam & pœnas in jure expressas, non autem quoad obligationem restituendi, nisi ea sit causa efficax cur damnum inferatur, vel illatum non resarciatur.

§. II.

De Consulente.

Resp. 1. Consulens dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ nocendi induxit alium ad damnum inferendum. Ex communi sententia tenetur restituere; quia est causa moralis & injusta damni. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: ***Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*** Quòd si sint plures consulentes, singuli tenentur ex æquo: nam omnes in damnum æque influunt, cùm omnium consilio alter motus fit ad damnum creandum. Idem dic de pluribus jubentibus.

Resp. 2. Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, ex communi sententia tenetur adhuc resarcire damnum postea secutum, si consilium consistebat in ostensione utilitatis vel delectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi. Quia tunc adhuc meritò censetur causa damni, cùm sit culpabilis causa motionis impressæ, ex qua damnum oritur, & quæ non tollitur revocatione; nam hac non obstante consilium semper remanet in motivo suggesto, vel via nocendi ostensa: quemadmodum si ignem injeceris in res alienas, quæ postea incendio consumantur, teneris restituere quantumcumque postea coneris extinguere ignem. Ex quo patet disparitas inter revocationem talis consilii, & mandati: nam revocatio talis consilii non tollit omnem rationem agendi à consulente propositam, nec proinde motionem inde ortam. At revocatio mandati tollit omnem rationem agendi à mandante propositam, ac proinde omnem motionem ab ipso procedentem; cùm mandatarius non agat nisi nomine mandantis; nec impellatur ad agendum, nisi ut ei obsequatur. Hinc si mandans mandato suasionem addiderit, tenetur ratione consilii cum mandato conjuncti, restituere damnum post revocationem illatum.

Quod si consilium consistebat in falsa doctrina, v. g. quòd talis contractus esset licitus, qui tamen illicitus est, & consulens ante executionem illud revocaverit aperiendo illius falsitatem, ex communi sententia non tenetur restituere. Quia tunc efficaciter tollit causam damnum inferendi, & motionem à se impressam. Item qui precibus, blanditiis, vel promissis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem ostendit sibi displicere, propositum mutasse, & promissa revocare, non tenetur restituere. Quia non est causa moralis damni posteà illati; nam tollit penitus omnem rationem agendi à se propositam, & motionem à se impressam.

Resp. 3. Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minùs damnum eidem inferatur, cui inferendum erat majus. Quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert; imò majus impediendo, utiliter rem ejus gerit; & tunc propriè non consulit damnum, sed potiùs imminutionem damni, seu evitationem majoris damni. At tenetur, si parato majus damnum inferre Paulo, consulat ut minus damnum potiùs inferat Petro, cui non statuerat inferre. Quia consilio suo est causa injusta damni Petro illati, & injuriam infert Petro: nam quivis innocens habet jus ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus alterius. Et verò Petrus tam habet jus ut servetur illæsus à minori illo damno, quàm Paulus ut servetur illæsus à majori. Excipe nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex charitate illud pati ad impediendum majus damnum Pauli; quia tunc non est rationabiliter invitus.

§. III.

De Consentiente.

Resp. Consentiens, quo nomine intelligitur etiam approbans, favens, suffragium ferens, tenetur ad restitutionem, quando per consensum, approbationem, favorem, suffragium, authoritatem influit in actionem damnosam: nam qui in hunc influit est causa damni ex ea secuti. Influere autem censetur, quando ab ejus consensu, favore, approbatione, vel suffragio oritur.

Hinc qui suffragium injustum tulit ad damnificandum, ad sententiam aut Legem injustam, ad eligendum indignum in aliquod mu-

munus vel beneficium, tenetur de damno, 1. Si suffragium dedit antequam essent sufficientia ad id suffragia, nihil obstante quòd tametsi non suffragatus fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset. *Ita communiter*. Quia revera fuit cum aliis causa injusta damni; nam sine illo aut alia simili causa superventura non fieret damnum. 2. Si ignoret esse sufficientem numerum suffragiorum; nam voluit esse causa damni per injuriam. 3. Quamvis non dederit, nisi post suffragia sufficientia, si poterat adducere priores suffragatores ad revocanda sua suffragia injusta. Nam tunc ex officio ad id obligatur, admonendo quæ sui erant officii, & recusando suum suffragium; & sic tunc tenetur de damno secuto, saltem tamquam mutus, vel non obstans. Imò tenetur etiam ut causa positiva, si suffragia sint revocabilia, ut cùm publicè feruntur in consilio. Quia tunc damnum non est efficaciter illatum ante ultimum suffragium; nam pendet non solùm ex prima prolatione suffragiorum sufficientium, sed etiam ex perseverantia in illis, quatenus postea non revocantur. Quare quandiu suffragium revocari potest, nondum est efficaciter positum ad creandum damnum; ac proinde qui dat ultimum suffragium, simul positivè cum aliis concurrit ad damnum, perinde ac si omnes simul suffragia irrevocabilia dedissent. *Ita Delugo*.

Quod si major pars iniquum suffragium ante te irrevocabiliter dedisset, ita ut nequeas impedire damnum dissentiendo & resistendo, peccas contra justitiam suffragando, cùm consentias injustitiæ; sed juxta multos non teneris resarcire damnum, hancque esse communem sententiam asserit Layman, quia non fuisti causa illius efficax, cùm jam antea irrevocabiliter illatum fuerit. Juxta alios teneris, quia etiam postremorum suffragatorum ut consentientium nomine damnum executioni mandatur.

§. IV.

De palpone, seu adulatore & laudatore.

Resp. Qui adulatione, laudatione, vituperatione alterum ad damnum creandum inducit, v.g. ad vindictam, injuriam patrandam, laudando facinus, vel exprobrando ignaviam ob omissionem vindictæ vel criminis, tenetur ad restitutionem, si alter ex tali laude vel exprobratione motus fit ad damnum inferendum. Quia est causa moralis damni: nam se habet instar consulentis, proponendo laudem, vel ignominiæ vitationem ex facinore secuturam, vel ut motivum agendi.

§. V.

De Receptatore.

Resp. Ad restitutionem tenetur qui recursum, securitatem & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum. Ut si recipiat domi damnificatorem, & non alios passim; si rem furtivam custodiat ut furi servet; si ipsum furem vel ejus instrumenta occultet, ita ut hinc incitetur ad damnificandum. Item caupo vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena, ut filiumfamilias impendentem bona parentum. Non tales revera cooperantur damno; quippe sine illis aut alia simili causa hoc damnum non fieret, ex l. 3. §. de incendio. *Non tantùm qui rapuit, verum is quoque qui recipit, ex causis supradictis tenetur: quia receptores non minùs delinquunt quam aggressores.*

Qui verò furem dum à lictoribus quæritur, occultat solum ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur fortè è periculo elapsus, aliquando damnum aliis sit illaturus. Nam damnum illud est merè casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem; illa enim actio per se solùm ordinatur ad eripiendum miserum hominem ex præsenti periculo vitæ vel pœnæ corporalis: secùs, si furem ita occultaret, ut spem refugii in posterum daret, qua fur fidens furta continuaret.

§. VI.

De Participante.

Resp. Dupliciter quis participans dicitur. 1. Qui solùm particeps est prædæ; & hic tenetur restituere tantùm partem quæ ei obvenit: nam quoad illam duntaxat fecit injuriam domino, rem ejus injustè accipiendo. 2. Qui particeps est actionis damnosæ, præbendo auxilium, operam, instrumentum, adjuvando ad executionem, vel explorando; & hic tenetur resarcire damnum pro rata, imò totum, si alii non restituant suas partes: nam est causa injusta actionis damnosæ, ideòque totius damni ex ea orti. L. 21. §. *de furtis*, & cap. 6. *de homicid.* Sic tenetur, qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente; qui excubias agit, qui furem comitatur defendendi causa, qui ad confringendum & asportandum adjuvat, &c.

Nec

Nec refert quòd te non juvante, damnum nihilominus factum fuisset, nam eo ipso quòd adjuvisti, fuisti concausa damni, quod revera sine te non est factum. Quare participans non solùm peccat mortaliter, juxta Prov. 29. *Qui cum fure participat, odit animam suam.* Sed etiam tenetur ad restitutionem.

§. VII.

De Causis negativis.

Resp. 1. Ex communi sententia, negativè cooperantes ad damnum, sunt ii qui non impediunt damnum, cùm impedire rationabiliter possunt & tenentur ex justitia. Tenentur autem ex justitia, quia tenentur ratione officii, muneris, vel contractus, ut superior, princeps, dux belli, magistratus, bonorum administrator, pater, tutor, curator, famuli, custodes pecorum, agrorum, &c. & alii stipendio conducti. Non impeditur autem damnum tripliciter. 1. Tacendo, id est, non reprehendendo, non dissuadendo, non prohibendo, non clamando, &c. 2. Non obstando, id est, omittendo subsidium, custodiam, opem vel operam ad impediendum damnum. 3. Non manifestando damnificatorem domino, sive ante ne fiat, sive post damnum factum ut resarciatur, aut etiam non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi.

Itaque ex communi sententia, qui tenentur ex officio vel contractu, aut quasi contractu, impedire damnum alterius, si negligant impedire, peccant contra justitiam, & tenentur illud resarcire. Quia censentur causa moralis & injusta damni: nam hoc ipso quòd tenentur ex officio, vel contractu impedire damnum alterius, hic habet jus ut damnum ejus impediant; ac proinde si negligant impedire, faciunt ei injuriam damnosam. Et verò alter damnum patitur ob omissionem operæ ex justitia debitæ ad illud impediendum, ideòque ob injustitiam illorum: nam si hi fecerint id ad quod ex justitia tenebantur, alter non pateretur damnum, quod proinde illis meritò imputatur.

Hinc ad restitutionem tenentur Principes, magistratus, & belli duces, si non impediant latrocinia & injurias subditorum. Nam ex justitia tenentur conservare jura & bona subditorum: reditus enim quos habent, sunt stipendia ad hoc instituta. Idem dic de judice & canonico, qui sine justa causa absunt, cùm prævident aliquid iniquum esse gerendum: nam ex officio illud impedire, & contradicere tenentur.

Resp. 2. Qui solùm ex charitate tenetur impedire damnum alterius, si non impediat cùm sine magno incommodo potest, peccat quidem contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem: quia non peccavit contra justitiam; nec censetur causa injusta damni, cùm alter non habeat jus ut damnum ejus impediat. Secùs, si quis positivè conferat ad damnum proximi; is enim teneretur de damno, nam quilibet habet jus ne quivis alter ad damnum ejus positivè cooperetur, cùm habeat jus ne ei inferatur damnum sine justa causa & authoritate.

Hinc ad restitutionem tenetur. 1. Qui à fure pecuniam accipit ne clamet, ne indicet, vel id promisit gratis, quamvis damnum ex sola charitate impedire teneatur: quia hoc promisso furem animosiorem ac securiorem reddit, & sic positivè concurrit ad damnum. 2. Qui obligatum ex officio ad clamandum vel impediendum, quovis modo impedit: nam injustè impedit usum juris, quod habet tertius ut is clamet. 3. Qui clamare vel obstare volentem, licèt ad id ex justitia non obligatum, impedit per vim vel dolum: nam quisque habet jus ne quis ejus defensionem & bonum impediat per vim vel dolum, aliamve viam injustam.

Sed ad quid tenentur Custodes agrorum, vinearum, sylvarum: si non impediant damnum, vel non manifestent damnificatores, ut resarciatur?

Resp. Peccant contra justitiam, & religionem, quia agunt contra officium, vel pactum, & juramentum; tenenturque resarcire totum damnum. *Est communis sententia.* Nam ex officio vel pacto tenentur sua custodia & dilatione dominum loci illæsum servare.

An autem teneantur restituere mulctas, quas domini acciperent ex dilatione, si non deferant? Multi negant: quia hi custodes constituuntur, non ut domini locupletentur ex lucro pœnarum, sed ut custodiant rem commissam, & impediant damnum; nec tenentur deferre ad hoc ut dominus habeat mulctas, sed solùm ut non patiatur damnum. Alii probabiliùs affirmant; quia videntur constitui tum ut impediant damna, tum etiam ut deferant damnificatores, præsertim cùm id expediat ad avertenda multa damna, quæ aliàs fierent sublato metu mulctarum: unde non deferendo peccant contra officium & contractum, vel quasi contractum: & sic que tenen-

tenentur restituere mulctas pecuniarias quas perciperent domini ex delatione sibi jure debita.

CAPUT V.

De circumstantiis restitutionis, & ordine in ea servando.

Quæst. I. Cuinam res debet restitui?

Resp. Ei, à quo accepta vel ablata fuit, modò sit Dominus rei, vel habeat jus eam detinendi vel custodiendi, administrandi, &c. vel ea utendi, &c. qualis est conductor, commodatarius, depositarius, & similes. Quia illi fieret injuria, cùm habeat jus rem possidendi, vel detinendi, custodiendi, ea utendi, &c. Res autem aliena ablata furi, restitui debet non furi, sed domino. Quia fur non habet jus eam possidendi, sed dominus; admonito tamen fure ne persevetet in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat cum suo damno.

Quòd si is, cui restitutio facienda est, mortuus sit, fieri debet hæredibus ejus; quia hi succedunt in omnia jura defuncti, l. 62. §. *de reg. jur.* & l. 37. §. *de acquir. vel amitt. hared.* ibi: *Hæres in omne jus mortui, non tantùm singularum rerum dominium succedit.* Si autem post diligentem inquisitionem hæredes cognosci nequeant, debet restitutio fieri pauperibus, juxta dicta de bonis ac debitis incertis.

Porrò hæredes hìc intelliguntur quicumque in defuncti hæreditatem jure succedunt, sive per testamentum, sive per sententiam, sive aliter.

Quæst. II. *Quo tempore fieri debet restitutio?*

Resp. Statim, quantùm moraliter fieri potest. *Est communis sententia.* Nam præceptum restitutionis est primariò negativum; prohibet enim detentionem rei alienæ vel alteri debitæ invito rationabiliter domino, & sic obligat semper & pro quovis tempore.

Solutio verò debitorum ex contractu fieri debet tempore, de quo inter contrahentes expresè vel tacitè conventum fuit: eo transacto, si debitor sine justa causa non solvat, injuriam creditori infert, & tenetur compensare totum damnum hinc obveniens, etiamsi creditor solutionem non exigat, ex l. 12. *Cod. de contrah. stipul.* nam creditor habet jus accipiendi tunc solutionem; & ipsum tempus præfinitum pro creditore interpellat, c. ult. *de locat.* Si tamen debitor paratus sit tempore constituto solvere, sed creditor vel absens sit nullo procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor non tenetur de damno postea eveniente, non de pœna statuta.

Quòd si nullum tempus solutioni debitorum ex contractu expresè aut tacitè præfinitum sit, tunc debitor non ante censetur esse in mora culpabili, nec tenetur de damno, quàm creditor debitum congruo tempore exegerit. Ita communiter per sensum contrarium, ex l. cit. quia tunc creditor sciens & valens petere, censetur dilationem concedere non petendo, modò non omittat petere ex metu vel oblivione.

Porrò licet debitori anticipatè solvere debita, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo & commodato. Quia quisque potest juri suo cedere; & quia tunc terminus non est appositus ne solutio anticipatè fiat, sed ne ultrà differatur. Secùs, si terminus fuit appositus in favorem creditoris; nam fieret injuria creditori habenti jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus, ex l. 15. §. §. *de annuis legat.*

Quæst. III. *In quo loco & cujus impensis fieri debet restitutio?*

Resp. 1. Si debitum ortum sit ex injuria, nempe ex injusta acceptione, detentione, vel damnificatione culpabili, restitutio fieri debet impensis debitoris, & eo loco ubi dominus rem suam possessurus erat, si ablata vel destructa non fuisset. *Ita communiter.* Quia restitutio ob injuriam ita fieri debet, ut dominus in eum statum restituatur, in quo fuisset, si nulla injuria illata fuisset, & omnino indemnis servetur: alioqui non reponeretur æqualitas, nec integrè tolleretur injuria, nec dominus restitueretur in pristinum statum, ex quo injustè dejectus est, & ad quem jus habet. Quare si dominus aliò migravit, & rem suam secum translaturus erat, si habuisset, restitutio ei debet fieri ubi nunc degit impensis debitoris, deductis sumptibus, quos in ea re secum asportanda facturus fuisset. Nec excusatur debitor, etiamsi omnibus spectatis damnum, quod ex sumptibus vel aliunde patietur, sit duplo majus illo, quod dominus pateretur, si ei non restitueret, spectata paupertate & necessitate utriusque. Ut si debeat centum ex delicto, nec possint reddi nisi adhuc alia centum impendendo: quia magis æquum est, ut delinquens patiatur damnum illud, & amittat centum ex bonis suis, quàm quod creditor innocens cogatur idem damnum pati: nam in pari damno melior est conditio innocentis seu injuriam

riam passi, quàm nocentis, qui sibi imputare debet damnum illud, cùm sit ejus causa per injuriam. *Vasquez, Delugo, &c.*

Si tamen restituere non posset, nisi faciendo impensas duplo longè majores quàm res valeat, potest differre restitutionem, donec illam absque tanto suo detrimento facere queat, vel monere creditorem, ut significet quid de re illa fieri velit. Quòd si monere nequeat, & prudenter judicet numquam aliter posse fieri restitutionem; juxta multos potest ac debet restituere ejus consanguineis vel pauperibus: quia creditor non est tunc rationabiliter invitus; & alioqui magna esset inæqualitas, si debitor restituere deberet cum quibuscumque sumptibus. Quisque tamen tenetur causam damni à se injustè positam tollere, & damna injustè illata restituere cum suo damno æquali, atque etiam saltem paulò majore: nam justum non est ut innocens damnum injustè sustineat, ne is, qui illud injustè tulit, æquale aut paulò majus damnum patiatur in illo impediendo & resarciendo. Quare injustus damnificator tenetur ad amplius, quàm damnum secundùm se consideratum æstimetur; non quidem ut dominus inde plus accipiat quàm amiserit, sed quia hoc est necessarium tamquam medium, ut fiat integra restitutio. Nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium necessarium.

Nota. Ut sciatur, cum quanto damno restituere teneatur debitor ex delicto; perpendi debet, an creditor hic & nunc sit, vel non sit rationabiliter invitus circa omissionem vel dilationem restitutionis, hoc autem colligi debet tum ex communi sensu hominum: tum etiam inde si attendatur quid homines prudentes bonum societatis humanæ intendentes, statuissent circa hos casus antequam evenirent.

Resp. 2. Quæ debentur ex re accepta bona fide extra contractum, restitui debent in loco ubi habentur; nec debitor tenetur ea impensis suis mittere domino, sed impensis domini. *Ita omnes*. Quia possessor bonæ fidei non tenetur cum suo damno dominum in pristinum statum restituere, cùm eum per injuriam non deturbaverit. Igitur debet solùm repræsentare rem ubi illam habet, & custodire, monito interea domino, ut significet quo pacto velit rem sibi suis sumptibus remitti. Imò ipse dominus tenetur non solùm ad impensas rei remittendæ, sed etiam custodiendæ necessarias l. 2. §. *de negot. gest.*

Resp. 3. Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero restituenda est, si in alterius tantùm partis utilitatem accepta sint, debent ejus impensis restitui, nisi justa pactione aliter conventum sit. Quia æquum non est ut res ex contractu debita restituatur impensis illius, cujus commodum in eo quæsitum non est, sive ut quis damnum ex beneficio collato pati debeat. E contra par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, *reg. jur.* 55. in 6. ibi: *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.*

Resp. 4. Quæ debentur ex contractu, restitui debent ex natura contractus in eo loco, ubi res accepta fuit. *Ita multi*. Quia nullus locus magis justitiæ congruit; & æquitas postulat, ut sicut res eadem accepta, vel alia æquivalens, quæ loco acceptæ substituitur, restituenda est, ita etiam restituatur in eodem loco ubi accepta fuit, cùm restitutio sit repositio rei in pristino statu. Hinc ex natura contractus teneris reddere mutuum, depositum, rem locatam, in loco ubi accepisti, non alibi, nisi impensis alterius. Item ex natura contractus debes solvere pretium rei emptæ vel locatæ in loco ubi res traditur, pro qua solvendum est. Nam in quocumque alio solutio fiat, deficere potest æqualitas contractus: hæc enim desumitur ex æqualitate dati & accepti, quæ dependet multùm à loco in quo datur & accipitur: quia valor rei vel usus illius & æstimabilitas pretii ac pecuniæ variatur ex varietate loci. *Delugo*. Possunt tamen contrahentes de alio loco pacisci, modò hoc onus justa mercede compensetur, ut servetur æqualitas. Et tunc ibi restitui debet: nam pacta justa obligant, & contractus ex conventione legem accipiunt, ex *reg. jur.* 85. *in* 6.

Resp. 5. Quæ debentur ex donatione, legato, testamento, tradi debent in loco ubi erant, cùm donarentur, (nisi aliud in ipsa dispositione expressum sit,) & impensis ejus cui donata sunt. *Ita omnes*. Nam qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad amplius obligare. Si tamen hæres eam aliò transferret, teneretur suo sumptu illam remittere in locum ubi erat priùs. *Ita Lessius*.

Quæst. IV. *Cujus periculo fieri debet restitutio?*

Resp. 1. Restitutio facienda ratione injuriæ, fit periculo debitoris. *Est communis sententia*. Quia ratione injuriæ tenetur dominum prorsus indemnem servare, & sic debet subire omne damnum ac periculum: dominus enim nullum debet pati damnum ex injuria sibi illata. Et quia *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur*, c. ult. *de depos.*

Hinc ex communi sententia, si debitor adhibita maxima diligentia rem nuntio quem putat fidelem, vel confessario tradat restituendam domino, & hi sive culpatè, sive inculpatè rem domino non reddant, tenetur iterum ad idem restituendum, donec reipsa dominus accipiat. Quòd si pluries idem restituere tenetur, id fit per accidens, & sibi imputare debet: nam *damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*, reg. jur. 86. in 6.

Restitutio autem rei alienæ in individuo facienda à possessore bonæ fidei fit periculo domini, modò possessor eam remiserit per hominem, quem prudenter judicabat esse redditurum, ex l. 20. §. *commodat.* quia seclusis culpa, mora, & pacto, res perit domino. Hinc restitutio rei commodatæ, locatæ, depositæ, fit periculo domini, si nulla interveniat culpa restituentis.

Resp. 2. Ex communi sententia, solutio debitorum ex contractu facienda ex bonis debitoris, ejus periculo fit; ita ut si pecunia eorum solutioni destinata surripiatur, vel ab eo, cui restituendam commisit, amittatur aut retineatur, ipse tenetur aliam dare creditori. Quia res perit domino, & es dominus pecuniæ tuæ donec creditori tradatur: tunc enim solùm à te in illum transfertur dominium. Nisi tamen creditor miserit vel designaverit hominem certum, cui pecuniam committas; hic enim accipit loco creditoris, sive creditor censetur accepisse per designatum. Quare si hic pecuniam amittat vel retineat, damnum est creditoris, non tuum, l. 39. & 40. §. *de solut.*

Quæst. V. *Quo ordine restituendum est?*

Nota. Quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus ullo ordine, cùm omnibus satisfaciendum sit.

Resp. 1. Ex communi sententia, quando res aliena extat in se, restitui debet domino, nec potest aliis in solutionem dari. Quia est domini; & debitor solvere debet ex bonis propriis, non alienis: nam rei dominium nequit transferri ab eo, qui illud non habet. Unde si ignoretur dominus rei in se extantis, commodatæ, depositæ, ablatæ, &c. vel ejus hæres, hæc impendi debet in pauperes, vel alia pia opera, juxta dicta.

Res in rigore justitiæ credito vendita extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori præ aliis creditoribus, si is aliunde non habeat jus prælationis. Ita multi, præsertim Jurisperiti, qui apud Covarruviam asserunt hanc esse communem sententiam. Quia res vendita non est ampliùs venditoris, secuta traditione & habita fide de pretio ejus: nam tunc translatum est ejus dominium; neque manet illi obnoxia jure hypothecæ: nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex conventione vel jure positivo, & nullâ ex hoc utroque capite reperitur inducta. Et verò si illa res ab emptore alteri revendita esset, hic haberet dominium in eam omnino liberum. Tamen res venditæ quæ adhuc extant apud emptorem, possunt & debent ex quadam æquitate reddi venditori. Ita judicarunt multæ supremæ curiæ in Gallia, & colligitur ex L. Procuratoris, §. de tributis, quod intellige nisi obstet consuetudo loci.

Resp. 2. Ex bonis debitoris, 1. Priùs solvi debent impensæ pro funere debitoris, l. penult. §. *de religiof. & sumpt. funeris*. Item pro curatione ejus.

2. Ex communi sententia, priùs solvenda sunt debita certa, id est, quorum cognoscitur creditor, quàm incerta, id est, quorum creditor ignoratur. Tum quia creditor incertus, cùm nequeat per se immediatè recipere rem debitam, non est rationabiliter invitus ut ipsi præferatur creditor certus, qui immediatè damnum pateretur ex omissione restitutionis: nam habet jus immediatum ac determinatum exigendi solutionem, quod pauperes aut aliæ causæ piæ non habent circa debita incerta; cùm ista possint in hos vel illos usus pios impendi. Tum maximè quia in hoc creditor incertus consentire meritò præsumitur, cùm sit opus pium ac Deo gratum subvenire debitori indigenti & gravato ære alieno: ut possit se liberare à creditoribus certis eum prementibus, remanente onere postea debita incerta solvendi pauperibus, cùm facultas aderit.

3. Ex communi sententia, debita ex titulo oneroso priùs solvi debent, quàm debita ex titulo gratuito; v. g. liberali promissione vel legato, ex l. 19. §. *de re judic.* ibi: *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur, & quidem is solus deducto ære alieno*. Quia in pacto gratuito & legatis subintelligitur conditio, *Si absque tertii damno fieri possit, nisi status rerum mutetur*. Præterea nemo censetur se ex sola sua liberalitate velle obligare in casu, quo ad egestatem redigeretur, nec æquitas id patitur. Hinc debita defuncti solvi debent ante omnia legata, etiam pia. Idem dic de votis: quia Deus non acceptat illa cum detrimento tertii. Vota tamen solven-

venda sunt ante legata: quia obligant defunctum, non legata, quæ supponunt solutionem aliorum debitorum contractorum.

4. Solvendum est creditoribus hypothecam habentibus ante alios, qui non habent, l. 19. Cod. *Qui potiores in pign.* Nam bona sunt specialiter obligata solutioni hypothecariorum, qui proinde jus speciale habent, ut ii solutionem recipiant præ aliis.

5. Inter creditores hypothecarios priùs solvendum est iis, qui priores sunt tempore, juxta reg. jur. 54. in 6. *Qui prior est tempore, prior est jure.* Nam obligatio posterior non potest tollere jus alteri jam acquisitum. Unde in ea intelligitur hæc conditio, *Si sine damno prioris creditoris poterit ex eadem re cæteris satisfieri*. Sunt tamen aliqui casus, in quibus posterior tempore præfertur priori hypothecario. 1. Si pecuniam mutuavit ad conservationem vel refectionem rei quæ alteri obligata erat, l. 5. §. *Qui potiores in pign.* Nam huic damnum non infertur, cùm sine hac mutuatione res hypothecata periisset, vel deterior facta fuisset. Si mutuavi tibi; v. g. centum, ut satisfaceres pro mercium vectura, vel pro locatione ædium, in quibus asservarentur, debeo ex illis solutionem accipere ante alios in illis hypothecam habentes, l. 6. §. eod. tit. 3. Est hypotheca dotalis, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque liberis; ità ut ex illis bonis dos deduci possit ante alios creditores habentes tacitam hypothecam priorem, l. 12. Cod. *Qui potiores in pign.* Sed ex communi sententia, dos non præfertur hypothecæ expressè priori, licèt præferatur expressis posterioribus; tum quia creditores anteriores iniquè per nuptias supervenientes privarentur suo jure, quod expressè pacti fuerant: tum quia fiscus & dos æquantur in jure, & tamen fiscus non præfertur hypothecis anterioribus expressis, l. 8. §. *Qui potior. in pign.* & l. 4. cod. eod. tit. 4. Cùm ex pecunia pupilli vel minoris res aliqua empta est, res illa manet pupillo obligata ante omnes, l. penult. cod. *de servo pignore dato*. 5. Si credam tibi pecuniam ad emendam rem aliquam cum pacto expresso, ut res illa maneat mihi hypothecata pro debito, præferar aliis hypothecam generalem habentibus in omnibus bonis tuis etiam futuris, l. 7. Cod. *Qui pot. in pign.* Nam nulli creditori infertur damnum: debitor enim sine mea pecunia mutuata non haberet illam rem vel ejus valorem. 6. Cùm quis cum fisco contraxit, manent ejus bona fisco obligata cum privilegio prælationis. Item jus habet fiscus ratione tributi nondum soluti, l. 2. Cod. *de privileg. fisci*. 7. Cùm quis alicui pecuniam ad militiam mutuat, habet hypothecam cum privilegio prælationis etiam ante dotem licèt sit posterior dote: quia in his duobus ultimis casibus spectatur bonum commune, quod privato præferri debet.

6. Post creditores hypothecarios, seu reales solvendum est aliis creditoribus personalibus non habentibus hypothecam. Inter hos primo loco solvendum est iis, qui habent personale privilegium prælationis: quale habet sponsa in bonis sponsi ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio; & qui deposuit pecuniam apud nummularium non percipiens inde usuras; item qui pecuniam credidit ad navem extruendam, instruendam, emendam, &c.

Secundo loco solvendum est aliis creditoribus ex titulo oneroso cuique pro rata, v. gr. media vel tertia pars debiti, sive debitum ex contractu, sive ex delicto contractum sit: nam secundùm multos inter hæc debita nulla est prælatio, cùm sint æque debita ex justitia sine ullo privilegio. Itaque inter creditores merè personales nulla est prælatio, sed cuique pro rata solvi debet, ex l. 6. Cod. *de bonis auctor. &c.* Et l. 17. §. *de privil. credit.* ibi: *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa: & si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt, licèt diversitates temporis in his fuerint.* Quia omnes æquale jus habent; Et illa regula: *Qui prior est tempore, &c.* valet solùm inter hypothecarios.

Nota. Quæ hactenus de ordine restitutionis dicta sunt ex jure communi seu cæsareo, ea servanda sunt ubi & quatenus illud receptum est. Quòd si in aliquibus locis sint hac de re aliæ leges vel consuetudines rationi consentaneæ, servandæ sunt etiam in foro conscientiæ, ut docet communis sententia; nam hæ leges non nituntur falsa præsumptione. At omnis lex rectæ rationi consentanea, quæ non nititur falsa præsumptione, obligat in conscientia, cùm sit actus efficax & absolutus potestatis obligativæ. Præterea nemo jus habet disponendi de bonis suis nisi secundùm leges, & cum dependentia à suprema potestate, quæ habet jus altum in bona privatorum relatè ad bonum commune, quod est finis omnium legum.

Quæst. VII. *An priùs petenti liceat priùs solvere?*

Nota 1. Non licet creditori priùs petenti sol-

solvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde solvens tenetur ei de damno, & ipse potest recuperare ab alio creditore, id quod solutum est, l. 22. cod. *de jur. deliber.* Qui si solutionem petiit vel accepit, sciens jus aliorum, peccavit contra justitiam, & tenetur ante sententiam judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis. Quia fecit illis injuriam damnosam: nam petendo induxit debitorem ad damnum injustum inferendum creditoribus hypothecatis, & solutionem recipiendo cooperatus est injustæ damnificationi illorum.

Resp. 2. Si unus ex creditoribus personalibus, non privilegiatis, exigat in judicio solutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integrè solvere, etiamsi tempore esset posterior. Quia lex & sententia judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante cæteros, l. 6. & 24. §. *Quæ in fraud. credit.*

Dixi. *in judicio*. Nam si extra judicium petat, controvertitur. Asserunt Sylvester, Navarrus, Lessius & alii; quia diligentia posterioris creditoris petentis facit eum potiorem, & quia, in l. 24. cit. dicitur non posse revocari id quod solutum est uni creditori debitum exigenti, nulla facta mentione judicii; & hæc ratio additur, quia vigilando meliorem suam conditionem fecit. Alii cum De Lugo negant, quia sola petitio privata sine sententia judicis non potest dare jus uni in detrimentum aliorum æquale jus habentium; & leges supradictas intelligunt de petitione in judicio, accedente sententia judicis.

Sed si debitor non valens solvere omnibus creditoribus, solverit uni creditori non habenti jus prælationis, an hic tenetur restituere alteri creditori habenti tale jus?

Resp. Affirm. Quia accipiendo solutionem impedit alterum à recipienda solutione sibi prius jure debita, & sic facit ei injuriam damnosam. Et tunc violatur non solùm ordo, sed etiam substantia restitutionis; nam quod uni ex justitia debitum est, solvitur alteri. Deinde accipiens cooperatur dationi injustæ & damnosæ alteri, seu damnificationi injustæ creditoris, cui hæc pecunia priùs debetur & detrahitur: quænam enim major cooperatio dationi injustæ esse potest, quàm acceptio, quæ illam perficit & complet, & sine qua nullum parit damnum? Sed qui cooperatur actioni injustæ & damnosæ tenetur ad restitutionem. Ita *Azor*, *Delugo*, *& alii*.

Quæst. VIII. *An debitor potest solvere totum debitum creditori non petenti, si ipse non sit par solvendo aliis, qui pariter non habent hypothecam nec privilegium?*

Resp. Negat. Quia faceret injuriam aliis, qui jus habent ne alter carens privilegio & actione ipsis præferatur. Nam, spectato jure naturali, bona debitoris, quæ omnibus debitis solvendis non sufficiunt, sunt pro rata secundùm proportionem dividenda creditoribus æquale jus habentibus, & quorum nullus habet jus prælationis: nam sunt æqualiter iis debita. Multi excipiunt, si unus creditor sit in gravi necessitate, non alii; quia debitus ordo charitatis exigit, ut præferatur aliis; qui cùm non indigeant, non sunt rationabiliter inviti.

Quæst. IX. *An qui aliquid gratis vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad solvenda debita, peccat contra justitiam, & tenetur accepta restituere, licèt eum ad id non induxerit?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia, teste Delugo*. Prob. Quia talis injuriam infert creditoribus; nam cooperatur injusto impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem: sive concurrit efficaciter ad injustam alienationem & injustitiam contra creditores à debitore admissam: qualibet enim alienatio ad sui valorem & efficaciam requirit acceptationem. Et verò (ut ait Delugo) ad damnificationem creditorum non minùs conducit acceptatio tua, quàm inductio: si enim tu non acceptares, res maneret adhuc apud debitorem, & ipse non esset impotens ad solvendum: Ergo per acceptationem non minùs quàm per inductionem cooperaris ad damnum, quod creditoribus infertur. Imò tu comples & perficis illud, quod per oblationem debitoris solùm erat inchoatum, & quasi in affectu, per acceptationem verò perficitur & ponitur in effectu. Hinc Clerus Gallicanus ann. 1700. ut falsam & justitiæ regulis repugnantem damnavit hanc propositionem: *Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata à quopiam ea mente ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.*

CAPUT VI.

De causis excusantibus à restitutione, vel ejus dilatione.

Quæst. I. AN *remissio creditoris excusat à restitutione?*

Resp. Affirm. si sit legitima. Quia per illam con-

condonatur jus exigendi & accipiendi solutionem; ac proinde tollitur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non redit: nam obligatio semel extincta minimè revivifcit, l. 9. Cod. *de remiss. pign.* Deinde sicut creditor potest jus suum, quod habet in debitorem, alteri donare, ita etiam ipsi debitori, quod est remittere; nam remissio est quædam donatio.

Ut autem hæc remissio sit legitima, & verè liberet à restitutione, tres conditiones requiruntur.

1. Ut remissio sit perfectè voluntaria, nec habeat mixtum involuntarium; quia est liberalis donatio sui juris, ideòque actus liberalitatis, qui necessariò procedere debet ex spontanea ac liberali voluntate. Hinc nulla est remissio facta ex errore vel ignorantia, utpote voluntarium tollente: aut vi, metu, vel fraude extorta, ob involuntarium mixtum & injuriam; nemo quippe ex sua injuria jus & commodum reportare potest. Metu censetur extorta, si debitor expressè vel implicitè minetur creditori, nisi remittat vel totum vel partem; aut si adhibeat preces valde importunas incutientes metum, aut significet nisi contentus sit parte debiti oblata & residuum remittat, omnia amissurum; item si cogat creditorem subire multas molestias in petendo debito, sæpe venire, frustra diu expectare, &c. Fraus esset si debitor fingeret se longè pauperiorem quàm revera sit, &c.

Hinc invalida est remissio partis debiti facta ex metu amittendi totum creditum culpa vel fraude debitoris. Nec liberantur potentes, quibus inferiores remissionem concedunt ex metu ne iis displiceant, vel ab iis damnum patiantur.

2. Ut creditor possit condonare debitum: non enim potest condonare, nisi qui potest donare. Hinc filius familias non potest remittere debita paterna, sicut nec procurator, vel commissarius quæ debita sunt domino, vel committenti, &c.

3. Ut condonatio non sit à jure annullata, prout est in his casibus. 1. Si visitantes Ecclesias, accipiant aliquid ab iis præter necessaria ad victum pro illis diebus quibus visitant, tenentur restituere duplum intra mensem, non obstante quacumque remissione iis sponte facta à dantibus, cap. 2. *de cens. in 6.* Si judex delegatus aliquid acceperit à partibus, nisi fortè esculentum aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi, vel si dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plùs quàm moderatas impensas; vel si denique acceperit aliquid pro impensis, dum partes sunt pauperes, tenetur accepta restituere, non obstante remissione, c. 11. *de rescript. in 6.* 3. Si inquisitores prætextu officii inquisitionis pecunias extorserint, tenentur restituere nullis remissionibus super hoc valituris, *Clem. 2. de haret. in 6.* 4. Si Canonicus qui non interest officio, acceperit distributiones. *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.*

Quæst. II. *An cessio bonorum creditoribus facta liberat à restitutione?*

Resp. Neg. Sed solùm excusat à dilatione ita ut debitor teneatur debita integrè solvere ex iis quæ postea acquirit, retentis necessariis ad suam & suorum sustentationem parcam. *Est communis sententia.*

Prob. 1. Ex jure civili, l. 1. Cod. *Qui bonis cedere possunt*, ibi: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eo enim tantummodo hoc beneficium* (cessionis) *eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem.* Et, ex l. 4. §. de cess. bon. *Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, quantùm facere potest convenitur.* Quia in foro conscientiæ per necessitatem & impotentiam non tollitur, sed solùm suspenditur obligatio restituendi, donec facultas adsit: ergo nec cessio plùs præstat. Igitur cessio bonorum hoc solùm præstat, ne debitor possit conjici in carcerem, ex cit. loc. & ne si post cessionem aliquid acquirat, possit eo spoliari, si eo indigeat ad suam vel suorum sustentationem, ex l. 6. §. *de cess. bon.* Quod etiam valet in foro conscientiæ, cùm sit privilegium jure concessum, & contractus juxta leges celebrentur; sed de residuo tenetur debita solvere.

Quæst. III. *An ingressus in Religionem liberat à restitutione?*

Nota. Apud omnes constat validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec jure positivo irritatur, ut declaravit Clemens VIII. quoad hoc punctum abrogans quod Sixtus V. statuerat. Uterque autem Pontifex prohibuit ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati.

Resp. 1. Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi causam.

Resp. 2. Secundùm multos, si debitor possit brevi tempore, v. gr. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte, tenetur differre ingressum, ut ea solvat: quia alioqui creditores essent rationabiliter inviti, & sic injuriam iis inferret.

Resp. 3. Si debita sint incerta, ideòque in pia opera impendenda, debitor potest religionem ingredi, licèt manens in sæculo posset sol-

solvere. *Id supponunt omnes*. Quia poterit saltem ex consilio confessarii, ea sibi tanquam pauperi applicare ad opus Deo gratum & meritorium, ut nempe possit ingredi religionem.

Resp. 4. Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore vel insolitis laboribus, secundùm multos potest licitè religionem ingredi, relictis omnibus bonis suis creditoribus. Quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longè majus quàm sit commodum creditorum: unde hi non sunt rationabiliter inviti.

Alii tamen non pauci id negant: tum quia jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideòque injuriam inferret, si voluntariè se impotentem reddat ad solvendum: obligatio autem justitiæ prævalet consilio. Tum quia stuprator virginis sub promissione matrimonii, tenetur abstinere ab ingressu religionis, ut promissioni onerosæ satisfaciat. Et hæc sententia, teste Layman, fuit approbata à Sixto V. & Gregorio XIV.

Quæst. IV. *An si debitor immemor sui debiti tantum donet creditori, quantum ei debet, excusatur à restitutione?*

Resp. Neg. Nisi ex manifestis conjecturis colligatur eum habere voluisse pro soluto si quid deberet. Quia liberalis & gratuita donatio nec est, nec potest esse solutio necessaria debiti ex justitia: nam hæc inter se pugnant. Nec refert quòd si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset; nam actualis dispositio voluntatis, non autem conditionalis seu conditionatè futura attendenda est, & operatur in pactis: nam quod non existit actu, nihil efficere potest. Si autem debitor memor debiti tantumdem donet animo se liberandi, quamvis putetur liberaliter donare, satisfacit debito, & sic nil jam debet.

Quæst. V. *An debitor liberetur à restitutione, si creditori sui creditoris solvat, quod debet?*

Resp. Multi affirmant, modò debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati aut hypothecarii. Quia inquiunt, solvendo fratri meo centum quæ illi debes, emo & acquiro jus quod habebat exigendi à te centum. At jus quod habeo in te tanti valet, quanti illud quod tu habes in me; & sic hæc jura sunt æqualia, & proinde jam inter jura illa est posita compensatio, sive acquisitio unius est solutio alterius.

Certè id non licet invito creditore: nam creditor habet jus exigendi & accipiendi id quod ei debetur, & debitor habet obligationem solvendi suo creditori id quod ei debet; nec debitoris est creditoris sui debita solvere. Et verò in foro externo cogar iterum solvere tibi, nisi mea causa factus sis debitor alteri, ut si gerens mea negotia mutuum ab illo acceperis, vel nisi ob rem alterius debitum contraxerim, ut si conduxi à te domum, quam tu ab illo conduxisti.

Quæst. VI. *An excusatur à restitutione, qui non potest restituere, nisi per bona superioris vel inferioris ordinis?*

Nota. Bonorum naturalium triplex est ordo. In supremo ordine sunt vita, membra, sanitas, virginitas, libertas: in medio honor & fama: in infimo divitiæ, & res pecunia æstimabiles.

Resp. 1. Ex communi sententia, debitor non tenetur restituere cum jactura bonorum superioris ordinis, quæ in æstimatione prudenti sit longe majus detrimentum quàm damnum compensandum. Tum quia creditor non est tunc rationabiliter invitus. Tum quia restitutio fieri debet ut servetur æqualitas: ergo non obligat debitorem ut longè gravius detrimentum patiatur, quàm sit detrimentum creditoris. Sic per se loquendo non teneris cum jactura propriæ vitæ restituere famam æqualis tui, vel vendere libertatem tuam ut debita solvas.

At restitutio fieri debet cum jactura bonorum superioris ordinis, si bona inferioris ordinis restituenda, ex circumstantiis censeantur prudenti judicio prævalere aut æquivalere bonis superioris ordinis amittendis, ita ut damnum bonorum superioris ordinis æstimetur minoris, vel non multò pluris quàm damnum boni ordinis inferioris. Nam tunc æqualitas reponenda id exigit; & alioqui creditor esset rationabiliter invitus cùm nulla adsit causa, seu justa excusatio non restituendi. Sic si ad restituendam famam, vel magnam pecuniæ summam necessarius sit labor cum periculo morbi facilè sanabilis, tunc cum hoc periculo restitui debet, ut notat Delugo.

Porrò bonum inferioris ordinis, sed maximi momenti, vel in magna quantitate, potest moraliter, seu in æstimatione morali & quoad usus humanos, prævalere, aut æquipollere bonis superioris ordinis, sed exigui momenti, vel in parva quantitate; quemadmodum argentum in magna quantitate plùs valet quàm aurum aliquod exiguum, licèt aurum ex natura sua sit pretiosius argento, & in specie superiori. Sic etiam quamvis fama ex genere suo sit majus bonum quàm divi-

divitiæ, tamen ſpectatis circumſtantiis in certis caſibus hæ illi præponderare poſſunt in æſtimatione humana, ſi nempe ſint ingentes, & fama exigui momenti, qualis eſt fama perſonæ ſuſpectæ, vel vilis admodum conditionis, quæ parvi æſtimatur. *Ita multi.*

Reſp. 2. Controvertitur an reſtitutio fieri debeat per bona inferioris ordinis, v. gr. per pecuniam pro damno in bonis ſuperioris ordinis, verbi gratia, pro damno vitæ, membri, famæ, ſi aliter damnum reſarciri nequeat.

Multi affirmant. *S. Anſelm. Sylvius, Adrian. Cajet. Sot. Azor, Molina, Valentia, Rebellus, Grandin. &c.* Quia 1. S. Thom. 2. 2æ quæſt. 62. art. 2. ad 1. docet: *Quando id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt, putà cùm aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ, ſecundùm arbitrium boni viri.* Et ad 2. *Si non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut & in aliis dictum eſt.* 2. Damnum omne injuſtè illatum reſarciri debet quantum & eo modo quo poteſt, nec impotentia reſtituendi ad perfectam æqualitatem liberat debitorem ab obligatione ſolvendi id quod poteſt: juſtitiæ enim commutativæ eſt non modò reddere juſtum, quatenus eſt æquivalens, ſed etiam quantum poſſibile eſt, ſive in eodem, ſive in diverſo genere. Præterea non eſt univerſim verum quòd bona ſuperioris ordinis non poſſint, in æſtimatione morali & in ordine ad uſus humanos, aliquo modo compenſari bonis ordinis inferioris: ſic enim defectus formæ compenſatur per divitias; item homines libertatem pecunia vendunt, & vitæ incolumitatem exponunt pro ſtipendio. Et verò bona corporis, famæ & fortunæ in hoc conveniunt, quòd ſint bona naturalia & utilia; eſtque homini naturaliter optabile, ut ſi carendum ſit hoc genere mediorum, abundet ſaltem mediis alterius generis. Fatentur quidem vitam & membra non cadere ſub commutationem, & commercium civile: at negant inde ſequi non debere in conſcientia compenſationem pro damno in illis illato; dicuntque pecuniam non dari tunc ut pretium vitæ, membri vel famæ, ſed ut compenſationem damni vitæ, membri, aut ſaltem illius uſus, vel famæ. Hinc concludunt pro mutilatione, deformatione, vel alio damno corporis infra mortem, vel pro fama quæ reparari nequeat, fieri debere regulariter aliquam reſtitutionem in pecunia arbitrio prudentis. Pro damno autem vitæ debere fieri compenſationem vel in pecunia hæredibus occiſi eroganda, ſi certò conſtet occiſum deceſſiſſe in ſtatu peccati; vel ſi hoc non conſtet, ei applicando tantam partem ſatisfactionum propriarum, quantam Deus novit ſufficere in compenſationem vitæ: niſi tamen reus pœnam talionis ſubeat, nam tunc fit compenſatio vitæ ablatæ, juxta illud *Dentem pro dente, &c.* licèt remaneat obligatio compenſandi alia damna.

Alii multi hanc obligationem negant. *Covarr. Navar. Gomez, Ledeſma, Leſſius, Dulugo, Sanchez, &c.* Quia 1. ex l. ult. §. *de his qui effuder. Cicatricum aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.* Et, lib. 1. *In homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.* Ergo vita & membra hominis non ſunt pretio æſtimabilia & compenſabilia. 2. Bona ſuperioris & inferioris ordinis non ſunt inter ſe commenſurabilia, nec commutabilia. 3. Ex S. Thom. quæſt. 62. art. 2. *Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit.* At æqualitas inter bonum ſuperioris & bonum inferioris ordinis nequidem in parte eſſe poteſt: alioqui bonum inferioris ordinis poſſet tandem per ſui incrementum adæquare ex toto aliud. 4. Juſtitia non obligat ad reſtitutionem, niſi res ablata reddi poſſit in ſe vel in æquivalenti, ſive ex toto, ſive ex parte. At bonum ſuperioris ordinis non poteſt reddi in æquivalenti, etiam ex parte per bonum inferioris ordinis; alioqui hoc per ſui incrementum poſſet illud tandem exæquare. Jam verò, inquiunt, qui nec in toto, nec in parte reſtituere poteſt bonum injuſtè ablatum, excuſatur ob impotentiam. Fatetur tamen Leſſius fieri poſſe, ut ſit obligatio ex charitate ad aliquam compenſationem pecuniariam pro damno membri vel vitæ, &c. Si nempe læſus ſit pauper, vel occiſi uxor ac liberi ſint pauperes, & non putentur mœrorem aliter depoſituri; læſor verò eam ſine gravi incommodo præſtare poſſit.

Prior ſententia videtur probabilior. Ad fundamentum oppoſitæ. *Reſp.* Quamvis vita & membra hominis liberi non ſint pretio æſtimabilia, nec bona ſuperioris & inferioris ordinis ſint commutabilia ad æqualitatem; tamen damnum in bonis ſuperioris ordinis illatum poteſt aliquo modo, nempe in ordine ad uſus humanos, compenſari pecunia, quæ non datur ut pretium vitæ vel famæ, ſed ut com-

compensatio damni vitæ, membri vel famæ, & ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi, & alii. Et quamvis bonum superioris ordinis non possit reddi in æquivalenti etiam ex parte, si secundùm se spectetur, tamen ejus carentia potest aliquo modo compensari, quoad usus humanos: sic defectus formæ, vel nobilitatis compensatur divitiis, sic libertas pecunia venditur. Justitia autem obligat ad compensandum damnum eo modo quo fieri potest, saltem quoad usus humanos: si non possit quoad bonum ablatum. Et vero æqualitas justitiæ, quæ per restitutionem reponitur, non consistit in ipsis naturis rerum, sed in rationabili æstimatione rerum, secundùm quod usui humano deserviunt.

Quæst. VII. *Quænam sunt causæ justæ differendi restitutionem vel solutionem debiti?*

Resp. 1. Generatim id omne, quod facit ut dominus vel creditor non sit rationabiliter invitus circa dilationem, est causa justa, propter quam licitè differtur restitutio. Quia sola detentio rei alienæ vel alteri debitæ injusta prohibetur. At est detentio non injusta, nisi sit contra voluntatem domini: nam omnis injustitia est contra rectam rationem, ac proinde detentio, quæ non est contra rectam rationem, non est injusta.

Resp. 2. Ex communi sententia, multiplex est causa, ob quam licitè differtur restitutio quamdiu ipsa durat, quas tradit S. Antoninus, part. 2. tit. 2. cap. 8.

1. Est extrema necessitas tua, vel tuorum vel proximi, cui aliter subvenire non potes, quàm rem alienam vel alteri debitam impendendo. Quia in tali necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Transacta autem hac necessitate teneris restituere; nam obligatio restituendi priùs contracta non extinguitur ob supervenientem necessitatem; sed tantùm suspenditur. Porrò qui potest partem solvere, ad id tenetur, nam non habet justam causam non solvendi eam, & quoad eam dominus esset rationabiliter invitus.

2. Est gravis necessitas tua, vel tuorum, quos sustentare teneris, nisi tamen creditor sit in pari necessitate. Ex lege 133. §. de regulis juris ibi: *In condemnationem personarum quæ in id quod facere possunt, condemnantur; non totum quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est ne egeant.* Et, ex cap. 3. de solut. Quia tunc creditor non potest rationabiliter exigere solutionem; cùm ipse teneatur proximo gravi necessitate laboranti opitulari, vel donando, vel saltem mutuando. Quòd si creditor sit in pari necessitate, ex communiori sententia ei satisfieri debet: quia tunc esset rationabiliter invitus quòd ei non restituas: cùm ex ordine charitatis possit, cæteris paribus, sibi potiùs quàm debitori velle consulere, sitque melioris conditionis, utpote possidens jus exigendi solutionem ex justitia debitam, nec extra necessitatem extremam omnia sint communia.

3. Magnum periculum salutis animæ propriæ vel tuorum, ut si periculum sit ne filiæ tuæ præ inopia se prostituant, vel ne filii latrocinentur: ita tamen ut non suppetat alia via commoda id advertendi, nisi differendo solutionem. Nam tunc creditor vel dominus tenetur ex charitate consentire dilationi, cùm debitor sit in gravi necessitate spirituali.

4. Magnum detrimentum in rebus propriis non debitis, modò creditor simile damnum non patiatur ex dilatione, & postea debitor certò sit restituturus. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus circa dilationem: ipse enim rationabiliter vellet sibi tunc concedi dilationem si esset debitor: tenetur autem tractare debitorem suum eo modo quo vellet rationabiliter tractari in pari casu. Item contra æquitatem naturalem ageret, si vellet sibi statim restitui cum tanto alterius incommodo. Quare qui non potest statim restituere centum aureos, quos debet, nisi domum vel prædium vendendo multò minoris quàm valet, potest aliquandiu differre solutionem. Idem dic si non potest statim solvere sine periculo gravis infamiæ; cùm fama sit bonum præstantius divitiis.

Dixi, *in rebus non debitis*. Nam si debitor restituendo patiatur tantùm jacturam in rebus debitis, vel in lucro quod intendit facere ex rebus debitis, non potest idcirco restitutionem differre: hoc enim non est damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas vel alteri debitas, & non facere lucrum ex alieno vel alteri debito. Excipe, nisi sine illo lucro aliis creditoribus satisfacere nequeat: tunc enim creditor tenetur ex charitate permittere dilationem, si commodè possit, & contra rectam rationem vellet sibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum damno, quod dilatione solutionis vitari potest sine magno ejus damno.

5. Si debitor non potest restituere sine damno in bonis altioris ordinis longè majore quàm sit commodum creditoris. Nam alioqui non servaretur æqualitas: ideòque tunc restitutio sine injustitia exigi nequit.

6. Est

6. Est jactura proprii status, justè acquisiti; modò debitor sua culpa in hoc periculum sese non conjecerit, nec idem periculum subeat creditor. Quia tunc creditor peccaret contra charitatem, si vellet sibi satisfieri cum tanto incommodo debitoris, & sic non est rationabiliter invitus. Tenetur tamen debitor tenuiter vivere secundùm statum, & sibi detrahere quantùm potest de splendore & decentia, quæ non sunt absolutè necessaria ad statum conservandum, ut sensim restituere possit: nam decentia status non consistit in indivisibili. *Ita Lessius, & alii:* Et generatim quilibet debitor ex justitia tenetur opera, labore, parsimonia, vel alia via sibi moraliter possibili curare ut acquirat unde debita omnia solvat: nam obligatus ad finem obligatur ad media, saltem non nimis difficilia, sine quibus finem consequi non potest.

Dixi 1. *Justè acquisiti*. Nam si quis rapinis, usuris, fraudibus, furtis, aliisve injuriis ad aliquem statum altiorem pervenisset; ex communi sententia tenetur cum ejus jactura statim restituere. Quia hoc non est statum suum amittere, sed alienum ac injustè possessum relinquere, & ad proprium reverti. Consulendum est tamen famæ debitoris, quantùm fieri potest.

Dixi 2. *Modò debitor sua culpa, &c.* Nam si debitor sua culpa, putà ludis, comessationibus, superfluis sumptibus ad eas angustias redactus sit (ut faciunt multi nobiles,) non meretur dilationem, & sibi imputare debet quod non possit restituere sine sui status amissione. *Ita Sot. Tolet. Lessius, & alii.*

Dixi 3. *Nec idem periculum, &c.* Nam ex sententia communi, si creditor ob dilationem solutionis amissurus sit statum justè acquisitum, non debet differri solutio. Quia extra necessitatem extremam in pari causa damni potior est conditio creditoris, ob jus habendi rem sibi debitam, quod possidet; & quia tunc esset rationabiliter invitus circa dilationem, cùm cæteris paribus possit secundùm ordinem charitatis se aliis præferre.

7. Damnum spirituale, vel temporale gravi ipsi creditori, vel alicui tertio probabiliter eventurum ex restitutione. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus, si enim damnum ipsi immineat, tunc differendo, ejus negotium utiliter geritur: si aliis, ipse tenetur ex charitate pati dilationem sibi graviter non damnosam, ad vitandum gravius damnum proximi. Imò ex charitate tenemur differre solutionem, si creditor pecunia restituenda certò abusurus esset ad peccandum, & spes sit dilata solutione malum illud impeditum iri. Quia ex charitate tenemur impedire damnum grave spirituale proximi, etiam cum aliquo ejus incommodo temporali, si possumus sine nostro gravi damno, ut patet ex correctione fraterna, dum adhibentur testes. Item secundùm communem sententiam, ex justitia tenemur differre, si creditor re soluta abusurus sit contra justitiam, v. gr. si furens repetat gladium apud te depositum ad occidendum inimicum, tunc enim gladium reddere esset proximè cooperari homicidio; & alter jus habet ne in talibus circumstantiis gladium restituas, nisi ex recusatione æquale malum tibi impendeat.

Quæst. VIII. *An sit obligatio compensandi lucrum cessans & damnum emergens ex dilatione solutionis, vel restitutionis?*

Resp. Debitor, qui ex culpa fuit in mora solvendi tempore debito, tenetur ista compensare: quia peccavit contra justitiam, & ex peccato contra justitiam oritur obligatio resarciendi damnum inde secutum. Quod si sine culpa non restituit tempore debito, adhuc ad id tenetur, si debitum erat ex delicto. Quia injuria præcedens est causa illorum, cùm sine illa non contigissent: & debitor ex delicto tenetur creditorem restituere in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset: alioqui non integrè resarcitur & tollitur injuria.

Sed juxta multos non tenetur debitor ex contractu justo, nisi fuerit culpabiliter in mora. Quia non est causa injusta, nequidem mediata lucri cessantis vel damni ex dilatione obvenientis creditori; sicque videntur contractus intelligi; & quia, ex reg. jur. 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*. Rectè limitant, nisi differat solutionem præcisè ad vitandum damnum aliquod grave, quod statim solvendo pateretur; & non ob necessitatem extremam vel gravem. Nam tunc debitor ex contractu tenetur compensare creditori lucrum cessans & damnum emergens ex dilatione illa licèt justa: quia in pari casu potior est conditio creditoris possidentis jus exigendi solutionem; & par non est ut debitor se ipsum servet indemnem cum damno creditoris, cui solvere potest: unde creditor non tenetur aliter consentire in hanc dilationem.

PARS

PARS III.

De Injuriis in particulari, & necessaria restitutione.

CAPUT PRIMUM.

De Injuriis & damnis in bonis spiritualibus & necessaria restitutione.

NOta. Bona spiritualia alia sunt naturalia, ut potentiæ naturales, scientiæ, & artes, earumque usus, & alia supernaturalia, quæ ad animæ sanctitatem & salutem immediatè ordinantur, ut sunt gratia, virtutes infusæ, earum actus, bona merita, sacramenta, &c.

Quæst. I. *An qui injustè læsit alterum in bonis spiritualibus naturalibus, tenetur ad restitutionem?*

Resp. Qui veneno, potione, vel alio modo alium memoria, vel usu rationis aut alterius potentiæ naturalis privavit, aut maleficiis dementavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid sumendum, ex quo tale damnum secutum est, peccavit graviter contra justitiam, & tenetur ex justitia tollere ac curare ista mala, si potest, & resarcire omnia damna inde secuta. *Est communis sententia.* Quia illorum causa fuit per injuriam, violando jus quod proximus habet ad bona naturalia, quodque non minùs strictum est, quàm jus ad bona externa quæ possidet.

Item qui alteri causa est injusta damni in scientia vel arte, sive quia vi, fraude, aliave via injusta aliquid prohibuit ab acquisitione vel usu earum; sive quia cum ex officio, aut pacto teneretur alios docere, notabiliter fuit negligens in docendo, aut sine debita peritia munus docendi suscepit: sive quia culpabiliter falsa pro veris docuit, &c. tenetur omnia damna inde ipsis & alii secuta resarcire, & revocare quæ falsa docuit. Nam qui actione vel omissione injusta posuit causam damni, tenetur causam illam tollere, & damnum omne inde secutum resarcire; alioqui injuria non tolleretur, nec resarciretur.

Quæst. II. *An qui alterum læsit in bonis supernaturalibus, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. 1. Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto induxit in peccatum, vel abduxit à bono opere, aut decepit falsa doctrina contra fidem vel bonos mores, tenetur ex justitia vim ac seductionem tollere, fraudem & errorem aperire, removere causas ulterioris lapsus, & curare, quantùm fieri potest, ut alter restituatur in eum statum de quo injustè eum dejecit, v. gr. inducendo ad pœnitentiam, orando Deum pro ejus conversione, &c. *Est communis sententia.* Quia est causa injusta talis damni: quilibet enim habet jus ne injustè lædatur in bonis animæ sicuti in bonis corporis. At talis injustè lædit; nam quisque habet jus ne decipiatur in suis bonis, & ne vis ei inferatur sine justa authoritate, quæ nequit esse ad peccatum & errorem. Ergo tenetur causam damnorum, quam injustè posuit, tollere, & omnia damna jam ex ea secuta restituere. Hinc qui prava dogmata docuit, tenetur revocare, & quantùm potest, disseminatos errores ex animis vellere, etiam cum damno vitæ.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui sine vi, metu, fraude & deceptione alium in peccatum induxit, non tenetur ei ex justitia ad restitutionem, nisi sit prælatus, vel alius qui ex officio tenetur promovere bonum spirituale suorum. Quia ubi non est vis, nec fraus, nec deceptio in inductione, nec culpa contra officium, injuria non est, quippe quæ scienti ac spontè volenti fieri nequit. Talis tamen tenetur ex charitate, plusquam alii, curare ut alter convertatur; nam charitas & æquitas exigit, ut is qui malo suo exemplo, vel consilio alium pervertit, curet præ cæteris ut convertatur. Si quis tamen etiam solo consilio vel precibus induxisset alterum in peccatum injustitiæ contra tertium, peccavit contra justitiam: nam inducens peccat contra virtutem, cui opponitur peccatum ad quod inducit: & in defectum inducti tenetur ei tertio de damno: quilibet enim habet jus ne quis positivè cooperetur ad ejus damnum sine ejus consensu, vel sine justa causa & authoritate.

Quæst. III. *An qui avertit aliquem à Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. 1. Qui, metu, calumnia, fraude, mendacio, aliove modo injusto impedit vel avertit aliquem à Religionis ingressu aut professione, peccat graviter contra justitiam, & tenetur vim ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum seu reditum, & monasterio compensare quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore ac industria expectabatur, si injustè abductus non fuisset. *Est communis sententia.* Quia utrique fecit injuriam damnosam; nam quisque habet jus strictum, ne via injusta bonum ejus impediatur. Talis tamen seductor non tenetur ipse religionem ingredi. Tum quia

quia fortè non est aptus; tum quia status religionis, cùm sit status perfectionis, requirit Dei vocationem, & nullus ad illum nisi sponte volens admitti debet.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui alterum sine vi, fraude, mendacio, aliave via injusta, sed sine justa causa avertit à religionis ingressu, vel professione, non tenetur ad restitutionem; quia nemini fecit injuriam. Sed peccat contra charitatem, retrahendo eum sine justa causa à maximo bono; & constat ex *Conc. Trid. sess.* 25. cap. 18. ubi excommunicat *eos, qui Sanctarum Virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint:* nam tanta pœna supponit culpam mortalem. Eadem autem est ratio si juvenis vel vir abducatur à religione. Nulla tamen erit culpa, si adsit causa dissuadendi religionem, ut si quis non sit aptus, vel si in illa religione, seu monasterio observantia religiosa non vigeat, vel si parentes graviter egeant filii auxilio. Licet etiam parentibus, si prudenter dubitent de viribus vel constantia suorum liberorum, illos ad tempus non longum retinere & probare: sed graviter peccant si eos exponant periculis peccandi, vel alliciant per se aut alios ad voluptates, aliave illicita, ut sic à proposito avocent.

Resp. 3. Qui religiosum, etsi sine vi & dolo, sed solo consilio vel precibus à religione abduxit, tenetur ex justitia compensare monasterio damna temporalia inde secuta. Quia fecit injuriam religioni; nam hæc habet jus retinendi suos subditos tanquam membra, & religiosus per vota totum se tradidit religioni in honorem Dei, & sic religio habet jus ad commoda quæ præstitisset, & quibus privatur per abductionem. Sic abducens servum à domino, tenetur ad restitutionem.

CAPUT II.

De injuriis in corpus proximi per homicidium & mutilationem, & necessaria restitutione.

Nota 5. Præcepto *Non occides* prohibentur homicidium, mutilatio, percussio, & similis afflictio ac damnificatio corporalis injusta; item horum causæ, & dispositiones, ut odium, vindicta, ira, rixæ, &c. Imò ut à Christo explicatur, est etiam affirmativum, præcipiens humanitatem, mansuetudinem, patientiam, injuriarum condonationem.

Porrò homicidium, quod est injusta hominis occisio, gravissimum crimen est, cùm per illud injustè adimatur proximo bonum temporale maximum & irreparabile. Fit etiam gravis ex circumstantia personæ, quæ occiditur, ut si sit pater, consanguineus, clericus, &c.

Nota 2. Est de fide licitè occidi bruta animalia in usus hominum, ex Genes. 9. *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum:* nam homo est dominus animalium, ex Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Tenetur tamen homo abstinere à crudelitate, qua utendo, & bestias doloribus sine causa conficiendo, peccat saltem venialiter: quia in hoc est quædam inordinatio, & abusus dominii. Hinc illud, Prov. 12. *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

Quæst. I. *An liceat peccatores occidere?*

Resp. 1. Licet authoritate publica occidere peccatores reip. noxios. *Prob.* 1. Ex Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*; &, ad Rom. 13. de supremo principe dicitur: *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* 2. Quia talis potestas necessaria est reip. ad bonum commune, & publicam tranquillitatem, ideoque à Deo reip. concessa est. Et quia pars noxia toti, potest ob totius conservationem exscindi, cùm pars sit propter totum.

Resp. 2. Non licet authoritate privata peccatores occidere, præcisè propter eorum scelera. *Ita omnes*, ex Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ex cap. *Quicumque* 23. quæst. 8. Quia non licet occidere peccatores, nisi authoritate à Deo concessa propter bonum commune; ac proinde id ad eum solùm pertinet, cujus est procurare bonum publicum. Nec obstat quod interdum permittatur, ut quivis possit occidere quosdam subditos reip. publicos hostes, quia tunc non occiduntur privata, sed publica authoritate concessa à principe.

Sed an liceat verberare aliquem ob culpam quam admisit?

Resp. Non licet, nisi habenti potestatem in delinquentem. Quia (ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. 65. art. 2.) *Per verberationem nocumentum infertur corpori ejus qui verberatur: nocumentum autem inferre alicui non licet, nisi per modum pœnæ propter justitiam. Nullus autem injustè punit aliquem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Et ideo verberare ali-*

quem

quem non licet nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur. Et quia filius subditur potestati patris, & servus potestati domini, licitè potest verberare pater filium, & dominus servum, causa correctionis & disciplinæ. Idem dic. de Magistro, & Tutore; quia gerunt vicem patris.

Quæst. II. *An licet occidere uxorem, vel filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum?*

Resp. Neg. *Est communis sententia.* Prob. 1. ex cap. *Inter hæc* & seq. 33. quæst. 2. &c. ex S. Aug. lib. 2. *de adult. conjug.* cap. 15. ibi: *Non licet uxorem adulteram occidere, sed tantùm dimittere.* 2. Quia non licet propria authoritate, ut patet; neque etiam ulla lege humana potest id fieri licitum: tum quia ubi observari potest ordo judicii, iniquum est reum inauditum, destitutum omni defensionis remedio, nullo servato juris ordine, & sine judicio punire, pœnæque executionem committere ipsi offenso, & quidem illicò, cùm animus recenti offensa maximè perturbatus est. Hinc reg. jur. 136. *Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri possit.* Tum quia est contra charitatem sine urgenti necessitate recusare reo spatium ad pœnitentiam. Sed illum statim cum periculo certo damnationis æternæ occidere. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Porrò leges civiles, quæ hoc factum non improbant, id faciunt per meram tolerantiam, ne videantur favere adulteris, & ob justum ac gravissimum dolorem in tali casu, & vehementiorem iræ motum, quem quis facilè temperare nequit.

Quæst. III. *An licet seipsum occidere, vel mutilare?*

Resp. 1. Non licet sine authoritate divina seipsum occidere. *Ita omnes.* Constat 1. ex S. August. lib. *de civit.* cap. 47. & can. 9. & seq. 23. quæst. 5. & ex generali præcepto, *Non occides.* 2. Quia homo non est dominus suæ vitæ, sed solus Deus, ex Deut. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Ergo homo non potest sine authoritate Dei seipsum destruere, nam est illicitum & injustum destruere rem alterius sine ejus consensu, & jus ejus usurpare; destructio enim rei propria authoritate facta, est actus dominii in illam. 2. *Qualibet pars id quod est, est totius: quilibet autem homo est pars communitatis: unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit*, ait S. Thomas, qu. 64. art. 5. Porrò Martyres qui se in rogum conjecere, id fecerunt ex speciali Dei inspiratione, ac proinde authoritate divina.

Hinc 1. non licet authoritate privata occidere aliquem volentem & petentem: quia nullus potest dare hanc facultatem, cùm solus Deus habeat dominium vitæ. 2. Nunquam liciti sunt erga seipsum actus per se mortiferi, qui immediatè, & ex propria natura tendunt ad mortem, ut jugulatio, strangulatio, sumptio veneni, præcipitatio ex alto loco, projectio in rogum, & similes; quia esset seipsum directè & positivè occidere. 3. Quilibet tenetur vitam & membra conservare mediis ordinariis: tum quia sicut Deus vetat propriam vitam sibi auferri, ita jubet, ut quisque tanquam à Deo constitutus vitæ ac membrorum suorum custos, vitam ac membra conservet: tum quia moraliter censetur mortem sibi inferre qui non utitur mediis, quæ author naturæ providit ad ordinariam vitæ conservationem. Tamen juxta multos non tenemur uti mediis valde extraordinariis, vel pretiosissimis cum jactura omnium bonorum, quia hoc non est se occidere, sed solùm suam mortem permittere ob justam causam.

Resp. 2. Ex communi sententia licet ob gravissimam ac justam causam aliquid facere, vel omittere, unde præter intentionem mors certò sequatur; nam non est prohibitum homini ne vitam suam periculis unquam exponat, nec præceptum est, ut semper conetur eam positivè servare quantum potest, sed tantùm ne absque justa causa illam periculo exponat. Sic miles potest & tenetur manere in statione ob bonum commune, & aggredi hostes cum certo mortis periculo. Item reo morte damnato licet non fugere è carcere ad satisfaciendum Deo & reip.

Resp. 3. Non licet seipsum mutilare, nisi hoc sit necessarium ad salutem corporis. *Ita omnes.* Quia homo non est dominus membrorum suorum, sicut nec sui ipsius; sed habet dumtaxat convenientem eorum usum & administrationem ad bonum totius corporis. Hinc nunquam licet se castrare ad vitandas tentationes, servandamque castitatem: Idque vetat Conc. Nicæn. I. can. 1. Nam mutilatio nunquam est medium necessarium ad salutem animæ, cùm membra perniciem animæ nunquam afferre possint: alioqui Deus pravè naturam instituisset. Imò hæc mutilatio non est remedium ad castitatem utile, cùm non tollat tentationes carnis, ut docent SS. Pa-

SS. Patres Basil. Chrysostom. & August. Item non licet parentibus castrare pueros, etsi consentientes, ad conservandam vocis suavitatem, etiam in obsequium Ecclesiæ; quia solus Deus est Dominus corporis & membrorum, qui sic concessit homini usumfructum membrorum, ut eorum abscissionem permiserit tantùm ob salutem totius.

Dixi, *Nisi sit necessarium &c.* Quia pars ordinatur ad totum, & est propter totum: ergo resecari potest membrum ad servandum totum corpus. Imò tenetur homo permittere abscissionem membri, si hæc à medicis judicetur necessaria ad vitæ conservationem, nec perferendi sint acerbissimi dolores: quia tenetur vitæ suæ periclitanti opitulari mediis non valde difficilibus, cùm sit ejus custos & œconomus, non dominus. Quòd si ingentes cruciatus perferendi essent, non teneretur id permittere, ut docent passim Doctores. Quia non tenetur vitam conservare mediis nimis acerbis & moraliter impossibilibus, nisi tamen ejus vita censeatur bono communi necessaria.

Quæst. IV. *An licet aliquando occidere innocentem?*

Resp. 1. Nunquam licet directè occidere. *Ita omnes.* Ex Exod. 23. *Insontem & justum non occides, quia aversor impium.* Nam nullus homo habet dominium vitæ alterius, sed solus Deus. Hinc non licet infantes vel uxores hostium in bello etiam justo captos occidere, ut parentes obsessi se ad filios à nece liberandos dedant. Nec etiam licet rabiosos suffocare ne aliis noceant, sed debent includi, vel alligari. Quòd si quem injustè aggrediantur, is solùm potest vim vi repellere, cum debita moderatione, nec plùs quàm necessarium est ad vitam tuendam.

Resp. 2. Licet interdum ob gravissimam causam aliquid facere vel omittere, unde præter intentionem sequatur mors innocentis. Ita passim Doctores qui docent. 1. In bello justo licere duci ad expugnandos hostes dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter ejus intentionem perituri sunt: tunc enim non censetur moraliter causa illorum mortis, sed solùm illam permittere; nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus.

2. Licere civitati cogere civem innocentem ad adeundum tyrannum, qui civitati excidium minaretur, nisi civis ille sibi traderetur, quamvis prævideretur occidendus. Nam civitas potest cogere cives ad id, ad quod jure naturali tenentur: at innocens ille jure naturali tenetur vitam certo mortis periculo exponere propter bonum commune. Quòd si civis ille nollet obtemperare, jam verè non esset innocens: unde jam posset à rep. tyranno tradi. Secus, si tyrannus peteret virginem ad illam stuprandam: nam non posset à rep. cogi ad adeundum tyrannum, tum propter animæ periculum; tum quia illum adire in talibus circumstantiis est consentire luxuriæ.

Quæst. V. *An unquam licet procurare abortum?*

Resp. 1. Per se semper est mortale directè impedire ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel fœtum ejicere. *Prob.* 1. Ex S. Basil. epist. ad Amphil. *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur.* Et ex Conciliis Eliberit. Ancyr. Mogunt. Vvormat. & ex cap. 5. *de homicid.* ibi: *Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione; homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* 2. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem, *Licet procurare abortum ante animationem, ne puella deprehensa occidatur, aut infametur.* 3. Hoc repugnat bono speciei humanæ & naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem, & speciei humanæ conservationem ac propagationem: ideòque ingens scelus est. Idque debuit in omni casu à Deo prohiberi: nam si id aliquando liceret, periculum esset ne homines delectatione copulæ contenti, partum prolis negligerent, & sæpe impedirent ex aliquo prætextu, ut curis & laboribus prolis liberarentur: quod cederet in detrimentum speciei humanæ, & foret occasio fornicationi & stupris, à quibus absterret timor prolis. Hoc tamen scelus non est propriè ac strictè homicidium; ex cap. 20. *de homicid.* ubi dicitur non inducere irregularitatem; nam fœtus inanimis non est simpliciter & completè homo: homo enim est compositum ex corpore & anima spirituali unitis.

Resp. 2. Qui animato fœtui abortum procurat, verè ac propriè homicidium committit. Nam revera hominem injustè occidit, ideòque fit irregularis, ex cap. citat. Item ex constitut. Sixti V. & Gregorii XIV. excommunicatus est. Quod si parens id faciat, verè fit parricida. Quare numquam licet abortum fœtus animati procurare, etiam si alio-

si alioqui sit periculum ne fœtus simul cum matre intereat; quia numquam licet occidere innocentem, etiam ad servandam alterius vitam: Idem dic si dubium sit an fœtus sit animatus; quia esset se exponere periculo occidendi innocentem.

Hine mortaliter peccant medici, vel alii qui dant potiones ad procurandum abortum, sive fœtus sit animatus sive non, & mulieres sumentes. Item qui abortui occasionem præbent etiam præter intentionem, dando operam rei illicitæ, vel debitam cautionem omittendo, ut si quis percutiat mulierem gravidam, *vel si ipsa nimis saltavit, vel nimis inordinatè laboravit, vel propter inordinatas lascivias*, ait S. Antoninus.

Nota. Innocent. XI. damnavit hanc propositionem. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cùm paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Cùm autem incertum sit animationis tempus; alii enim assignant diem à conceptu 30. vel 40. pro mare, & 50. vel 80. pro fœmina, alii aliter; rarò abest periculum homicidii in procurando abortu.

Sed num licet ad matris conservationem ei præbere pharmacum, quo fœtus putetur moriturus?

Resp. 1. Non licet præbere matri, nec ei sumere remedium ex vi sua ordinatum ad expulsionem fœtus sive animati sive inanimati, etiamsi certa sit utriusque mors, si non adhibeatur, & probabile sit matrem servandam esse illo adhibito. *Ita Azor, Deluge, Sylvius, & alii*. Quia hoc esset procurare abortum directè, seu ex natura operis, quod est semper intrinsecè malum, utpote contra naturam, & finem generationis; idque etiam si fœtus non sit animatus: nam ex natura rei & ordinatione authoris naturæ, fœtus concipitur, ut animetur, & animatus edatur in lucem. Multo minùs id licet post animationem fœtus: numquam enim licet occidere directè innocentem, ut alius servetur. Nec infans est injustus aggressor vitæ matris, nihil enim injustum contra eam molitur; nec est membrum seu pars physica matris, cùm sit homo ab illa realiter distinctus.

Resp. 2. Ex communi sententia, licet matri sumere, & ei præbere remedium per se curativum matris, nec per se tendens ad abortionem, quamvis sit periculum ne inde abortio sequatur: modò constet fœtum non esse animatum, & mater alioqui moritura esset. Quia tunc si abortio contingat, non censetur procurata, sed solùm permissa; nam præter intentionem nec ex ipso opere contingit, matre utente jure suo: mater enim in tali casu non privatur jure utendi remediis ad vitæ suæ conservationem necessariis, nec per se abortum procurantibus.

Non licet tamen matri non ex morbo periclitanti sumere, nec ei dare pharmacum quodvis, quo expellatur vel expelli possit fœtus etiam inanimatus, quamvis matri immineret infamia, vel mors inferenda ab extrinseco: quia tunc directè intenditur abortus ad vitandam infamiam vel mortem: nam pharmacum per se directè nihil facit ad alterutram vitandam, nisi per expulsionem fœtus tanquam medium, nec sumitur nisi ex intentione procurandi abortus, ut medii ad vitandam infamiam vel mortem. *Azor, Cardenas, &c.*

Resp. 3. Si proles sit animata, vel dubitetur an sit, est mortale adhibere remedium directè curativum matris, sed cum periculo mortis fœtus, si probabile est eo non sumpto prolem vivam edendam esse, & sic baptizandam. *Est communis sententia*. Quia mater tenetur salutem æternam prolis in extrema necessitate præferre vitæ propriæ corporali. Non tamen licet matrem discindere ut proles baptizetur; quia directè occidere innocentem est intrinsecè malum; idcòque illicitum ob ullum finem bonum: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Rom. 3.*

Quòd si æquale periculum est abortus, sive remedium sumatur sive non, licet matri illud sumere; quia tunc sine majore periculo ac damno fœtus, consulitur vitæ matris.

Quæst. VI. *An licet injustum aggressorem actualem occidere in vita suæ defensionem?*

Resp. Ex S. Thoma, Catechismo Romano & communi sententia Doctorum, licet omnibus, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quia. 1. Exodi 22. qui furem nocturnum occidit, dicitur non esse reus mortis; quia nempe fur ille præsumitur venisse animo non solùm furandi, sed etiam occidendi, ut explicat S. August. 2. Ex cap. 18. *de homicid. Vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt*. 3. Homo habet jus conservandi vitam injustè oppugnatam, & illam præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia in hoc periculum mortis conjicit.

Sed ut hoc licitum sit, quædam requiruntur. 1. Ut sit actualis aggressio: nam ante

actum

actum aggressionis, & post eum, occidere non licet, quia non est tunc vis repellenda, nec opus est defensione ubi non est aggressio. Hinc ex communi sententia, non licet occidere aut repercutere eum, qui percussit & jam fugit, vel certè destitit, aut ob vulnus acceptum non potest jam nocere; tunc enim occisio vel percussio non est necessaria ad propulsandam injuriam, cùm jam illata sit, & jam cessarit aggressio: unde esset ultio, quæ privato nunquam licita est. Item qui scit alium se quærere ad occidendum, non potest illum prævenire occidendo, quia non esset vera defensio.

2. Ut nihil fiat nisi quod necessarium est ad vitam servandam. Nam non licet inferre majus damnum, aut uti vi majore quàm necesse sit ad vitæ defensionem: alioqui jam non est defensio, sed ultio injusta, & ideo cap. cirat. Innocent. III. ait: *Quamvis vim vi repellere omnia jura & omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Hinc si injustum invasorem armis spoliando, vel debilitando, aut vulnerando, possis mortem vitare, non licet illum occidere; cùm tunc ejus occisio non sit necessaria ad vitæ defensionem.

3. Ut nihil ex odio neque ex animo vindictæ fiat, & ut non intendatur per se mors invasoris, sed sola vitæ propriæ conservatio per justam sui defensionem. Quia occisio hominis privata authoritate facta, non est finis licitus, nec medium per se necessarium ad sui defensionem; sed est tantùm aliquid consequens per accidens ex necessitate finis, qui est vitæ conservatio. *Illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes & in ministro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam & isti peccent, si privata libidine moveantur*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 7.

4. Ut aggressor non sit persona reip. necessaria vel valde utilis, ut princeps, dux exercitus, &c. quia ex ordine charitatis bonum commune, utpote bonum multorum, præferri debet privato, quod est bonum unius vel paucorum.

Cæterum in praxi percussio, & occisio injusti vitæ aggressoris rarò vacat culpa, quia ferè nunquam servantur conditiones ad licitam defensionem requisitæ. Et ideo aliqui Patres occisionem sine publica authoritate factam, indefinitè damnant, scilicet ob periculum vindictæ, & excessus in modo defensionis, vel ob intentionem directam occidendi.

Obj. Tenemur plus diligere salutem animæ proximi, quàm vitam nostram corporalem. *Resp.* Tenemur plùs diligere affectivè, & etiam effectivè, cùm proximus est in necessitate. Non tamen tenemur vitam nostram pro salute proximi profundere, nisi in casu necessitatis, in quo egeat nostra ope. At tunc invasor non est in necessitate, sed in voluntaria malitia; nec eget ope mea, nam potest facilè se periculo liberare desistendo ab injuria. Licet tamen oppugnato, ad perfectiorem actum charitatis, quo vita exponitur pro salute animæ inimici ex mera malitia periclitantis exercendum, sinere se occidi potiùs quàm occidere, modò sit moraliter certus se esse in statu gratiæ: *Nam aliàs fatuè faceret, exponendo se morti corporis & animæ; cùm sibi per mortem præcludatur via pœnitentiæ*, ait S. Antoninus, part. 2. tit. 1. cap. 3.

Sed an tenetur ad restitutionem, qui in defensione vitæ alterum occidit, vel mutilavit?

Resp. Non tenetur, si id fecit cum debita moderatione; quia nullam intulit injuriam. Sed qui justæ defensionis modum excedit occidendo, cùm potuisset aliter vitam tueri, v. gr. fugiendo, cùm id posset saltem sine gravi ignominia, vel armis spoliando, aut saltem non lethaliter vulnerando, tenetur omnia damna compensare. Quia illa occisio fuit injusta, utpote non necessaria ad vitæ defensionem: nam privatus nullum habet jus, nisi ut vita tueatur per medium ad hoc necessarium; & quilque jus habet, ut non occidatur ab alio authoritate privata, nisi ob necessariam vitæ defensionem. Ergo talis est causa injusta mortis & damnorum inde secutorum. *Ita Azor, Sanchez, & alii, estque communis sententia.*

Quæst. VII. *An licet occidere accusatorem, & falsos testes, qui vitam injustè oppugnant?*

Resp. Neg. Quia 1. qui falsum testimonium dicit in judicio, non censetur aggressor vitæ, sed committit injuriam, quæ ex se puniri potest, & alia via repelli: nam non propria authoritate, sed per judicem, & servato ordine juris procedit. Hoc debuit jure naturali in omni casu prohiberi: nam si hoc liceret, aperiretur via multis cædibus, homici-

micidiis, cum gravi detrimento reip. homines enim sibi facile persuaderent se injustè accusari, & nullam aliam defensionis viam esse, præter mortem accusatoris. 3. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

Quæst. VIII. *An licet occidere pro defensione pudicitia, eum qui eam tentat violare?*

Resp. Multi docent id licere, si aliter pudicitia defendi nequeat, hancque esse communem Doctorum sententiam asserunt Lessius & Sylvius. Probant, quia præterquam quòd in hac re sit periculum consensus in delectationem, ideòque peccati, imò & depravationis, pudicitia ac integritas est bonum maximi momenti, superioris ordinis ad bona fortunæ, imò in æstimatione multorum bono vitæ æquiparandum, & aliunde, si amittatur, irreparabile. Idem docet S. Antonin. 2. part. tit. 7. cap. 8. *Quia*, inquit, *illa utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, & magis tenetur saluti sua providere, quàm alterius: nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem renitentia voluntatis.*

Sed alii negant. Quia 1. Hic casus nec à Scriptura, nec à PP. nec à Conciliis, aut Summis Pontificibus excipitur à prohibitione generali, *Non occides*. Pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet, nec amitti potest, nisi per consensum liberum, ex S. August. lib. 1. *de civ.* cap. 18. & ex S. Hieronym. in cap. *de pudicitia* 32. quæst. 5. *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas.* Et aliunde per occisionem invasoris adimitur ei pœnitentiæ, & animæ salvandæ locus. Probant etiam ex S. Augustino lib. 1. *de libero arbitr.* cap. 5. Sed priores S. Doctorem intelligunt, quando quis injustum aggressorem occidere intendit, aut justæ defensionis metas excedit.

Porrò certum est teneri mulierem, vel adolescentem resistere invasori pudicitiæ, tum interiùs per displicentiam, tum exteriùs totis viribus, manibus, pedibus, aliove modo sibi possibili: ita ut ei non liceat, etiam ad vitandam mortem, quieto & immoto corpore manere: nam non resistentia exterior esset cooperatio, qualis potest esse ad congressum turpem. Nulla enim cooperatio requiritur in fœmina ad talem actum, nisi quòd requiescat & non resistat positivè viro. *Ita Delugo.* Quòd si nequeat se tueri, tenetur alios clamoribus in auxilium advocare; nam tenetur adhibere omnes vias necessarias ad impediendum turpem congressum. Hinc, Deut. 22. puella quæ in civitate vim patiens non clamavit, jubetur lapidibus obrui.

Quæst. IX. *An licet occidere furem in defensionem bonorum, qua dicuntur fortuna?*

Resp. 1. Certum est non licere ob bona non magni momenti: nam recta ratio dictat nefas esse gravissimum malum, præsertim authoritate privata, inferre proximo ad vitandum nostrum leve damnum. Item si bona sint magni momenti, sed possint aliter recuperari, puta in judicio: nam tunc sine causa justa, & necessitate occideretur proximus privata authoritate: punitio autem pro injuria pertinet ad solam authoritatem publicam.

Resp. 2. Multi cum S. Antonino docent licere injustum aggressorem actualem occidere in defensionem bonorum magni momenti; quæ non possint aliter defendi aut recuperari. Sed alii negant id licere etiam laicis, nisi bona illa sint vitæ conservandæ necessaria. Ita Innocentius IV. in cap. *Si vero*, Tabiena, Abulens. Panormit. Rosella, Grandin. Fagnanus asserens esse communem Canonistarum sententiam, &c. Probant. Quia. 1. Neque Scriptura, neque Patres, neque Canones, neque Summi Pontifices, hunc casum excipiunt à generali præcepto. *Non occides.* Immo, Exod. 22. Deus id expressè vetat: nam dicit eum qui furem diurnum occiderit, esse reum homicidii: quia scilicet, ut habetur cap. 3. de homicid. *Poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non debet occidi.* Ergo non licet furem occidere, qui venit tantùm ad furandum. Quare cùm, eodem cap. 22. Exod. dicitur: *Si effringens fur domum fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis:* agitur de fure nocturno, qui præsumitur velle etiam occidere, nam additur: *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Et, S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 8. *Plus ipsis raptoribus debemus metuere, quàm rebus irrationabilibus defendendis inhiare.* 3. Quia iniquum est, & contra debitum ordinem charitatis privata authoritate adimere proximo bonum superioris ordinis & per se irreparabile, nempe vitam ad bonum inferioris ordinis & per se reparabile, conservandum. 4. Ex Jure civili, l. 4. §. ad *L. Aquil.* non permittit furem diurnum occidi, nisi se telo defendat; unde solum vitæ periculum exci-

ecipit; & l. 9. §. ad l. *Cornel.* dicitur: *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuerit.* 5. A Clero Gallicano, ann. 1700. damnata est ut legi Dei & ordini charitatis divinitùs instituto contraria, perniciosa, & erronea hæc propositio generaliter & indefinitè sumpta: *Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere. Fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis. Si tamen aliquando contingat futurum tale malum, id est gravissimum damnum, etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis defendere.*

Obj. 1. Cap. *interfecisti*, de homicid. *Respondent*, ibi non excusari ab occisione furis nisi qui occidit, *se suaque liberando*. Ergo ad solas res conservandas non licet occidere furem, nam ista ponuntur copulativè: non sufficit ergo altera pars, ut notavit Panormitanus.

Obj. 2. Leges omnes vim vi repellere permittunt. *Respondent* id licere, sed cum ea moderatione, quam recta ratio & lex charitatis præscribunt. At non servatur hæc moderatio, cum occiditur homo ad defensionem bonorum: quia tunc privata auctoritate eripitur bonum majus & per se irreparabile, ad conservandum minus bonum & per se reparabile, quod sane inordinatum est & iniquum. Bona porrò variis modis defendere licet etiam armis, si necesse sit; modo caveatur, ne invasor mutiletur & occidatur.

Alii docent licere quidem injustum aggressorem occidere ad defendendum bona temporalia, quæ aliter defendi, vel recuperari non possunt, si illa bona sint magni momenti, & necessaria ad statum sui conservationem.

Certè videtur non licere privata authoritate occidere injustum aggressorem ad tuendum bona magni momenti, sed quæ non sunt necessaria domino ad vivendum convenienter suo statui: nam hoc saltem probant argumenta adducta; & quia tunc cessat ratio, quæ à multis affertur ad probandum licere occidere ad servanda bona temporalia; & nimis magna esset disproportio inter malum quod inferretur, & illud pro quo vitando infertur: ideòque inæqualitas & injustitia.

Nota. Innocentius XI. damnavit has tres propositiones. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* 32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* 33. *Licitum est, tam hæredi quàm legatario, contra injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

Quæst. X. *An licet occidere alium in defensionem honoris & famæ?*

Resp. Nemini licet etiam ad injustam infamiam aut contumeliam impediendam, vel reparandam. 1. Quia vita est bonum per se irreparabile, & majus honore ac fama; cum inter bona naturalia principem locum obtineat. Ergo iniquum est, & contra legem charitatis, eam adimere proximo ad defensionem honoris & famæ, quæ sunt bona inferioris ordinis, & per se reparabilia. Id etiam repugnat patientiæ, mansuetudini, & humilitati christianæ. 2. Percussio vel occisio in illo casu est vindicta, non defensio: nam non conducit ad servandum honorem, utpote jam ablatum per injuriam, sed solum ad acquirendum alium honorem apud mundanos homines ob fortitudinem falsam, qua offensam vindicasti. 3. Si id liceret, pateret via multis cædibus, violentiis & perturbationibus in magnam reip. perniciem; unde debuit prohiberi lege naturali. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

Hinc etiam ex communi sententia non licet alapam pro alapa, fustem pro fustibus reddere, si jam percussor ab injuria destitit. Quia jam non esset defensio, quæ locum non habet nisi in actuali aggressione; sed hoc esset vindicta, cùm non sit utile ad tuendum vel recuperandum honorem, nisi quatenus continet rationem vindictæ, quæ semper illicita est. *Delugo.* Imò non licet convicia conviciis, contumelias contumeliis repellere: quia hæc non est via ordinata & apta honoris defendendi, sed redderetur malum pro malo privata authoritate, quod non licet, ex 1. Petr. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, &c.* & Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Sed illatæ contumeliæ repelli possunt verbis non contumeliosis, vel satisfactione injuriarum, si necesse sit

sic ad reprimendam alterius audaciam, vel ad dignitatem ac authoritatem suam tuendam, sine tamen odio, & cum animo parato remittere hanc satisfactionem justam, & plures alias injurias ferre, si salus proximi id exigeret, ex Matth. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prabe illi & alteram.*

Obj. 1. Honor vel fama est quid præstantius vita.

Resp. Non est nisi in æstimatione stultorum & imprudentum; sed est bonum longè inferius, utpote in alieno judicio positum, & quod desiderare propter se mera vanitas est. At vita est primum ac fundamentum omnium bonorum naturalium, & per se irreparabile, cujus dominium habet solus Deus. Deinde fama vera nititur sola vera virtute. Cura autem boni nominis, quam Scriptura commendat, consistit in eo quòd homo nihil turpe agat, nihil quod naturam rationalem & dignitatem filii Dei adoptivi deceat.

Obj. 2. Calumnia, & contumelia non vindicata reddit hominem infamem.

Resp. Neg. Nam cùm aliunde constat eum, qui calumniam aut injuriam passus est, esse virum probum aut fortem; ejus moderatio non ei vertitur vitio, sed laudi apud prudentes: nihil enim indecorum agit, qui injuriam non ulciscitur, sed fert patienter secundùm præceptum & exemplum Christi, aut moderatè defendit in judicio. Imò condonatio injuriarum est præstantissimus fortitudinis actus, ac proinde summa laude digna. Præterea occisio vel percussio calumniatoris aut percussoris non est medium aptum ad abstergendam infamiæ labem, nisi juxta perversum judicium quorumdam mundanorum hominum, reprobatum à Deo, & contemnendum: non enim ex calumniatoris occisione sequitur cognitio falsitatis ipsius calumniæ, imò sæpè contrarium accidit. Demum si quis honorem suum & famam aliter recuperare nequeat, debet illius jacturam inter damna irreparabilia recensere, & æquo animo ferre propter amorem Dei, id præcipientis sub pœna æterna, & remunerantis immenso veræ gloriæ pondere.

Quæst. XI. *An in defensionem alterius liceat occidere injustum invasorem, & an ad hoc tenemur?*

Resp. 1. Ex communi sententia, licet vitam proximi ab alio injustè oppugnatam defendere, etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat. Quia sicut possumus tueri vitam propriam cum occisione invasoris injusti, modo explicato, ita & vitam proximi Innocentis, qui charitatis nexu nobis conjunctus est, & quem debemus sicut nos ipsos diligere.

Resp. 2. Per se loquendo nemo tenetur vitam hominis privati cum periculo vitæ propriæ defendere. Quia quisque potest secundùm ordinem charitatis magis vitam propriam diligere, quam vitam alterius privati: ergo non tenetur vitam suam exponere ad temporalem hominis privati vitam conservandam. Privati tamen tenentur vitam suam exponere ad defensionem principis, vel alterius personæ publicæ, ex cujus morte sequeretur grave detrimentum reip. quia bonum commune semper anteponi debet privato.

Resp. 3. Sub mortali tenemur ex charitate vitam proximi injustè oppugnatam defendere, quando possumus sine probabili periculo vitæ propriæ, & gravi damno proprio. *Prob.* 1. Proverb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* 2. Ex lege charitatis tenemur impedire grave damnum injustum proximi, cùm sine gravi nostro possumus; imò & innocenti de vita periclitanti subvenire ex bonis necessariis ad decentiam status, & cum aliquo incommodo.

Quin etiam, juxta varios, ad id tunc tenemur etiam cum occisione injusti invasoris, si aliter defendi nequeat: quia jure naturali quisque tenetur defendere innocentem, si possit: & melior est ac potior conditio innocentis quàm injusti aggressoris, cui proinde præferri debet in æquali damno, nisi ipse innocens spontè velit potiùs mori, ob salutem æternam aggressoris.

Porrò quisque tenetur ex charitate etiam honorem & famam & bona alia proximi defendere contra injuriam, cùm commodè potest, resque exigit. Nam cùm quisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, potest & debet ei opitulari eo modo, quo sibi licitè posset & vellet subvenire in eadem necessitate. Nemo tamen tenetur nocentem morte justa damnatum liberare etsi magna vi pecuniæ possit: quia bonum commune postulat ut crimina non maneant impunita, nec tali fit injuria.

Resp. 4. Obligantur ex justitia ad tuendam vitam, & fortunas proximi. 1. Superiores publica authoritate ad aliorum gubernationem præditi, ut principes, magistratus, &c. 2. Qui ad tuendum proximum à principe vel magistratu constituti sunt, ut tutores, curatores,

tores. 3. Qui ad hoc specialiter conducti sunt, ut milites. 4. Qui ad hoc se explicite, vel implicitè obligarunt, ut feudarii, & omnes famuli. *Lessius, & alii*. Nam isti omnes ad id vel ex contractu, vel ex officio commodum aliorum spectante, ideòque ex justitia obligantur.

Quæst. XII. *Quandonam homicidium causale est peccatum, & obligat ad restitutionem?*

Resp. 1. Homicidium omninò casuale, quod scilicet nec est in se, nec in sua causa voluntarium, non est peccatum, imò nec propriè homicidium, sed simplex occisio. Quia peccatum est essentialiter voluntarium, ergo quod nullo modo voluntarium est, nullatenus peccatum est.

Hinc qui occidit alterum in ebrietate inculpabili, non est reus homicidii, nec tenetur ad restitutionem: quia occisio illa non est voluntaria neque in se, cùm desit usus rationis: neque in causa nempe in ebrietate, cùm hæc non fuerit ullatenus volita nec culpabilis. Secùs, si ebrietas fuit culpabilis, & hunc casum prævidit vel prævidere potuit: nam tunc occisio est voluntaria in causa, ideòque imputabilis ad culpam & damnum.

Resp. 2. Qui facit actum etsi licitum, sed periculosum, omissa diligentia debita ad vitandam mortem alterius, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quamvis alium præter intentionem occidat. Quia homicidium est ei voluntarium in causa, nempe in omissione diligentiæ debitæ, seu in gravi negligentia præcavendi occasionem, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 8. ergo est ei imputabile.

Resp. 3. Qui facit actum illicitum periculosum, si alterum occidat, licet præter intentionem, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quantamcumque aliunde diligentiam adhibuerit ad vitandam occisionem alterius. Quia occisio est ei voluntaria in causa, nempe in omissione debitæ cautionis ad non occidendum: ad hoc enim debebat omittere actum illicitum, ex quo sciebat sequi posse alterius occisionem; & occisus habebat jus ne fieret actus illicitus sibi periculosus. Ita S. Thomas, 2. 2. qu. 64. art. 8. ibi. *Contingit id, quod non est actu & per se volitum & per se intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundùm quod causa per accidens dicitur removens prohibens: Unde ille qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem. Et ideò secundùm jura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit reatum, si ex ejus opera mors hominis sequatur.*

Hinc peccant mortaliter parentes, qui infantes valde teneros in lecto secum collocant, etiamsi mors non sequatur. Nam hoc est valde periculosum, etiam quavis cautione aliunde adhibita: sæpe enim reipsa suffocantur, non obstante tali cautione, ut experientia constat: ideòque hoc est semper illicitum, cùm sic collocando se exponant periculo illos perimendi. Quare, can. *Consuluisti* 2. quæst. 5. Stephanus V. ait: *Monendi sunt & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.*

Resp. 4. Omittens aliquid, ad quod ex justitia obligatur, si ex ejus omissione periculosa sequatur mors alterius, quamvis præter ejus intentionem, peccat peccato homicidii, & tenetur ad restitutionem. Quia homicidium est ei voluntarium in causa: nempe in omissione diligentiæ debitæ ex justitia: ergo meritò ei imputatur.

Hinc medicus reus est homicidii mortalis, & tenetur ad restitutionem, si æger moriatur propter ejus imperitiam vel negligentiam, quia scilicet non fecit id quod periti & diligentes medici facere solent in simili casu. Nec excusatur ob ignorantiam; nam tenetur scire, vel se non immiscere aliis curandis cum eorum periculo, ex cap. ult. *de injur.* Idem dic de advocato, ex cujus imperitia vel negligentia cliens innocens morte damnatur, & de principe non expellente, cùm potest, latrones, qui occidunt, vel spoliant viatores, &c.

Resp. 5. Omittens aliquid, ad quod ex charitate tantùm obligatur, si alter ex tali omissione moriatur, peccat mortaliter, & reus est mortis alterius; nam hæc est ei sufficienter voluntaria in causa, nempe in omissione, juxta illud, *Si non pavisti, occidisti*. Non tenetur tamen ad restitutionem, quia non peccavit contra justitiam commutativam; & fecit homicidium latè, non strictè dictum, qua-

tenus mors illa non sequitur ex omissione contra justitiam.

Nota. Quæ hic dicta sunt de homicidio, ea sunt applicanda mutilationi, & aliis peccatis ac damnis, quæ ex alterius actu sequuntur. Nam hæc imputantur, si sequantur ex actu periculoso illicito, vel etiam licito, sed non adhibita diligentia debita ad ea præcavenda. Vide dicta, quæst. 10. cap. 3.

Quæst. XIII. *An duellum est aliquando licitum?*

Nota. Duellum propriè est duorum, vel paucorum certamen, in certo loco & tempore designato, cum vitæ vel mutilationis periculo, ex mutuo consensu initum authoritate privata. Dico, *privata*, nam pugna paucorum, quæ authoritate principis in bello justo cum hoste suscipitur ob bonum commune, non est strictè duellum, & juxta multos potest quandoque esse licita, ut 1. Si suscipiatur ad justum bellum conficiendum, quia paucorum pugna non est minùs licita quàm pugna generalis: imò potiùs est eligibilis, in quantum paucorum sanguine finitur bellum, vitanturque cædes, & damna majora; modò tamen per hoc non redigatur victoria ad statum magis dubium, quàm per pugnam generalem: alioqui princeps peccaret contra justitiam in subditos, spem victoriæ ferè certam commutando cum incerto eventu duelli. 2. Si tempore belli videtur necessaria ad debilitandos hostium animos, & suorum erigendos, & ad victoriam faciliùs consequendam, &c. Nam sicut in bello justo ob bonum commune authoritate Principis licita est pugna inter multos, ita & inter paucos. Sic David authoritate Saulis pugnavit cum Goliath.

Illicita tamen esset pugna inter duos vel paucos milites, etsi cum consensu principum, ad delectationem quamdam, vel vanam ostentationem, aut privatam illorum vindictam. Quia principes non habent dominium vitæ suorum subditorum, sed solùm convenientem usum ad bonum commune: unde non possunt eam exponere ob finem vanum, nec necessarium bono communi.

Resp. Duellum, quod fit authoritate privata, semper est mortale & intrinsecè malum, nec unquam licet illud offerre vel acceptare. *Ita omnes*. Quia. 1. Deus solus habet dominium vitæ hominis: ergo non licet eam destruere, nec illius destruendæ periculo se exponere sine authoritate Dei, qui hanc non dedit privatis, nisi ad necessariam vitæ propriæ defensionem; nam destructio rei propria authoritate facta actus est dominii in illam. Præterea occidere alterum non est modus satisfaciendi, sed est mera vindicta; nam est ei nocere, absque eo quòd nobis aliquid emolumenti eveniat. Ergo duellum omne graviter repugnat juri naturali divino. Quare Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. ait: *Detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo introductum esse; ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur*. 2. Graviter etiam prohibetur jure, tum ecclesiastico, cap. 1. *de Torneam.* ex Concil. Later. & cap. 1. *de purgat. vulgari*, & à Concil. Trid. cap. cit. tum civili, nempe principum edictis. Quare duellum quodlibet etiam privatum repugnat omni juri, atque etiam specialiter charitati propriæ & proximi, cùm duellantium vita & salus æterna morali periculo exponantur.

Adde quòd si duellum fiat vel ad indagandam veritatem, aut ad justitiam ac innocentiam probandam; & tunc crudelitati additur superstitio; nam hoc medium fallax est & improportionatum, cùm innocens possit perinde occidi ac reus. Vel ob inimicitias, & ad injuriam vindicandum; ac vindicta numquam licita est privata authoritate, imò nec publica cum æquali periculo injuriam passi.

Dices. Duellum necessarium est, ad vitandam ignominiam, seu ignaviæ notam, quæ contrahitur si duellum non acceptetur, vel injuria accepta non vindicetur. *Resp.* Hæc est falsa ignominia. Nam apud Deum & homines verè sapientes ac probos, in quorum existimatione vera fama consistit, nullam incurrit ignominiam, sed magnam gloriam acquirit, qui ut divinis humanisque legibus duellum vetantibus pareat, duellum injuria affectus non offert, nec provocatus acceptat. Neque enim dedecus est, sed ingens honor ac gloria virtutem, & præsertim charitatem ac fortitudinem, seipsum & iram vincendo, exercere, Christi consuetudinem ac patientiam imitari, quippe *Gloria magna est sequi Dominum*, Eccli. 23. Nam Dei præceptum, & virtus est sola regula veri honoris. Nec vir sapiens falsis improborum hominum judiciis, sed recta ratione, & fide divina duci debet.

Præterea qualiscumque sit illa apprehensa ignominia, quæ ex solo perverso mundanorum hominum judicio sequitur, est prorsus contemnenda, ne amittatur gloria cœlestis ac felicitas æterna, & contrahatur ignominia æterna ac summa infelicitas. Neque enim

ad

ad ignominiam, quæcumque illa sit, vitandam, licet vitam alterius ac propriam periculo committere, contra legem divinam vetantem vitæ propriæ, & alienæ destructionem, & proinde ejus periculum: nam solus Deus est dominus vitæ hominum, & vita est superioris ordinis quàm honor & fama. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Porrò non licet provocato hora condictâ ad locum certaminis se conferre, etsi non animo duellandi, sed se defendendi contra provocantem, si ab ipso oppugnetur. Quia in his circumstantiis esset directè se exponere periculo vitam alienam destruendi, vel propriam amittendi, & alteri occasionem proximam aggrediendi præbere. Imò moraliter ac in æstimatione prudenti & æquivalenter esset duellum acceptare.

Nec dic acceptationem duelli esse defensionem. Nam defensio solùm habet locum, dum ab actuali aggressore vis vi repellitur cum debita moderatione. Præterea ipsa acceptatio est etiam aggressio; nam qui acceptat, vult aggredi adversarium, & in ipsum invadit.

Quæst. XIV. *Quænam sunt pænæ duelli?*

Resp. Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. ipso facto excommunicat. 1. Principes ac dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint. 2. Suasores & spectatores duelli. 3. Ipsos pugnantes, & qui eorum patrini vocantur, cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum; & si in conflictu decesserint, privatione ecclesiasticæ sepulturæ: Gregor. verò XIII. constit. 78. & Clemens VIII. constit. *Illius vices*, pœnas illas extenderunt ad duella privata, seu non solemnia, hoc est, in loco non tuto, nec publicè commissa, & absque patrinis sociisve; imò ad provocantem & acceptantem, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commiserint, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit quominus pugnarent. Item Clemens VIII. hanc excommunicationem Papæ reservavit, & hanc cum aliis pœnis supradictis extendit etiam ad suadentes, vel provocantes, ad spectatores, ad scribentes, mittentes, ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores & complices, ad eos qui ad duellum arma, equos, commeatus, vel consilium, auxilium præbuerint, vel præberi curaverint quocumque modo, etiamsi pugna non fuerit secuta, atque etiam ad eos, qui paciscuntur de dirimendo certamine, cùm primam alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit.

Observa 1. Duvallius asserit has constitutiones, quamvis in Gallia promulgatæ non sint, tamen esse usu receptas, eo quòd committentes duella particularia puniantur excommunicatione & privatione sepulturæ ecclesiasticæ. Alii dicunt Episcopos Galliæ specialiter excommunicationem duello sibi reservatam annexuisse. Certè cœtus multorum Archiepiscoporum & Episcoporum Parisiis, ann. 1654. congregatorum excommunicationem ipso facto tulit & Episcopo reservavit contra duellum privatum ineuntes, contra provocantes, voces vel chartas provocatorias ferentes; & alios eas acceptantes, quamvis pugna non sit secuta, modò per eos non steterit quominus pugnarent. Natalis Alexander in sua Theologia dogmatica & morali, lib. 2. sic ait: *Consuetudo in Gallia invaluit, ut duelli crimen & provocatio ipsa ad duellum, singulari certamine non secuto, sint casus solis Episcopis reservati.*

2. Nomine spectatorum juxta multos non intelliguntur casu, & obiter aspicientes duellum, qui illac fortuitò transibant, sed qui illud spectant *ex composito*, ut fert Bulla Gregorii & *de industria*, ut Clemens loquitur.

3. Licet quævis pugna cum vitæ periculo voluntariè suscepta privata authoritate, sit jure naturali illicita, cùm nusquam liceat privatim vitam hominis destruere, vel illius destruendæ periculo se exponere ad vindicandam quamlibet injuriam: tamen ad contrahendam excommunicationem illam, juxta multos requiritur pugna ex pacto invicem inito, uno scilicet indicente, & altero acceptante, cum designatione loci ac temporis. Quia Gregorius expressè dicit, *Ex condicto, statuto tempore, & in loco convento:* & Clemens, *Ex composito:* unde si duo subitò in iram vel rixam versi gladios extrahant, & ibi pugnent, quamvis peccent mortaliter, non tamen hanc excommunicationem contrahunt, quia hæc pugna non est ex condicto, seu ex composito, sive pacto pugnandi, sed est ipsamet rixa.

4 Qui moritur in conflictu, privatur sepultura sacra. Si tamen duellum non fuerit notorium, Barbosa monet tunc Parochum debere rem ad Ordinarium deferre; quia publicæ pœnæ solùm publicis criminibus, & authoritate publica sunt infligendæ.

5. Se-

5. Secundùm multos, qui alterum in duello utique voluntario occidit, non tenetur ipsi nec ejus hæredibus ad restitutionem: quia, inquiunt, occisus in pugnam lethalem consentiendo, censetur sponte in mortem consentire, adeòque in damna mortem consequentia, & concedere alteri facultatem contra se agendi, quod potest. Item provocatus si provocantem occidat, nil tenetur restituere, quia provocans invitat alium ad sui occisionem, si fortè superior sit, & sic implicitè consentit in omnia damna inde secutura: scienti autem & sponte consentienti non fit injuria. Nihilominus videtur teneri restituere damna creditoribus inde obvenientia, & alere uxorem ac liberos occisi, si indigent, & occisus eos alebat ex suo quæstu: nam hic non potest validè condonare jus alienum. Constat autem provocantem teneri ad restitutionem, si provocatus occidatur, & involuntariè pugnarit; & solùm ad vim repellendam, quia provocans est tunc aggressor injustus, nec aggressori injusto sponte condonatur restitutio. Porrò provocatus, qui voluntariè & ex condicto descendit in pugnam, censetur & est aggressor: nam nullam vim patitur, & revera provocantem etiam aggreditur, nec purè se defendit.

Quæst. XV. *Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?*

Resp. 1. Ex communi sententia, læsor tenetur solvere integras expensas factas in curationem læsi, & compensare omne lucrum cessans & omnia damna realia ex homicidio, mutilatione, vel læsione secuta, l. ult. §. *de his qui effud.* Quia injusta sua actione fuit causa efficax talium damnorum & cessationis lucri: sed qui est causa damni per injuriam, tenetur ad restitutionem, cap. ult. *de injur.* Omnia autem damna realia, & lucrum cessans restitui debent hæredibus occisi, quia ex ejus morte, hæc damna passi sunt. Quia hæredes hoc ipso quòd sunt hæredes, succedunt in omnia jura realia defuncti, l. 37. §. *de acquir. vel amitt. hæred.*

Hinc si læsus quæstum ex officio, industria, labore, vel artificio aliquo faciebat, tenetur læsor restituere hæredibus, non quidem quantum læsus lucratus erat, (cum hoc sit incertum & variis modis impediri possit) sed quantum judicio prudentum valet spes lucri, spectatis omnibus circumstantiis: æstimatio enim lucri cessantis facienda est inspectis hominis occisi vel læsi valetudine, robore, ætate, peritia, artificio, statu, modo vivendi, & lucrandi, deductis quidem impensis & iis quæ consumpsisset; nam quæ consumpturus erat non possunt numerari in lucris ad hæredes pervenientibus. Occisor autem solùm tenetur restituere valorem operarum & industriæ, quatenus ex illis obventurum erat hæredibus emolumentum.

Sed ex communi sententia deduci non debet æstimatio laboris. Tum quia labor fuit injustè impeditus: tum quia plerique libentiùs laborem impendunt ad lucrum quam otiantur: & alioqui plerumque nil restituendum esset, cùm sæpè lucrum non suppeteret æstimationem laboris.

Item occisor tenetur aliquid, arbitrio prudentum, restituere animæ occisi; si non constet decessisse in statu peccati, & præsumatur pro peccatis suis esse satisfacturus, si diutius vixisset. Nam ex hac parte damnum spirituale per injuriam illatum est, eum privando facultate præstandi has satisfactiones: quod proinde resarciri debet per eleemosynas, Missas, preces, &c. juxta æstimationem verisimilitudinis satisfactionum quas occisus per se vel per alios sibi comparasset, si non fuisset occisus. Ita *S. Antonin. ex Scoto, Delugo, Navarr. & aliis.*

Nota. Si homicida vel alius damnificator moriatur antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere, quantum ipse tenebatur. Quia hæredes succedunt in omnes obligationes reales defuncti, sicut in omnia ejus bona & jura; quamvis jus civile urget hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem ejus lis contestata fuerit, sed hoc non liberat eos in foro conscientiæ; nihil enim facit ad obligationem coram Deo quod lis ante contestata, vel non contestata fuerit. Immo ex communi sententia ad restitutionem tenentur hæredes, etiamsi læsor morte vel alia pœna mulctatus sit. Quia damna privati non resarciuntur per hanc publicam punitionem, quæ in vindictam publicam & terrorem aliorum irrogatur, & quæ est tantum compensatio injuriæ reip. illatæ: lex autem divina naturalis obligat ad resarciendum omne damnum injustè illatum; & cum quis duobus diversas res debet, non satisfacit utrique debito, solvendo uni, & non solvendo alteri quod ei debet. Nisi tamen hæredes occisi contenti sint pœna talionis, ut plerumque solent, si sint nobiles ac divites: nam restitutionem remittere possunt.

Resp. 2. Ordinariè læsor nil tenetur restituere pro impensis funeris. Nam cum aliquando faciendæ fuerint, nil damni ex hac

par-

parte illatum est, nisi fortè propter accelerationem; eo quòd citiùs istæ impensæ fieri debuerint, ex quibus adhuc aliquid lucri fieri potuisset, vel nisi funus factum sit in alieno loco, ubi majores sumptus quàm domi fieri debuerunt: nam omne lucrum cessans & damnum emergens compensari debet.

Quæst. XVI. *An occisor, vel mutilator teneatur restituere non solùm uxori & liberis, sed etiam aliis, & creditoribus?*

Resp. 1. Si occisus vel mutilatus alebat uxorem & liberos, vel parentes ex quæstu quem faciebat, læsor tenetur eos alere. *Est communis sententia.* Quia tantumdem damni illis injustè intulit, per occisionem injustam impediendo ne alerentur ab hoc homine determinatè, nempè marito, patre, vel filio. Immò ad id tenetur, etiamsi læsus omnia, quantum potest, occisori remiserit; quia hæc obligatio oritur ex injuria talibus illata, quæ non potest nisi ab illis remitti. Et læsus non potest validè cedere juri, quod habet uxor ut à marito, liberi ut à parentibus, parentes ut à filiis alantur, cùm hoc jus fundetur in speciàlissima conjunctione, & speciali debito ad invicem. *Dolngo & alii.*

Dixi, *ex quæstu*: Nam si alebat ex bonis quæ extant, & sufficiunt ad eos alendos, occisor non tenetur eos alere, sed solùm alia omnia damna compensare.

Resp. 2. Occisor tenetur alere eos, quos occisus determinatè alebat ex liberalitate, si probabiliter in posterum aliturus erat, & quamdiu erat aliturus: Sive tenetur illis restituere secundùm æstimationem spei, quam habebant de alimentis ex liberalitate occisi percipiendis. Ita *S. Bernardin. Vasquez, Turrian. Azor, dicens esse communem, & alii multi contra multos.* Quia ipsis fuit causa injusta talis damni, & fecit injuriam, violando jus quod habebant, ne via injusta impedirentur ab alimentis accipiendis à tali homine. Quilibet enim jus rigorosum habet, ne per actionem injustam impediatur à beneficio alterius. Ergo sicut qui per vim in alium illatam eum ex quocumque motivo impedit, ne tibi donet aliquid, tenetur tibi restituere: ita, &c. Et verò actio exterior, quæ est contra justitiam si fiat ex odio, & animo nocendi, est etiam contra justitiam, si fiat ex alio motivo, cùm sit per se injusta.

Resp. 3. Occisor tenetur restituere creditoribus occisi quantum occisus probabiliter judicio prudentum soluturus erat, si bona ejus extantia non sufficiant ad debita omnia solvenda. *Ita omnes.* Quia occisor per illam injustam occisionem causa fuit, cur isti creditores damnum passi fuerint, & fecit eis injuriam, violando jus quod habebant ne adimeretur debitori facultas iis solvendi, & ne impedirentur sine justa causa à receptione debitorum.

Id tamen quod creditoribus restituetur, detrahendum erit ex iis, quæ hæredibus sunt restituenda; cùm tantò minùs ex bonis occisi post mortem ejus naturalem accepissent. Quòd si hæredibus omne lucrum cessans & damnum emergens restituerit, nihil debet creditoribus, quia hi debent petere solutionem ab hæredibus.

Idem dic de mutilatore ob eandem rationem.

Nota. Dum læsus antequam moreretur, dixit se remittere injuriam ac mortem occisori; id intelligi debet quoad odium ac rancorem; ut lege charitatis tenetur, vel etiam quoad actionem ac pœnam: non autem quoad restitutionem damnorum realium inde secutorum, nisi hanc clarè exprimat. Nam remissio restitutionis non est necessariò connexa cum depositione odii & remissione pœnæ, nec ad eam obligatur læsus. Imò etiamsi hæc damna expressè remittat, non videtur valida esse remissio respectu creditorum: & uxoris ac liberorum quoad alimenta, quæ tenebatur iis præbere, nisi bona relicta ad eos alendos sufficiant; quia non potest cedere jus aliorum.

Quæst. XVII. *An debet aliquid restitui pro vita, membro, cicatrice hominis liberi?*

Resp. Certum est, 1. Cùm per injustam occisionem vel mutilationem illata sit injuria non solum realis, sed etiam personalis, quæ est vera offensa ac contemptus personæ, teneri læsorem ad satisfactionem pro ea, per significationem doloris, petitionem veniæ, aliaque submissionis signa apta ad placandum læsum, si adhuc vivat: nam omnis injuria tolli ac resarciri debet ex justitia quantum potest. Quod si conditio lædentis hæc non patiatur, & læsus placari possit per satisfactionem pecuniariam, ad hanc tenetur lædens saltem, ut quoddam est submissionis ac doloris signum, & animi placandi medium. Quemadmodum si per pecuniam posset vitam, vel membrum restituere, teneretur ex justitiá eam in hunc finem suppeditare. 2. Lædentem teneri in conscientia solvere mulctam pecuniariam à judice impositam in pœnam: nam judex habet jus puniendi injurias, & sententia justa obligat.

Sed

Sed controversia est, an præcisè pro vita, membro, &c. pecunia sponte restitui debeat? Alii asserunt probabiliùs; quia omne damnum restitui debet eo modo, quo id fieri potest. Negant alii, eo quòd nemo tenetur restituere damnum boni superioris ordinis per bona inferioris. Vide dicta part. 2. cap. 6. quæst. 6.

Dixi, *hominis liberi*. Nam pro vita animalis, vel mancipii, solvi debet quanti vendi poterant: pro mutilatione verò quanti minoris inde æstimantur; quia vita servi & animalis pretio æstimatur, & sic ad æqualitatem compensari potest.

Quæst. XVIII. *An tenetur ad restitutionem, qui putans occidere Petrum, occidit Paulum, quem invincibiliter putabat esse Petrum?*

Resp. Affirm. ex l. 18. §. *de injur.* Quia revera voluit injustè occidere hunc hominem individuum, qui est reipsa Petrus, quamvis putarit esse Paulum. Sive quia voluit injustè occidere hominem, & reipsa injustè occidit hunc qui est Paulus. *Ita Rebellus, & alii*. Unde non minus tenetur ad restitutionem quàm teneretur, si incendisset domum Titii, putans eam esse Caji.

CAPUT III.

De injuriis in corpus proximi per stuprum & adulterium, & de necessaria restitutione.

Quæst. I. **A**D *quid tenetur corruptor virginis?*

Resp. 1. Ex communi sententia, qui virginem sponte consentientem, & absque ulla vi, fraude, dolo, importunitate precum, & promissione matrimonii vitiavit; ad nihil ei tenetur: quia scienti & sponte consentienti non fit injuria, ex reg. jur. 27. in 6.

Sed tenetur ad aliquam satisfactionem honorariam erga parentes puellæ adhuc sub patria potestate existentis, per signa doloris, submissionis, petitionem veniæ, &c. si crimen resciant. *Ita Cajetan. Navarr. Valentia, Rebell. & alii*, cum S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6. ubi ait. *In foro conscientiæ, si deflorat eam voluntariam, non tenetur ei. Patri autem tenetur, quia injuriatus est. Unde ei in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet*. Nam violavit jus custodiæ, quod habet circa illam pater: pater enim habet jus custodiendi, & tuendi integritatem corporis suæ virginis. Item talis familiam dedecoravit. Quòd si ideo parentes majorem postea dotem conferre debeant filiæ, ut nubat juxta suam conditionem, tenetur corruptor hoc damnum resarcire, cùm sequatur ex injuria à se parentibus illata, sicque ipse sit causa illius injusta. *Ita Azor, Navarr. Valentia, & alii multi*.

Porrò tenetur mulier alere prolem à partu usque ad tertium annum. Ab anno tertio & deinceps ipse corruptor, donec proles possit sibi providere: imò ab ipso partu, si mater non possit, vel ipse ad id se obligarit. Si verò duo eandem fœminam cognoverint, & dubitetur uter sit pater, uterque tenetur æqualiter hoc onus sustinere, cùm æquale sit de utroque dubium & uterque certò posuerit actionem per se generativam. *Ita commun*. Quòd si hospitali exposita fuit proles, debent parentes ei restituere impensas; nam hospitale solùm fundatum est pro pauperibus gratis alendis, non pro aliis, nisi sumptu suo. *Est communis sententia*.

Resp. 2. Qui vi, minis, aut fraude, vel falsis persuasionibus vitiavit virginem, absque promissione matrimonii, tenetur compensare omnia damna virgini, & ejus parentibus inde obvenientia. Quia est illorum causa per injuriam; ergo tenetur ea resarcire pecunia, vel eam ducere, si aliter resarcire nequeat. *Invitam & seductam si constupravit, injungendum est sibi quod satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat. Et si promisisset eam ducere in uxorem ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum, & hoc, nisi nimis distans esset eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis & potens*, ait S. Antonin. loco citato. In foro autem externo in pœnam obligabitur ad eam dotandam aut ducendam, quamvis nuptias non promiserit, ex cap. 1. *de adulter*.

Quòd si puellæ ejusque parentibus nulla obvenerint damna; quia res mansit occulta, & ipsa æque commodis potita est nuptiis: stuprator juxta multos non tenetur, nisi ad satisfactionem honorariam, puta petitionem veniæ, &c. Quia nihil debetur pro ipsa defloratione pudicitiæ, cùm sit irreparabilis, & pretio non æstimabilis, neque pro alio damno inde secuto, cùm nullum reipsa secutum sit.

Non pauci tamen probabiliùs docent pro solo damno virginitatis injuste violatæ fieri debere compensationem pecuniariam, vel aliam arbitrio boni viri. Quia nempe damnum irreparabile in bono superioris ordinis compensandum est per bona inferioris ordinis. Vide dicta part. 2. cap. 6. quæst. 6. Quòd si jam nupta damnum aliquod patiatur; quia res,

tès, v. g. innotuit marito, &c. certum est stupratorem teneri hæc damna resarcire, cum ejus injuria sequantur.

Nota. Metus reverentialis conjunctus cum metu mali injustè inferendi, sufficit ut stuprator teneatur ad restitutionem, si nempe puella, vel alia mulier, ob authoritatem sollicitantis, & ex reverentia erga eum, & metu patiendi aliquod malum injustum, non audeat resistere. Nam quamvis talis metus non excuset à culpa, facit tamen ut consensus non sit omnino voluntarius, seu ut sit mixtus involuntario, nec sufficiat ad valorem donationis simili metu extortæ: ergo retinet rationem injuriæ, ac proinde damnum sequens est injustum, paritque obligationem restituendi. Secùs de muneribus, & blanditiis, quæ non minuunt, sed potiùs augent voluntarium; item de precibus quæ non injiciunt metum mali injustè postea inferendi, nec continent vexationem injustam. *Delugo*.

Resp. 3. Qui promissione matrimonii mulierem corrupit, is tenetur eam ducere, sive verè, sive fictè promiserit. *Est communis sententia*. Nam si verè ex animo promisit, tenetur eam ducere: quia hæc promissio fuit verus contractus onerosus sub conditione quæ fuit impleta ab una parte: ergo altera tenetur illum ex parte sua complere, cùm id licitè præstare possit.

Quòd si matrimonium fictè promiserit, ex communi sententia tenetur adhuc illud inire. Quia qui exigit aliquid ab alio per fictam promissionem, injustè decipit, & facit injuriam, [redacted]do jus, quod quisque habet, ne per deceptionem aliquid ab eo exigatur; ac proinde deceptor tenetur deceptionem injustam ac injuriam tollere eliciendo verum consensum, atque illo mediante veram promissionem facere, & factam præstare. Et alioqui infinitis fraudibus commercia humana paterent, & in illis esset inæqualitas. Præterea nemini sua fraus patrocinari debet, ut monent. jura. Igitur non sufficit mulierem sic corruptam dotare, vel pecunia damnum resarcire, si ipsa non consentiat: nam ipsa non consensit in copulam, nisi ut seductori nuberet. Nec huic licet religionem ingredi; quia non potest nisi matrimonio injuriam resarcire, ad quod ex justitia tenetur. Idem dic si animo ficto cum ea per verba de præsenti contraxit, eo tantum fine, ut ea potiretur, ut docet S.Thom. in 4.dist.28. art.2. ad 4. Quamvis enim matrimonium tunc sit nullum, tamen manet obligatio eam ducendi, si ipsa velit, ratione scilicet injuriæ resarciendæ; nec satis est pecuniam dare, cùm in propria specie satisfieri possit; nam non potest creditori invito unum solvi pro alio quod debetur, l. 2. §. *de rebus credit.* quia habet jus ad id quod sibi debetur.

Excipiuntur aliqui casus in quibus stuprator non tenetur corruptam ducere, etiamsi id verè promiserit; sed tunc tenetur solùm aliter, v.g. pecunia, damnum inde secutum compensare. 1. Si illa finxit se virginem, nobilem, divitem, cùm non esset, quia injustè decepit, & in injuriis datur compensatio. Imò idem docent multi, si ipse non ab ipsa deceptus falsò putavit esse virginem; quia hæc est sufficiens causa dissolvendi sponsalia, ideòque recedendi à promissione, modò damnum aliter resarciatur. 2. Si puella nolit ei nubere, vel parentes nolint eam tradere. 3. Si inde prudenter timerentur gravia mala, ut infelices exitus, graves discordiæ inter familias, grave scandalum, &c. Nam tunc mulier non est rationabiliter invita, modo damnum aliunde resarciatur. 4. Si aliquod impedimentum legitimum intervenerit, ut si sacros ordines suscepisset, quamvis illicitè. 5. Si fœmina deflorata postea cum alio fornicetur: quia promittenti fecit injuriam, & justam dedit causam recedendi à promissione. Idem censet Sanchez, quoties supervenit mutatio, seu causa gravis sufficiens ad sponsalia dissolvenda. 6. Si ficta fuerit promissio, & hanc fictionem fœmina potuerit deprehendere ex verborum ambiguitate, aut aliis conjecturis claris, vel ex magna disparitate conditionis sibi nota, ut si seductor sit nobilis, vel opulentus, & ipsa plebeja & pauper. Ita S. Thom. in 4. dist. 28. art. 2. ad 4. ubi ait non teneris ducere, *si sit multò melioris conditionis, aut aliquid signum evidens fraudis fuerit*; tunc enim puella seipsam stultè decepit, & sibi deceptionem imputare debet. Damnum tamen inde secutum resarciri debet, ut ipsa alteri sibi æquali nubat, vel si nubere nolit, reponatur in statu honesto, ubi decenter vivere possit: quia promissio illa involuntarium aliquod effecit: nam puella si certò fraudem novisset, non consensisset, & sic injuriam aliquam passa est.

Quòd si mulier disparitatem illam in nobilitate, divitiis, &c. ignoraverit, & alter nuptias fictè promiserit, juxta multos non tenetur etiam eam ducere, sed solùm pecunia satisfacere arbitrio prudentum, ut possit æquè honestè ac commodè alteri nubere, ac si córrupta non fuisset: ut indicat S. Thom. loc. cit. Quia seductor ratione injustæ deceptionis

nis solùm tenetur ad restituendum quantum fœminæ intererat poni consensum illum quem apprehendebat: & quem volebat pro sui corporis pretio, nam per hoc tollitur deceptio injusta mulieris, & reponitur æqualitas. Ipsa autem non apprehendebat nec petebat consensum tanti valoris, sed minoris; quia non cognoscebat conditionem ac dignitatem promittentis. Quem proinde consensum non potest deceptor reddere, nisi reddat simul multo plùs quàm fœmina petiit, & quàm ipse debebat. Quare deceptor tunc solùm tenetur reddere in æquivalenti, tantum pecuniæ dando quantum sufficit ut nubat viro æqualis conditionis; nisi tamen jurasset eam ducturum, nec dispensationem obtinuisset: nam ducere teneretur non vi promissionis fictæ, sed vi juramenti, & reverentiæ Deo debitæ.

Porrò vir superioris conditionis, qui verè nuptias promisit, ad eas tenetur, nisi grave scandalum inde meritò timeretur. *Sanchez, Azor, Delugo, Lessius, & alii.* Quia tunc juri suo cessit, & ratione promissionis veræ, & acceptatæ debitus est excessus, ad quem reddendum voluit se obligare. Et verò sponsalia inter æquales valent & obligant: ergo multò magis erunt valida, quando in compensationem fœmina sui corporis usuram concessit. Quare si aliam ducit, tenetur compensare quantum fœminæ intererat habere ipsum in virum, cùm tantundem damni ei injustè intulerit; mulier enim per promissionem sibi factam sub onere à se impleto, acquisivit jus ad rem promissam tanquam ad aliquid sibi debitum ex justitia.

Quòd si mulier corrupta nolit nubere seductori volenti promissum complere, is juxta multos non tenetur eam dotare, si sit æqualis conditionis, ex reg. jur. 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum:* & ex hac 66. ibidem. *Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominùs venditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.*

Enimverò nuptias solùm promisit, & mulier non habet justam causam aliud exigendi loco illarum. Sed juxta Panormitan. tenetur eam dotare, si fœmina sit longe melioris conditionis, nec velit ei nubere; quia damnum & dedecus illatum non resarciretur talibus nuptiis, sed novum inferretur. Quod verum est, si damnum & dedecus familiæ inde sequeretur: nam mulieri non fuit injustè illatum, si (ut suppono) sine vi & fraude, sed sola promissione matrimonii adducta consensit in copulam, sciens inæqualitatem conditionis.

Sed quid si is qui vera vel ficta promissione matrimonii seduxit aut stupravit, nec potest satisfacere nisi nubendo, habeat votum castitatis aut religionis?

Resp. Si votum secutum sit deflorationem, ex communi sententia tenetur ducere: quia jam ante erat jus strictum fœminæ acquisitum, & obligatio eam ducendi. Quare votum non potuit esse de non contrahendo hoc matrimonio, alioqui nullum esset, cùm sit de re illicita, sicut invalidum est votum dandi pauperibus id quod jam alteri debitum est ex justitia.

Si autem votum præcesserit copulam, adhuc secundùm communem, aut saltem communiorem sententiam, tenetur eam ducere; saltem post obtentam dispensationem voti, quam tenetur petere, si hæc votum ignoravit. Quia. 1. executio voti non ineundi matrimonium, jam facta est ei illicita respectu talis mulieris, cùm fieri nequeat sine gravi ejus injuria. 2. Quia, inquit Delugo, obligatio voti provenit solùm ex libera voluntate gratuita voventis, qui sibi imponit talem obligationem. Non potest autem aliquis velle se obligare tali genere obligationis in præjudicium juris alieni, quia non potest ipse propria authoritate alieno juri derogare. Unde votum involvit hanc conditionem tacitam: Si potero implere sine præjudicio juris alterius. 3. Si quis vovisset dare omnia bona sua pauperibus, si postea gravem injuriam in bonis alteri inferret, teneretur restituere per bona voto promissa pauperibus. 4. Tunc potest & debet petere dispensationem voti, seu dilationem executionis ejus: quivis enim tenetur adhibere media licita necessaria ad actum justitiæ exercendum. Si tamen fœmina scivisset votum, tunc corruptor non tenetur eam ducere: Quia illa non bona fide contraxit; cùm videret eum non posse licitè nuptias promittere; nisi fortè ipse ei persuaserit se facilè obtenturum dispensationem, quo casu tenetur eam sibi comparare.

Quid dicendum de seductore mulieris non virginis?

Resp. Patet ex dictis. Itaque qui viduam honestam, vel mulierem ab alio corruptam, sed quæ passim virgo habebatur, promissione matrimonii etiam simulata seduxit, tenetur eam ducere, si ipsa velit. Nam hæc promissio facta est in modum contractus, *Do ut facias:* cùm mulier det sui corporis usum, ut ille promissa perficiat. Quod si fictè promisit,

sit, adhuc tenetur: quia tenetur tollere deceptionem & injuriam illatam. Si autem vi aut fraude sine tali promissione seduxit, tenetur ante sententiam judicis damna inde secuta compensare, cùm sit injusta illorum causa.

Quæst. II. *Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam violavit?*

Sic respondet Delugo: Si impedimentum sit tale, in quo Papa nunquam soleat dispensare, ut inter consanguineos in primo gradu transverso, vel certè in quo non soleat dispensare, nisi ex gravissima causa, qualis tunc non datur; tunc promissio est invalida propter impossibilitatem rei promissæ: ac proinde solùm erit obligatio satisfaciendi & resarciendi damnum alio modo, si quod injustè illatum est; quod non contingit quando fœmina non fuit decepta, nec vi aut metu coacta. Si verò impedimentum est tale, in quo dispensari solet ex causa, qualis tunc intervenit, & matrimonium promissum fuit sub conditione dispensationis; tunc promissio illa obligat ad procurandam dispensationem: quia totum id quod promittitur, licitum est & possibile, nempe procurare dispensationem, & ea obtenta matrimonium contrahere. Imò idem censet, etiamsi promissio matrimonii facta fuerit sine illa conditione: modò uterque impedimentum noverit. Quia conditio dispensationis utpote necessariæ subintelligebatur: nam conditio quæ de jure necessaria est ad valorem actus promissi, semper subintelligitur in ipsa promissione: taciti autem & expressi eadem est vis. Porrò si quis consanguineam per vim, metum aut fraudem absque promissione matrimonii corrupit, tenetur resarcire damna illata, & secuta: quia fuit injusta causa illorum, copulam obtinendo per injuriam. Quòd si aliter damnum resarcire non potest, nisi eam ducendo, tenetur sibi dispensationem procurare, ut eam ducat, nam qui tenetur ad damnum illatum resarciendum, tenetur adhibere media ad hoc necessaria. *Ita Delugo.*

Quæst. III. *Ad quid tenetur adulter?*

Resp. 1. Si partus non sit secutus, adulter secundùm multos tenetur solùm ad satisfactionem honorariam marito præstandum pro injuria ei illata: quia pro injuria ab omni damno reparata non debetur ex justitia, nisi satisfactio per signa doloris & submissionis, ut petitionem veniæ, &c. Quæ tamen locum non habet cùm injuria ignoratur: nam satisfactio honoraria non fit nisi scienti se injuria affectum, cùm consistat in placatione animi justè offensi. Unde non est exhibenda marito, nisi injuriam norit, & eam cupere putetur.

Resp. 2. Si proles ex adulterio nata sit, tenetur adulter prolem alere ab anno tertio, & deinceps, donec sibi de alimentis providere possit: à partu ad tertium annum inclusivè ipsa mater, ex cap. 2. *de convers. infid.* In defectum matris tenetur pater, & vicissim.

Resp. 3. Adulter & adultera tenentur æquè primò & ex æquo compensare damna, quæ obveniunt marito & legitimis hæredibus, ex sustentatione, hæreditatis partitione, & legatis, donationibus proli spuriæ factis à consanguineis patris putativi, vel matris in damnum legitimarum prolium, quibus alioqui cederent. *Est communis sententia.* Quia uterque est æque principalis causa injusta horum omnium damnorum: nam uterque posuit actionem injustam, ex qua sequitur generatio prolis, ac deinde omne tale damnum. Et ad id tenentur singuli in solidum ex alterius defectu, ex cap. ult. de injur. *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet.* Idque ex communi sententia, etiamsi adulter suppositionem non suaserit. Quia nihilominus est æque primo causa horum damnorum ac adultera, nam cùm generatio prolis in muliere conjugata sit vera causa deceptionis ac suppositionis, & ad actionem generativam injustè uterque æque primò concurrerit, uterque est æque primò causa damnorum inde evenientium.

Neque refert, si alteruter alterum ad adulterium induxit sine vi & dolo: nam consulens ut consulens non est damni causa principalis respectu exequentis. Uterque autem executioni mandavit causam damnorum, nempe adulterium. Si tamen alteruter vim aut metum gravem etiam reverentialem incussisset, hic teneretur de omni damno: nam esset solus causa principalis adulterii & consequenter damnorum ex eo secutorum. Alter verò teneretur solùm in ejus defectum, cùm sit causa minùs principalis, utpotè minùs voluntaria, nec posuerit causam damni, nisi per injuriam à priore sibi illatam compulsus.

Resp. 4. Si probabilius sit prolem ab adultero esse genitam, tenetur adulter & adultera compensare omnia damna; nam tunc non possunt prudenter negare esse suam, ideòque se obligare ad compensationem damnorum, & utrumque prudenter judicare possunt.

Sed quid si dubium sit, utrùm ab ipso adultero, an à marito proles sit genita?

Resp. Tunc tenentur adulter & adultera restituere marito vel ejus hæredibus, pro ratio-

tione majoris vel minoris dubii, judicio prudentum. *Ita Molin. Rebell. Layman, & alii.* 1. Quia uterque est causa injusta periculi pretio æstimabilis, quod subit maritus prolem alienam tanquam propriam alendi. 2. Iniquum est ut in dubio damni totum illius periculum subeat innocens, & causa talis periculi, quæ posuit actionem de se damnificativam, sit omnino libera.

Obj. 1. In dubio nemo spoliandus est re sua, & melior est conditio possidentis.

Resp. Hoc axioma æque, imò magis favet marito quàm adulteris. Nam ille est in possessione suorum bonorum, quibus in dubio non debet spoliari, & insuper ei certò facta est injuria de se damni illativa. Spoliaretur autem in dubio, si deberet bona sua impendere ad alendam prolem dubiam: nam quamdiu dubium est an proles sit ab ipso, an ab adultero genita, dubium quoque est an ipse, an adulter teneatur illam alere: neque enim tenetur maritus alere nisi suam prolem.

Obj. 2. Proles in dubio an sit legitima, debet præsumi legitima: nam ratione matrimonii est in possessione suæ legitimitatis, qua non debet privari ratione dubii.

Resp. Proles debet quidem tunc in foro externo præsumi legitima, & habet etiam in foro interno jus dividendi hæreditatem cum legitimis. Sed quia in hoc dubio manet marito periculum certum damni subeundi, in quod adulteri eum injustè conjecerunt, hi tenentur hanc injuriam pretio æstimabilem resarcire. Et præsumptio illa est solùm in gratiam prolis innocentis.

Quæst. IV. *Quomodo tenetur adultera damna compensare?*

Resp. 1. Adultera tenetur, quantùm fieri potest citra famæ jacturam & vitæ periculum, procurare ne quid damni maritus & legitimi hæredes ratione prolis spuriæ patiantur. *Est communis sententia.* Quia si omnibus modis, quibus potest, non caveret damnum marito & hæredibus, iis inferret injuriam, cùm posuerit actionem injustam damni illativam. Hinc si habet bona propria, tenetur ex illis damna compensare. Si non habeat, tenetur rem familiarem diligentiùs administrare, de cultu corporis sui, & sumptibus solitis propriis detrahere quantum potest, spectata conditione status, valetudine, &c. Item relinquere in morte solis legitimis tantum ex bonis, de quibus liberè disponere potest, & secundùm multos religiosum statum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Resp. 2. Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur revelare crimen suum: nam tunc nullum damnum inde sequitur legitimis hæredibus. Si verò non potest, nec judicat prudenter illud impeditum iri si detegat crimen suum, tunc nec tenetur aperire, quia imprudenter & frustra aperiret. Imò etiamsi judicaret posse averti damna hæredibus per illam revelationem, non tenetur crimen suum occultum revelare, cum periculo mortis vel gravis scandali, discordiarum, perpetui odii mariti, infamiæ totius familiæ, vel propriæ saltem publicæ si non sit suspecta, vel alterius mali multò gravioris, quam sit damnum hæredum: *Est communis sententia.* Prob. 1. ex cap. 9. *de pœnitent.* ubi Innocentius III. consultus de quadam muliere, quæ partum sibi supposuerat, ne bona mariti ad alios devolverentur, esset ne absolvenda, cùm crimen suo marito timeret detegere, respondet Pontifex: *Sicut mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari... sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injungi.* Ergo non tenetur cum tali metu crimen detegere: si enim teneretur & nollet, non esset capax absolutionis. 2. Quia tunc maritus, & hæredes non sunt rationabiliter inviti; & tunc restitutio censetur moraliter impossibilis.

Si tamen mulier sciret spurium esse valde bonum ac prudentem, & sibi fidem habiturum & hæreditatem cessurum, nec crimen ejus revelaturum, (quod vix & rarissimè præsumendum est) teneretur ei detegere. Quia infamia nocentis apud unum aut alterum postponenda est gravissimo innocentium damno, cujus est causa injusta; ut patet ex eo, quòd juxta communem sententiam liceat grave peccatum alterius occultum aperire tertio, ad avertendum grave damnum ei ab illo altero impendens.

In praxi tamen ordinariè non est obliganda adultera ad crimen suum aperiendum, sive marito, ob gravia mala inde obventura quæ ordinariè imminent; sive spurio, quia hæc revelatio est ordinariè inutilis ad avertendum damnum: nam filius, juxta communem sententiam, non tenetur credere matri juranti eum esse spurium, nisi id probet certis argumentis, ut si tempore conceptionis & ante & post ostendat maritum absentem fuisse, &c. Nam qui nascitur in conjugio legitimo, censetur esse legitimus, nisi contrarium ostendatur.

No-

Nota. Quæ dixi de adultera & filio spurio, dicenda sunt de filio suppositito, quem mulier supposuit ac finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transeat: nam injuria his facta est, quæ eodem modo tolli, vel resarciri debet.

CAPUT IV.

De injuriis contra famam & honorem per judicium temerarium, detractionem, calumniam, & contumeliam, & de necessaria restitutione. De susurratione dictum est tract. de peccatis cap. 7. art. 6.

Quæst. I. *Qvale peccatum est judicium temerarium, item suspicio ac dubitatio temeraria?*

Nota 1. Dubitatio est suspensio intellectus inter assensum & dissensum. Suspicio est inclinatio, seu concitatio mentis ad assentiendum uni parti, sic tamen ut nondum absolutè ei assentiatur. Judicium est assensus mentis, qui si fit cum formidine oppositi, dicitur opinio; si sine tali formidine, vocatur judicium firmum. Hi actus sunt temerarii, quando sine sufficientibus indiciis, seu rationibus concipiuntur: nam si ex sufficientibus motivis, non sunt temerarii, ut si judices Petrum esse injustum, quia usuras exigit. Charitas tamen postulat, ut dum opus externum excusare non potes, excuses intentionem vel indeliberationem, si possis, aut totum Deo discutiendum relinquas. Porrò majora indicia requiruntur ad prudens judicium, quàm ad suspicionem, vel dubitationem, cùm plùs sit judicare quàm suspicari, vel dubitare.

Nota 2. Levia sunt indicia, quæ considerata facti & personæ qualitate, aliisque circumstantiis, ut loci, temporis, &c. non sufficiunt ad movendum virum prudentem & bonum ad sic dubitandum, suspicandum, vel judicandum de proximo. Gravia autem sunt, quæ omnibus illis consideratis movere possunt probum & prudentem ad dubitandum vel male opinandum, seu judicandum de proximo: Cùm enim hæc materia sit mortalis, non potest alio modo definiri quodnam sit leve, quodnam grave judicium seu argumentum, quàm ex prudentis & boni viri judicio, ait Sylvius, tom. 3.

Resp. 1. Temerarium de re gravi proximum infamante judicium etiam opinativum, quod cum plena advertentia concipitur, est mortale contra justitiam. *Ita omnes de judicio firmo, & communis est sentent. inter recentiores, teste Delugo, de judicio etiam opinativo ac formidoloso*. Prob. 1. Ex Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Et ex Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini*. Et Jac. 4. *Qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem*. Ubi generatim & indistinctè prohibetur graviter omne judicium temerarium, & proinde non solùm firmum, sed etiam opinativum. 2. Quia per illud fit gravis injuria proximo. Nam graviter violatur jus quod habet, ne sine sufficienti causa judicetur malus aut vilis, & perdat bonam æstimationem apud alium; hocque homines molestissimè ferre solent. Quare est obligatio illud judicium statim deponendi ut tollatur injuria. 3. *Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 3. ad 2. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. 1. ad Cor. 4.

Dixi 1. *Temerarium*. *Nam judicium de personis, licèt quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium*, ait S. Thom. quodlib. 12. art. 34. Proximus enim non habet jus, ut æstimetur probus ab eo, cui crimen ejus sufficienter cognitum est.

Dixi 2. *Cum plena advertentia:* nam potest esse veniale non solùm ob levitatem materiæ & temeritatis, sed etiam ob defectum plenæ advertentiæ. Imò nullum est, si sit ex sola intellectus promptitudine absque ullo deliberato voluntatis consensu conceptum. Sed ubi primùm advertis te sic male judicare, peccas perseverando in eo judicio, utpote mortali, posita plena advertentia cum gravitate materiæ.

Porrò ad temeritatem mortalem non requiritur advertentia actualis ad insufficientiam indiciorum seu motivorum, si mala præoccupatio, voluntaria passio, invidia vel odium sit causa præcipitationis judicii & defectus advertentiæ actualis: nam tunc temeritas illa est sufficienter voluntaria in causa, nempe in mala affectione; & inadvertentia insufficientiæ indiciorum est vincibilis ac culpabilis.

Resp. 2. Suspicio & dubitatio voluntariæ graviter temerariæ in re valde gravi, & cum advertentia plena, sunt peccata mortalia sal-

tem si ex pravo affectu & malevolentia nascantur. *Ita Delugo, Lessius, & alii multi.* Quia 1. ad Tim. 6 inter gravia peccata numerantur *suspiciones malæ*. Et, ex 1. ad Cor. 13. *Charitas non cogitat malum*. Quem locum sic explicat S. Chrysostomus, hom. 33. *Non modo nihil malè comparat contra illum qui diligitur, sed ne suspicatur quidem*. 2. Ex S. August. epist. 137. *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud apostolicum recordamini: Nolite ante tempus judicare*. 3. Tunc fit gravis injuria proximo: nam quisque habet jus ne quisquam de ipso sine sufficienti causa malè opinetur, suspicetur, & de sua probitate dubitet, illudque jus graviter violatur in re valde gravi. Et nullus est prudens, qui non putet gravem sibi injuriam fieri, indeque gravem molestiam sentiat; nec eum qui ita de se suspicaretur, haberet in numero suorum amicorum. Imò in dubitatione illa continetur judicium: nam qui sic cum plena deliberatione dubitat, non solùm suspendit assensum, sed etiam judicat ambiguam esse probitatem proximi, nec eum posse prudenter judicari probum.

Quare cum S. August. tract. 90. in Joann. ait suspiciones temerarias ad tentationem humanam pertinere, sine qua duci non potest ista vita; & S. Thom. quæst. 60. art. 3. dicit dubitationem temerariam esse venialem; intelligi debent de repentinis nondum satis deliberatis, vel leviter temerariis, & ex humano errore non ex malevolentia conceptis. Et ideo multi docent peccare solùm venialiter eum, qui de gravi malo proximi suspicatur, vel dubitat ex solo errore intellectus, quo apprehendit indicia, ob quæ suspicatur, tanquam sufficientia ad suspicandum, paratus suspicionem deponere, ubi meliùs advertetit: tum quia temeritas illa non est omnino voluntaria, cùm non ex malitia, sed ex solo humano errore & fragilitate suspicetur: tum quia indicia propter quæ suspicatur, non carent omni verisimilitudine ad suspicandum: quando enim suspicio non est ex malevolentia, sed ex solo humano errore, indicia non carent omni probabilitate.

Observa 1. Quando timorati, præsertim scrupulosi, inquit Sylvius, ejusmodi sinistras cogitationes de proximis patiuntur, & dubitant an lethaliter peccaverint; rogandi sunt, an si tunc advertissent illud esse judicium temerarium & peccatum, deliberatè voluissent consentire? Si enim negativè respondeant, censendi sunt non peccasse mortaliter, quia vel nullus adfuit voluntatis consensus, vel non fuit plenè deliberatus. Quare regula etiam locum habet in timoratis, qui vel contra fidem, vel contra castitatem tentationes & varias cogitationes patiuntur, quibus nullo modo consentire vellent, si eas plenè adverterent.

Observa 2. Materia, quæ in detractione ad mortale sufficit, hic quoque sufficit. Hinc materia gravis censetur non solùm peccatum mortale, sed etiam habitus peccati venialis, spectatis statu, fama & qualitate personæ; vel defectus inculpabilis, sed infamans, seu unde quis notabiliter vilescit in animo judicantis, vel in contemptum adducitur, ut esse fatuum, spurium, &c. Ergo mortaliter peccas, si temerè judices, vel suspiceris Religiosum habere consuetudinem mentiendi, esse vanum, regulas suas negligere, orationi non vacare, &c. aliquem esse fatuum, & officio ac honore indignum, &c.

Observa 3. Quamvis certum sit opus, ab aliquo factum, esse mortale ex genere suo, non ideo tamen potes judicare proximum certò peccasse mortaliter. Quia potest excusari coram Deo, ob imperfectam deliberationem, vel inconsiderationem aut ignorantiam invincibilem. Item incertis rumoribus de proximi crimine vel malo infamante fides nulla adhibenda est; nam rumores incerti non possunt fundare judicium prudens. Denique semper extra necessitatem animus à dubitatione, suspicione & judicio de peccatis alienis cohibendus est, ut vitetur periculum temerè judicandi, vel suspicandi cum injuria proximi. *Etiamsi perperam actum quidem deprehendas; nec sic judices proximum: magis autem excusa intentionem si opus non potes, putà ignorantiam, putà subreptionem*, ait S. Bernard. serm. 40. in Cantic.

Sed hic quæri potest utrùm dubia sunt in meliorem partem interpretanda?

Resp. 1. Dubia de personis ad bonam, vel malam æstimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. *Est communis sententia*. Prob. 1. Ex S. August. l. 2. de sermone Domini in monte, cap. 18. *Nolite judicare ut non judicemini, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur ... de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus*. 2. Ex S. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 4. *Ex hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium con-*

contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente; & ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est. 3. Quia maximè cavendum est, ne fiat injuria proximo, & de possessione bonæ famæ injustè dejiciatur.

Sic autem hæc dubia in meliorem partem sunt interpretanda, 1. Negativè, ita ut in dubio etiam positivo numquam judices, opineris, vel suspiceris proximum esse improbum, vel peccasse graviter: alioqui peccares contra justitiam, inferendo malum proximo sine sufficienti & justa causa: quisque enim jus strictum habet, ne ei malum sine justa causa inferatur: haberi autem improbum est malum proximi grave, utpote per se concitativum gravis molestiæ. Et dubium etiam positivum non est sufficiens nec justa causa judicandi proximum peccasse: incertum enim crimen non est sufficiens & justa causa eum privandi bona æstimatione, quam possidet.

2. Positivè practicè, hoc est, ut in praxi & vitæ civilis usu, ubi de cautela non agitur, affectu interno, & externo modo agendi proximus tractetur tanquam si revera esset probus, ei præstando consueta honoris & urbanitatis officia, perinde ac si nullum esset de ejus probitate dubium. Nam illis proximum ob dubium exortum privare iniquum esset, & contra has regulas charitatis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Item quoties pravus in proximum animi motus vincendus est, aut vis hic & nunc statuere apud te quo loco sit habendus, aut periculum est ne bona opinio de eo à te concepta minuatur, si judicium suspendas; tunc judicare debes positivè eum habendum ut virum probum, nec ob dubium exortum bonam de eo opinionem minuendam esse.

Dixi, *de personis*. Nam dubia de rebus, putà an contractus talis sit licitus necne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda. Quia tunc id unum agitur, ut cognoscatur veritas, & viteiur illicitum, nec timendum ne cuiquam inferatur injuria; & ex eo nihil boni, vel mali accrescit rei.

Resp. 2. Cùm agitur de damno vitando, vel remedio adhibendo, dum non constat de probitate proximi, ex communi sententia licet sibi de aliis consulere, & eam cautionem adhibere, quam prudentia dictaret adhibendam, supposito quòd esset malus, non tamen de eo malè judicando aut suspicando. Quia tunc nemini infertur injuria, vel damnum: licitum est autem sibi & proximo sine cujusquam injuria providere. Hinc non peccas dum excipiendo ignotum in ædes tuas, ita caves rebus tuis, ac si dubia esset hominis probitas.

Quæst. II. *Quid est Detractio, Contumelia, & Calumnia?*

Nota. Fama est existimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, & habilis ad aliquem bonum usum: Sive est existimatio, seu opinio excellentiæ alterius. Honor est testificatio excellentiæ alterius animo conceptæ. Excellentia autem, quam spectat fama & honor, consistit primariò in virtute ac sapientia, earumque functionibus, quæ homines verè laudabiles reddunt; secundariò autem in aliis perfectionibus, ut sunt ingenium, doctrina, nobilitas. Item quoad honorem: potestas sive ecclesiastica, sive sæcularis, dignitas principii, quæ inest parentibus, &c. Imò id quod singularem quemdam ad has perfectiones ordinem habet, vel ut instrumentum virtutis, vel ut effectus, est etiam ratio honorandi, ut nobilitas quæ ex præclarè gestis orta est.

Hinc fama & honor inter se differunt, cùm fama sit opinio de excellentia alterius, honor verò externa testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius.

Resp. 1. Detractio est injusta ademptio seu læsio, vel imminutio bonæ famæ alterius in ejus absentia. Nam si quis coram altero famæ ipsius detrahat; jam non erit simplex detractio; sed etiam contumelia, qua coram violatur honor alterius.

Ex S. Thoma fieri potest detractio octo modis. 1. Falsum crimen vel defectum imponendo. 2. Verum amplificando. 3. Occultum detegendo. 4. Sinistrè interpretando factum alterius. 5. Rectè facta vel dotes alterius negando. 6. Illa extenuando. 7. Silendo ubi silentium æquivalet confessioni defectus proximi, ut quando ex silentio intelligi facilè potest alium vel non esse laude dignum, vel non tanta, vel habere aliquem defectum. 8. Simulatè vel remissè aut frigidè laudando, juxta hos versus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut reticet, minuit, laudatve remissè.

Resp. 2. Calumnia est falsi criminis aut

defectus impositio. Unde est species detractionis omnium gravissima ex genere suo, cùm superaddat detractioni genericè sumptæ mendacium perniciosum.

Resp. 3. Contumelia est injusta inhonoratio personæ præsentis, seu læsio honoris alterius sine justa causa & authoritate coram eo facta, sive dictis, sive factis: ut crimen, vel defectum vel malum pœnæ alteri præsenti objiciendo ex animo illum inhonorandi; vel ejus imaginem conculcando, ipsum percutiendo, repræsentando aliquid quod honorem illius lædat, ei maledicendo, conviciando, illum illudendo, irridendo, &c. quod est ex genere suo mortale; cùm hoc sit per se dissolutivum amicitiæ, juxta illud Eccli. 22. *Qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam.*

Quæst. III. *An & quando detractio, calumnia, & contumelia sunt peccata mortalia?*

Resp. 1. Hæc tria sunt ex genere suo mortalia contra justitiam. *Ita omnes*. Nam 1. ad Rom. 1. detractores & contumeliosi dicuntur esse digni morte. 2. Per detractionem & calumniam proximus injustè læditur in fama, per contumeliam in honore: quæ sunt bona præstantiora divitiis, & ad quæ proximus jus habet. Quare hæc tria sunt peccata graviora furto, quod ex genere suo mortale est, nam (ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 3.) *Peccata quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundùm nocumenta, quæ proximo inferuntur. Tantò autem est majus nocumentum, quantò majus bonum demitur.*

Dixi, *ex genere suo:* nam possunt esse venialis culpa, 1. Ob defectum sufficientis advertentiæ. 2. Ob levitatem materiæ, ut si narretur levis aliqua alterius imperfectio. Plures tamen ejusdem defectus leves alteri detegere, potest esse mortale; quia possunt tandem collecti lædere graviter bonam existimationem illius. Item *cùm peccatum convitii, vel contumeliæ, ex animo dicentis dependeat*, (inquit S. Thom. quæst. 52. art. 2. ad 3.) *potest contingere quòd sit peccatum veniale, si sit leve convitium, non multùm hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, putà cùm aliquis intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare*. Porrò, ad 2. ait: *Sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere, & hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos*. Et ita excusari possunt plura verba contumeliosa parentum in filios, & dominorum in servos. Rarò tamen adhibenda sunt verba contumeliosa in correptionibus; quia sæpe potiùs exacerbant quàm emendent, & subditus facilè putat ea potiùs ex aliqua animi passione, quàm ex charitate proficisci.

Resp. 2. Detractio omnis, licèt fiat solùm ex quadam animi levitate, vel loquacitate, & sine intentione lædendi proximum, est ex genere suo mortalis culpa contra justitiam. *Prob.* Ex 1. ad Cor. 6. *Neque fures .... neque maledici regnum Dei possidebunt*. Et, Jacob. 4. *Nolite detrahere alterutrum. Qui detrahit fratri..... detrahit legi, & judicat legem*. Hinc illud Prov. 4. *Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te*. 2. Quia injusta ac voluntaria læsio famæ proximi est gravius peccatum quàm furtum; nam per eam aufertur fama, quæ est bonum majus divitiis, quæ per furtum auferuntur, juxta illud, Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Sed detractio facta ex mera loquacitate & sine animo lædendi proximum, est læsio famæ proximi injusta, ut patet: nam proximus habet jus ne ejus fama lædatur ex quocumque fine ac modo; & est etiam voluntaria saltem indirectè & implicita, cùm voluntariè dicantur ea, ex quibus per se sequitur læsio famæ proximi: ad mortale autem sufficit voluntarium indirectum. *Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 2. Unde tunc est obligatio restituendi, ex cap. ult. de injur. *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam*. ibid. *Eliminemus igitur omnem ex ore nostro detractionem, scientes quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis aspera vita hujus utilitas proderit, nisi à detractione abstineamus*, ait S. Chrysost. homil. 3. ad popul.

Idem dic de contumelia, qua notabiliter honor proximi læditur, etiam si sine animo lædendi proferatur; quia semper est mortale voluntariè etiam indirectè inferre sine justa causa

causa damnum notabile proximo, ex quovis motivo. Infertur autem voluntariè damnum grave in honore, quoties profertur aliquid quod prævidetur, vel prævideri potest aptum esse ad lædendum notabiliter honorem, & contristandum graviter proximum.

Cæterùm detractio, quæ fit per libellum famosum, pejor est, cæteris paribus, quàm quæ voce fit; quia infamia ad plurimos permeat, & vix potest aboleri. Unde morte punitur, & qui talem libellum spargit, & qui inventum vulgavit, l. unic. Cod. *de famos. libell.* Jure etiam canonico gravissimè prohibetur, tum causa 5. q. 1. tum in Bullis Pii V. & Greg. XIII. Item pejor est, si fiat in aliquam communitatem, capitulum, ordinem religiosum: quia plures læduntur in fama, & ita damnum majus est.

Resp. 3. Ex communi sententia, detractio & contumelia sunt culpa mortalis; quoties sine justa causa graviter læditur fama, vel honor proximi, licèt absque animo graviter lædendi: nam mortale est notabile damnum sine justa causa inferre proximo. Venialis verò, si non graviter lædatur; nam levitas damni excusat à mortali, nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel prævideatur gravem dolorem concitatura proximo: nam sine justa causa & authoritate graviter nocere, vel gravem mœrorem creare proximo est mortalis culpa, cùm sit grave malum inferre proximo.

Graviter autem vel leviter læditur fama vel honor pro gravitate, vel levitate materiæ, spectatis omnibus circumstantiis, præsertim personæ læsæ. Nam gravitas vel levitas materiæ hìc præcipuè spectanda est, relatè ad personam læsam, & ejus famam: fieri enim potest ut quod respectu unius est materia levis, sit gravis respectu alterius, si sit persona magnæ authoritatis & famæ valde integræ, aut quæ obligetur ad majorem vitæ sanctitatem; ut si de puero vel vili famulo dicas quòd sæpè mentiatur, censetur leve: at si hoc dicas de Episcopo, Sacerdote, Religioso bonæ famæ, vel laico honorato, est grave, nam per hoc graviter læditur fama illorum, cùm ii qui mentiri consueverunt, parvi fiant, præsertim si ex statu, munere, officio, cæteris virtute præstare debeant. Regula ergo universalis, inquit Delugo, ad gravitatem detractionis desumenda est ex circumstantiis personæ, defectus qui narratur, existimationis quam persona illa apud homines habet, & similibus, ex quibus si grave detrimentum, prudentis arbitrio, famæ infertur, detractio erit gravis: sin minùs, erit levis.

Item contumelia in se levis, potest esse gravis respectu personæ, cui infertur, ut si sit superior, pater, &c. Imò semper mortalis est quoties fit ex animo graviter dedecorandi vel contristandi proximum: nam sola voluntas gravis mali proximo creandi sine justa causa est mortalis. Econtra si convicium absolutè ac in se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut morem patrium loquendi, grave esse non censeatur, veniale esse docent multi, qui mortalis non damnant pueros, mulierculas ac viros infimæ sortis, cum certis conviciis ac contumeliis apud plebejos usitatis se lacessunt: quia honor vilium personarum his injuriis non censetur graviter lædi, nec his fides adhibetur. Excipe nisi sit intentio graviter lædendi vel contristandi, nam hæc mortalis est.

Hinc 1. mortaliter peccat qui detrahit cum animo notabiliter lædendi famam proximi, vel absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat causam talis læsionis, advertens, vel advertere debens probabiliter ex eo dicto, vel facto tale damnum inferri. *Navarr.*

2. Narratio defectus venialis plerumque est solùm venialis; quia non solet graviter lædere famam proximi, cùm etiam justi sine culpa veniali non vivant. *In multis enim offendimus omnes*, Jacob. 3. Est tamen mortale dicere de quibusdam personis in munere, vel statum majorem perfectionem exigente constitutis, v. g. Episcopo, Religioso, &c. quòd habeat consuetudinem alicujus peccati venialis, v. g. quòd sæpe plus justo bibat, sit vanus, &c. Nam in talibus id censetur magni momenti, & eorum fama multùm inde imminuitur, & ideo despiciuntur.

3. Quamvis possit esse solùm veniale referre, aut exprobrare defectus naturales & involuntarios, ut ingenii, corporis, fortunæ, cùm hi defectus non sint culpabiles; tamen mortale est, si fama vel honor inde graviter lædatur, vel si proximus graviter contemnendus sit, viliorque apud alios reddatur, ut si extra casus exceptos de viro honorato, qui habetur nobilis, dicas esse ignobilem, ejus parentes pœnam infamantem subiisse; item si inde grave damnum alteri sequatur; vel si in faciem exprobretur conviciandi causa, etiam vili personæ, quæ gravem inde mœrorem patiatur. Nam mortale est sine justa causa contristare graviter proximum, vel grave damnum ei ferre. Ideo per

per se mortale est narrare defectum occultum natalium, v. g. si dicas de aliquo eum esse illegitimum, nam hoc vilitat hominem, idque molestiùs ferre solent homines, quàm si de illis referatur grave peccatum.

4. *Ex Navarro*, detractio, quæ generalibus nominibus vitiorum tam mortalia quàm venialia comprehendentibus fit, ut si dicas aliquem esse avarum, iracundum, &c. mortalis est, quando cum damno notabili, aut magno ejus periculo fit, aut coram talibus, qui probabiliter existimari possunt tam maculas mortales quàm veniales concepturi, nisi de solis venialibus vel de sola naturæ propensione verba fieri admoneatur: nam alioqui graviter læditur fama.

5. Peccant mortaliter, qui nullum defectum in particulari de proximo detegit, sed solùm in genere dicit se de illo aliquid scire, quod nemo de illo facile suspicaretur, vel quod illum magno pudore afficeret si diceretur; item si dicas illum non esse eum, qui communiter habetur, &c. Tunc enim graviter læditur fama proximi, & sæpe graviùs, quàm si gravis ejus defectus nominatim detegeretur: nam ex hoc obscuro loquendi modo grave aliquid, imò sæpè longè deteriora latere auditores intelligunt, vel suspicantur, quàm forte reipsa sint.

6. Quando ratione conditionis personæ, peccatum aliquod mortale non censetur notabiliter lædere famam, illius revelatio non est mortalis: ut si de milite narres eum duellum commisisse; vel referas ea delicta de personis quas scis se de illis publicè jactare.

7. Irrisio, quæ est species contumeliæ, mortalis est quoties fit ex animo graviter confundendi proximum, vel exprobratur, sine causa justa grave peccatum, aut defectus infamis, vel derisus graviter contristatur aut contemnitur: nam tunc ei grave malum infertur sine causa justa. *Aliquem illudere vel irridere est eum omnino parvipendere, & eum tam vilem æstimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale... & tantò gravius, quantò major reverentia debetur personæ, quæ illuditur*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 75. art. 2.

Resp. 4. Est mortale detegere alicujus crimen occultum grave non nominando personam, sed solùm communitatem ex qua est, quando communitas inde gravem infamiam passura est, ut monasterium, capitulum, &c. Item si de aliqua communitate in genere detrahas, v. gr. si dicas de communitate religiosa nullam ibi esse disciplinam, aut de civitate eam esse plenam adulteris, usurariis, &c. graviter peccas, nisi hæc infamia sit publica ubi hoc dicis. Quia tunc gravis infamia injustè infertur illi communitati, & sic manet obligatio eam reparandi. Nam quamvis congregatio regularium reipsa non maculetur ex unius hominis nequitia, sicut nec Apostolorum collegium ex scelere Judæ; maculatur tamen ejus fama apud homines præsertim simplices & imperfectos.

Resp. 5. Est mortale detrahere in re gravi apud unicam personam & sub secreto, licèt putetur non relevatura. *Est communis sententia*, *teste Duluge*. Quia tunc injustè infertur proximo grave damnum ablatione bonæ existimationis apud alium, ut patet in judicio temerario, quo quis apud se unum spoliat alterum bona existimatione; perinde enim proximo nocetur, sive in propria, sive in aliena mente ingeneretur de eo prava opinio. Et verò diffamatio apud unicum est res per se concitativa gravis molestiæ ac doloris, ut patet ex difficultate, quam ordinariè homo habet in aperiendo crimine soli confessario, quamvis sciat hoc sibi salutare esse. Unde vix est vir honestus, qui naturaliter non ferat molestiùs bonæ famæ amissionem apud unum virum gravem, quàm jacturam summæ notabilis pecuniæ.

Resp. 6. Est mortale imponere alteri culpas veniales falsas, vel veras sed occultas detegere; aut defectus naturales falsos, quando inde patitur damnum notabile, vel impeditur à consecutione boni notabilis, vel officii aut beneficii, quo dignus est, si hoc prævideri potest, aut eo animo deteguntur; & est obligatio hæc damna cum fama restituendi, ex cap. ult. *de injur.* Quia tunc injustè datur causa damni gravis & jactura boni notabilis. Sic Navarrus ait se nosse virum insignitum & probum ab adipiscendo egregio quodam munere impeditum per culpas veniales vanitatis & iracundiæ falsò ei impositas.

Quæst. IV. *An contumelia & detractio differant specie?*

Resp. Affirm. Quia per illas proximus diverso modo & in diversis specie bonis injustè læditur. Imò peccata contumeliæ possunt inter se specie differre, sicut & peccata detractionis, pro diversitate specifica objectorum: sic injusta revelatio adulterii specie differt ab injusta manifestatione furti. Unde qui uno sermone de eodem dicit eum commisisse furtum, adulterium, & homicidium,

tri-

triplex specie peccatum detractionis admittit, & qui eumdem contumeliosè compellat furem, adulterum & homicidam, tria peccata contumeliæ admittit specie distincta. *Azor*. Nam peccata sumunt speciem ab objecto; unde specie diversa su t si habeant objecta specie moraliter diversa.

Quæst. V. *An & quando auditor detractoris peccat mortaliter?*

Resp. 1. Hortari, incitare alterum ad inchoandam, vel continuandam gravem detractionem, v. gr. approbando exteriùs dicta, addendo de suo, item scienter præbendo occasionem detrahendi, v. g. interrogando de aliorum defectibus, significando id sibi gratum fore, &c. ex communi sententia, est mortale tum contra charitatem ratione scandali, & inductionis ad peccatum; tum contra justitiam. Quia talis est causa moralis detractionis injustæ, aut saltem ei moraliter cooperatur, & sic tenetur ad restitutionem in defectum detractoris. *Si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire: unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus cui detrahitur; non minùs peccat quàm detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit, detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 72. art. 4.

Resp. 2. Auditor, qui lætatur detractione gravi, licèt non inducat ad detrahendum, nec incitet ad continuandum, nec exteriùs sibi placere significet, ex communi sententia peccat mortaliter tum contra charitatem, quia lætatur gravi damno proximi, tum affectu contra justitiam, quia gaudet de actu injusto: nam *digni sunt morte non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, ad Rom. 1. Non tenetur tamen ad restitutionem, quia non est causa damni; peccatum enim contra justitiam non parit obligationem restitutionis, nisi ex eo secutum sit damnum. Equidem tenebatur illud impedire, sed solùm ex charitate, non ex officio, ut suppono.

Resp. 3. Auditor detractionis gravis, licèt ad eam non inducat, nec ea lætetur, nec libenter audiat ex curiositate, secundùm communem sententiam peccat mortaliter contra charitatem, non impediendo dum impedire potest, aut non obsistendo, nisi prudenter putet monitionem suam inutilem fore, aut metuat grave aliquod damnum; perinde ac non impediens furem bona proximi auferentem, cùm potest impedire. Quia secundùm omnes, teste Delugo, ex lege charitatis quisque graviter tenetur impedire grave damnum, si sine gravi incommodo, seu damno proprio potest: nam quisque ex charitate tenetur amare proximum sicut seipsum, & ei facere quod sibi rationabiliter fieri vellet in simili casu. Hinc illud, Eccli. 28. *Linguam nequam noli audire*. Et illud Prov. 24. *Cum detractoribus non commiscearis; quoniam repentè consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis novit?* Imò juxta Delugo, si damnum proximi sit gravissimum & irreparabile, teneris impedire cum aliquo gravi tuo incommodo.

Porrò cùm auditor detractioni non potest resistere, tenetur tamen, saltem si commodè potest, discedere, vel sermonem alio avertere, vel faciem tristiorem ostendere. Nam hoc pacto impeditur continuatio detractionis, aut saltem minuitur detractoris fervor, ex Prov. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*. Et tunc saltem est tacita improbatio peccati, & virtualis correptio. Tenetur autem quisque damnum proximi, & offensam Dei impedire, quantùm moraliter potest.

Resp. 3. Dum proximo infertur calumnia, cujus falsitatem nosti, teneris ejus falsitatem aperire, ac probare quantùm potes. Quia ex charitate teneris impedire grave damnum proximi, quando sine gravi tuo incommodo potes. Quòd si tuum silentium in talibus circumstantiis æquivaleat tacitæ confessioni delicti, seu defectus falsò impositi proximo, ut fit dum ille est tibi notissimus, & tamen ejus innocentiam non pandis, peccas contra justitiam. Nam tunc moraliter censeris consentire & fateri rem ita esse ut refertur; & ita facis contra jus quod proximus habet, ne ullo modo, etiam tacitè, approbetur & confirmetur calumnia sibi illata; estque tunc tacita calumnia, seu calumniæ confirmatio & approbatio, contra justitiam, obligans ad restitutionem. Sic si quis Romæ de tuo concive tibi notissimo coram te dicat eum esse ignobilem, spurium, injustum, &c. & ipse contrarium sciens taceas, eo ipso videris consentire, & fateri ita esse. *Delugo*.

Resp. 5. Si superior subditum detrahentem famæ alterius etiam non subditi, non impediat nec coerceat, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem famæ, in defectum subditi. *Ita Lessius, Delugo, & alii*. Quia superior tenetur ex officio, ideòque ex ju-

justitia subditos suos corrigere, à peccato cohibere, & impedire ne alios injustè lædant, unde si non impedit cùm potest, meritò censetur causa injusta damni. Quòd si subditus absente superiore detrahat, tunc superior ex officio tenetur cogere subditum ut restituat famam: nam tenetur ex officio compellere subditum ne perseveret in injuria alteri inferenda: perseverat autem in injuria, eamque continuat subditus, qui non restituit famam à se læsam, cùm potest. Hinc pater, dominus, prælatus, &c. tenentur ex justitia impedire detractiones, & cogere subditos detrahentes ad restitutionem.

Dixi etiam *Prælatus*, seu superior regularium; quia Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare, etiam in ordine ad bonum commune aliorum civium, sicut dominus tenetur gubernare suos servos, & curare ne inferant damna aliis civibus. Ei enim, qui est caput politicum, tribuuntur & imputantur damna à subditis illata, si non impediat. *Ita Delugo*. Et à fortiori quivis superior ac prælatus tenetur ex justitia impedire subditum detrahentem alteri suo subdito: nam ex officio & justitia tenetur ab omni damno subditos suos tueri, si possit: quia non solùm est rector suorum subditorum, sed etiam judex & custos, qui ex suo munere, ideòque ex justitia tenetur impedire damna suorum subditorum.

Nota. Jure naturali non licet librum famam proximi lædentem, & crimina vera sed occulta sine causa justa pandentem legere, perinde ac audire detractionem: nam crimini authoris libri quodam modo consentit, aut cooperatur lector, ut auditor detractioni. Præterea quisque rationabiliter vellet ut liber contra ejus famam injustè scriptus, à nemine legeretur.

Quæst. VI. *An audita, lecta vel alia quælibet referens absque asseveratione peccat?*

Resp. 1. Qui audita vel lecta refert eo modo, vel nominatis iis authoribus, ut audientes meritò possint induci ad opinandum, vel suspicandum grave malum de proximo, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. Quia est causa injusta gravis damni seu mali proximi, nempe malæ opinionis, vel suspicionis; nam dat aliis sufficientem causam malè opinandi, hoc ipso quòd eo modo refert audita, ut alii meritò inducantur ad malè opinandum.

Resp. 2. Qui audita refert sine causa coram iis, quos probabile est crediturus ex sola levitate vel malitia, quamvis non eo modo referat ut meritò credi possent, peccat mortaliter, non solùm contra charitatem, ex qua quisque tenetur impedire malum proximi saltem cum facilè potest, sed etiam contra justitiam, & sic tenetur ad restitutionem, saltem si non sint publica. Nam rectè censetur causa injusta gravis damni, cùm sine justa causa ponat id, ex quo probabiliter prævidet secuturum grave damnum proximi; & proximus habet jus, ne in tali circumstantia, seu cum suæ infamiæ periculo audita referantur.

Præterea talis est causa, ut alii peccatum proximi norint, ideòque est causa, ut fama alterius apud tales amittatur. Idem dic, si ex ejus narratione gravis mali suspicio auditoribus verisimiliter suboritura sit, ut vulgò saltem accidit, ob infirmitatem hominum, qui faciliùs mala quam bona de proximo opinantur. Talis enim suspicio est grave malum saltem respectu personæ honestæ.

Resp. 3. Qui audita refert eo modo, & in iis circumstantiis, ubi constat auditores non esse credituros, nec ullum esse periculum infamiæ, neque malæ suspicionis, aut dubitationis de probitate proximi (quod rarò contingit,) non peccat mortaliter, imò nec venialiter, si adsit justa causa referendi, quia tunc nullum damnum nec periculum damni creat.

Quæst. VII. *An crimen proximi quod publicum est in aliquo loco, licet detegere in alio, ubi ignoratur, vel in eodem?*

Nota 1. Crimen dicitur publicum seu notorium tripliciter. 1. Publicitate juris; dum de eo constat per publicam judicis sententiam, vel per confessionem rei, aut convictionem in judicio, seu legitimum testium testimonium. 2. Publicitate facti, cùm in loco publico coram multis patratum est, ita ut nulla tergiversatione celari possit, nec ullo juris suffragio excusari. 3. Publicitate famæ, quando fama criminis ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas de communitate, ut spectatis circumstantiis, impossibile sit moraliter, quin perveniat ad notitiam majoris partis communitatis, seu civitatis, pagi, parœciæ, collegii, vel monasterii.

Nota. Crimen notum majori parti unius communitatis particularis, v. gr. collegii, monasterii, non censetur publicum absolutè & respectu omnium, sed solùm respectivè ad

ad illam communitatem, v. gr. collegium, monasterium, &c. Quare si notum sit solùm collegio, monasterio, non censetur publicum extra illud, nec sine injustitia potest narrari iis qui non sunt de illo. Quia talis publicitas non est absoluta, sed restricta ad illos, cum quibus monasterium communicat in regula & regimine. Sic peccata solùm publica inter domesticos non possunt narrari iis, qui non sunt de familia. Item peccata publica in religione aliqua non possunt revelari externis: nam religiosus infamis tantùm apud suos, retinet jus ad famam apud externos. Item si in vicinia dumtaxat notum sit crimen, est contra justitiam illud revelare aliis partibus amplæ civitatis, vel locis in quibus criminosus famam hactenus illæsam retinet. Ita Layman, dicens hanc esse communem doctrinam.

Resp. 1. Ex communi sententia, non est contra justitiam revelare in quovis loco crimen alicubi notum per sententiam judicis, publicè denuntiatam, in qua nominetur reus. Quia per hanc sententiam reus privatur jure ad famam pro omni loco: nam judex habet jus spoliandi absolute reum fama, sicut & vita, in vindictam publicam criminis, & reipsa spoliare intendit, quando eum publicè condemnat, ut cæteris ubique sit in exemplum & terrorem; datque omnibus facultatem illud divulgandi: & ideò nocentes puniuntur in media luce & coram populo.

Delictum tamen in una religione publicum etiam per sententiam judicis regularis, injustè extra eam revelaretur. Quia ex mente ferentis sententiam ipsa non est lata pro publica notitia aliorum, sed solùm pro privata suorum subditorum, alioqui bono communi religionis perniciosa esset.

Resp. 2. Est mortale contra charitatem crimen alterius alicubi publicum, etiam per sententiam publicam judicis, detegere sine justa causa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, si author criminis erat ibi bonæ famæ. *Ita Lessius asserens hanc esse ferè communem sententiam.* Quia proximo infertur sine justa causa grave malum graviter contristativum, nempe infamia, quod ipse detegens nollet rationabiliter sibi fieri in pari casu, contra illud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nec refert quod ille jus ad famam jam amiserit; nam illam absque injuria & fraude adhuc possidebat, & possessurus erat in eo loco. Si tamen fama communis crimen sic publicum brevi erat perlatura in locum ubi revelasti, non peccas mortaliter contra charitatem, illud antea aperiendo: quia fama brevi justè destruenda non magni æstimatur, nec proinde illius damnum censetur magnum.

Dico, *justè*: nam qui crimen, quod injustè divulgandum erat, prior divulgat, peccat mortaliter, & tenetur compensare damna, sicuti is qui prior incendit domum, prævidens injustè brevi incendendam ab aliis. Nam qui prævenit in injuria, prævenit in obligatione, quæ contraheretur ab aliis, & quæ necessariò annexa est injuriæ damnosæ.

Resp. 3. Si crimen quantumvis publicum non sit verum, est mortale contra justitiam illud nescienti aperire. *Ita Layman, Delugo, & alii.* Quia innocens per infamationem injustam licèt publicam, non amittit jus ad famam: Nam jus illud fundatur in carentia criminis, vel ignorantia publica veri criminis; ac proinde non potest sine injuria diffamatio ejus ad plures propagari. Et verò innocentem infamare, etiam apud unum, per se malum & injustum est, atque mendacium perniciosum.

Resp. 4. Est mortale contra justitiam, crimen verum, sed solùm notum per confessionem rei in judicio, vel testium testimonium, divulgare in loco, ubi nondum de eo publicè infamatus est. *Est communis sententia, teste Layman.* Quia reus adhuc retinet jus ad famam, cùm nondum eo in pœnam sit privatus per authoritatem publicam; & nondum crimen publicum est in ordine ad populum; sed illis duobus modis dicitur notorium solùm in ordine ad judicem, ut ab eo condemnari possit. Quare nequidem in eo loco licet illud divulgare, nisi ibi jam infamia de illo laboret, ut sæpe contingit.

Resp. 5. Juxta multos mortale est contra justitiam crimen verum in uno loco publicum sola publicitate facti, vel famæ, divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura. *Ita Adrian. Tolet. Sot. Rebell. Valentia, Molina, & alii.* Quia author criminis alibi illæsam habet famam, & per talem notitiam non amisit jus ad famam in aliis locis; neque enim ille censetur famam abjecisse respectivè ad alia loca; neque jure ad illam privatus est per authoritatem publicam in pœnam criminis. Fatentur tamen licere ob bonum publicum referre in historiis delicta publica defunctorum, quamvis infamia ad alia loca deferatur, tum ut notitia rerum publicè gestarum habeatur, tum ut homines timore infamiæ perpetuò duraturæ à criminibus deterreantur.

Dixi.

Dixi. *In alio loco*. Nam ex communi sententia, non est contra justitiam, nescientibus revelare crimen alterius in loco ubi de eo publicè infamatus est. Quia is in illo loco jus ad famam, sive jus secreti amisit per publicitatem, cui causam dedit, committendo crimen in multorum conspectu, vel dando multis indicia, per quæ crimen multis innotescit & divulgatur. Addit Delugo ad bonum publicum expedire quòd unusquisque ab aliis cognoscatur qualis revera publicè est. Neque etiam hæc revelatio mortalis est contra charitatem, quia ex ea non sequitur grave damnum proximo, eùm ibi jam sit publicè infamatus: nec potest rationabiliter id multùm molestè ferre, cùm famam ipse suam in eo loco abjecisse censeatur, crimen publicè committendo.

Quòd si crimen verum factum sit injustè publicum, ut si eùm esset secretum, aliqui pluribus illud revelarint. Delugo negat peccare contra justitiam eum qui illud aliis ejusdem loci nescientibus detegit. Quia tunc solùm est contra justitiam manifestatio criminis, quando jus habet proximus ne infametur, ejusmodi autem jus nullum habet in prædicto casu; nam totum jus proximi fundatur, vel in carentia talis criminis, vel in eo quòd sit occultum; uterque enim hic titulus dat jus: prior quidem absolutè & universaliter, posterior verò saltem ut non narretur absque necessitate: utroque autem titulo cessante, nullum manet jus. Cùm ergo sive justè sive injustè verum crimen factum est publicum, ablatum est fundamentum totum juris impedientis ne detegatur, eùm & verum sit, & publicum jam sit, undecumque publicitas illa provenerit, modò non oriatur ex confessione sacramentali.

Resp. 6. Si is, qui olim ob sua crimina infamis fuit, famam honestè vivendo recuperavit, mortale est contra charitatem illa crimina nescientibus narrare, vel revocare in memoriam. Quia sine justa causa ei infertur grave damnum ac malum, quod narrans in simili casu nollet rationabiliter sibi inferri. Imò est contra justitiam, si crimen non fuit publicum per sententiam judicis. Quia sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur; ita bonis moribus infamia facti tollitur, & fama bona recuperatur cum jure ad illam. *Ita Toler. Azor, Molina, Reginald. Delugo, Layman, & alii*. A fortiori est contra justitiam, si inde detur occasio opinandi eum adhuc esse improbum, etiamsi per sententiam justè olim infamatus sit, nam habet jus ad famam illam, quam postea bene vivendo sibi comparavit, & quam justè possidet.

Item est mortale contra justitiam crimen alterius, quod facto vel fama duntaxat publicum fuit, sed jam sola oblivione deletum, narrare nescientibus, vel reducere in memoriam. Quia talis jus habet ad famam pro tempore, quo crimen suum desiit esse publicum: nam per oblivionem reducitur res ad eum statum quem habuit, antequam esset publica. Ergo sicut res antea, dum erat occulta non poterat revelari; ita nec potest, quando redit ad priorem statum, & rursus induit naturam rei occultæ. *Ita Delugo*, qui excipit crimen publicum per sententiam publicam; quia facultas illud divulgandi orta ex sententia publica adhuc irrevocata, perseverat donec publica authoritate infamia tollatur. Sed saltem id erit contra charitatem.

Quæst. VIII. *An eum, qui uno aut altero crimine infamis est, liceat de aliis infamare?*

Resp. 1. Si illa alia crimina sint ordinariè conjuncta cum graviori crimine, quod jam publicum est, ita ut non censeatur notabiliter augere infamiam, non est peccatum saltem mortale illa detegere iis qui jam principale norunt. Quia non censetur nova infamia saltem gravis inferri, aut prior graviter augeri; ut si narres de ebrioso publico eum non rectè curare rem familiarem, rixari cum uxore, &c. De fornicario publico, quod scripserit litteras amatorias, &c.

Dixi, *graviore*. Nam mortale est contra justitiam aperire crimen atrox ei, qui novit minùs grave, licèt ejusdem speciei, verbi gratia: Si dicas Paulum furtipuisse mille nummos, cùm alter sciat eum tres solùm furatum esse: quia tunc graviter & injustè augetur ejus infamia.

Imò potest esse gravis injuria detegere peccata ejusdem speciei multiplicata, ut si semel aliqua femina adulterium notorium commisit; non ideo postea licebit aliud ejusdem adulterium occultum patefacere: nam relapsus multùm auget infamiam. *Delugo*.

Resp. 2. Si crimina illa non sint connexa, ex communi sententia, est mortale contra justitiam illa detegere, præsertim si sint alterius generis. Quia graviter & injustè læderetur ejus fama, sive injustè infertur ei nova infamia gravis: nam qui infamis est in uno genere vitii, non idcirco censetur infamis in omnibus aliis vitiis: diversorum enim vitiorum diversa est infamia, & alia major, alia minor. Quare qui amisit jus ad famam

in

in una virtute, non ideò jus amisit ad famam in altera virtute. Sic potest quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi justus in contractibus, fidelis uxori, &c. Fama quippe non est quid simplex & indivisibile, sed constat diversis quasi partibus, quarum una potest haberi sine alia. Quare sicut potest quis habere unam partem famæ, licèt non habeat alias, ita potest retinere jus ad unam partem famæ, licèt non retineat ad alias.

Hinc est contra justitiam, furis capite damnati adulterium occultum prodere, &c.

Notat Delugo totum hoc desumendum esse ex damno novo, quod circa famam fit; an judicio prudentum sit grave, vel leve.

Quæst. IX. *An licet aliquando revelare crimen occultum alterius?*

Nota. Certum est id numquam licere, si crimen innotuit solùm per confessionem sacramentalem, vel si talis revelatio cedit in detrimentum publicum. Sed extra hos casus.

Resp. 1. Ex communi sententia, revelatio criminis occulti fieri potest & debet, quando necessaria est ad avertendum grave damnum communitati, aut privato innocenti impendens, sive spiritale, sive temporale. Quia nocens non habet jus retinendi famam cum gravi damno, quod inde alteri injustè obveniret: nam bonum commune & privatum innocentis præferri debet bono privato nocentis. Et charitas obligat ad impediendum damnum communitatis, vel privati innocentis, cùm impediri potest; nec alter tunc censetur rationabiliter invitus, cum adsit justa causa, ob quam debeat famæ suæ jacturam pati. Ob eamdem rationem idem tibi licet, si hoc necessarium sit ad avertendum tuum grave damnum injustum, etiam temporale.

Manifestatio autem criminis occulti alterius non est detractio nisi cùm est inordinata. Sed quæ fit ob justam & rationabilem causam & sine animo nocendi, est ordinata: nam detractio formalis, quæ semper intrinsece mala est, solùm fit cùm proximi defectus aut crimen revelatur, vel sine justa causa, vel ex intentione illum infamandi. Imo ex S. Thom. quæst. 70. art. 1. ad 2. homo tenetur manifestare ea, quæ sibi sub secreto commissa sunt: *Si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.*

Hinc quando agitur de officio, beneficio ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de religione suscipienda; potes & debes occulta impedimenta, incapacitatem vel vitia alterius, unde aliquod grave damnum meritò timetur, detegere iis, ad quos id spectat, sed non pluribus; & illi tenentur sic audita non referre aliis. Sic tibi licet monere amicum, ut in famulum non assumat Petrum, nihil aliud initio allegans, quam quod ei non convenit, sed postea dicere esse furacem si amicus persistat velle eum assumere, nisi causam repellendi norit. Item licet monere alterum, ut vitet consortium hominis, quem certò nosti esse corruptis moribus, ne ipse pervertatur; vel ut sibi caveat ab homine injuriis dedito. Sic Apost. 2. ad Timot. 4. monet: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit ..... quem & tu devita.*

Item talis revelatio fieri debet, cùm necessaria est ad bonum spirituale delinquentis, ut si fiat superiori, parentibus, servato quantùm opus est ordine fraternæ correctionis: quia bonum spirituale animæ anteponi debet famæ. *S. Basil. in reg. brev. resp. ad interrog.* 5.

Resp. 2. Licet injuriam sibi ab alio factam referre ad petendum consilium necessarium, non nominata persona nisi ad consilium opus sit, modò non pluribus referatur, quam necesse sit: quia tunc injurians non est rationabiliter invitus, & læsus habet jus consilium necessarium in injuriis acceptis quærendi. Non tamen licet ad solatium præcisè seu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam sibi factam, nominata persona: quia iniquum est gravem infamiam proximo inferre sine justa & gravi causa, quale non est solatium illud, quod non est bonum tanti momenti, nec necessarium, cùm verum solatium possit sine infamatione proximi obtineri, scilicet confugiendo ad Deum, qui est *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 2. ad Cor. 1. Et verò si non licet furari pro solatio suæ gravis miseriæ, cur liceret detrahere pro solatio doloris?

Resp. 3. Si quis fictis virtutibus, vel simulata peritia famam sibi comparavit, licet aperire hanc simulationem, si ea vergat in alicujus damnum grave: ut si quis simulet se peritum medicum, advocatum, &c. & constet non esse talem. Quia is non habet jus famam in errore fundatam retinendi cum aliorum damno vel periculo. Quod si simulatio virtutis vel doctrinæ nemini nocere possit, est contra justitiam eam detegere: nam quamdiu hypocritæ malitia est occulta & nemini nocet, jus habet ne positivè existimetur malus: detegendo autem hypocrisim, facis ut positivè existimetur malus.

Quæst. X.

Quæst. X. *An est mortale detrahere defuncto in re gravi?*

Resp. Affirm. Etiamsi ejus infamia ad alios non redundet. *Ita omnes*. Quia defunctus retinet jus ad bonam opinionem, quam habet apud homines; & censetur etiam post mortem possidere famam suam, per quam vivit in memoria hominum. Ergo eam auferendo, infertur ei grave damnum injustum; fama enim etiam post mortem magni æstimatur ab hominibus, & ideo ejus intuitu res maximè arduas aggrediuntur. Hinc illud, Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni.*

Quare est obligatio restituendi famam defuncto sive ante, sive post ejus mortem injustè læsam. Nam injusta ademptio boni proximi obligat ad restitutionem. Nec hanc remittere potest hæres, quia jus remanet defuncto, qui damnum injustè patitur.

Quæst. XI. *An liceat seipsum infamare?*

Resp. 1. Ex communi sententia, laudabile est se ipsum infamare, veritatem aperiendo sine scandalo, vitæ periculo, & aliorum injuria aut damno, ad coercendam superbiam ac vanam gloriam, ad acquirendam humilitatem, ad imitandum Christi opprobria, ut fecerunt quidam Sancti. Quia homo est dominus suæ famæ, & honestè eam bono majori postponit. Si id faciat sine justa causa, erit per se loquendo venialis culpa, quia est quædam inordinatio & prodigalitas. Non est tamen, per se mortalis; quia nec est contra justitiam; cùm homo sit dominus suæ famæ: nec contra charitatem; quia charitas non obligat ad bona temporalia externa comparanda vel conservanda, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia, vel ad vitam temporalem nostram aut proximi conservandam.

Resp. 2. Ex communi sententia, est mortale contra charitatem seipsum infamare, aut cum scandalo proximi, vel etiam proprio, ut si inde fias ad peccandum effrænatior; aut cum periculo vitæ propriæ, ut si dicas te violasse thorum alterius: nam est mortale dare alteri occasionem graviter peccandi, & prodigere id, cujus dominium non habes. Item si infamia tua impediat ne possis prodesse proximo, cui ex sola charitate prodesse teneris.

Imò est etiam contra justitiam, si propria infamia redundet ad alios, ut ad ordinem religiosum, si sis religiosus; quia cùm fama tua sit connexa cum fama aliorum, non potest lædi fama tua quin etiam fama illorum lædatur. Si autem jus habent ne sua fama spolientur sine gravi & justa causa, quod jus tunc violas. Item si fama tua sit necessaria ad bene & utiliter gubernandos alios, ut si sis episcopus, parochus, prælatus, &c. Nam ex justitia teneris nihil facere quod impediat, ne rectè & utiliter aliis munus tuum exequaris: cùm tenearis ex justitia illud rectè & utiliter aliis obire.

Quæst. XII. *An liceat contumeliam illatam repellere?*

Resp. Sic respondet S. Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 3. *Dicendum quòd sicut patientia necessaria est in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparationem animi habenda, sicut August. lib. de Sermone Domini in monte exponens illud præceptum Domini: Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & aliam, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit: non tamen hoc semper tenetur facere actu; quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cùm suscepit alapam, dixit: Quid me cædis? Et ideò etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet secundùm illud* Proverb. 26. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas?*

Quæst. XIII. *An & quomodo restituenda est fama?*

Resp. 1. Est obligatio justitiæ ex genere suo gravis restituendi famam injustè læsam sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine justa causa verum, sed occultum defectum, vel crimen. *Ita omnes*. Quia tunc illata est vera injuria damnosa, quæ proinde tolli ac resarciri debet, jus enim quod quisque habet ad famam, auferri ob crimen etiam verum sed occultum & jam nemini nociturum nequit nisi per authoritatem publicam. Adde quòd bonum commune exigat, ut defectus vel crimina occulta non detegantur sine necessitate aliqua: aliàs læderetur pax ac tranquillitas publica, & tolleretur maximum frænum vitandi postea alia crimina, quod est famæ

famæ bonæ conservatio, & quo sublato in desperationem & quodvis flagitium facile ruit humana fragilitas.

Resp. 2. Fama injustè ablata restitui debet integrè apud eos omnes, apud quos ablata fuit. Nam justitia exigit ut damnum injustè illatum resarciatur integrè, & fiat restitutio ad æqualitatem; alioqui injustitia non tolleretur totaliter, & remaneret inæqualitas. Hinc qui publicè infamavit, tenetur famam publicè restituere. *Restitutio* (inquit S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 2.) *est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideò restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Cùm ergo conservare Justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.*

Resp. 3. Qui alium infamavit, falsum crimen imponendo, ex communi sententia tenetur illud efficaciter revocare, & adhibere omnem moralem diligentiam ut falsa illa opinio ex animis hominum evellatur. Unde tenetur auditoribus apertè significare voce, vel scripto si necesse sit, se falsum dixisse, aut etiam mentitum esse si opus sit, adhibito etiam juramento & testibus, si aliter non putentur crediturі, quamvis idcirco ipse sit infamandus. Quia tenetur efficaciter resarcire injuriam illatam, ac proinde adhibere media ad id necessaria; & suæ culpæ imputare debet, quod sibi imposuerit tale onus.

Qui autem verum alterius crimen, vel defectum injustè revelavit, non debet dicere se falsum dixisse, quia mentiretur; quod numquam licet: neque enim sunt facienda mala ut eveniant bona; sed debet apud rudes dicere se perperam locutum fuisse, talem injustè infamasse, ei injuriam intulisse: apud peritos verò qui ex ejusmodi locutione magis confirmarentur in opinione admissi criminis, debet (quantùm fieri potest sine mendacio) infamatum laudare in aliis virtutibus apud eos, coram quibus detraxit, ut quantùm in una virtute amisit opinionis bonæ, tantum in aliis acquirat, & sic fiat quædam compensatio; item eum honorare, vel quovis alio modo ingenerare bonam opinionem de eo. *Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & justè, putà cùm aliquis crimen alterius prodit ordine debito servato, & non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injustè: & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injustè, puta cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantùm potest, sine mendacio tamen; utpote quòd dicat se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit.* Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 2.

Sed qui libro famoso alterum injustè infamavit, tenetur restituere famam contrariis scriptis, vel publica revocatione: alioqui restitutio non esset efficax, & proportionata damno.

Resp. 4. Qui falsum, vel verum crimen alterius injustè revelavit, tenetur ex justitia reparare famam non solùm apud eos omnes apud quos eam abstulit, sed etiam apud alios omnes quibus hi postea idem retulerunt, saltem in eorum defectum, si prævidit vel prævidere potuit eos, apud quos detraxit, rem propagaturos. *Est communis sententia.* Quia tunc detractor fuit causa injusta ulterioris infamiæ secutæ ex illius injuria, & voluntariæ in illa. Quare ab Immediatis auditoribus quærere tenetur, an idem aliis retulerint? Imò etiamsi probabiliùs putasset auditores immediatos audita non relaturos esse aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum. Quia tunc adhuc dedit injustè occasionem illi ulteriori infamiæ: nam homines etiam aliàs prudentes facilè data occasione, ex inconsideratione, vel aliter audita narrant. *Qui autem occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. ult. de injur.

Quæst. XIV. *An qui crimen falsum alteri imponit, vel verum, sed occultum injustè detegit, tenetur omnia alia damna sive in corpore, sive in aliis bonis inde secuta resarcire?*

Resp. Affirm. *Est communis & certa sententia.* Prob. 1. Ex cap. ult. de injur. ubi Gregor. XIII. ait: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet.* 2. Quia est obligatio resarciendi omnia damna secuta ex injuria mortali: qui enim hanc intulit, est causa injusta damnorum inde secutorum: idque verum est, etiamsi crimen sit verum, sed occultum. Nam qui illud injustè manifestavit, est causa moralis injusta damnorum, hæc enim secuta non fuissent sine tali manifestatione injusta criminis.

Hinc qui defectum seu crimen sive verum sive falsum injustè aperiendo impedivit alterum à consecutione optimi matrimonii, vel officii, aut beneficii quo dignus est, tenetur ei restituere quanti spes illius obtinendi

di valet arbitrio prudentis, cùm injustè impediverit. Quòd si infamatus ideò privatus sit officio, vel alio bono quod jam habebat, restitui debet valor officii vel talis boni, quia detractor fuit causa injusta jacturæ boni jam acquisiti. Imò qui proximum in vitæ periculum conjicit, falsum crimen ei affingendo, tenetur ex justitia retractare etiam cum propriæ vitæ periculo. Nam in pari causa & discrimine potior est conditio innocentis quàm nocentis, qui est culpabilis causa periculi; & ideò quivis tenetur damnum à se alteri injustè paratum impedire cum suo damno saltem pari & paulò majori.

Quæst. XV. *An tenetur ad restitutionem, qui falsò sed bona fide putans crimen esse verum & publicum, illud narravit?*

Resp. Quia innocentem licèt inculpatè infamavit etiam correctionis causa, ubi primum errorem suum deprehendit, tenetur ex justitia famam ejus restituere, & avertere damnum ex infamia imminens. *Est commu nis sententia, teste Delugo.* Quia 1. justitia quemlibet obligat ad curandum ne ex sua actione sequatur damnum aliis sine justa cau sa. 2. Tenetur ratione rei acceptæ seu famæ ablatæ, sicut qui bona fide accepit rem alienam, tenetur eam restituere ubi primùm id agnovit. Fama autem ex natura rei manet in potestate ejus à quo ablata est. Item causa fuit damni dati, & est in potestate ipsius eam auferre & impedire ne ulterius illud continuetur. 3. Non restituendo quodam modo detines famam proximi, dum in mente alterius malam opinionem à te injectam relinquis, quam potes evellere.

Hinc si fueris in mora restituendæ famæ, & interea damnum in aliis bonis infamato eveniat, teneris adhuc illud resarcire. Quia ex illo tempore, quo tuum errorem deprehendisti, & potuisti sine tuo gravi incommodo restituere, censeris causa injusta infamiæ ut perseverantis, seu detentionis famæ, & damnorum ex tua omissione injusta secutorum. Præterea qui causam damni à se positam non removet, censetur velle effectum seu damnum, quod ex ea secuturum novit. Secùs, si infamatus, sine infamatoris culpa patiatur aliquod damnum antequam infamator errorem suum agnoverit, nam tunc non tenetur illud resarcire, cùm sit inculpabilis causa infamiæ, ideòque & damni inde secuti: nemo autem extra contractum aut quasi contractum, seu officium tenetur resarcire damnum, quod sine sua culpa voluntaria alteri sequitur.

Sed quid si me narrante de aliquo publicè infamato, auditores alium intelligant?

Resp. Si periculum fuit ne auditores alium intelligerent, teneris ex justitia etiam cum pari damno ad restitutionem. Tunc enim meritò censeris causa moralis infamiæ ex tua narratione secutæ. Si non fuit tale periculum innocentem purgare, si potes, saltem sine gravi incommodo, teneris, tum ex charitate, quæ semper exigit ut grave damnum proximi avertamus quoties sine gravi incommodo possumus, tum ex justitia, quæ obligat ad curandum ne ex nostra actione sequatur aliis damnum sine justa causa. *Molina, Delugo, &c.*

Quæst. XVI. *An hæres detractoris tenetur ad restitutionem famæ à defuncto violatæ?*

Resp. Neg. Quia hæc obligatio non respicit bona ei relicta, sed est merè personalis. At tenetur ex justitia resarcire damna realia ex infamia secuta. Nam obligatio resarciendi damni in rebus illati afficit bona infamatoris; & hæc bona cum suo onere transeunt ad hæredem, defuncti personam repræsentantem, qui sicut in bona ac jura, item in onera ac debita realia defuncti succedit.

Quæst. XVII. *Quænam excusant à restitutione famæ?*

Resp. Excusat 1. Condonatio valida talis restitutionis facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios: nam cùm talis sit dominus suæ famæ, potest ejus restitutionem sicut aliorum bonorum externorum validè condonare. Illicitè tamen condonaret, si ejus fama necessaria esset ad ædificationem proximi, vel ad tollendum scandalum, tunc enim peccaret contra charitatem.

In tribus autem casibus non potest validè condonari restitutio famæ. 1. Si infamia tua redundet in alios, qui inde maneant infamati vel suspecti: quia non potes de aliorum fama disponere, & cedere jus quod habent ne infamia eis inferatur, & ut illata tollatur. Talis est infamia religiosi, quæ redundat in suum ordinem, &c. 2. Si fama tua necessaria sit ad rectam muneris tui administrationem, nisi officium deponas, vel aliter famam tuam apud alios recuperes. Nam subditi habent jus, ut munus tuum erga illos rectè ac utiliter exerceas, ideòque ut tollatur impedimentum ortum ex tua infamia. 3. Si ex tua infamia secuturum est damnum alicui tertio; nam infamator tenetur ex justitia impedire illud damnum, cum ei causam injustè dederit, ac proinde tenetur

tol-

tollere infamiam tuam, ex qua obventurum est, nisi tamen aliter amoveatur.

2. Excusat, si fama sit aliunde recuperata, putà per sententiam judicis, vel per rei evidentiam, vel per testes, aut aliter. Quia jam sublatum est totum damnum illatum: ergo nihil manet resarciendum; perinde ac si equum tibi surreptum casu recepisses. Potest tamen infamator condemnari per judicem ad aliquam satisfactionem etiam pecuniariam in pœnam criminis. Sed si non accusetur apud judicem, tenetur tantùm ad satisfaciendum per signa doloris, petitionem veniæ, vel honorem aliquem secundùm conditionem personarum, ob mœrorem illatum, & infamiam quam passus est læsus donec sublata fuerit, si putetur talem satisfactionem velle. Damna autem in aliis bonis ex infamia secuta, compensari semper debent. Calumniator tamen tenetur semper revocare calumniam, non obstante sententia judiciaria accusatum absolvente; quia per illam sententiam non sufficienter restituta est fama apud omnes: multi enim existimant & existimare possunt accusatum fuisse absolutum ob defectum probationum criminis, non vero ob ejus falsitatem.

3. Si restitutio sit impossibilis, nam nemo tenetur ad impossibile; ex reg. jur. in 6.

4. Si revera nulla fuit infamia ex detractione secuta, ut si audientes jam antea sciebant quod narrasti, vel illud non crediderunt: quia tunc nullum damnum secutum est, ergo nullum est resarciendum. Si tamen tua narratione infamia proximi notabiliter aucta est, aut si auditores inducti sunt ad judicandum malum de proximo, quod antea tantùm suspicabantur, teneris ad restitutionem: quia tunc fuisti causa injusta talis incrementi, seu damni.

5. Si restitutio fieri nequeat sine periculo vitæ infamatoris, quæ judicio prudentum præstat famæ infamati. Quia non est obligatio restituendi cum longè majori damno, spectatis omnibus, nec tunc læsus est rationabiliter invitus. Si tamen ex tua calumnia impendeat infamato aut aliis damnum grave in spiritualibus, vel periculum vitæ, aut grave scandalum, aut grande malum publicum, teneris cum periculo vitæ famam restituere. Nam ista damna æquivalent, aut etiam præstant damno vitæ infamatoris. Idem dic, si jactura famæ, vel aliorum bonorum tanti, vel ferè tanti ex circumstantiis æstimetur, quanti jactura vitæ tuæ: nam quisque tenetur damnum à se illatum restituere etiam cum æquali, vel paulò majore detrimento suo. A fortiori fieri potest, ut quis famam restituere teneatur cum jactura bonorum omnium.

6. Juxta multos non teneris restituere, si crimen verum occultum quod aliis narrasti fiat alia via justa publicum publicitate qua infamatus amiserit jus ad famam.

7. Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit ne reviviscat: quia tunc infamia jam est abolita, ac proinde damnum sublatum. Sed si reviviscat postea, erit tunc obligatio restituendi. Si autem periculum sit ne aliquando infamia reviviscat, (ut facilè fieri potest, nam homines data occasione facilè recordantur quæ obliti erant) debet detractor satisfacere pro illo periculo, honorando, laudando infamatum, imò & dicta revocando, si crimen sit falsum.

Quæst. XVIII. *An in restitutione famæ potest fieri compensatio?*

Resp. 1. Est mortale contra justitiam falsum crimen sive in judicio, sive extra illud imponere etiam calumniatori ad suam justitiam, vel famam tuendam. *Est communis sententia, teste Delugo.* Quia 1. est medium intrinsecè malum, & prohibitum hac lege, *Non falsum testimonium dices*, Matth. 19. estque mendacium perniciosum ac injustum in re gravi: nam quisque habet jus, ne ei ob ullam causam falsum crimen affingatur. Hinc Concilium Arelatense I. & II. & Matiscon. I. & alia Concilia jubent excommunicari generaliter eos, qui falsum crimen objiciunt aliis. 2. Innocentius XI. damnavit has propositiones. 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam & honorem defendat: Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Resp. 2. Non licet infamantem infamare, narrato etiam vero crimine præcisè ad compensandam infamiam illatam. *Est communis sententia.* Quia non licet privata authoritate malum pro malo reddere, & vindictam exercere. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrariò benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam*, 1. Petr. 3. Est autem mera vindicta; quan-

quando quis privâta authoritate infert damnum, per quod proprium damnum non impeditur, vel acceptum non resarcitur, ut cùm infamia alterius non tollit tuam infamiam: sic non licet incendere domum ejus qui tuam incendit: Hinc qui se mutuò infamarunt, tenentur ad restituendum sibi mutuò famam, nisi sibi mutuò condonent, ut præsumitur, si æqualitas sit in infamia.

Resp. 3. Si quis te falsò infamet, ex communi sententia potes aliquem ejus defectum vel peccatum verum occultum detegere ad labefactandum ejus testimonium, v. gr. quòd antea fuerit deprehensus in mendacio, perjurio, modò hæc manifestatio sit utilis & necessaria ad famæ tuæ defensionem, nec majorem ei infamiam pariat, quàm sit ea quam tibi injustè parat. Quia 1. quisque habet jus tuendi propriam famam, quam alter vult injustè adimere; nec ille est tunc rationabiliter invitus, cùm cogat læsum ad hoc medium necessarium. 2. Potes detegere crimen alterius ad impediendum grave damnum proprium vel proximi: ergo multò magis id potes ad avertendum damnum quod ipse criminosus tibi parat injustè inferre.

Illicita tamen est defensio immoderata propriæ famæ, ut si majorem infamiam alteri inferas ad tuam minorem avertendam: nam esset inæqualitas, ideoque injustitia resarcienda.

Quòd si manifestatio alieni criminis non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem, sive quia potes eam aliter tueri, ut testibus, juramento, &c. sive quia hæc revelatio ad tuam defensionem inutilis est; tunc illud detegendo peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Nam ille habet jus ad famam, quamdiu ejus infamia non est necessaria ad infamiam quam tibi injustè infert amovendam: & sine injusta causa læderetur fama proximi, quod est intrinsecè malum: essetque mera vindicta. *Sanchez, Molina, Delugo, Lessius dicens hanc esse communiorem sententiam.*

Resp. 4. Dum duo se mutuo infamarunt, & infamia utriusque æqualis est, si unus nolit famam alteri restituere, juxta multos alter non tenetur ad restitutionem, modò infamia prioris non redundet in alios. *Prob.* 1. Ex cap. ult. *de adulter.* ibi: *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur.* 2. Quia in rebus temporalibus, quando jura sunt paria, si alter nolit tibi servare jus & solvere debitum, nec tu teneris præstare quod ei debes: est enim quædam justa defensio tui juris, & compensatio boni tibi debiti. Fama autem est bonum temporale, cujus domini sumus; unde uterque potest ob infamationem mutuam alter alteri restitutionem famæ condonare. Qui tamen priùs læsisset, tenetur ad restitutionem talis excessus infamiæ, alioqui non reduceretur æqualitas. Item si altero volente tibi restituere, tu nolis idem ei præstare, peccas graviter contra justitiam; quia es causa damni quod is invitus patitur. Neque enim infamatio tui tollit infamiam ei illatam.

Quæst. XIX. *An qui infamiam à se injustè illatam tollere nequit, tenetur pecunia compensare?*

Resp. Multi negant, eo quod bona superioris ordinis nequeant restitui per bona inferioris ordinis; ac proinde tunc sit impotentia restituendi. Nam, inquiunt, justitia commutativa, quæ æqualitatem spectat ac postulat, non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit vel in se vel in æquivalenti saltem ex parte. Sed fama utpote bonum superioris ordinis ad pecuniam, non potest reddi in æquivalenti etiam ex parte per pecuniam, alioqui bonum inferioris ordinis posset tandem per sui incrementum exæquare ex toto bonum superioris ordinis, ac proinde pecunia totam famam, contra illud, Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Igitur cùm fama sit supra omne pretium, non est pretio æstimabilis, nec compensabilis.

Alii tamen cum S. Thoma 2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 1. & 2. probabiliùs docent talem teneri compensare pecunia, vel piis suffragiis pro infamato oblatis, vel aliter arbitrio prudentis, propter easdem rationes, ob quas dicunt pecuniam pro damno vitæ vel membri restitui debere. *Vide dicta*, part. 2. cap. 6. quæst. 6.

Fatetur Lessius infamatorem teneri ex quadam æquitate & etiam ex charitate infamiam pecunia compensare, si infamatus sit pauper, qui non videatur aliter mœrorem depositurus, & infamator sit dives. Sicuti enim ratione alicujus conjunctionis vel beneficii accepti lex charitatis me magis obligat erga hunc, quàm erga alium: ita etiam ratione alicujus incommodi, quod alteri intuli, magis teneor erga illum. Sed videtur hæc esse obligatio justitiæ: nam ex justitia depelli debet mœror injustè illatus, & in hoc casu pecunia est unicum medium aptum ad eum tollendum.

Porrò consentiunt omnes infamatorem, si per

si per judicem condemnetur ad satisfactionem pecuniariam, teneri ex justitia illam præstare. Quia supposita tali injuria judex habet jus eum ad talem satisfactionem condemnandi in pœnam criminis, & dandi læso jus ad illam; idque etiamsi fama esset recuperata: nam judex potest justa pœna punire delicta etiam post damna sarta. At quisque tenetur justæ sententiæ parere. Item si infamator transigat certa pecuniæ summa cum infamato, tenetur ex justitia eam tradere; nam hoc pactum est justum, cum infamatus possit certa pecunia pacisci, ut cedat jus quod habet ad accusandum infamatorem, & exigendam satisfactionem ac restitutionem cùm erit possibilis. Justæ autem conventiones obligant ex justitia.

Quæst. XX. *An honor per contumeliam læsus restitui debet, & quomodo?*

Resp. 1. Qui injustè alterius honorem læsit sive coram aliis, sive coram ipso solo, ex communi sententia tenetur ad restitutionem. Quia fecit injuriam contra justitiam commutativam; & contumelia parit imminutionem dignitatis, & dolorem ac mœrorem, quæ per satisfactionem tolli debent. Nam secundùm æstimationem hominum per contumeliam læditur, & imminuitur dignitas: dum enim aliquem contumelia afficis, ejus dignitatem lædis, eamque quantum in te est, viliorem reddis.

Item qui causam offensionis dedit proximo, tenetur quantùm potest ipsum placare, & se ei reconciliare, ex Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo ... Esto consentiens adversario tuo citò, &c.*

Quòd si honor coram aliis læsus sit, debet apud illos omnes restitui, alioqui honor injustè ablatus non restitueretur ad æqualitatem. Si tamen læsus vindictam sumpserit de inhonorante, v. gr. si eum percusserit, & hic id toleraverit, secundùm Delugo non requiritur ordinaria ulterius satisfactio pro honore, nisi læsus sit multò superior. Quia pro satisfactione videtur acceptare vindictam de se sumptam; & hoc ipso quod alter vicissim non vindicat, censetur agnoscere suam culpam, & testari existimationem de læso. Deberetur tamen alia reparatio honoris apud alios testes injuriæ, qui de hac vindicta sumpta nihil rescirent.

Resp. 2. Si simul cum contumelia illata sit

infamia, vel ex illa sequatur aliquod aliud damnum, tunc etiam cum fama resarciri debet damnum illud, quia lædens est illorum causa injusta.

Resp. 3. Ea adhiberi debet satisfactio, quæ prudentum judicio, spectatis omnibus circumstantiis, personæ lædentis & læsæ dignitate, injuriæ gravitate, &c. sufficit ad reparandum honorem violatum: nam justitia obligat ad satisfactionem æqualem offensæ, &c.

Varii autem assignantur satisfaciendi modi, scilicet exhibitio externa honoris, amica & honorifica salutatio ac compellatio, invitatio ad mensam, locum honorificum ibi dando; significatio doloris, veniæ petitio, & alia signa doloris, humiliationis & reverentiæ erga offensum, &c. Raro autem superiores tenentur veniam à subditis petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, ait S. Aug. epist. 109. Sed contumeliam ostensione majoris benevolentiæ & peculiari honore ac favore tollere possunt.

Nota. Omissio honoris debiti superioribus vel etiam æqualibus, est peccatum non solum contra observantiam, sed etiam contra justitiam, ideòque obligat ad aliquam satisfactionem. Quia hoc debitum rigorosum est; & omissio honoris debiti ubi & quando debetur, est inhonoratio ac contumelia interpretativa: nam per illam censetur lædi dignitas superioris, & honor æqualis: ut si transeunte prælato, non aperias caput cæteris aperientibus, censeris eum contumelia afficere.

CAPUT V.

De injuriis in bonis quæ dicuntur fortunæ, & necessaria restitutione.

NOta. Injuriæ circa bona fortunæ complectuntur omnes damnificationes, seu actiones & omissiones, quibus damnum in ejusmodi bonis injustè alteri infertur, sive rem ejus usurpando, recipiendo, detinendo, sive destruendo, sive deteriorando, sive exigendo id quod non debetur, sive non solvendo id quod ei debetur ex justitia, sive quovis alio modo. Quæ omnia sub nomine furti latè sumpti comprehenduntur: & prohibentur præcepto, *Non furtum facies*, Ex Conc. Colon. & Catech. Romano. *A parte enim totum significavit quidquid illicitè rerum proximi aufertur*, ait S. August. in cap. *Pœnale* 14. quæst. 5. Et verò inferre quocumque modo damnum alteri, idem est, quod

quidpiam ab ipso auferre. Nam (ut ait Aristoteles,) damnum quempiam accipere idem est quod minùs habere quàm habere debuit. Quare quæ dicentur de furto strictè sumpto, applicanda sunt omnibus aliis modis creandi damni proximo.

Quæst. I. *Quid est furtum & rapina, & quomodo differunt inter se?*

Resp. 1. Furtum sumitur tripliciter. 1. Latissimè pro omni injusta damnificatione in bonis, sive commissione, sive omissione fiat. 2. Late pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive ea sit fraudulenta ut fit per contractus iniquos, sive occulta ut fit per furtum strictè dictum, sive violenta, ut fit per rapinam. 3. Strictè, & furtum sic sumptum est occulta rei alienæ ablatio invito rationabiliter domino, vel ejus justo detentore.

Dicitur. 1. *Ablatio*, per quam intelligitur occupatio, acceptio & retentio: nam acceptio, & accepti retentio moraliter censetur eadem actio: qui enim rem alienam iniquè retinet, licèt eam antea justè acceperit, perinde facit ac si tunc primò injustè acciperet. *Detinere id quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta: & ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 3. ad 2.

2. *Occulta*, hoc est, quæ fit domino nesciente, vel saltem quam quis intendit facere domino nesciente, & sine vi.

3. *Rei*, quo nomine à Theologis intelliguntur non solùm res corporales & mobiles, sed etiam res immobiles & jura, ut census, servitutes, usus ac possessio.

4. *Invito Domino*, seu sine consensu domini saltem prudenter præsumpto. Nam si quis acciperet aliquid, quod prudenter judicat donaturum dominum, si peteret, & nequit petere, non furatur, ex l. 47. §. *de furt.* Si autem id incertum sit, præsumendus est dominus invitus, cùm nullus præsumatur velle ut bona sua auferantur.

5. *Rationabiliter*. Nam dominus debet esse cum ratione invitus: unde qui in extrema necessitate accipit occultè ex quibus indiget ad vitam servandam, nec aliter potest ea habere, non est reus furti.

6. *Vel ejus detentore*, seu possessore. Nam furtum committitur quoties aufertur res invito eo qui eam legitimè possidet vel detinet, ut conductore, commodatario, &c. Ex l. 10. & 11. §. *de furt.* Quia tunc aufertur usus, possessio, vel securitas, quam alter per illam rem habebat.

Resp. 2. Rapina est rei alienæ usurpatio injusta & violenta, seu facta præsente & invito domino vel ejus detentore justo. Specie differt à furto, quia injustitiæ furti superaddit aliam injuriæ speciem contra proximi honorem: nam vim inferre alicui in bonis suis species quædam est contemptus & contumeliæ. Quare rapina cæteris paribus est peccatum gravius furto. Imò fieri potest ut quis mortaliter peccet in genere contumeliæ, licèt res ablata sit materia furti venialis, ut si rem exiguam superiori vel personæ illustri per vim eripias.

Porrò rapinæ reus est, qui per metum injustè incussum aliquid ab altero extorquet: ut si publici ministri, vel potentes viri aliquid indebitum postulent ab aliis, quod rogati ob metum recusare non audent, estque crimen concussionis. Nam ipsis interiùs renitentibus vim inferunt, dum exteriùs reluctari non audent.

Quæst. II. *Quomodo dividitur furtum?*

Resp. Dividitur in simplex, & qualificatum, quod scilicet secundùm leges est dignum majore pœna, quodque quadruplex est. Primum est sacrilegium, quod est furtum rei sacræ, vel rei prophanæ in loco sacro. 2. Est Peculatus, quod est furtum rei ad fiscum vel ærarium publicum pertinentis. 3. Plagium, quod est surreptio servi alieni, vel etiam hominis liberi. 4. Abigeatus seu abductio alienorum pecorum.

Quæst. III. *Quale peccatum sunt furtum, & quævis justa damnificatio, & rapina?*

Resp. Sunt mortalia ex genere suo: ita omnes. Constat, 1. Ex 1. Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare .... Neque fures .... neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 2. Quia sine justa causa & authoritate inferre damnum proximo est tum contra charitatem, tum contra justitiam: quæ virtutes obligant sub mortali in re gravi. *Quàm grave scelus furtum sit, ipsa natura vis & ratio satis ostendit; est enim justitiæ contrarium, quæ suum cuique tribuit*, ait Catechismus Concilii Tridentini.

Dixi, *Ex genere suo*: quia furtum potest esse veniale ex parvitate materiæ: nam per furtum rei levis leve damnum infertur proximo, nisi inde sequatur aliud malum.

Quæst. IV. *Quænam quantitas requiritur, ut furtum, vel quævis alia damnificatio in rebus externis sit mortalis?*

Nota. 1. Furtum rei levis potest esse mortale per accidens ratione damni inde secuti

aut

aut lucri cessantis: ut si acum fureris sartori, qui non possit aliam habere, & ideò uno vel pluribus diebus operas suas perdat; tunc pecces mortaliter, non quidem peccato furti strictè dicti, cùm non surripias aliquid notabile, sed peccato damnificationis injustæ, quæ proprio nomine caret: nam per ablationem acus es causa injusta cur sartor damnum grave patiatur: est autem mortale contra justitiam, creare alteri grave damnum sine justa causa. 2. Ratione scandali, ut si scias ideò alterum blasphematurum: nam mortale est sine justa causa facere id ex quo prævidetur alter mortaliter peccaturus. 3. Ratione gravis mœroris, quem concipit dominus ex furto rei levis propter affectum ad illam: tunc enim graviter peccas saltem contra charitatem, ex qua tenemur impedire grave damnum proximi, quando facilè possumus; licèt illud irrationabiliter eventurum sit. Sed hìc quæritur quænam materiæ quantitas per se requiratur ad mortale, secluso omni alio.

Nota 2. Quantitas per se requisita ad mortale peccatum in furto & quavis alia damnificatione injusta, debet esse gravis, vel absolutè, vel respectivè: nam ablatio rei levissimæ, puta oboli; non potest esse mortalis per se, cùm sit levis læsio proximi & leve malum. Quantitas autem gravis absolutè est ea, quæ secundùm se & respectu omnium est notabilis, & parit utilitatem notabilem: ideòque ejus ablatio privat notabili utilitate; & sic infert damnum notabile, & consequenter reddit dominum cum ratione graviter invitum. Quantitas gravis respectivè est ea, quæ est notabilis relatè ad facultatem, conditionem & indigentiam certarum personarum, spectatis omnibus circumstantiis: sic quantitas aliqua levis respectu divitis, censetur gravis ac notabilis respectu pauperis ratione illius inopiæ. Hinc Marc. 12. Christus ait viduam pauperem, quæ duo minuta dederat, plus, spectata scilicet ejus penuria, dedisse, quàm divites, qui multa præbuerant.

Resp. Quantitas gravis absolutè, ideòque sufficiens ad mortale respectu omnium, etiam regum, est ea quæ exæquat valorem sexaginta assium seu trium librarum. Nam talis summa secundùm se spectata, est notabilis, & parit utilitatem notabilem. Nec levis est etiam respectu regis, spectatis omnibus ejus oneribus, ad quæ sustinenda non parum juvat: ex ea enim rex potest uno die decem vel duodecim milites alere, qui vitam suam pro illo exponunt, vel unum militem per multos dies. Igitur cùm talis valor in ordine ad usus humanos sit magnus in se, nec contemnendus, ejus damnum meritò censetur magnum absolutè & respectu cujuslibet vel ditissimi, quem privat facultate disponendi de bono secundùm se notabili, nec parum utili; & sic talis valoris damnum est notabile secundùm se ac ratione boni ablati. Adde quòd si tale furtum non prohiberetur graviter, daretur occasio multis illud patrandi; unde sequeretur gravissimum damnum principibus. Imò multi Doctores minorem quantitatem ad mortale assignant etiam respectivè ditissimorum.

Quantitas verò gravis respectivè ad conditiones personarum & sufficiens ad mortale, quadruplex est; nimirum respectu divitis est circiter triginta asses; respectu mediocriter divitis viginti asses: respectu artificis non pauperis duodecim asses, vel quantùm ei valet merces operæ diurnæ; respectu pauperis sex asses, vel id quod singulis sufficit ad victum diurnum. Nam unaquæque hæc summa respectu singulorum meritò censetur notabilis, & singuli præsumuntur in his esse cum ratione graviter inviti: enim verò: talis summa est respectu singulorum pretium laboris haud levis, & illis sufficit ad victum diurnum, & non exiguam ipsis parit utilitatem, atque ejus privatio incommodum non leve. Et verò victus diurnus secundùm communem existimationem, est quid notabile: ergo quantitas ad eum necessaria, est etiam notabilis.

Nota. Cùm quantitas materiæ furti mortalis non possit mathematicè statui, sed tantùm moraliter; qui regi surriperet summam designatam excepto uno vel altero asse, censebitur peccare mortaliter, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; ac proinde quæ parum distant, nihil distare censentur.

Quæst. V. *An & quando peccatur mortaliter per minuta furta?*

Resp. 1. Ex communi sententia, qui per plura parva furta uni vel pluribus facta intendit acquirere quantitatem notabilem, peccat mortaliter cum illa intentione; quia volitio furandi rem notabilem, seu inferendi damnum notabile, mortalis est: nam est volitio peccandi mortaliter, & actus voluntatis participat totam malitiam objecti. Tum etiam quovis furto levi ex illa intentione procedente; quia singulis vicibus aufert rem parvam cum intentione mortali auferendi magnam. Quod autem fit ex intentione mortali, quamvis in se leve sit, est peccatum mortale: actus enim imperatus à voluntate par-

participat malitiam interioris actus imperantis: nam cum illo constituit unum moraliter actum totalem, estque illius executio. Supposita tamen tali intentione, multa illa furta continentur facta, unum sunt furtum mortale: quia manant ab uno eodemque proposito efficaci, non interrupto & virtualiter permanente. Sed si interruptè fiant, tunc multiplicantur actus voluntatis mortaliter mali. Item peccat mortaliter qui rem levem semel furatur cum voluntate furandi magnam, si ea occurreret, quia habet volitionem furti mortalis.

Resp. 2. Qui sæpe minima furatur sine animo auferendi rem notabilem, sed tantùm ex occasione data accipit successivè quantitatem notabilem, vel damnum notabile paulatim & successivè infert, peccat mortaliter per ultimum furtum, vel damnum rei de se levis, ubi advertit se per illud quantitatem notabilem complere. *Est communis sententia*. Prob. non solum quia tunc incipit detinere alienum in notabili quantitate, ut docet communis sententia, sed etiam ratione ipsius acceptionis, ut docet saltem communior. Nam, tunc scienter accipit usque ad notabilem quantitatem, & hac ultima acceptione notabile damnum infert. 2. Qui vult & ponit complementum damni notabilis proximi, eo ipso vult damnum notabile proximi. Sed qui vult damnum notabile proximi, peccat mortaliter. Ergo. Et verò si quis decem furtis parvis surripuit novem asses artifici, & videns, si adhuc tres furetur, quantitatem fore notabilem, & damnum grave respectu illius; certè eo ipso quod vult furari & furatur tres asses, vult saltem interpretativè quantitatem quam surripuit, esse notabilem; & damnum quod intulit, esse grave. Sed qui hoc vult, peccat mortaliter. 3. Hæc ultima acceptio licet de se levis, prout conjuncta moraliter cum aliis prioribus, complet ablationem rei gravis, revera gravis est, ac proinde mortalis: sicut retentio ultimæ partis licèt de se levis, tamen quatenus cum retentione aliarum jam acceptarum, complet retentionem gravem, est gravis ac mortalis retentio. Itaque licet levia furta præterita non uniantur moraliter cum hoc ultimo in ratione peccati, uniuntur tamen ratione materiæ & damni illati: multæ enim leves materiæ & multa levia damna inter se moraliter uniuntur, & aliquid grave constant. Hanc autem totam materiam gravem censeris velle per ultimum furtum illam complens, quo volens injustè retinere multas materias leves, adhuc accipis unam cum aliis prioribus aliquid grave constituentem: sicque vis omnes illas simul sumptas, ideòque grave damnum alterius.

Hinc famuli & ancillæ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, si per plura furta levia etiam circa esculenta & poculenta, quantitatem sufficientem ad mortale compleant, quamvis juxta multos requiratur major quantitas in esculentis & poculentis quæ ipsimet consumunt, quàm in iis quæ aliis donant. Idem dic de liberis, licèt circa illos multi requirant majorem quantitatem quàm circa famulos; quia, inquiunt, parentes sunt minùs inviti.

Imò secundùm Rebell. Sanchez, Delugo, Bonac. & alios, quodlibet furtum leve factum post completam materiam est mortale. Quia toties adest voluntas saltem implicita augendi prius damnum grave, quod reipsa augetur; & toties completur voluntas habendi materiam gravem, partim retinendo, partim addendo novam; ac proinde quodlibet furtum subsequens est executio talis pravæ voluntatis.

Resp. 3. Qui per furta minima quantitatem notabilem implevit, ex communi sententia tenetur sub mortali quàm primùm restituere: quia alioqui esset iniquus detentor rei alienæ, seu alteri debitæ notabilis, & læderet jus alterius in re gravi. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Resp. 4. Tota hæc doctrina de levibus furtis vera est, etiamsi fiant diversis personis, quarum singulæ seorsim sumptæ damnum dumtaxat leve patiantur, ita ut 1. quodlibet ejusmodi furtum cum animo quid notabile acquirendi, sit mortale. *Ita communiter*. Tum quia graviter & generaliter damnantur in Scriptura omnes, qui utuntur ponderibus vel mensuris iniquis, licet ex tali usu sæpe leve dumtaxat damnum singulis obveniat, Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor ... Abominatur enim Deus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam*. Et, Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum ...... & pondus æquum voluntas ejus*. Tum quia quodlibet fit cum voluntate mortali, seu peccandi mortaliter: nam mortale est velle furari alienum in magna quantitate, cùm hoc graviter prohibitum sit, & ma-

& materia sit gravis. Praeterea haec ratio damni creandi nocet graviter societati humanae: unde meritò censetur graviter prohibita jure naturali: nam alioqui singuli à diversis possent grave damnum accipere, & daretur ansa artes ac labores honestos negligendi, nam citra mortale quilibet posset ditescere per minuta illa furta diversis facta.

2. Licet plura levia furta ac damna fiant diversis sine intentione acquirendi aliquid notabile, sed tantùm ex occasione data, tamen ultimum furtum, seu damnum de se leve, sed complens quantitatem notabilem est mortale. *Ita Turrian. Valentia, Sanchez, & alii multi*. Quia licèt quantitas sit levis respectu singulorum, quibus fit furtum, nec proinde singulis inferatur grave damnum; est tamen notabilis respectu communitatis, seu multitudinis eorum. Ergo fur ultimo furto levi complente quantitatem notabilem, vult, & infert damnum notabile illius communitati seu multitudini eorum; & vult habere & habet alienum in magna quantitate. Et verò multis inferre damnum parvum, perinde est, inquit Lessius, ac si uni inferas magnum; nam omnia illa parva simul juncta efficiunt unum magnum, quod est communitatis, quae tali summa posset aliquem notabiliter juvare.

3. Est obligatio sub mortali sic accepta restituendi quamprimùm: nam alioqui injustè retineretur res aliena notabilis, & notabile damnum injustè illatum continuaretur. Quòd si restitutio fieri moraliter nequeat singulis, quibus subtracta est res levis, aut illatum leve damnum: vel quia ignorantur ii singuli, vel quia executio difficilior est quàm res tantilla postulet, vel quia periculum est infamiae; tunc restitutio fieri debet pauperibus communitatis damnificatorum, vel in alia pia opera eidem loco utilia: nam hoc videtur consentaneum justae voluntati illorum. Secus, si quis sit modus restituendi ipsis laesis vel majori illorum parti, v. gr. vendendo eisdem civibus postea in majori mensura, vel minuendo pretium: quia laesus habet jus ut damnum sibi restituatur, dum restitui ei potest.

Nota. Secundùm multos ad mortale requiritur major quantitas in furtis parvis, quae fiunt pluribus quàm quae uni: quia damnum divisum in plures censetur minus. Iidem Doctores communiter aliquando plùs requirunt in furtis levibus ad mortale constituendum, quàm in uno furto gravi, quando inter furta illa parva intervallum magnum intercedit. Quia dominus minùs graviter cum ratione invitus est, & minus damnum censetur, quàm si simul eadem quantitas surriperetur. Unde exigunt quantitatem paulò majorem in illis furtis minutis, ut quantitas censeatur notabilis in ordine ad constituendum mortale, quàm in uno furto gravi. Certè si non adeo magnum sit intervallum, non requiritur ad materiam gravem major quantitas, dum paulatim accipitur, quàm dum simul: nam tunc illa ejusdem est aestimationis, & damnum aeque magnum infertur.

Quaest. VI. *An quando plures uni per levia furta grave damnum inferunt, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, licèt singuli parum accipiunt?*

Resp. 1. Si id communi consilio, vel auxilio, vel concursu fiat, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem in solidum: nam singuli consentiunt in totum damnum, & ad illud totum moraliter cooperantur. Hinc si multi milites vineam ingressi, communi consilio, vel auxilio notabile damnum inferant; quilibet miles peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem in solidum, licèt duos tantùm racemos carpsisset.

Resp. 2. Si id casu fiat, ita ut alter alterius non sit conscius, sed quilibet seorsim, & independenter ab alio leve damnum inferat, ignoretque damnum ab aliis illatum, vel inferendum; tunc nullus peccat mortaliter; & singuli tenentur solùm sub veniali restituere partem damni à se illati. Quia tunc singuli non sunt causa physica aut moralis damni notabilis, nec in illud ullatenus consentiunt; unde quòd damnum notabile ex singulorum furtis simul sumptis sequatur, est omninò per accidens & praeter intentionem singulorum.

Resp. 3. Si advertant notabile damnum inferendum per minuta furta; & tamen aliquid leve singuli accipiant, sed sine communi consilio & auxilio, ita ut nullus sit alteri suo exemplo vel hortatione causa furandi, quilibet peccat solùm venialiter, & tenetur tantùm ad restitutionem levis damni quod infert: quia quilibet non est physica, vel moralis causa damni gravis, sed dumtaxat levis. Damnum enim leve per suum furtum intulit, & non fuit aliis causa nec occasio furandi, ut supponitur; nec consilio, auxilio, aliave ratione cooperatus est moraliter damnis ab aliis illatis. Nec unum furtum ratione solius cognitionis aliorum conjungitur moraliter cum illis in ordine ad constituendum unum damnum grave imputabile singulis: nec quilibet tunc vult

vult interpretativè damnum notabile proximi, ac illud consentit. Quia quilibet non cooperatur moraliter gravi damno, & per accidens ac præter cujusque intentionem est quod suum furtum cum aliis grave damnum physicè constituat.

Quæst. VII. *An fur acquirit dominium rei furtivæ?*

Resp. Neg. Si ea discerni possit à rebus propriis: quia ad transferendum dominium requiritur justus titulus, ex l. 31. §. *de acquir. rer. domin.* qui hic deest. Idem dic de usuris; quia ex hac lege nunquam nuda traditio transfert dominium, nisi præcesserit venditio aut justa causa. Cùm autem, *instit. de rer. divis.* dicitur traditione rei transferri dominium, hoc intelligitur de traditione rei cum justo titulo, qui alibi lege requiritur. At traditio usuratum est sine justo titulo seu causa justa: nam ratione mutui nihil licet accipere, nec illæ liberaliter ac sponte donantur; sed sunt bonum alienum domino invito ac sine justo titulo acceptum & retentum, perinde ac pecunia à latrone extorta. Hinc qui bona fide res alienas à fure vel usurario accepit, tenetur eas restituere vero domino, ubi primùm id rescierit: nam *nemo plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet*. Leg. 54. §. de reg. jur.

Si autem fur vel usurarius res furtivas vel usuras suis rebus permiscuerit, ita ut ab his discerni nequeant, & ipse habeat animum acquirendi sibi totum cumulum, earum dominium juxta multos acquirit, ex instit. de rer. divis. & l. 78. §. de solut. ibi: *Si alieni nummi inscio vel invito domino soluti sunt, manent ejus cujus fuerunt. Si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri qui accepit, in libris Cassii scriptum est, ita ut actio domino cum eo qui dedisset furti competeret*. Sed lex illa non loquitur de mixtione mala fide facta. Et, institut. loco citat. id relinquitur arbitrio judicis. Illud certum est remanere tunc obligationem restituendi earum valorem, & compensandi omnia damna ob injuriam illata. Ex communi autem sententia fur & usurarius fiunt domini pretii accepti ab emente bona fide rem aliquam alienam, sed cum prædicta obligatione, ex l. 49. §. *de furt.* ibi: *Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse nemini dubium est. Nummus ergo qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus.* Quare si hac pecunia fur aliquid emat, v. gr. pannum, venditor fit dominus talis pecuniæ, nec tenetur illam restituere, cùm sit furis: sed fur manet obligatus ad restitutionem. Imò fur aliquid emens pecunia furtiva, rei emptæ dominium acquirit, ex *l. penult.* Cod. *Si quis alteri vel sibi, &c.* Venditor verò non fit dominus pecuniæ furtivæ, nisi quando illam cum propria miscuit, ita ut ab illa discerni nequeat, l. 78. §. *de solut.* Ratio est, quia fur non habet dominium rei furtivæ sicut alter contrahens rei suæ: ergo non potest illud æque transferre. Præterea hoc ita statutum est legibus; nec est iniquum, quia pro eo quòd rei alienæ venditor fit dominus pretii, ipse vicissim emptori de evictione obligatus manet.

Quæst. VIII. *An liceat occultè recipere rem suam apud alium extantem?*

Resp. 1. Qui occultè accipit rem suam apud alium justo titulo, v. gr. pignoris, locationis, commodati extantem, peccat contra justitiam, & tenetur rem illam reddere, & resarcire damnum, si quod inde evenit. Quia injustè alium privat usu juris, quod in illam rem habebat, scilicet juris securitatem ex ea percipiendi, vel ea utendi. Qui autem rem suam apud alium depositam furtim accipit, peccat; quia (ut ait S. Thom. quæst. 66. art. 5. ad 3.) gravat depositarium, & sic tenetur ad relevandum hoc gravamen; ipsum monendo, vel depositum reddendo.

Resp. 2. Qui occultè accipit rem suam apud alium sine justo titulo extantem, & quam potest alia ratione, puta per judicem recuperare, peccat contra justitiam legalem: quia violat juris ordinem. Sed non tenetur ad restitutionem; quia res illa sua est, & alter nullum jus in illam habet. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 4. ad 3. ibi: *Qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet; (& ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum) sed peccat contra communem justitiam, juris ordine prætermisso. Et ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam ut scandalum proximorum, si inde ortum fuerit, sedetur.* Talis autem non peccaret, si alia ratione, nempe petitione, vel judicis authoritate, vel sine magnis sumptibus rem suam recuperare non posset, modò absit scandalum, & moneatur injustus detentor (si fieri potest) nihil jam debere.

Quæst. IX. *An uti liceat occulta compensatione?*

Nota. Occulta compensatio est, cùm inscio eo qui tibi debet, accipis vel retines privata authoritate ex ejus bonis ea, quæ tibi certò debet ex justitia.

Resp. 1.

Resp. 1. Non licet officialibus reip. opificibus, operariis, famulis & ancillis, &c. aliquid surripere, eo quòd putent stipendium, de quo convenerunt, esse justo minus. Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod acceperunt.* 2. Nunquam licita est compensatio, nisi debitum sit certum, quod hic non contingit. 3. Agerent contra pactum: nam consenserunt in pretium minus. 4. Nihil eis debetur ex justitia ratione laboris & operarum, nisi pretium de quo conventum est, licet sit infimum, ex Matth. 20. *Non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?* Quòd si constaret pretium illud, de quo convenerunt, esse minus infimo, tamen fieri potest ut illorum opera non sit magis utilis domino, qui illos noluisset acceptare sub majore pretio. An autem hoc ita se habeat, non ipsorum, sed domini est judicare. 5. Non invenerunt alios, qui plùs dare voluerint. Ergo illud est justum pretium: nam justum pretium est illud quod communiter homines solvunt: non enim plùs valet res, vel opera, quàm id quod communiter pro ipso inveniri potest. Denique si id liceret, aperiretur via innumeris furtis: nam isti sibi facilè persuaderent stipendia esse justo minora, essentque judices & executores in propria causa etiam dubia ac incerta. Hinc sartores peccant contra justitiam, si retineant fragmenta panni, fila setica, &c. ut sic compensent sibi mercedem quam putant satis magnam non solvi; & tenentur ad restitutionem. Idem de aliis, qui laborant in materia aliena.

Resp. 2. Concurrentibus certis conditionibus licita est occulta compensatio. *Est communis sententia.* Quia jure naturali cuique licet indemnem se servare citra alterius injuriam. In occulta autem compensatione licita nemini fit injuria: nam occulta compensatio neque est contra justitiam commutativam, cum nulla injuria infertur debitori nolenti solvere: ipse enim ex justitia tenetur tantumdem dare, & creditor accipit id quod ex justitia suum esse debet; estque justa defensio ab injuria, qua creditorem continuò vexat debitor, injustè retinendo id quod ei ex justitia debet. Ergo debitor non potest esse rationabiliter invitus quoad substantiam; sed nec quoad modum; quia creditorem excusat necessitas, & impotentia aliter accipiendi solutionem. Neque est contra justitiam legalem & publicam potestatem: nam supponitur judex vel nolle vel non posse rem debitam creditori adjudicare.

Conditiones autem necessariæ ad licitam compensationem hæ sunt.

1. Ut certum sit rem illam nunc actu debitam esse ex justitia. Nam si id incertum esset, non liceret quidquam surripere: quia in dubio & in casu incerto melior est conditio possidentis; & iniquum est pro debito incerto certam solutionem propria authoritate sumere, atque exponere se periculo accipiendi rem alienam sibi non debitam. Neque id licet, si res non esset debita ex justitia, sed solùm ex gratitudine, quia debitum ex gratitudine non est rigorosum, nec ullum parit jus ad rem, nec est circa aliquid determinatum, sed pendens ex libera voluntate alterius. Defectus hujus conditionis continet peccatum injustitiæ obligans ad restitutionem: quia tunc fit injuria cum damno.

2. Ut creditor non possit rem suam vel sibi debitam alia ratione, puta petitione, vel per judicem obtinere, saltem sine gravi detrimento vel incommodo. Alioqui fieret injuria publicæ potestati, & peccaretur contra ordinem debitum à jure constitutum juxta l. unicam Cod. *Ne quis in sua causa*, ibi: *Generali lege decernimus neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere.* Solus tamen defectus hujus conditionis non obbligat ad restitutionem: quia debitori non est illatum damnum, cùm (ut supponitur) non plus acceptum sit ex ejus bonis, quàm certò debitum erat ex justitia. *Ita S. Antoninus.*

3. Ut creditor non accipiat rem debitoris depositam apud se, vel sibi commodatam, ex l. 11. *Cod. depos.* & l. ultim. Cod. *commodat.* & ex c. ult. de depos. ubi Gregor. IX. ait: *Sanè depositori licuit, pro voluntate sua depositum revocare, contra, quod compensationi, vel deductioni locus non fuit: ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minimè referatur, licet compensatio admittatur in aliis, si causa ex qua postulatur, sit liquida.* Ratio est, quia fieret contra fidelitatem & obligationem depositi, vel commodati, quod maximam fidem postulat, & contra conventionem saltem tacitam restituendi rem domino.

4. Ut accipiatur res in eadem specie, si fieri potest: alioqui debitoris res sine necessitate & ejus consensu, ac proinde injustè permutaretur.

5. Ut fiat sine periculo scandali, & infamiæ propriæ, vel proximi, vel damni ter-

tii, qui putaretur furatus, & cogeretur restituere. Nam quamvis hoc damnum sequeretur per accidens, tenemur tamen ex charitate impedire grave malum proximi, quoties possumus sine nostro gravi damno.

6. Ut fiat sine injuria tertii, qualis esset, si acciperetur res alteri commodata, locata, oppignorata, vel apud eum deposita. Nam iste tertius habet jus rem illam ad suum usum vel securitatem detinendi, aut custodiendi. Item si bona omnia essent hypothecata aliis: nam hi habent jus ex iis solutionem accipiendi cum detrimento aliorum. Vel etiamsi non essent hypothecata, sed non sufficerent aliis debitis solvendis, non potes integram solutionem recipere, nisi hypothecam, vel privilegium habeas: nam alioqui non habes jus ad integram solutionem cum damno aliorum, sed solùm pro rata, cùm alii creditores æque jus habeant ad bona debitoris: quod jus violas, si ex integro debitum recipias, nam aufers aliis id quod pro rata perciperent. His adde ut facta compensatione debitor, si fieri moraliter potest, moneatur nihil jam debere, tum ne permaneat in peccato, existimando se teneri debitum solvere; tum ne ipse, vel ejus hæredes cogantur iterum solvere tuis hæredibus. Quòd si voluerit postea solvere, non debet accipi iterata solutio, vel si nequeat sine infamia recusari, occultè statim restitui debet.

Cùm autem rarissimè omnes istæ conditiones concurrant, rarissimè licita esse potest compensatio occulta. Quamvis autem sit illicita, non tamen obligat ad restitutionem nisi quando injustè illatum est damnum alteri.

Quæst. X. *An liceat in gravi vel extrema necessitate aliena surripere?*

Resp. 1. Non licet in necessitate tantùm gravi alienum surripere. *Prob.* Ex cap. 3. de furt. *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus; pœniteat hebdomadas tres.* 2. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Permissum est furari non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Neque jure naturali, neque gentium id permittitur, cùm in sola extrema necessitate bona sint communia. Imò id debuit jure naturali prohiberi: nam si liceret, pateret via innumeris furtis cum magno societatis humanæ detrimento, ac perturbatione reip. nec homines satis abstinerent ab otio, inertia, vel dilapidatione bonorum.

Resp. 2. In extrema necessitate licet accipere rem alienam necessariam ad vitæ suæ vel suorum conservationem. *Est communis sententia.* Quia in extrema necessitate omnia sunt communia saltem quoad usum. Nam quisque habet jus naturale & obligationem conservandi vitam suam ac suorum per media ordinaria ad hoc ex se ordinata, & à Deo authore naturæ omnibus concessa: qualia sunt bona externa, quorum proinde divisio & proprietas fieri non potuit nisi servato aliis jure utendi illis in extrema necessitate.

In tali necessitate *etiam potest aliquis occultè rem alienam accipere, ut subveniat proxime sic indigenti*, ait S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 7. ad 3. si nempe ex propriis bonis nequeat illi subvenire. Tunc enim surripiens est veluti instrumentum indigentis. Præterea cùm quisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, potest & debet ei subvenire eo modo, quo sibi licitè posset & vellet opitulari in eadem necessitate.

Neutrum tamen licet. 1. Si dominus rei sit, vel foret in pari necessitate. *Ita omnes.* Nam *in pari causa melior est conditio possidentis*, reg. jur. 2. nisi probabibilis spes sit posse te convenienti modo petendo obtinere in quo indiges: quia cùm propria per donationem habere potes, sine necessitate alienum surriperes. Putat tamen Lessius in hoc casu peccare solùm venialiter non petendo; eo quòd non peccetur quoad rem ipsam, sed solùm quoad modum, & dominus debeat esse contentus quoad substantiam.

Qui autem rem alienam etiam magni momenti clam in extrema necessitate surripuit, secundùm multos non tenetur restituere, quando commoda facultas aderit. Quia omnia tunc sunt communia simpliciter & absolutè, cùm bona ad vitæ conservationem à Deo hominibus omnibus concessa sint. Unde S. Thom. ad 2. ait. *Per talem necessitatem efficitur suum id quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Teneris tamen restituere id, quod mutuo accepisti, vel emisti, & in extrema necessitate consumpsisti. Quia consumpsisti rem propriam acquisitam per contractum obligantem ad reddendum æquivalens, & ideo quando res illa perit, tibi qui es dominus actu perit, non alteri qui fuit, sed jam non est ejus dominus. Quare obligatio, quam per contractum contraxisti, per supervenientem necessitatem fuit solùm suspensa, non extincta. Idem dic, si res in necessitate accepta perduret hac transacta, ex cap. *Quod* 1. quæst. 7. Sic qui equum alterius abstulit, ut fuga vitæ consulat, tenetur illum reddere, ubi ex periculo eva-

evasit; quia indigebat solùm usu equi, non ejus proprietate. Item qui magnam pecuniæ summam in extrema necessitate surripuit, tenetur ea transacta, residuum restituere, quia cessante tali necessitate cessat jus ex ea ortum, quod est solùm ad vitæ necessaria. Item si non sis simpliciter & absolutè pauper, sed habeas alibi bona, teneris restituere, quod extra patriam in extrema necessitate surripuisti; quia non licet alienum surripere nisi eo modo quo extrema necessitas urget. At tua necessitas non est simplex & absoluta: ergo non potes quidquam sumere nisi sub conditione restituendi. Præterea non habes plùs juris ad capiendam rem alterius, quàm hic habeat obligationis eam dandi tibi: at tenetur solùm eam tibi mutuare, cùm non sis simpliciter pauper.

Quæst. XI. *Quandonam uxor marito, & maritus uxori injuriam infert in bonis, & tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Ex communi sententia, uxor peccat contra justitiam, & tenetur restituere viro vel ejus hæredibus, si aliquid de bonis dotalibus, vel communibus, vel propriis viri surripiat aut impendat invito rationabiliter marito. Quia injuriam cum damno infert marito: nam is solus in suum commodum habet administrationem dotis, & bonorum communium, quæ scilicet conferuntur initio, vel acquiruntur tempore matrimonii, & proprietatem mediæ partis horum, ut constat ex jure; dominium verò omnium bonorum propriorum, id est, quæ ipse ante matrimonium habebat, & quæ per contractum matrimonii noluit esse communia. Uxor tamen, secundùm communem sententiam, potest de bonis communibus, & fructibus dotalibus accipere quantùm opus est ad suam sustentationem, ad quamcumque familiæ necessitatem, si maritus ea deneget, cùm dare possit; vel ad eleemosynas moderatas faciendas secundùm consuetudinem piarum mulierum ejusdem conditionis & facultatis, nisi vir sufficientes largiatur; vel ad avertendum damnum familiæ aut mariti, ut fecit Abigail, 1. *Reg. cap.* 25. Item si maritus sit prodigus, potest uxor subtrahere bona necessaria ad alendam familiam, & educandos ac collocandos liberos secundùm suum statum. Nam in his omnibus maritus non est rationabiliter invitus, cùm speciali jure teneatur ista præstare, & familiam ac uxorem sustentare, convenienter suo statui, & spectatis facultatibus utriusque. Vir enim debet uxori tanquam sociæ, familiæque matri decentem sustentationem pro qualitate status & quantitate facultatum utriusque; & ideo uxor dedit ei dotem, & insuper præstat subsidium atque operas suas.

Potest etiam uxor ex bonis dotalibus & communibus, si non habeat alia, nec vir dare velit, accipere quantùm opus est ad suppeditandam sustentationem necessariam patri indigenti, vel matri, vel proli propriæ indigenti, si quam habet ex alio matrimonio, modò remaneant necessaria marito & ejus familiæ. Quia ipsa tenetur illis subvenire, & isti jus speciale ab ea petendi alimenta habent, nec vir potest rationabiliter id iniquè ferre. Omnia tamen sic tradita tenetur probabiliter uxor referre in suam partem, dum partitio fiet cum hæredibus viri; quia injustè de alieno subveniret, cum habeat propria: Alii tamen censent uxorem ad hoc non teneri; quia ea lege censentur matrimonia contrahi, ut onera & debita realia quæ superveniunt uni conjugum, fiant quoque debita alterius; & quia inopia parentum, filiorum, uxoris censetur esse inopia ipsiusmet uxoris, cui maritus tenetur subvenire.

Resp. 2. Maritus peccat contra justitiam, & tenetur restituere uxori, vel ejus hæredibus, 1. Si dissipet ejus dotem, cum dotis proprietas sit penes uxorem; vel accipiat aut impendat bona paraphernalia, id est, ea bona quæ uxor non attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia, sed sibi reservavit: nam uxor habet illorum omnium plenum dominium & administrationem, nec proinde vir habet jus ullum de iis disponendi. Idem dic de bonis sibi à marito vel à quovis alio donatis, ut de illis liberè disponat.

2. Si bona communia notabili quantitate, invita uxore prodigè donet, vel in usus malos aut vanos impendat: nam licèt horum administratio sit penes maritum, tamen proprietas mediæ partis illorum ad uxorem jure communi pertinet; ac proinde maritus facit ei injuriam, partem ipsius, ipsa rationabiliter invita, profundens. Unde soluto matrimonio, tenetur maritus, vel ejus hæredes ad restituendum uxori, vel ejus hæredibus. *Ita Lessius, Sanchez, & alii multi.*

Quæst. XII. *An liberi peccant, & tenentur ad restitutionem, surripiendo bona parentum?*

Resp. Liberi qui surripiunt vel impendunt aliquid notabile ex bonis parentum, vel ex bonis, quorum dominium vel usumfructum pa-

pater habet, peccant mortaliter, & tenentur restituere Parentibus, vel cohæredibus. *Est communis sententia*, & constat, 1. Ex Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*. Ergo peccant mortaliter. 2. Quia accipiunt rem alienam notabilem invito domino: neque enim habent jus ullum disponendi de bonis parentum viventium. Nam *quamvis filiusfamilias sit hæres, non tamen est adhuc dominus rerum, & ideò dare non potest*, ait S. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5. quæst. 2. ad 1. Quare Catech. Rom. ait furti reos esse filios & uxores, qui à parentibus & viris pecunias surripiunt.

Idem dic si filius contra voluntatem parentis in usus vanos vel illicitos, ut in compotationes, commessationes, ludum, &c. expendat summam notabilem ex iis pecuniis, quas parens ei ad honestos tantùm usus præfinitos dedit, putà ad emendum libros, vestes, &c. quia parens non intendit illi pecunias donare absolutè ac simpliciter, sed tantùm cum restrictione ad usus à se determinatos. Unde filius non habet jus de illis disponendi nisi ad tales usus: patet enim non plùs juris ei confert, quàm intendit conferre. *Ita Lessius, Navarr. &c.*

Hinc si filius habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, tenetur ex illis restituere: si non habeat, tenebitur in partitione hæreditatis cum cohæredibus computare in suam partem quod surripuit, nisi constet hos tantumdem surripuisse, vel nisi pater expresse aut tacitè condonarit.

Quæst. XIII. *An si filiusfamilias plus cæteris fratribus pro patre laboret, & aliquid ultra suam sustentationem ex labore suo ac industria lucretur, potest ex tali lucro pretium operarum suarum subtrahere, patre inscio?*

Resp. Nihil potest sibi assumere, si parentes egeant ejus obsequio: quia filius ex pietate debet ejusmodi obsequia utrique parenti indigenti. Quòd si parentes non egeant ejus obsequio, & plùs lucretur quàm impendat, juxta multos potest operæ stipendium petere, sicut potest alteri locare operas, ex l. 10. §. *de obseq.* ibi: *Pietatem liberi parentibus, non operas debent*. Quòd si nihil petat, nihil potest clam surripere. Quia tunc censetur gratis laborare; & alioqui si petivisset, pater potuisset eum repellere, & ejus loco accipere alium, qui gratis aut viliore pretio aut meliùs servivisset. Ergo cùm pater non contraxerit cum filio, ei non debet salarium; præsertim cùm non sit consuetudo ut talis filius salarium à patre exigat. Præterea etiamsi deberetur illi salarium, non ei licet surripere patre vivo, quia illud lucrum recensetur inter bona adventitia, quorum possessio & ususfructus pertinent ad patrem donec filius emancipetur.

Multi tamen contra multos docent in tali casu filiumfamilias qui laboravit cum voluntate mercedem aliquando percipiendi, sed quam ex metu patrem offendendi petere non ausus est, posse retinere aliquid suo labori congruens, quod patre mortuo ex bonis surripuit, deductis sustentatione & usufructu. Quia, inquiunt, filius non debet esse deterioris conditionis quàm extraneus, cui ejusmodi merces deberetur: neque tenetur pro patre non indigente gratis laborare. Et licèt in foro externo censeatur gratis laborasse, cùm nullam pactionem inierit; tamen hæc præsumptio non habet locum in foro interno, cùm ille semper habuerit voluntatem contrariam. *Ita Barthol. Detius, Navarr. Lessius, Cabassut. &c.* Sed hoc est incertum. Quare non ei licet salarium occultè compensare: nam occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus certum.

Quæst. XIV. *An qui rem furtivam emit, teneatur illam restituere domino?*

Resp. 1. Qui rem furtivam emit mala fide, sciens, vel dubitans esse furtivam, tenetur eam restituere si habeat, vel ejus pretium in defectum furis, si non habeat, nec possit recuperare. *Est communis sententia*. Quia injustitiam commisit, rem alienam mala fide sibi accipiendo contra voluntatem domini; unde tenetur ratione injustæ acceptionis. Nec potest à domino exigere pretium furi datum, sed jacturam illam malitiæ suæ ac imprudentiæ imputare debet, ex Tob. 2. *Videte, ne fortè furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.*

Resp. 2. Qui rem alienam à fure exiguo pretio emit cum intentione eam reddendi domino, tenetur quidem illam restituere cum fructibus perceptis; sed potest à domino exigere pretium furi datum & impensas ad eam emendam ac conservandam factas, & dominus tenetur id totum ei rependere. *Est communis sententia*. Quia ille rem domini utiliter gessit, rem ejus exiguo pretio emendo, ne ei periret. Ergo æquitas exigit, ut ei rependatur quidquid de suo ad hoc impendit, quòd si magno, vel ferè

æqua-

æquali pretio emit cum tali intentione, do minus tenetur solùm reddere quantùm judicio prudentum gerendo utiliter negotium ejus, impendere potuit.

Resp. 3. Qui rem furtivam emit bona fide, nesciens nec dubitans esse furtivam, tenetur eam restituere domino etiam non repetenti; nec potest reddere furi ut pretium datum recipiat, nisi certò sciat ab eo rem domino restitutum iri. *Ita Major*, *Covarruvias*, & *Medina*, *Sotus*, *Azor*, *Molina*, *Layman*, & *alii multi contra multos*. Quia 1. dominus habet jus, ut sua sibi res restituatur à quocumque ejus possessore, non obstante jactura pretii: nam ea non obstante dominus potest per se immediatè à quovis possessore rem suam recipere ac vendicare, l. 3. Cod. *de rei vindic.* & dominus nihil juris circa talem rem amisit perinde ac si à fure donata fuisset. Dominium enim rei alienæ non transfertur nisi per legem, aut judicis sententiam, vel per domini voluntatem, ex l. 11. §. de regul. jur. *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest*. Ergo possidens ratione rei acceptæ tenetur eam reddere domino. Et verò perinde esse videtur sive dominus rem suam repetat, sive ob facti ignorantiam non repetat: nam ignorantia jus ipsi suum non adimit. 2. Si fur non inveniretur, vel si obiisset, juxta omnes res furtiva deberet reddi domino, nec potest exigi pretium datum; quia nempe est aliena. At ex eo quod reperiri latro possit, idem dominus nullum jus amittit. 3. Tradens rem alienam furi non restituturo, cooperaris iniquæ illius detentioni, & positivè concurris ad privandum dominum propria re. 4. Res cum omnibus suis conditionibus, & melioramentis ad dominum pertinet. Cùm ergo jam sit in statu securitatis apud emptorem, & hic status spectet ad rem ipsam, sitque quoddam melioramentum extrinsecum rei, ad dominum pertinet. 5. Non licet rem alienam à periculo ereptam in illud reducere, v. gr. non licet rem alienam ab incendio extractam in ignem projicere. His adde textum Tob. 2. supra cit. qui supponit rem bona fide emptam esse.

Nec potest emptor pretium furi datum à domino repetere, ex l. 2. Cod. *de furt.* ibi: *In civilem rem*, (id est, contra jus, ut ait Glossa,) *desideratis*, *ut agnitas res furtivas non prius reddatis*, *quàm pretium solutum fuerit à dominis*. Nam qui emit à fure, nullum habuit jus in re empta, nisi quod à fure potuit transferri. At nullum jus potuit à fure transferri, cum fur nullum habuerit, ex reg. jur. 79. in 6. & l. 54. §. de diversi. reg. *Nemo plus juris ad alium transferre potest*, *quàm ipse haberet*. Ergo emptor nihil potest exigere pro re illa, in quam jus nullum habet; sed damnum, quod inde patitur, fortuito casui imputare debet: perinde ac si pecuniam adulterinam accepisset, vel aliquid casu amisisset. Si tamen sciret furem restituturum rem domino, posset ei reddere ut pretium datum recuperaret: nam tunc dominus non est rationabiliter invitus. Imò fur habet jus rem repetendi reddito pretio ut eam restituat.

Obj. 1. Qui furi rem emptam reddit, is non ponit rem illam in pejore statu quàm erat ante emptionem. Ergo non facit injuriam domino. *Resp.* Neg. conseq. Nam rem privat statu intermedio meliore quem acquisiverat.

Inst. Hic status non provenit ex ipsa re, sed ex libera voluntate ementis. *Resp.* Undecumque proveniat hic status, spectat ad rem, proindeque ad dominum rei. Sic res ex incendio erepta ab altero non potest ab eodem in idem periculum injici. Ergo dominus jus habet, ut res sua in illo statu meliore, seu securiore relinquatur.

Obj. 2. In jure datur actio furi, per quam possit rem reposcere. *Resp.* Non datur talis actio, nisi quia prudenter judicatur velle rem domino restituere, quod leges illæ præsumunt.

Resp. 4. Si emptor bonæ fidei rem furtivam bona fide consumpsit, aut si illa apud eum casu vel culpa periit, non tenetur ejus pretium restituere domino, nisi quatenus ejus pretio vel ea factus est dicior, ex l. 23. *de petit. hared.* quia fuit possessor bonæ fidei, seclusa lege positiva aliud statuente.

Resp. 5. Si quis rem furtivam bona fide emptam revendiderit, & postea compareat dominus, primus emptor tenetur rescindere contractum, pretium secundo emptori reddere, & rem ipsam furtivam restituere domino. *Ita Sotus*, *Azor*, *Valentia*, *Delugo*, & *alii*. Quia 1. Venditor ex vi contractus tenetur servare emptorem indemnem ab omni lite, molestia & sumptu circa rem venditam, nec potest eum ad alium ablegare, ex l. 1. §. *de evict.* alioquin esset inæqualitas, ideòque injustitia: nam cùm accipiat pretium certum ac securum, cujus dominium in eum transfertur, tradere debet emptori rem securam, cujus quoque dominium in eum transferatur; quam rem si non tradit, tenetur pretium reddere, & rem recipere, ut reponatur æqualitas. 2. Error dedit causam contractui, nec emptor voluit tradere pretium nisi pro re, cujus do-

dominium in ipsum pariter verè transferretur. Quare venditor non satisfacit cedendo actionem, quam habet contra eum, à quo priùs eam emit: hoc enim non est eum indemnem servare, sed cogere ad sumptus & molestias, ex l. 11. §. *de action. empt.*

Quòd si comparente domino, secundus emptor, qui rem habet, inveniri nequeat, venditor non tenetur pretium acceptum domino rei restituere, nisi illud quod ex revenditione sine industria propria lucratus est, vel nisi rem dono accepisset. Quia cùm domino teneatur solùm ratione rei acceptæ, & jam rem alienam non possideat, nec habere queat, tenetur solùm restituere quatenus ex ea factus est ditior. Et aliunde leges statuunt, ut venditio rei furtivæ valeat ad transferendum dominium pretii pro ea accepti, non tamen ipsius rei, l. 49. §. *de furt.*

Quæst. XV. *An qui pascit, vel ligna cædit contra justam prohibitionem, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Qui pascit, vel ligna cædit in loco alicujus privati, vel in loco communitatis suæ, sed locato alteri, vel in loco alterius communitatis, peccat contra justitiam pro ratione rei ablatæ, & damni illati, quod sæpè multò pluris est, quàm res succisa valeat; & tenetur ad restitutionem. *Ita Sot. Lessius, & alii.* Quia violat jus alienum cum damno: nam herbæ, & ligna, utpote prædiorum fructus, pertinent ad dominum fundi, qui potest ea locare & vendere.

Licet tamen, herbis & frugibus collectis, mittere oves ad pascendum herbam nascentem, quam dominus agri non est venditurus, nec ex ea utilitatem percepturus; nec suo gregi destinaturus. Quia tunc non aufertur alienum invito domino, sed tacitè consentiente; & ita fert consuetudo recepta.

Resp. 2. Qui in loco communitatis suæ pascit, vel ligna cædit contra justam prohibitionem, peccat, & tenetur restituere communitati, si magnum damnum inferat. *Ita Delugo, Valentia, & alii.* Quia aufert alienum invito domino, & injustè minuit portionem aliorum. Enimverò si pecuniæ ad communitatem suam pertinentis & singulis ejus membris distribuendæ summam notabilem surriperet, num graviter peccaret, & restituere teneretur? Ergo etiam peccat, & ad restitutionem tenetur, si æquivalens injustè quoquo modo auferat. Idem dic à fortiori de eo qui ligna cædit in sylva ad principem pertinente, cùm verè auferat rem alienam invito domino.

Quæst. XVI. *An is qui contra prohibitionem venatur, piscatur, vel aucupatur, peccat & tenetur ad restitutionem?*

Nota. Certum est. 1. Eum qui alterum impedit à venatione vel piscatione, ad quam jus habet: peccare & teneri ad restitutionem probabilius lucri, quod deductis impensis ac laboribus facturus erat, quia ei injuriam infert cum damno. 2. Eum, qui, etiam justè venando, damnum aliis infert, putà segetes proculcando, sepimenta dissipando, &c. teneri resarcire damna illata: quia alii habent jus ne damnum patiantur in bonis suis. 3. Eum, qui occidit aut lædit animal alterius, dum in suo prædio damnum infert, peccare graviter & teneri ad restitutionem. Quia non habet jus occidendi aut lædendi animal alienum, sed solùm expellendi, & satisfactionem exigendi: non enim ideo desinit esse domini sui, sine cujus consensu destrui non potest nisi per authoritatem publicam.

Resp. 1. Qui venatur in fundo alicujus privati invito domino, semper peccat saltem venialiter. *Ita Covarruv. Medina, Lessius, & alii.* Quia facit ei injuriam: nam dominus jus habet, ut nemo in suo fundo se nolente venetur, *ex instit. de rer. divis.* &, l. *Item*, §. *de usufructu*. Quòd si notabile damnum inferat, ut capiendo feras quas dominus fundi venaturus erat & probabiliter capturus, vel crebra venatione efficiendo ut minoris æstimetur jus venandi quod vendere vel locare statuerat, peccat mortaliter contra justitiam & tenetur ad restitutionem judicio prudentis statuendam: nam violat jus domini cum gravi ejus damno.

Resp. 2. Qui venatur in fundo alieno sepe vel muro clauso; peccat graviter, & tenetur restituere animalia, in tali loco detenta, quæ ibi cepit. Quia ejusmodi animalia sunt domini, cujus est locus, cùm censeantur amisisse naturalem libertatem, & jam occupata à domino, à quo facilè apprehendi possunt, *instit. de rer. divis.* Idem dic de eo, qui in alieno stagno seu vivario piscatur; quia pisces omnes ibi conclusi, sunt domini loci.

Resp. 3. Qui venatur aut piscatur in loco publico non prohibito, nec ulli speciatim addicto, sed modo seu medio, vel tempore prohibito, peccat mortaliter si notabile damnum inferat, v. gr. extinguendo magna ex parte ferinam sobolem, vel aquas inficiendo. *Lessius, & alii.* Quia tunc graviter lædit jus venandi ac piscandi, quod habet communitas, & spem lucri ac oblectationis injustè aliis eripit, vel saltem notabiliter minuit: unde

de tenetur ad resarciendum hoc damnum.

Resp. 4. Qui venatur in loco publico venationi Principis vel aliorum justè assignato, semper peccat contra justitiam saltem venialiter, & mortaliter dum notabile damnum infert, ut capiendo feras magni pretii, vel multa, ita ut Princeps vel alii qui soli jus venandi habent, non possint tot capere quot antea solebant, vel non æquè facilè, &c. *Ita Valentia, Lessius, & alii*. Quia tunc graviter lædit jus Principis: unde tenetur ad compensationem damni, si Princeps eam curet, nec contentus sit ut deprehensi pœnam luant.

Resp. 5. Qui in loco publico prohibito, vel ad privatum pertinente venatur invito domino, licet peccet & teneatur resarcire damnum illatum; non tamen tenetur restituere feras captas, quæ libertate naturali fruebantur. Quia ejusmodi feræ sunt primo occupantis, cùm nullius sint; nisi tamen feræ libertate fruentes lege aliqua ita addi cantur Principi vel bono publico, ut non cedant in dominium capientium.

Quæst. XVII. *An tributa solvi debent ex justitia?*

Nota. Tributum hic latè sumitur, nempe pro eo omni quod Principi vel reipub. penditur, ut & statum ac dignitatem suam tueri, & communibus necessitatibus ac commodis prospicere possit. Unde hac voce continetur etiam vectigal, quod pro rebus in civitatem, vel provinciam invectis, vel ex ea avectis exigitur, & vocatur etiam Gabella.

Resp. Est obligatio justitiæ solvendi justa tributa ac vectigalia. *Est communis sententia*. Prob. 1. Ex Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et, Rom. 3. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. 2. Quia ex justitia debentur principi ratione sui officii ac laboris pro rep. & pacti saltem impliciti, suntque justa stipendia administrationis suæ ad ejus sustentationem, & subsidia necessaria ad onera publica sustinenda, ad pacem, tranquillitatem ac justitiam tuendam, reip. pericula avertenda, &c. Principes enim ex officio tenentur subditorum felicitati, quieti ac saluti diligenter consulere; justitiam per se, vel per suos præfectos ac magistratus administrare, crimina avertere, punire & coercere, subditos & eorum bona ac jura tueri, hostes arcere, item Leges divinas, Ecclesiam, & ejus jura ac decreta, atque Religionem catholicam tueri ac promovere. Ut autem hæc præstare possint, tenentur populi tributa ac vectigalia eis solvere, iisque parere. Hinc tributa justa solvi debent antequam petantur, nisi ex consuetudine non solvantur ante petitionem; & ex communi sententia, teste Valentia, restituere debet, qui ea non solvit. Item non licet uti fraude ad vitandam gabellam, sed solvi debet saltem cùm exigitur.

Imò etiam exteri tenentur vectigalia solvere. Quia justè iis imposita sunt, & sub hac tacita conditione admittuntur ad negotiandum; atque onus hoc compensatur per protectionem ac securitatem, quam ibi habent, & per alia commoda quæ ibi percipiunt.

Ut autem tributa justa sint, non debent esse majora quàm postulet principis sustentatio, consideratis status dignitate ac ditione, & necessitate vel magna reip. utilitate. Nam hic est finis ad quem ordinantur, propter quem solùm exigi possunt, ideòque non debent illum excedere. Quòd si principes plùs exigant ad superfluum luxum, ad prodigas largitiones, ad usus vanos, &c. peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. Quia non habent potestatem in personas & facultates subditorum nisi in ordine ad bonum commune, & suam sustentationem convenientem. Nam omnis potestas publica est solùm ad bonum publicum instituta, ideòque non se extendit ultra illud, cùm finis rei sit ejus mensura. Unde S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 8. ad 3. ait: *Si aliquid principes indebitè extorqueant: rapina est sicut & latrocinium. Unde dicit Augustinus, remota justitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? ... Unde & ad restitutionem tenentur, sicut & latrones*. Debent quoque tributa exigi secundùm proportionem facultatum singulorum, sic ut non alii plùs, alii minùs graventur quàm justum sit.

Quòd si bonum commune postulet, ut nova & extraordinaria tributa imponantur ob causam publicam, in eam ex justitia impendi debent, & causa cessante cessare.

Obj. Samuel 1. Reg. cap. 8. ait: *hoc erit jus Regis: filios vestros tollet ... agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet*, &c. *Resp.* Non intelligitur jus legitimum, sed usurpatum, quod Reges sibi arrogaturos esse prædicebat Samuel, ut populum à Regis postulatione avocaret. Unde vox hebræa significat judicium, morem Regis. Nam, 3. Reg. cap. 21. Deus Regem Achab graviter arguit, & gravissima mala ei intentat, quod vineam Naboth usurpaverit.

Porrò in dubio de justitia tributorum, ea solvi debent. Quia in dubia justitiæ debet præsumi pro justo præcepto superioris possi-

dentis

dentis jus præcipiendi, & exigendi tributa, quod jus est altius, & majus jure quod habent subditi in bona quæ possident. Præterea princeps sæpe habet causas justas occultas. Imò etiamsi essent evidenter injustæ sive ex toto, sive ex parte, tamen solvenda sunt cùm exiguntur, ad vitandum scandalum ac perturbationem publicam, ob quam causam quisque juri suo cedere debet.

Quæst. XVIII. *Quid dicendum de Decimis?*

Resp. Decimæ solvi debent ex justitia & religione secundùm receptam consuetudinem, & ad restitutionem tenentur qui eas non solvunt integras, vel solùm de deterioribus rebus. Constat. 1. Ex titulo de decimis, ex Conc. gener. Later. II. quod, cap. 10. de laicis decimas Ecclesiarum quoquo modo accipientibus ait: *Nisi Ecclesias reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & periculum damnationis æternæ incurrere.* Eadem autem est ratio de non solventibus & sibi retinentibus. Et ex Later. IV. cap. 52. ibi: *Decimas Ecclesiis cum integritate persolvant, & ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Illæ quippe decimæ necessariò sunt solvendæ, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata.* Item, ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 12. ibi: *Cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* 2. Quia sunt bona consecrata Deo, & debita ex justitia intuitu religionis in sustentationem ministrorum, qui habent jus percipiendi sustentationem à populo, cùm in ejus commodum occupati sint, & pro eo Deum orent, laudent, sacrificium offerant, & alia sacra ministeria obeant.

Quæst. XIX. *An malè distribuens bona, vel onera communia, tenetur ad restitutionem?*

Resp. 1. Quamvis violatio solius justitiæ distributivæ non obliget ad restitutionem, quippe quæ est actus justitiæ commutativæ, æqualitatem rei ad rem spectantis; quia tamen sæpe justitia commutativa concurrit cum distributiva; ideò sæpe mala distributio bonorum, vel onerum distribuendorum obligat ad restitutionem, quoties scilicet in ea violatur justitia commutativa, seu aliquod alterius jus in re, vel ad rem.

Resp. 2. Qui onera, tributa, militum hospitia, &c. malè distribuit, nec justam proportionem in iis servat, tenetur ad restitutionem privatis, quos illa improportionata distributione gravat. Quia in hoc violat etiam justitiam commutativam: nam illos sine causa justa spoliat bonis, quæ possident, vel graviori incommodo afficit; & privatus quisque habet jus strictum ac proprium, ne supra facultatem & debitam proportionem gravetur.

Resp. 3. Distributio bonorum communium debitorum privatis ex aliquo titulo particulari, v. gr. laboris, operæ, pacti, &c. ut solutio stipendii facienda militibus, vel operariis ex ærario publico, pertinent ad justitiam commutativam, quippe quæ versatur circa debitum ex aliquo titulo particulari, ut constat ex ejus notione. Quare si malè fiat, contrahitur obligatio restituendi.

Resp. 4. Si bona communia ex lege, vel consuetudine, vel voluntate superioris, aut donatoris destinata sint principaliter in bonum eorum quibus distribui debent, qualia sunt proventus aliquarum civitatum ad hoc donati vel destinati ut singulis incolis distribuantur proportionatè ad indigentiam, vel merita aut dignitatem singulorum; item pecuniæ summa à principe in præmium constituta militibus qui fortiter pugnarunt; aut spolia hostium jussu ducis dividenda inter milites pro singulorum meritis ac dignitate; malè ea distribuens tenetur restituere eis, quibus minùs distribuit quàm habere debebant. Quia in ea distributione violavit justitiam commutativam: nam singuli habent jus accipiendi proportionatè ad suam indigentiam, vel merita, servitia, &c. fundatum in donatione talium bonorum per distributorem proportionatè facienda.

Item qui accepit bona distribuenda pauperibus alicujus communitatis juxta cujusque indigentiam, tenetur ex justitia commutativa talem pecuniam istis pauperibus & non aliis, sic distribuere secundùm voluntatem donantis. Nam singuli isti habent jus rigorosum in donatione fundatum accipiendi secundùm suam indigentiam. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 1. ad 3. ibi. *Recompensatio quàm facit distribuens ei, cui dedit minùs quàm debuit, fit per comparationem rei ad rem: ut si quantò minùs habuit quàm debuit, tantò plus ei detur. Et ideò jam pertinet ad justitiam commutativam.*

Resp. 5. Qui malè distribuit bona communia primariò ordinata ad bonum commune, ut qui confert officia publica, vel beneficia ecclesiastica indignis, aut minùs dignis, tenetur resarcire damna inde secuta Ecclesiæ, vel communitati. Quia ex officio & pacto implicito, vel ex commissione acceptata, ideòque ex justitia commutativa erga Ecclesiam, vel communitatem, tenebatur in

hac distributione bono communi prospicere, & eligere digniores. Sed juxta multos non tenetur ad restitutionem dignioribus quos præteriit: quia hi non habent jus strictum ac sibi proprium, & fundatum in titulo aliquo particulari proprietatis, pacti, donationis, contractus, nisi id factum sit in concursu & examine, in quo digniores habent ex pacto implicito jus sibi proprium, ut aliis præferantur.

Quæst. XX. *An in dubio utrùm res sit aliena, restitui debet?*

Resp. 1. Qui bona fide rem possidere cœpit, si postea incipiat dubitare an sit aliena, tenetur ex justitia veritatem diligenter exquirere. Nam hæc investigatio necessaria est, ut unicuique quod suum est reddatur, & aliàs se exponit periculo retinendi rem alienam. Quòd si post diligentem inquisitionem non appareat probabilius rem esse alienam, manet in possessione bonæ fidei, nec tenetur restituere: quia in tali dubio melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. jur. in 6. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis*. Et, l. 170. §. de reg. jur. *In pari causa possessor potior haberi debet*. Nam possessor, præter jus dubium utrinque æquale, habet jus certum actualis possessionis, quo potiori jure vincit jus dubium alterius non possidentis. Idque exigit bonum commune, ut finiantur lites, sumptus impediantur, bona non negligantur, & alioqui nemo ferè securus esset in rerum suarum pacifica possessione.

Quòd si æque probabile appareat rem esse alienam, Azor cum aliis docet licere possessori eam consumere vel vendere, modò in animo habeat ejus pretium domino postea cognito restituere; & admoneat emptorem de illo dubio: nam est quoddam vitium occultum rei, ex quo damnum emptori sequi potest, si dominus compareat. Si verò multò probabilius possessori appareat esse alienam, tenetur eam restituere domino, vel si cognosci nequeat, pauperibus. Nam tunc longè major probabilitas prævalet possessioni, & potest certitudinem moralem parere. Nec jam par est causa, quam regulæ juris ad meliorem conditionem possidentis exigunt ac supponunt, ut notat Delugo. Nec talis potest tunc prudenter negare esse alienam & jurare esse suam.

Resp. 2. Possessor bonæ fidei, qui occurrente dubio non exquirit diligenter veritatem, peccat mortaliter; & si postea certò agnoscat dominum verum rei, tenetur ei restituere rem, & ex eo tempore quo dubitare cœpit, rei fructus, tum naturales tum mixtos non solùm quos percepit, sed etiam quos non percepit, sed percepisset dominus, si rem suam habuisset, *Lessius, & alii*. Quia ex eo tempore cœpit esse possessor malæ fidei, cùm sciverit se non posse justè sine inquisitione diligenti rem retinere; & fecit domino injuriam, negligendo inquirere: nam quilibet habet jus, ne quis se exponat periculo retinendi rem ejus, & ut in dubio jus ejus expendatur. Quòd si, quia neglexit statim inquirere, nequeat postea veritatem invenire, tenetur restituere pro ratione dubii. *Ita Sanchez, Delugo, & alii*. Nam omittendo inquirere, fecit injuriam ei, de quo dubitabat an esset dominus: ergo hæc injuria resarciri debet secundùm proportionem spei, quam alter habere poterat ut agnosceretur verus dominus.

Resp. 3. Qui antequam possideat, dubitat utrum res sit aliena, potest eam accipere titulo venditionis, donationis, &c. modò accipiat ex intentione eam restituendi domino, si post diligentem inquisitionem invenerit. Quia in hoc domino præstat beneficium, nam alioqui nunquam fortasse fuisset ei restituenda. Quod si accipiat ut sibi absolutè retineat, peccat contra justitiam. Nam lege justitiæ tenetur non se exponere periculo accipiendi rem alienam invito domino: at tali periculo se exponit, cum res illa possit esse alterius. Acceptam tamen potest, mutato animo, retinere donec inveniat dominum cui restituat, & tunc debet diligenter inquirere an sit aliena. Et si probabilius appareat esse alienam, tenetur eam domino cognito, vel pauperibus, si cognosci nequeat, restituere cum omnibus fructibus: nam non potest tunc prudenter judicare esse suam, & negare esse alienam. Si autem sit æque probabile rem esse alienam, debet eam cum altero, de quo dubitat, dividere, & possessio capta cum dubia fide, meliorem non facit conditionem sic possidentis. Ergo cùm æqua sit ejus conditio ac alterius non possidentis, æquale jus utrinque habet: ideòque res, vel ejus pretium inter illos æquabiliter dividi debet.

Idem dic si quis dubitans an res sit aliena, præoccupavit illius possessionem à nemine occupatam. Si verò dubius an res sit sua, eam abstulit à possessore bonæ fidei, tenetur totam ei restituere sicut possessor malæ fidei, quia in dubio & pari causa potior est conditio possessoris bonæ fidei.

Resp. 4. Quando nullus eorum, de quibus du-

dubitatur an sint domini rei, rem possidet; si dubium sit æquale, res æqualiter inter illos dividi debet, vel si dividi nequeat, ejus pretium, nisi fortè ex eorum consensu agatur, nam non est ratio uni totum, vel plùs aut minùs adjudicandi. Si longè probabilius sit ad unum illorum totam pertinere, tota ei est adjudicanda, ut adjudicaret æquus judex re ita cognita.

Quæst. XXI. *An qui dubitat utrum solverit debitum, teneatur adhuc illud integrè solvere, si certò scire nequeat se solvisse?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia 1. Debito certo non satisfit per solutionem non certam; nam solutio dubia non est æqualis debito certo: justitia autem æqualitatem exigit. 2. In eo casu pro debito stat possessio. 3. In foro conscientiæ judicare debemus de rebus istis sicut prudens judex cognita veritate, & inspecto jure naturali judicaret in foro externo: nam forum internum debet sequi sententiam fori externi, nisi constet externum niti præsumptione falsa. At in foro externo debitor cogetur solvere debitum certum, nisi probet solutum esse, etiamsi creditor fateatur se de solutione dubitare, nec de ea recordari.

Nec dicas in dubio meliorem esse conditionem possidentis. Nam. 1. Hoc non est verum, nisi quando in cæteris par est causa possidentis & non possidentis: nam regulæ juris parem causam exigunt ad meliorem conditionem possidentis. 2. Creditor possidet jus exigendi & accipiendi solutionem debiti sui, quo jure spoliari non debet in dubio. Nec refert quòd debitor pecuniam solvendam possideat: nam dubium non versatur circa ipsam pecuniam, cujus sit, sed circa jus exigendi debitum, an adhuc sit. Cùm autem jus illud certò extiterit, & non constet de ejus extinctione, creditor possidet durationem juris illius. *Ita Delugo, Sanchez, &c.*

Quæst. XXII. *An est contra justitiam prodere alterius secretum suæ fidei commissum, &c. obligatio resarciendi damnum inde secutum?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia quilibet habet jus, ne ejus secreta detegantur; estque mortale si arcanum sit gravis momenti, vel inde grave damnum proximi aut discordia sequi possit. Unde illud, Eccli. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.... Denudare amici mysteria desperatio est animæ infelicis.*

Quare non licet arcanum etiam à privato creditum sine ejus consensu alteri aperire, etiam ex præcepto superioris, nisi alia via cognitum sit, *quia servare fidem est de jure naturali*, ait S. Thom. quæst. 70. art. 1. ad 2. Nihil autem potest præcipi nec fieri contra id, quod est de jure naturali.

Hinc graviter peccant & ad restitutionem tenentur, qui proximi secretum explorant, vel ad januam auscultando, vel epistolas legendo, vel alio quovis modo: nam quilibet jus habet ad suum secretum. Item superiores, consiliarii, medici, advocati & amici, quibus consilii vel auxilii petendi causa, secretum committitur, graviter peccat si illud detegant; quia vi muneris ac officii sui, ad servandum secretum obligantur. Imò qui ab altero alienum secretum accepit, & illud detegit, cum gravi proximi detrimento, mortaliter peccat, tum contra charitatem vetantem ne quis alteri faciat quod sibi fieri non vult, tum etiam contra justitiam, perinde ac cùm fama læditur: nam quivis jus habet ad suum secretum, perinde ac ad suam famam.

Excipe, nisi secreti revelatio necessaria sit ad impediendum grave damnum injustum spirituale vel temporale tertii, vel communitatis à tali homine inferendum, aut continuandum; tunc enim non spectato præcepto superioris teneris secretum tibi creditum revelare iis quorum interest, non nominata persona, nisi hoc necessarium sit ad malum impediendum. *Ita communiter*. Quia charitas obligat ad impediendum damnum commune & privatum innocentis etiam cum damno nocentis, nam bonum publicum, vel jus innocentis, ad cujus defensionem revelatur secretum, prævalet juri, quod nocens habebat ad illud secretum, & ejus damno.

Circa ea, quæ aliter (quam per confessionem sacramentalem) *homini sub secreto committuntur: quando sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, putà si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum.* Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2.

Hinc teneris patefacere eos, qui prava dogmata occultè spargunt, vel aliquid moliuntur contra patriam, vel vitam, famam, bona alicujus privati, modo id extra confessionem noveris. Idque quamvis jurasses te non revelaturum. Nam juramentum illud, utpo-

utpote contra obligationem naturalem charitatis, invalidum est, & illicitum.

Item juxta multos non teneris secretum justè cognitum cum certo periculo vitæ tuæ vel gravissimi damni occultare, nisi sit ex confessione notum, vel secretum principis, aut reip. vel nisi ejus revelatio vergeret in grave reip. seu communitatis malum, vel promiseris cum tanto damno servaturum. Quia seclusis his casibus, & cæteris paribus habes jus tibi potiùs consulendi quàm alteri privato, quia non est in hoc rationabiliter invitus: nec censeris voluisse te obligare cum tanto onere ad illud servandum.

Nota. Is, cui alter injustè aperuit secretum tertii, tenetur illud non detegere. Quia illa cognitio derivata est à primo, manifestatione sub secreto data, & ulterior illa manifestatio cederet in injuriam alterius, qui secretum commisit, essetque extensio ac ampliatio injuriæ factæ à primo iniquo proditore. Præterea si tale secretum detegas, impedis separationem damnorum quæ ex priore secreti violatione sequuntur, & ad quam jus habet ille tertius.

Quæst. XXIII. *An obligatio restituendi bona externa, & resarciendi damna in illis injustè illata à defuncto, transit ad hæredes etiam extraneos?*

Resp. Affirm. Constat, 1. ex cap. ult. *de sepult.* & cap. 9. *de usur.* & cap. 5. *de raptor.* ibi: *Hæredes ejus moneas & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condignè satisfaciant*. 2. Quia onus restituendi bona est affixum bonis defuncti, qui eo ipso censebatur jam totum id habere minùs in suis bonis, quòd teneretur illud in conscientia solvere; ac proinde onus illud transit ad eorum possessorem. 3. Hæres substituitur in locum defuncti, eumque repræsentat quoad bona, jura, ac debita realia; & sicut succedit in bona ac jura, item in onera ac debita realia defuncti, quæ in se suscipit ex contractu implicito per acceptationem hæreditatis.

Si plures sint hæredes, singuli tenentur pro hæreditaria portione, non tamen in solidum. Quia sicut bona & jura defuncti dividuntur inter hæredes, ita & onera ac debita dividi debent, ex l. 2. *Cod. de hæred. act.* & l. 26. *Cod. de pact.* Æquum est enim, ut qui tantum ex parte commodum percepit, onus quoque ex parte duntaxat sentiat: nam licet singuli repræsentent defunctum, non tamen totaliter, sed ex parte: omnes autem simul eum repræsentant totaliter. Cap. autem *Tua nos de usur.* solùm significatur totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul junctos, ita tamen ut singuli non teneantur nisi ex parte.

Quòd si res aliena extet in se apud unum hæredem, hic tenetur eam integram restituere. Idem dic de re defuncti hypothecata alteri. Nam res sic alteri obligata transit cum suo onere ad quemlibet possidentem, cap. 5. *de pignor.* Sed tunc is habet actionem de evictione contra cæteros hæredes, qui debet ei rependere pro rata.

Cæterum legatarii non universales minimè obligantur ad restitutionem, si ea quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad solvenda omnia debita, relicta portione hæredibus jure debita. Quia non succedunt in onera testatoris sicut hæredes, nec ejus personam repræsentant. Si bona non sufficiant, debent legatarii conferre ad restitutionem pro rata: quia ante omnia legata debent solvi debita, & postea deduci portio hæredibus debita.

Nota. Hæredes tenentur etiam contractibus à testatore initis, l. 3. cod. *de contrahen. & committ. stipul.* ibi: *Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo inveniatur, & ad hæredes & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non*. Nam, ut dixi, hæredes repræsentant defunctum, eique sic in bona ac jura, ita & in onera, debita & obligationes reales succedunt.

TRACTATUS
DE CONTRACTIBUS.
PARS PRIMA.
De Contractibus in genere.
CAPUT PRIMUM.
De natura, divisione, & effectu Contractus.

Quæst. I. *Quid est Contractus?*

Resp. Contractus latè sumptus idem est ac Pactum, quod l. 1. § de pact. definitur: *Duorum, pluriumve in idem placitum consensus* obligationem scilicet pariens vel in utraque parte, ut venditio, vel saltem in una, ut promissio gratuita acceptata. Contractus strictè sumptus est pactum obligationem mutuam inducens: sive

sive est duorum, vel plurium in idem consensus ac conventio, obligationem mutuam pariens, ex l. 19. §. *de verb. signific.* ubi dicitur esse *ultro citroque obligatio.* Hinc contractus strictè sumptus differt à pacto, quòd hoc præscindat à mutua obligatione, ille verò semper mutuam inducit.

Quæst. II. *Quinam requiruntur ad valorem Contractus?*

Resp. Quatuor. 1. Habilitas personarum ad contrahendum. 2. Capacitas rei ut contractui subjiciatur. 3. Consensus mutuus, & quidem signo externo expressus: nam per contractum homo homini obligatur more humano, qui est ut signo sensibili explicet alteri consensum internum, qui ab eo acceptetur. Porrò *in conventionibus, contrahentium voluntatem potiùs, quàm verba, spectari placuit.* L. 219. §. de verb. sign. 4. Forma substantialis à jure præscripta, si aliqua fit constituta. Nam nulla res potest subsistere sine sua forma substantiali; alioqui illa forma simul esset substantialis, & non esset.

Quæst. III. *Quomodo dividuntur Contractus?*

Resp. Dividuntur, 1. In formalem seu expressum, & virtualem seu implicitum. Contractus formalis seu explicitus est ille, quo duo vel plures expressè conveniunt de eadem re cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum. Contractus virtualis, seu quasi contractus est, cùm tacitè suscipitur obligatio justitiæ ex facto aliquo licito, v. g. absentis negotiorum gestione, hæreditatis aditione, vel ex acceptione officii, aut muneris absque ulla expressa pactione: qualem obligationem in se recipiunt principes, magistratus, prælatus, tutor, negotiorum gestor, medicus, advocatus, administrator, artifex, &c. Qui enim officium ad aliorum commodum spectans suscipit, eo ipso se obligat ad procurandum bonum alterius, in cujus gratiam exerceetur; & sæpe alter obligatur vicissim erga illum vi legis, aut consuetudinis, aut pacti saltem impliciti. Istæ conventiones tacitæ vocantur quasi contractus, eorumque vim habent in ordine ad obligandum ex justitia.

2. In nominatum, & innominatum. Contractus nominatus est, qui nomen proprium habet, ut emptio, locatio, &c. Innominatus est, qui tantùm habet genericum nomen, ut pacti, contractus. Hujus sunt quatuor species, scilicet, *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* L. 5. §. de præscript. verb. Hi contractus innominati id proprium habere dicuntur, quòd ab eis pars contrahens resilire possit quamdiu altera eos non implevit. Sic v. g. si tibi dedi pecuniam ut ires Lugdunum, jure civili possum pecuniam tibi datam repetere, si nondum ieris, nec ullos sumptus ad hoc feceris.

3. In gratuitum, & onerosum. Gratuitus est ille, in quo nihil rependitur, seu in quo nullum intercedit pretium aut merces, ut commodatum, mutuum, &c. Onerosus est, in quo aliquid rependitur, seu in quo dans accipit pretium, aut mercedem, ut emptio, locatio, &c.

4. In contractum bonæ fidei, & stricti juris. Contractus bonæ fidei dicuntur ii, in quibus servari debet non solùm id de quo conventum est, sed etiam id quod æquum bonumque judici videtur, quamvis non sit expressum in contractu: quia in iis bona fides spectatur in ordine ad aliquid vel restituendum, vel reficiendum, vel compensandum, vel præstandum: tales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, mandatum, societas, pignus, permutatio. Contractus stricti juris sunt ii, in quibus agitur in rigore verborum, seu juris scripti, prout scilicet in contractu, vel dispositione fuit expressum; & de quo conventum est: tales sunt mutuum, stipulatio, donatio, promissio liberalis, legatum, testamentum, emphyteusis, &c.

5. In nudum, & vestitum. Nudus est mera conventio carens firmamento, quod pariat actionem in foro externo: talis est contractus omnis innominatus antequam sit ex altera parte impletus, nisi accedat formula stipulationis, vel juramentum. Vestitus est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem, qualia sunt scriptura, testes, juramentum.

6. In eos qui re, seu traditione rei perficiuntur, ut mutuum, commodatum, precarium, depositum, pignus. Et in eos, qui solo consensu perficiuntur, cujusmodi sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, emphyteusis, &c.

7. Denique in purum, cui nullum additur accidens, hoc est, qui fit sine conditione, modo, sine solutione ad diem, &c. Et non purum, cui additur accidens; & hic quintuplex est. 1. Dicitur ad diem, cùm præfigitur dies, ante quem non oritur obligatio solvendi vel tradendi, aut actio. 2. Sub modo, cùm additur modus, sub quo contractus obliget, v. g. Dono tibi hunc equum cum hac obligatione, ut loces domum tuam Titio. 3. Ad causam, cùm fit ob aliquam causam.

fam. 4. Ad demonstrationem, cùm apponitur aliquod signum ad rem, vel personam ostendendam. 5. Sub conditione, cùm apponitur aliqua conditio.

Quæst. IV. *Quænam est materia Contractuum?*

Resp. Omnia bona, quorum quis & dominium & administrationem habet; nam bona illa possunt transferri in dominium, & administrationem, vel usum alterius.

Quæst. V. *An omnis contractus obligat in conscientia?*

Nota. 1. Effectus contractus est obligatio, quæ definitur, Juris vinculum, quo astringimur ad aliquid dandum, aut faciendum, aut patiendum, vel non dandum, aut non faciendum. Triplex est obligatio. 1. Merè naturalis, quæ nascitur ex solo jure naturali, & semper obligat in conscientia, sed non parit actionem in foro externo. 2. Merè civilis, quæ parit actionem in foro externo, ob aliquam præsumptionem falsam, sed non obligat in conscientia. 3. Mixta, quæ & obligat in conscientia, & parit actionem in foro externo.

Nota 2. Contractus solubilis potest ex mutuo contrahentium consensu dissolvi, lib. 35. §. *de reg. jur.* Quia uterque contrahens potest cedere juri suo. Unus tamen obligatus non potest seorsim ab alio resilire, l. 5. *Cod. de obligat.* Nam alter habet jus in illum vi contractus.

Resp. Omne pactum validum etiam nudum, parit obligationem in conscientia, licèt in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur. *Est communis sententia.* Quia 1. Ad talem obligationem supposita materiæ capacitate & personarum habilitate, ex natura rei sufficit consensus mutuus signo externo declaratus: nam per illum datur alterutri vel utrique jus aliquod, quod violare non licet. Nec plùs jure gentium requiritur. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt servare?* L. 1. §. *de pact.* Nec obstat l. *Juris gentium*, ubi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit.* Nam hic agitur de obligatione civili. 2. cap. 1. *de pactis* generaliter dicitur pacta esse custodienda, & ad id paciscentes censura compellendos. Et cap. 3. dicitur: *Studiosè agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur.* 3. Lex divina etiàm naturalis obligat ad servandam fidem datam, eamque fallere intrinsecè malum est. 4. Alioqui periret bona fides, sine qua stare nequit societas humana.

Dixi, *validum*. Nam omnis contractus jure positivo absolutè irritus nullam parit obligationem in conscientia: quia reverà nullus est, & perinde se habet ac si factus non esset, cùm annullatus sit per legitimam potestatem, cui voluntates & bona subditorum subjiciuntur. Quòd si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantùm irritandus, obligat in conscientia, donec à judice irritetur.

Quæst. VI. *An qui habuit animum contrahendi, sed cum voluntate expressa non se obligandi, manet obligatus?*

Resp. Si voluntas contrahendi prævaleat voluntati non se obligandi, sitque magis efficax & absoluta, tunc verè obligatur. Nam tunc fit verus contractus, qui necessario parit obligationem; si verò posterior voluntas prævaleat priori, vel utraque sit æqualis, tunc nullus est contractus: quia deest voluntas efficax verè contrahendi, cùm essentiale sit contractui inducere obligationem. Sed tunc ratione injuriæ, qua injustè proximum tecum bona fide contrahentem decepisti, teneris præstare id quod ei exteriùs promisisti: nam teneris tollere injustam deceptionem, habendo voluntatem veram te obligandi, & eam implere si alter velit.

Quæst. VII. *An contractus sine solemnitatibus à jure requisitis factus ligat conscientiam?*

Nota. Solemnitates sunt quidam ritus, seu conditiones, quæ secundùm leges in contractibus adhiberi debent, v. g. certus numerus testium, &c.

Resp. Contractus defectu solemnitatis jure positivo invalidus non obligat in conscientia, & nullus est in utroque foro. Quia est sufficiens potestas in Ecclesia & in rep. ad invalidandos actus subditorum, & ad præscribendam formam in contractibus, qua sublata non obligent; nam hæc potestas valde expedit, imò necessaria est ad bonum commune, & ad rectam administrationem; & voluntas ac bona subditorum subjiciuntur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, & rectam illorum gubernationem. Patetque ex praxi, v. gr. in matrimonio clandestino, in contractu pupilli sine tutoris auctoritate, &c. Enimverò si homines privatis suis conventionibus quasdam conditiones apponere possunt, quibus deficientibus, conventiones illæ jam non obligant, & in irritum abeunt; à fortiori id possunt supremi Principes erga subditorum contractus propter bonum commune.

Hinc nullum jus possessoribus competit ex

hujusmodi contractibus. Nam prior dominus non potuit in illos transferre dominium rei, de qua disposuit contra legem irritantem, cum ejus potestas fuerit impedita ab authoritate legitima & superiore. Et sic nullum jus retinendi habet, qui illam accipit ex pacto irrito per legem. Cognoscitur autem contractum esse invalidum, vel ex verbis legis, aut consuetudine, vel si judici constaret nullam inesse fraudem, & tamen censeretur nullus.

Obj. Lex irritans fundatur in præsumptione fraudis. Ergo si constat nullam fuisse fraudem, valet contractus saltem in foro conscientiæ. *R.* Lex irritans non fundatur in præsumptione particulari fraudis in hoc vel illo contractu; sed fundatur in periculo fraudis, ut sæpe contingentis, aut cui datur occasio per ejusmodi contractus solemnitatibus destitutos.

Observa 1. In omni contractu servari debent leges ac consuetudines loci in quo fit, ex cap. ult. *de foro compet.* &, l. 6. §. *de evict.* 2. In contractu apponi possunt onera & obligationes ei ex natura rei non annexa, modò non repugnent naturæ talis contractus, nec lege prohibeantur: quia quisque potest juri suo cedere, & se obligare ad id ad quod alias non teneretur. Sed debent onera illa compensari, cùm sint pretio æstimabilia: aliàs non servaretur æqualitas. Apposita autem impleri debent ex justitia, juxta reg. 85. jur. in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & l. 1. §. *de depos.* 3. Non omnis contractus factus contra legem est invalidus; nam *multa fieri prohibentur, quæ facta tenent*, ut constat ex jure: sic valet venditio rei jam alteri venditæ, sed nondum traditæ, quamvis sit illicita.

Quæst. VIII. *An contractus invalidus firmatur juramento, & obligat ex justitia?*

Nota 1. Aliud est juramentum esse validum, & aliud contractum juramento firmari. Juramentum est præcisè validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis per illud nullum jus acquirit is, in cujus favorem factum est: unde inducit solam obligationem religionis, quæ tota respicit Deum, nec transit ad hæredes, utpote personalis, tolliturque juramenti relaxatione. Juramentum verò firmat contractum, quando validum contractum efficit, ideòque non solùm inducit obligationem religionis, sed etiam justitiæ, & jus tribuit alteri. Unde obtenta juramenti relaxatione, remanet obligatio justitiæ orta ex contractu valido, quæ transit ad hæredes, utpote realis, ex l. 8. §. *de peric. & commodo rei venditæ*.

Nota 2. Juramentum sive firmet contractum sive non, est validum & obligat, quando potest servari sine peccato, & damno alterius, ex cap. 8. & 28. *de jurejurand.* Quia reverentia Deo debita id exigit, propter ejus authoritatem interpositam.

Resp. 1. Ex communi sententia, contractus vi, metu injusto vel dolo extortus, vel injuriam continens ex parte illius cui juratur, non firmatur juramento, ita ut rescindi non possit, ex cap. 28. *de jurejurand.* Quia qui injuriam intulit, tenetur jure naturæ eam resarcire, & restituere alium in priorem statum ac libertatem; ideoque remittere jus ex promissione acquisitum, si quod sit. Unde talis non habet jus firmum & irrevocabile; juramentum enim non tollit injuriam acceptam: sed jurans potest ob injuriam acceptam petere & obtinere relaxationem juramenti, qua obtenta cessat omnis obligatio. Hinc quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis, cap. 6. *de jurejur.* cùm licitè solvi possunt; tamen promissio illas solvendi non firmatur juramento, nec usurarius jus ullum ad illam acquirit, sed tenetur solutas restituere, ex cap. cit. Idem dic de promissione facta furi ex metu ab eo injustè incusso.

Resp. 2. Contractus jure naturali invalidi non firmantur juramento. Patet: nam juramentum non mutat naturam illorum, nec potest supplere defectum substantialem, propter quem sunt irriti.

Resp. 3. Contractus solo jure positivo irritus non firmatur juramento, si irritatio facta sit immediate & principaliter propter bonum commune. *Est communis sententia*. Prob. tum ex cap. 12. *de foro compet.* ubi dicitur clericum non posse etiam cum juramento renuntiare privilegio fori, cùm hoc principaliter concessum sit ordini & statui clericorum, & juri seu beneficio publico privatorum pactio derogare non possit. Tum quia tunc eo ipso contractus est in detrimentum communitatis, ac proinde res promissa non potest licitè præstari, & sic juramentum nullius roboris est, ex cap. 28. *de jurejur.*

Si verò irritatio facta sit immediatè ac principaliter propter utilitatem privatam contrahentium, tunc juxta multos contractus juramento firmatur, modò absit injustitia ex parte illius, cui juratur. Quia 1. tales contractus accedente juramento transferunt dominium, & dant actionem, tum ex jure civili, l. *Sacramenta*, cod. *Si adversus vendit.* ibi:

ibi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiuntur*. Tum ex jure canonico, cap. 2. *de pact.* in 6. & ex cap. 28. *de jurejur.* ubi Pontifex declarat contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, qui jure positivo irritus est, servari debere, si accesserit juramentum sine vi & dolo præstitum. Igitur cùm jura tunc negent jus repetendi, & reclamandi, quod concedunt quando juramentum dolo vel metu extortum est, agnoscunt jus justitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2. Quisque potest renuntiare favori pro se directè introducto per legem, nisi ob aliquam causam id prohibeatur, ex l. 51. Cod. *de Episc. & Cleric.* Licet enim cedere juri & bono privato, cujus domini sumus. Ergo posita renuntiatione, perinde est ac si non esset jus positivum: at jure positivo secluso contractus illi sunt ex natura sua firmi & validi, ideòque perinde obligant ex justitia, ac si per leges non fuissent irritati.

Si tamen legislator ita irritaret contractum, ut nullam vim habere vellet in conscientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramento. Quia subditus non potest derogare potestati ac voluntati legislatoris; & juramentum, cùm sit accessorium contractui, non potest facere ut id, quod non est, valeat.

Quæst. IX. *An & quomodo obligant contractus ad diem, sub modo, ad causam, & ad demonstrationem?*

Resp. 1. Contractus *ad diem*, inducit statim obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfinitum. Contractus verò ad diem incertum, v. gr. *Cùm nupseris, cùm navis ex Indiis venerit*, suspendit consensum & obligationem, nam resolvitur in conditionalem, v. g. *Si nupseris, &c.* l. 1. §. *de condit. & demonstr.*

Resp. 2. Contractus *sub modo*, obligat statim, nec irritus evadit, etiamsi modus non impleatur, nisi appositus sit sub annullatione donationis vel legati. Nam modus dispositionem perfectam supponit & consequitur, non autem illam suspendit; in quo differt à conditione: modus enim est quoddam onus adjectum dispositioni, quo alter gravatur ad aliquid præstandum. Est tamen gravis obligatio ex justitia talem modum præstandi.

Resp. 3. Contractus seu dispositio tacta *ad causam*, nulla est, si causa finalis non subsistat. Quia non est voluntas dandi seu alienandi, nisi sub conditione, si causa finalis subsistat; & sublata causa volendi non est volitio. Hinc res data ob causam retineri non potest causa non subsecuta. At valet dispositio si sola causa impulsiva deficiat: quia dispositio non fit sub conditione illius; & subsistente motivo principali ac finali volendi, subsistit dispositio. Porrò in dubio præsumitur causam fuisse tantùm impulsivam, quando disponens intendebat favere, & commodum præstare ei pro quo disponit.

Resp. 4. Error, seu falsitas in demonstratione non vitiat contractum seu dispositionem, modò demonstratio non apponatur per modum conditionis, nec error sit circa substantiam rei, contractus, seu personæ: nam talis error non tollit consensum circa substantialia. Idem dic, quando constat de re & persona, cui dispositio fit, l. 17. & 33. §. *de condit. & demonstrat.* Quia demonstratio fit ad peculiariter indicandam rem, de qua fit dispositio, & personam cui fit: quare si aliunde de utraque constet, non oberit falsitas. Hinc valet hæc dispositio: Dono, vel lego Titio equum meum, quem emi Parisiis, licèt alibi emerim, vel prædium prope urbem situm constans quinquaginta jugeribus, licèt non tot constet. At dum res, quæ demonstratur, non existit, nulla est dispositio defectu materiæ; ut si dicas: Dono vel lego Titio pecuniam, quam in tali loco habeo, cùm ibi nullam habeas.

Quæst. X. *Ad quid obligat contractus alternativus, seu sub disjunctione?*

Resp. 1. Si disjunctio cadat in res diversæ speciei, v. gr. Promitto tibi bovem vel equum; ambæ manent sub obligatione, sed disjunctivè pro arbitrio promissoris, ex l. 10. §. *de jure dotium*, & reg. 70. jur. in 6. ibi: *In alternativis debitoris est electio, & sufficit, alterum adimpleri*. Una autem pereunte tenetur promissor dare quæ superest, nec sufficit dare pretium rei destructæ, modò creditoris culpa non perierit. Si autem alternativa detur in res ejusdem speciei, seu quæ differunt solùm secundùm plus & minùs, v. g. centum, vel quinquaginta aureos, aut in tempus, v. g. post annum vel biennium, debetur solum id, quod minus est, l. 109. §. *de verbor. obligat.* ibi: *Si ita stipulatus fuero, Decem aut quindecim dabis, decem debentur. Item si ita, Post annum aut biennium dabis: post biennium dabis: Quia in stipulationibus id servatur, ut quod minus esset, quodque longius esset, videretur in obligationem deductum.*

Hinc si per errorem majus datum fuit, re-

stitui debet. Si verò disjunctio cadat in personas, v.g. Si dones centum Petro vel Paulo, debentur quinquaginta utrique ex jure novo, l. 4. Cod. *de verb. & rer. signif.*

Quæst. XI. *An & quando contractus sub conditione valet, & obligat?*

Resp. 1. Contractus seu dispositio sub conditione de præsenti, vel præterito valet, & obligat statim, si conditio extat, vel extitit. *Ita omnes*, ex l. 37. §. *de rebus credit.* Quia posita conditione dispositio transit in absolutam, & ei æquivalet: nam ponitur consensus qui minimè suspensus est. Idem docet communis sententia, si conditio sit de eo, quod necessariò futurum est, l. 9. §. *de novat.* Quia (ut ait S. Thom. in 4. dist. 29. art. 3.) *talia futura jam sunt præsentia in suis causis*; & jam in præsenti verum est quod hoc futurum sit, ac proinde conditio censetur præsens: ut Do, vendo tibi, si es moriturus, si sol cras oriatur. Si autem conditio de præsenti vel præterito non est, nec fuit posita, juxta omnes non valet contractus, *instit. de verbor. oblig.* Quia non datur consensus nisi dependenter ab illa conditione posita, qua proindè deficiente, non est consensus. Hinc non posita conditione nulla est hæc donatio: Dono tibi hunc equum si negotium meum fideliter gessisti, dum hoc falsum est.

Resp. 2. Si conditio honesta & possibilis sit de futuro contingenti libero, contractus non obligat ad præstandam rem promissam ante impletam conditionem. *Ita omnes*. Quia disponens sub conditione, non intendit se obligare, nec disponere nisi illa posita. Non potest tamen resilire ante tempus præfinitum, sed tenetur conditionis eventum expectare; nam conventio ad hoc statim obligat absolutè, & in hoc videntur omnes convenire, inquit Delugo. Quòd si impediat conditionem, nihilominus alteri obligatur, ex l. 85. §. *de verbor. obligat.* Et, ex reg. jur. 66. in 6. ibi: *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Si verò conditio suo tempore impleatur, contractus juxta multos obligat jam absolutè sine nostro consensu, ex l. 11. §. *Qui potiores in pign.* Et ex l. 7. *de contract. empt.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Nam tunc ponitur id quo posito quis priùs voluit obligari, ac disponere. Si tamen in contractu matrimonii & in aliis, qui non solo consensu, sed traditione perficiuntur, consensus ante conditionem impletam revocatus sit, non valebunt sine novo consensu. Quia traditio fieri nequit sine consensu ejus, qui rem traditurus est, & consensus ante conditionis eventum revocatus est, ideòque jam non permanet moraliter. *Delugo.* Si autem conditio non fuerit posita tempore præfinito, contractus jam non obligat, & in irritum recidit: quia contrahens sub conditione, non intendit se obligare & disponere illa non posita. Dispositio autem pendet ex hominis libera voluntate, non aliter obligat quàm disponens intendit.

Porrò sola conditio expressa reddit contractum ac dispositionem conditionalem, non autem tacita, & quæ est intrinseca contractui, ex l. 99. §. *de condit. & demonstr.* Unde tacita non suspendit obligationem.

Resp. 3. Conditio impossibilis invalidat contractum & dispositionem, exceptis matrimonio, & dispositionibus ultimæ voluntatis, ex l. 31. §. *de oblig. & act.* & ex instit. Quia contrahens sub conditione non vult obligari ac disponere nisi ea conditione posita: Cùm autem conditio impossibilis nequeat poni, nunquam ipse poterit obligari, & sic voluntas non potest efficaciter tendere in obligationem sub conditione, quæ apprehenditur ut impossibilis. Idem dic, si conditio sit de re illicita facienda: tum quia in jure conditio turpis habetur impossibilis, cùm illud solùm legitimè possimus, quod licitè possumus: tum quia nemo potest obligari ad peccandum, & ad id præstandum, quod per se inducit & allicit alium ad peccandum. Idem est, si conditio sit contra substantiam contractus: nam impedit consensum substantialem in ipsum contractum.

Excepi 1. Matrimonium: quia *cap. ult. de condit.* Gregor. IV. statuit, *ut conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Ergo illis non obstantibus valet matrimonium secundùm præsumptionem fori externi supponentis tales conditiones non seriò adjici: Valet etiam in foro interno, si contrahentes habeant intentionem generalem contrahendi secundùm leges Ecclesiæ, prævalentem alteri intentioni particulari. Si tamen conditio turpis, vel impossibilis esset contra substantiam matrimonii, non valeret matrimonium, Nam tunc deest voluntas etiam implicita illud verè contrahendi; non enim potest quis simul velle efficaciter verum matrimonium, & simul aliquid velle quod ipsum destruit:

cu-

cujusmodi est conditio impossibilis circa substantiam ejus, v. gr. Modò possim pro arbitrio illud matrimonium dissolvere.

Excepi 2. Ultimas voluntates, ut sunt testamentum, legatum, & donatio mortis causa. Nam in illis conditiones impossibiles, vel turpes ex juris dispositione habentur pro non adjectis, & dispositio testatoris manet absoluta & valida, & ex l. 1. *6. 9.* & 14. *§. de condit. instit.* & ex instit. *de hered. instit.* Eo quod intentio disponentis non censeatur his conditionibus alligata. Quod etiam valet in foro interno, saltem nisi constet de contraria voluntate disponentis: nam homo rectè præsumitur voluisse validè & secundùm leges disponere de rebus suis, nec voluisse mori intestatus, nec in re tanti momenti ludere & jocari faciendo actum irritum: & ideo meritò censetur ex errore potiùs quàm joco talem conditionem adjecisse, putando esse possibilem & honestam; eoque fuisse animo, ut si impossibilem, vel turpem esse sciret, eam non apponeret, aut saltem eam non exigeret, si aliàs dispositio esset nulla.

Aliud autem leges statuerunt de contractibus & dispositionibus inter vivos; quia illis per se loquendo nil nocet contractum esse nullum, cùm possint de novo contrahere, rejecta illa conditione impossibili.

Nota. In ultimis voluntatibus pro non adjecta etiam habetur hæc conditio, *Si non nupserit*, l. 100. *de condit. & demonstrat.* Idque in favorem matrimonii, ut resp. augeatur. Sed postea jure codicis, hoc restrictum est ad primas nuptias, ita ut in secundis hæc conditio vim habeat, & si contra facias, legatum amittas, authent. *Cui relictum*, Cod. *de indicta viduit.* Item hæc conditio, *Si religionem ingrediaris*, etiam pro non adjecta habetur, ex authent. *de sanct. Episc. cap.* 37. in favorem religionis, qui est status majoris perfectionis. Hinc si mulieri relicti sint mille aurei, *si nupserit*, ei tradi debent, licèt religionem ingrediatur.

CAPUT II.

De consensu ad valorem contractus requisito.

Quæst. I. *Quisnam & qualis consensus requiritur ad valorem contractus?*

Resp. Ex communi sententia, consensus debet esse. 1. Verus seu internus, & mutuus, ut patet ex definitione. Hinc non sufficit fictus & merè externus: nam consensus fictus non est verus consensus; sicut homo pictus non est verus homo. 2. Debet aliquo signo externo exprimi, alioqui consensus unius non potest cognosci ab alio, nec proinde acceptari, & vicissim: sicque non possent convenire in idem. 3. Debet esse liber, & plenè deliberatus: nam sine plena deliberatione, seu advertentia nemo censetur velle suscipere in se obligationem ex genere suo gravem: & quilibet contractus etiam latè sumptus debet esse actus simpliciter humanus.

Dices. Ergo ad nihil tenetur, qui contrahit fictè, hoc est, sine animo verè contrahendi, vel se obligandi.

Resp. Is, 1. Peccat contra justitiam, & quidem mortaliter in re gravi, & reus est mendacii perniciosi. Nam in quolibet contractu utrimque obligatorio lex justitiæ præscribit, ut uterque verè contrahat, & ne alter alterum decipiat. 2. Quamvis non obligetur directè & immediatè vi contractus ficti, qui nullus est; tamen tenetur in conscientia ratione injuriæ alteri factæ impedire damnum quod inde alteri oriri posset, & illatum resarcire, quia posuit ejus causam per injustam deceptionem. Imò tenetur tollere deceptionem ipsam & verè contrahere, contractumque ut verum implere: nam ex justitia tenebatur verè contrahere: & sic injuriam fecit fictè contrahendo. Ergo tenetur injuriam illam tollere, verè postea contrahendo: nisi tamen excusaret aliqua alia justa causa: quo casu semper damnum ex deceptione ortum resarciri debet.

Quæst. II. *An consensus ex errore, vel dolo datus contractum invalidat?*

Nota 1. Error est judicium falsum. *Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita*, l. 1. §. *de dolo malo*.

Nota 2. Error vel dolus potest esse, 1. Circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma, ex l. 14. §. *de contr. empt.* vel circa naturam contractus, ut si consentias in contractum, quem putas esse commodationem, cùm sit locatio; vel circa motivum substantiale seu principale contractus, ut si Titio promittas mille aureos, quia putas esse consanguineum tuum, cùm non sit. 2. Circa accidens, seu qualitatem accidentalem rei, contractus, vel motivi principalis. Porrò in multis contractibus ratio personæ se habet tantùm accidentaliter, ut in venditione, &c. In quibusdam verò habet rationem vel motivi substantialis, ut in dona-

natione, & promissione liberali; vel substantiæ objecti, ut in matrimonio.

Nota 3. Illud censetur pertinere ad substantiam rei in contractibus, ad quod ex communi hominum usu, vel dispositione legis præsumitur saltem implicitè & virtualiter restricta contrahentium intentio, ita ut illo sublato tollatur intentio contrahendi.

Nota 4. Duplex est motivum contractûs; unum intrinsecum ac substantiale, quod est id in quod voluntas primariò fertur, dum contrahit, ut in matrimonio acquisitio dominii in corpus conjugis, in emptione acquisitio rei venditæ, &c. Et aliud extrinsecum contractui, estque causa tantùm impulsiva ad contrahendum, ut nobilitas, divitiæ in matrimonio, &c.

Nota 5. Error vel dolus potest esse antecedens, vel concomitans. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita ut sine illo non fuisset initus. Concomitans seu incidens, est ille, qui non dat causam contractui, sed solùm alicui conditioni ejus, aut circumstantiæ, in quantum scilicet sine illo contractus quidem fuisset, sed alia conditione, v. gr. viliori pretio res fuisset empta, si aliquis defectus innotuisset.

Resp. 1. Quilibet error vel dolus circa substantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinsecum ac substantiale invalidat contractum jure naturæ. *Est communis sententia*. Quia deest consensus in aliquid substantiale, quod ignoratur: voluntas enim non fertur in incognitum, ex l. 11. & 41. §. *de contrahens. empt.* & ex l. 9. Cod. *de jur. & facti ignor.* ibi: *Cùm nullus sit errantis consensus*. At sine consensu circa omnia substantialia contractui, nullus est contractus, utpote à libera voluntate dependens, ut constat ex ejus definitione. Hoc procedit, etiamsi error sit concomitans; quia illo posito non adest consensus substantialis, ob defectum cognitionis: *Cùm non consentiant qui errent, quid enim tam contrarium consensui quàm error?* l. 15. §. *de jurisdict.* At nihil subsistit sine eo, quod est de illius substantia.

Hinc 1. Si putarem tibi vendere agrum, & tu putares tibi donari, nulla est venditio: nam erratur in specie contractus. 2. Venditio vasis ærei pro aureo nulla est. 3. Nullum est matrimonium cum Berta, quæ putatur esse Titia. Item si quis falsò putans matrimonium esse solubile, velit tantùm facere contractum solubilem, & potiùs non contrahere, nullum est matrimonium. Si tamen intendens facere contractum solubilem, habeat simul voluntatem generalem faciendi contractum, quem alii faciunt, valet matrimonium vi illius consensus generalis, qui debet censeri absolutus & efficax.

Resp. 2. Si error vel dolus sit circa qualitatem, & non det causam contractui, ex communi sententia non irritat contractum: quia non tollit consensum circa substantialia. Unde si rem pluris emeris quàm valeat, tenet contractus: sed venditor tibi restituere tenetur excessum pretii non solùm supra summam, sed etiam supra illud justum, quo, sublato dolo, res vendita fuisset: quia excessus fuit dolo extortus, ideòque quoad illum facta est injuria. Nec contractus potest irritari à decepto; quia dolus seu injuria non fuit causa contractus; & per restitutionem excessus pretii tollitur injuria, & deceptus constituitur in eo statu in quo fuisset, sublato dolo. Imò etiamsi error, vel dolus circa accidentalia, vel causas quæ alliciunt aut avocant à contractu, det causam contractui, non invalidat contractum, ex l. 5. Cod. *de inutil. stipul.* & l. 5. Cod. *de rescind. vendit.* Quia cùm error, vel deceptio non sit circa substantialia, non impedit consensum substantialem, & sic perficitur essentialiter contractus: accidentia enim & extrinseca non tollunt substantiam rei. Idque patet in contractu matrimonii, quod juxta omnes valet, etiamsi contrahatur cum paupere, eo quòd putetur dives. Nec refert, quòd si scivisses illam qualitatem, vel conditionem rei, non contraxisses: nam actus iste voluntatis, qui sub conditione talis cognitionis futurus fuisset, non est actu, nec virtualiter, & sic nihil efficit, nec impedit consensum actualem absolutum ac sufficientem: alioqui omnes ferè contractus nulli essent.

Error tamen circa qualitatem invalidat contractum, quando contrahens expresśè, vel implicitè non vult contrahere, nisi objectum sit tali qualitate affectum. Nam tunc qualitas illa simul cum substantia rei ingreditur objectum substantiale contractus, & non est voluntas contrahendi nisi posita illa qualitate tanquam conditione.

Resp. 3. Quoties error vel dolus circa qualitatem, dans causam contractui, provenit à parte contrahente, contractus etsi validus, potest rescindi pro voluntate decepti, si solubilis sit, unde non est omnino firmus. *Est communis sententia*. Quia decipiens injuriam facit, quam tenetur tollere, auferendo dolum, & restituendo deceptum in eum statum in quo erat ante contractum, & sic redden-

do

do omnia infecta si deceptus velit. Praeterea *fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*, cap. 5. *de empt.* ac proinde deceptus habet jus dissolvendi contractum, & tollendi obligationem illam, si voluerit consensum revocare. Quare talis contractus obligat decipientem absolutè & irrevocabiliter, cùm sit validus, nec habeat jus eum rescindendi; deceptum verò revocabiliter, & conditionatè tantùm, si nolit contractum rescindere: qui si velit stare contractui, tenetur deceptor excessum pretii, promente vitiosa accepti reddere. Imò juxta Delugo, quando contrahens inculpabiliter decipit per deceptionem quæ dat causam contractui, potest deceptus dissolvere contractum: quia sensus taliter contrahentium hic est, ut nolint irrevocabiliter se obligare nisi stante veritate eorum, quibus alter contrahens inducitur ad contrahendum.

Dixi, *Si solubilis sit*. Nam in iis quæ constituunt statum ex natura sua firmum & irrevocabilem, qualia sunt matrimonium, & professio religiosa, voluntas naturæ rei de qua agitur accommodat se & consentit absolutè, irrevocabiliter & independenter ab aliis conditionibus, quæ non sunt de substantia talis contractus.

Si verò talis error vel dolus dans causam contractui proveniat non à parte contrahente, sed aliunde, ipsa incisa, tunc non solùm valet contractus ob consensum circa substantialia, sed etiam rescindi nequit à decepto. *Ita multi*. Quia pars contrahens non fecit ei injuriam, unde nec tenetur restituere alium in priorem statum, ac libertatem, sed solum rem adducere ad æqualitatem. Deceptor verò tenetur resarcire damnum illatum, cùm sit causa illius injusta.

Excipe promissionem gratuitam, & donationem liberalem: nam possunt revocari pro arbitrio decepti, si error vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, quamvis is non proveniat à promissario, vel donatario. Quia in illis pactis unus solùm se sponte & ex liberalitate obligat, ideòque pendet ab illius solius voluntate, ut pacto apponat conditionem, vel limitationem quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari saltem irrevocabiliter, si notabilis sit error, vel mutatio. Aliud est de contractibus onerosis seu reciprocis, qui pendent à voluntate duorum sese mutuò obligantium, qui sic invicem obligari volunt, ut secluso errore circa substantiam rei vel contractus, & dolo quolibet dante causam contractui, & ab altero contrahentium proveniente, rescindi non possint ab alterutro: alioqui sæpe nulla foret contractuum securitas, & pateret via innumeris litibus; nam facilè alteruter sibi persuaderet se fuisse deceptum. Excipiuntur sponsalia, in quibus major libertas desideratur eo, quòd ordinentur ad mutuum amorem, & ad contrahendum indissolubile matrimonii vinculum.

Quæst. III. *An validus ac firmus est contractus ex metu celebratus?*

Nota. Duplex est metus, levis & gravis. Metus gravis alius est absolutè gravis, alius respectivè. Metus gravis absolutè, & qui dicitur cadens in constantem virum, est metus alicujus mali in se gravis, quo vir fortis commoveri solet: ut metu mortis, mutilationis, diuturni carceris, exilii, jacturæ omnium bonorum, amissionis status, &c. sive hæc mala immineant timenti, sive ejus liberis, parentibus, conjugi, vel consanguineis. Ad metum gravem revocatur metus reverentialis, seu timor habendi parentem, vel superiorem infensum, si hæc offensio putetur magna, diuturna, ac molesta, vel cum gravibus minis, aut verberibus conjuncta sit. Metus gravis respectivè dicitur, qui est alicujus mali, quod etsi non commoveat virum constantem, tamen feminæ, vel seni, vel puero, vel homini meticuloso formidandum meritò videtur: nam hi omnes non minùs concutiuntur levioribus malis, quàm viri fortes gravioribus. Porrò ut metus censeatur gravis, necesse est, ut malum, quod timetur, verisimiliter immineat, alioqui vanus esset timor. Igitur metus gravis, est quo timetur malum verisimiliter impendens, est grave vel absolute seu secundùm se, vel respectivè ad timentem. Metus verò levis est, quo timetur malum leve, vel grave, sed non verisimiliter impendens.

Resp. 1. Contractus strictè sumptus, ex metu gravi injustè ad extorquendum consensum incusso factus, ex communi sententia validus est. 1. Jure naturæ; quia metus gravis non impedit voluntarium ac liberum sufficiens ad peccatum mortale, quando non tollit usum rationis, nec sufficientem deliberationem: voluntas enim non potest cogi quoad actus elicitos. Sic mercator cum plena advertentia rationis, & deliberatione voluntatis eligit ejectionem mercium potiùs quàm naufragium.

Nec obstat quòd contrahens nollet contrahere, si metus abesset: nam ut supponitur, verè consentit; & conditio nihil ponit in re, sed

sed relinquit absolutam electionem ad vitandum majus malum. Et verò hæc duo diversa sunt, *Volo contrahere, & nollem contrahere si metus abesset*. 2. Jure positivo, exceptis quibusdam. *Prob.* tum jure canonico, cap. 2. *de iis quæ vi, &c.* ibi: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*. Ergo sunt solùm irritanda: tum civili, lib. 21. §. *de eo quod metus causa*; & l. ult. Cod. *de his quæ vi &c.* ibi: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extorta sunt, præcipimus infirmari*. Ergo ante sententiam non sunt irritæ.

Obj. Aliquas leges. *Resp.* Sensus illarum legum est, quod contractus ex metu injusto facti, sint irritandi, non sint firmi, nullius sint momenti, nullas vires habeant pro voluntate metum passi, quatenus ad ejus arbitrium rescindi debent, imò ab ipso rescindi possunt.

Excipiuntur quidam contractus ex metu injusto facti, qui jure positivo sunt irriti, scilicet. 1. Matrimonium, cap. 15. *de sponsalibus*. Ratio est, quia si esset validum, cùm natura sua sit indissolubile, injuria non posset tolli, & inde gravissima incommoda sequerentur. 2. Professio religiosa, cap. 1. *de iis quæ vi, &c.* Ratio est, quia professio religiosa est matrimonium spirituale, & vinculum indissolubile ex parte professi, quod proinde tam perfectè voluntarium ac liberum esse convenit, quàm carnale. 3. Promissio dotis, vel ejus solutio, l. 21. §. *de eo quod metus causa, &c.* Ratio est, quia dos est accessoria ad matrimonium, unde ejus naturam sequi debet, sicque maximam etiam libertatem requirit. 4. Promissio vel traditio rerum Ecclesiæ, cap. 2. *de jurejur.* Ratio est, conservatio rerum Ecclesiæ. Et verò si alienatio rerum Ecclesiæ sponte facta sine solemnitatibus non valet, multò magis non valet, si sit metu extorta. 5. Jurisdictio metu gravi extorta, ex l. 2. §. *de judic.* 6. Secundùm multos, sponsalia metu extorta; quia sunt via ad matrimonium contrahendum: unde perfectam etiam libertatem sicut ipsum requirunt. Fieri enim non potest, ut quis promissione sua obligetur ad actum invalidum, nempe ad matrimonium, quod invalidè contrahitur à persona, gravi metu injustò compulsa.

Dubitatur de contractu facto cum pupillo per authoritatem tutoris metu extortam.

Resp. 1. Contractus factus ex metu etiam respectivè gravi injustè incusso ad extorquendum consensum, juxta communem sententiam potest rescindi arbitrio metum passi; sicut dictum est de dolo, unde non est omnino firmus. Quia qui metum injustè intulit, fecit alteri injuriam, quæ fuit causa contractus alioqui non futuri. Ergo tenetur tollere ac resarcire injuriam, & omnia incommoda inde manantia, & læsum in priorem statum libertatis restituere, omnia compensare etiam ante omnem sententiam; ac proinde metum passus habet jus recuperandi suam priorem libertatem independenter à sententia judicis. Potest tamen, si velit, stare contractui invito injuriante, cùm non sit per se irritus, & injurians non habet jus eum rescindendi. Hinc qui metu coactus emit aliquid ab altero, potest contractum dissolvere, vel cogere venditorem ad standum contractui.

Imò tertius possessor tenetur reddere metum passo rem metu injusto extortam, si hic eam repetat, ex l. 14. §. *de eo quod metus causa, &c.* Quia revocato consensu res illa pertinet ad priorem possessorem, & non potuit ad alium transire nisi vitio metus affecta, & cum obligatione revertendi ad suum priorem dominum ejus arbitrio.

Id totum locum habere docent multi, etiamsi metus non à contrahente, sed à tertio incuteretur, idque jure naturæ. Quia consensus per injuriam extortus non transfert rem solidè & irrevocabiliter, sed eo modo ut maneat jus in rem, & non solùm in personam quæ injuriam intulit: par enim non est, ut quis per injuriam alterius jus omne in rem suam amittat. Præterea ratione injuriæ res est in priorem statum restituenda: ergo obnoxia est restitutioni ubicumque fuerit. Aliud est de errore vel dolo circa qualitatem accidentalem proveniente à tertio: quia non impedit voluntarium perfectum circa substantialia. At metus à quovis incussus ad extorquendum consensum, reddit illum minus voluntarium quoad substantiam. Cæterum constat contractum in tali casu posse rescindi authoritate judicis, & dari actionem non solùm in personam, quæ metum intulit, sed etiam in rem, ad quemcumque pervenerit, lib. 9. §. *de eo quod metus causa*.

Dixi 1. *Metu gravi*. Nam metus levis, etiam respectivè, qui in jure dicitur vanus, non præsumitur dedisse causam contractui, & ob hanc præsumptionem, & ne multiplicentur lites, in foro externo non admittitur exceptio, nec datur actio ad rescindendum contractum. Tamen si metus levis injustus verè dederit causam contractui, ita ut eo sublato non fuisset datus consensus, juxta multorum

tos, potest in foro conscientiæ rescindi contractus pro voluntate metum passi. Quia qui metu injusto, licet levi, extorquet consensum, facit alteri injuriam, quam proinde tenetur tollere ac resarcire, restituendo coactum in priorem statum: unde hic habet jus ad hanc restitutionem, & redditionem rei suæ, si velit rescindere contractum.

Hinc qui metu injusto sive gravi, sive levi consensum extorsit, tenetur in conscientia restituere id quod ex tali contractu accepit, si coactus velit, & insuper totum lucrum cessans & damnum emergens compensare, cùm per injustam coactionem suam fuerit illorum causa. Coactus autem tenetur vicissim accepta restituere, si contractui stare nolit: nam non habet justum titulum ea retinendi.

Dixi 2. *Metu gravi etiam respectivè*, scilicet ad fragilitatem talis personæ, ut docet communis aut saltem longè communior sententia. Nam metus respectivè gravis idem præstat, quod metus absolutè gravis; homines enim meticulosæ indolis non minùs commoventur levibus malis, quam viri fortes gravioribus: ideòque metus respectivè gravis involuntarium, seu repugnantiam æque creat.

Dixi 3. *Injustè incusso*. Nam si metus fuerit justus, id est, de malo debito, quod alter jure inferre potest, contractus non potest rescindi à coacto: quia in illo nulla injuria intervenit, quæ sola rescindendi causa est.

Dixi 4. *Metu incusso ad extorquendum consensum*. Nam si metus fuerit alia de causa incussus ab alio tertio etiam injustè, contractus non potest rescindi: ut si quis in latrones incidens, metu ne ab illis occidatur, vel spolietur, alteri, qui injuriæ non est particeps, promittat pecuniæ summam, ut eum liberet, tenetur promissa complere. Quia tunc metus non est propriè causa contractus, sed solùm occasio; nec contractus est metu extortus: sed cum metus sit ob aliam causam injectus, adhibetur sponte contractus tanquam medium ad illum pellendum. Qui tamen metum illum injustè incussit, tenetur ad restitutionem damnorum; nam est illorum prima causa, vel saltem occasio injusta, ex c. ult. *de injur*. Idem die de metu à causa naturali vel interna orto: nam talis metus citra omnem injuriam provenit, & à nullo alio quo quis ad contrahendum compellitur nisi à se ipso.

Porrò si contractus licitus juramento firmatus sit, non potest rescindi nisi à superiore.

CAPUT III.

De iis qui contrahere possunt.

Quæst. I. **Q***Uinam generatim validè possunt contrahere?*

Resp. Ii omnes & soli usu rationis prædicti, qui liberam habent bonorum administrationem, seu legitimam facultatem disponendi de illis. Quia cùm contractus sit actus humanus, qui solùm humano modo, id est, cum advertentia & libertate fieri debet, requirit rationis usum, & cùm sit actus, quo de re aliqua disponitur, requirit in contrahente liberam facultatem disponendi. Posito autem libero rationis usu, & jure disponendi non ligato, nihil ultra potest requiri ad facultatem contrahendi.

Hinc non possunt validè contrahere infantes, amentes, ebrii, furiosi, prodigi, curatorem habentes, &c.

Quæst. II. *An uxor potest contrahere?*

Resp. Uxor non potest contrahere, nec disponere de bonis familiæ, & de dote ejusque fructibus, marito præsente, & valente bona illa administrare rationabiliter invito. Quia quamvis totius dotis & dimidiæ partis bonorum communium proprietas pertineat ad uxorem, tota tamen administratio bonorum familiæ & dotis pertinet ad virum utpote caput familiæ. Potest autem ipsa disponere de aliis bonis, quæ præter dotem attulit, & sibi reservavit, cùm horum habeat & proprietatem & administrationem.

Dixi, *Marito præsente &c.* Nam si sit absens; si amens, vel fatuus, tunc uxor bona familiæ dispensare potest. Si item maritus expressè vel tacitè consentiat in impensas & contractus uxoris, vel sit irrationabiliter invitus, ut si recusaret ea, quæ sunt necessaria ad suam & familiæ sustentationem congruentem, potest uxor in his casibus uti bonis familiæ, sed prudenter & moderatè.

Quæst. III. *An filiusfamilias, pupillus, & minor possunt contrahere?*

Nota 1. Infans est, qui nondum septennium complevit. A septennio usque ad decimum cum dimidio dicitur infantiæ proximus, si sit mas; vel usque ad nonum cum dimidio, si sit femina. Pubes est qui habet annum 14. completum si sit mas; vel duodecimum si sit femina. Ante hanc ætatem dicuntur impuberes. Pubertati proximus censetur masculus à decimo anno cum dimidio usque ad annum 14. completum; & femina à nono cum dimidio usque ad 12. completum.

Nota 2.

Nota 2. Pupillus est impubes, qui desiit esse sub potestate patris, propter ejus mortem, vel emancipationem. Minor est pubes, qui annum 25. nondum complevit, quo completo dicitur major.

Nota 3. Constat inter omnes. 1. Pupillum infantiæ proximum ne naturaliter quidem obligari ob defectum sufficientis judicii; vel saltem ob periculum talis defectus jura illius contractibus resistunt, omnemque obligationem tollunt, *instit. de inutil. stipul.* 2. Minorem qui curatore caret, obligari tum naturaliter, tum civiliter, ex contractu alienationis bonorum mobilium, quæ servando servari non possunt: quia minor curatore carens potest per se solum, quod posset cum consensu curatoris. Sed poterit petere restitutionem in integrum, si ex contractu fuerit læsus, l. 3. Cod. *de in integr. restit.*

Resp. 1. Filiusfamilias impubes non obligatur civiliter ex contractu etiam de bonis castrensibus, & cum consensu patris facto, *instit. de inutil. stipul.* Si pubes sit, potest de bonis castrensibus & quasi castrensibus etiam sine consensu patris contrahere, & obligari etiam civiliter. Nam horum liberam administrationem habet. At non potest de adventitiis, nec de profectitiis disponere sine consensu patris, quia non habet illorum liberam administrationem.

Resp. 2. Pupillus pubertati proximus, & minor obligantur tum civiliter, tum naturaliter, si cum consensu tutoris & curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, ex l. 13. §. *de author. & consensu tutor.* Secùs de immobilibus, & mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, nam hæc validè alienare nequeunt sine decreto judicis, l. 4. Cod. *de prædiis minor.* & l. 22. Cod. *de administr. tutor.* Quòd si sine consensu tutoris, vel curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, juxta multos obligantur naturaliter, sed non firmiter, quatenus hæc obligatio tolli potest beneficio restitutionis in integrum; ita ut qui aliquid ab illis accepit, non teneatur restituere ante sententiam. Sed alii probabiliùs negant eos obligari naturaliter, nisi quatenus facti sunt ditiores. Quod probant. 1. Ex instit. *Quibus alienare licet:* ubi dicitur: *Neque pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris authoritate alienare posse ..... nec debitum solvere sine authoritate tutoris posse; quia id quod solvunt, non fit accipientis: cùm scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris authoritate concessa sit.* Et, Ex lib. 11. §. *de acquir. rer. dom.* ibi: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris authoritate: alienare verò nullam rem potest nisi præsente tutore authore.* Quoties autem contractus legibus simpliciter irritantur sine expressa limitatione ad forum externum, intelligi debent irritari etiam in foro conscientiæ, ideoque nullam parere obligationem. 2. Quia ad validè contrahendum etiam in foro conscientiæ requiritur libera bonorum administratio, qua carent pupilli & minores. Jam verò leges illæ, quæ dicunt pupillum sine authoritate tutoris obligari, intelligi debent de pupillo, qui factus est ditior ex contractu, & in quantum factus est ditior.

Resp. 3. Ex communi sententia, pupillus pubertati proximus sine authoritate tutoris validè contrahit cum majore in suum commodum, non autem in suum incommodum, ex instit. *de author. tutor.* Quod jura statuerunt in favorem ætatis illius, ut scilicet minoribus ætas in damnis subveniret, & in prosperè gestis non obesset. Hinc si pupillus sine authoritate tutoris aliquid emerit, non potest venditor pupillum compellere ad dandum pretium: si tamen velit pupillus stare contractui, cogere potest venditorem actione civili ad tradendam mercem pro pretio constituto. Sed si venditor pupillo mercem tradidit non accepto pretio, potest repetere mercem suam, & pupillus tenetur in conscientia eam restituere; nam nemo licitè locupletari potest cum alterius injuria vel jactura, ex reg. jur. 48. in 6. Quòd si dolo, vel culpa pupilli res tradita perierit, eam solvere cogitur, l. 1. §. *depos.*

Quæ autem dicta sunt de pupillo, eadem dicta intelligantur de minore contrahente sine consensu curatoris sui. Nam curator non minùs datur rebus minorum administrandis, quàm tutor rebus pupillorum, unde minor habens curatorem, pupillo quoad bona & contractus æquiparatur.

Quæst. IV. *An pupillus vel minor tenetur solvere pecuniam, quam sine consensu tutoris vel curatoris mutuam accepit?*

Resp. Tenetur, si eam in usus necessarios, vel utiles impenderit, ex l. 5. §. *de auth. & consensu tutor.* ibi: *Naturaliter obligabitur, in quantum locupletior factus est.* Ex pecunia autem in tales usus consumpta factus est ditior; nam tantumdem suis rebus pepercit. Et verò iniquum est quemquam locupletari cum damno alterius maximè bona fide mutuantis. At non tenetur si eam in usus inutiles consumpserit: quia leges volunt cùm

nullo

nullo modo obligari, ne ejus bona inutiliter consumantur, ex l. cit. & l. 59. §. *de oblig. & act.* ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* Leges autem, quæ videntur significare obligationem pupilli, intelligendæ sunt secundùm l. 5. §. *de author. & consensu tut.* citatam; nempe supponunt pupillum ex accepto mutuo locupletiorem factum esse. Excipe nisi mutuans bona fide putaverit pupillum eam pecuniam impendere velle in suam utilitatem: nam tunc naturalis æquitas solutionem exigit: nec lex intendit privare debito alterum bona fide procedentem, & gratificare volentem.

PARS II.

De contractibus in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Promissione.

Quæst. I. QUid est *Promissio?*

Resp. Est actus voluntatis exteriùs expressus, (nam de promissione facta homini hic agitur) quo quis se obligat alteri ad aliquid: sive est deliberata fidei obligatio facta alteri de re aliqua licita & possibili. Duplex est, nempe onerosa, qua onus alteri vicissim imponitur, unde pertinet ad alios contractus; & gratuita, qua nullum onus alteri imponitur. Si promissio fiat certa verborum formula, qua unus rogat, & alter promittit, dicitur stipulatio: v. gr. *Spondes te mihi daturum viginti aureos? Spondeo.*

Quæst. II. *Quænam requiruntur, ut promissio valeat & obliget?*

Resp. Ex communi sententia, ista. 1. Voluntas se obligandi, ex l. 3. §. *de oblig. & act.* Nam omnis obligatio, quæ non est ex lege, vel præcepto, oritur ex privata hominis voluntate. Unde non est satis dicere, *Promitto me hoc facturum*, si solùm intendas significare animi propositum, non autem te obligare; nam simplex propositum est mera voluntas faciendi aliquid, sed absque animo se obligandi. Sufficit tamen voluntas se obligandi virtualis & implicita, quam habet quis sciens promissionem obligare, vult promittere, nec habet voluntatem contrariam; nam hoc ipso vult se obligare; qui enim vult causam, vult implicitè effectum qui ex illa necessariò oritur, sicut qui vult antecedens, vult necessariò consequens. Omnis autem promissio necessariò parit obligationem, si acceptetur. Idem dic etiam si quis ignoret obligationem ex promissione oriri, modò velit facere promissionem veram, qualis ab aliis fieri solet: nam tunc habet voluntatem implicitam se obligandi, sicut baptizans cum sola intentione faciendi, quod Christiani faciunt cùm baptizant, habet voluntatem implicitam faciendi Sacramentum, licèt ignoret quid illud sit.

2. Requiritur perfecta deliberatio, & advertentia plena ad id quod agitur: Quia cùm hæc obligatio sit onus quoddam, quod voluntariè suscipitur, non debet censeri impositum, nisi adsit plenus consensus, qui nequit esse sine plena advertentia sufficiente ad peccatum mortale: & ideo promissio debet etiam esse libera, cùm sit actus humanus quo homo voluntariè ac liberè se obligat.

3. Ut absit error & dolus circa substantiam rei, vel causam finalem, alioqui deesset consensus substantialis.

4. Ut sit spontanea: nam si per vim vel metum sit extorta, non obligat saltem irrevocabiliter & firmiter, nisi sit jurata, ex c. 6. *de jurejur.* ibi: *Debitores ad solvendas usuras in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.* Quia saltem promissio sic facta potest irritari à promittente: qui ob injuriam acceptam habet jus ut in priorem statum, ac libertatem restituatur, & ut sic accepta ei restituantur. *Talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. quod præsertim procedit de promissione gratuita: nam æquitas non patitur, ut quæ ex liberalitate fiunt, fiant coactè.

Ad vim saltem in promissione gratuita, quæ debet esse omnino spontanea, reducitur metus reverentialis, quo quis repugnante voluntate consentit, eo quòd non audeat contradicere: item preces valde importunæ, quibus res promittitur, vel obtinetur repugnante voluntate, & solùm ad molestiam precum repellendam, quæ aliter sine majore incommodo repelli nequeat.

5. Ut sit de re licita & possibili. Nam nemo potest obligari ad rem illicitam, vel impossibilem. Hinc nulla est promissio rei jam promissæ alteri. Valet tamen promissio facta homini de bono minore, licèt impeditivo majoris boni: nam minus bonum potest ei magis placere quàm majus; secùs de Deo.

6. Ut

6. Ut ab homine, cui fit, acceptetur. Quia sine utriusque partis consensu nullum est pactum, quod, leg. 3. §. *de politic.* definitur, *Duorum consensus atque conventio*; & sic nulla obligatio ex eo oritur, leg. 1. §. *de pact.* Præterea sicut promissio, vel obligatio onerosa tacitam hanc habet conditionem: *Si alter vicissim se velit obligare*, qua sublata non obligat; sic etiam gratuita promissio & donatio hanc tacitam habet conditionem: *Si acceptetur*; qui enim promittit, vel donat, non censetur animum se obligandi habere, donec alter acceptet, & rem sibi gratam fore declaret, cùm velit ei gratificari.

Hinc promissio & donatio non obligant, & semper revocari possunt ante acceptationem. Promissio tamen moraliter durat ut oblata, quamdiu non revocatur, vel ab alio non censetur recusari: unde si illa nondum revocata post intervallum temporis, perinde obligabit ac si statim acceptata fuisset. Idque locum habet in aliis contractibus. Porrò juxta multos, ut promissio gratuita, non onerosa, censeatur acceptata, regulariter sufficit taciturnitas ejus cui fit, ex reg. jur. 42. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*. Quæ præcipuè valet in iis, quæ solùm tacentis commodum continet. Regula verò sequens, *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, procedit in promissionibus onerosis acceptandis.

Excipiuntur pollicitationes, quæ fiunt civitati, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas: quamvis enim jura non loquantur expresse nisi de pollicitationibus factis civitati ad restaurandas ruinas, &c. l. 3. & 4. §. *de pollicit.* ramen id extendunt Doctores ad pollicitationes & donationes ad pias causas; quia hæ æquiparantur iis quæ fiunt civitati, si privilegia spectentur, ex l. 18. & 23. Cod. *de sacrosanct. Ecclesiis*. Sed tunc intervenit acceptatio reip. aut Ecclesiæ: vel leges solùm volunt ut tales promissiones non possint pro libito revocari, sed semper possint acceptari, & promissum peti.

7. Ut promissio exteriùs significetur: nam alioqui non posset acceptari. Hinc si fit merè interna, non obligat, nisi facta sit Deo, à quo utpote cordium inspectore statim acceptatur. Unde si promissio fiat alicui solùm ob Dei honorem, v. gr. Promitto me Dei amore tali pauperi daturum centum, statim obligat antequam acceptetur à paupere, quia talis promissio censetur esse votum, quod statim obligat, utpote statim acceptatum à Deo.

Quæst. III. *An quævis promissio etiam gratuita obligat sub mortali in re gravi.*

Resp. Affirm. Ita S. Antoninus, Azor, Lessius, Vasquez, Sanchez, Reginaldus, & alii communiùs.

Prob. Quia 1. Pacta omnia obligant: ergo obligant graviter, si materia sit gravis. 2. Promissio acceptata inducit obligationem justitiæ, quæ gravis est in re gravi: nam obligatio justitiæ est ea, quæ parit in altero jus exigendi aliquid: sed promissio etiam gratuita hoc jus parit, promittere enim non est solùm affirmare se daturum, vel facturum aliquid, sed est insuper se obligare alteri, ideoque jus ei dare ad exigendum, ut patet ex communi sensu. Unde homines queri solent factam sibi esse injuriam, dum violatur promissio acceptata, per quam acquiritur jus ad rem, quod transit ad hæredes; ac proinde gravis est injuria, ideòque mortalis, si violetur jus ad rem gravem promissam. 3. Promissio, quæ fit per formam stipulationis, vel coram notario & testibus, obligat ex justitia, cùm det actionem in foro externo, cujus sententia spectat huc, ut suum cuique jus reddatur. Horum autem assistentia non addit novam obligationem, sed supponit, & facit solùm ad majorem securitatem. 4. S. Aug. l. 1. *de Doctr. Christ. c. 36.* generaliter ait: *Omnis fidei violator iniquus est.* 5. Et ex Tullio, l. 1. offic. *Fides est justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque constantia.* Ergo qui in promissis fidem non servat, justitiæ fundamentum, quo pacta nituntur, evertit. At hoc est ex suo genere graviter inordinatum. 6. Donatio gratuita accedente traditione dat jus in re: ergo promissio gratuita acceptata dat jus ad rem.

Itaque fidelitas, qua fides data servatur, est species justitiæ, quatenus reddit unicuique jus suum ex promissione debitum: quamvis sit justitia minùs stricta, dum promissio est gratuita. Quare fidei etiam gratis datæ & acceptatæ violatio est quædam injustitia, & quidem ex genere suo turpis, hominemque reddens contemptibilem; & dicitur infidelitas.

Porrò consentiunt omnes eum, qui non implet promissionem gratuitam, teneri resarciri damna inde secuta, cùm dederit illis causam, non servando fidem datam, & sic decipiendo. Idem dic etiamsi fictè promiserit; quia fuit causa damni per deceptionem, ideòque per injuriam. Non est tamen obligatio compensandi lucrum cessans ex re liberaliter promissa, eo quòd suo tempore non

non fuerit data, quia promissio gratuita non obligat ex justitia tam stricta, quàm promissio onerosa: nam illa dat solùm jus rem promissam petendi, & conquerendi de violata fide data; & obligatio ab illa orta pendet à sola promittentis voluntate, qui non intendit se obligare nisi ad dandam rem promissam.

Nota. Juxta multos major quantitas ad mortale requiritur in violatione promissionis gratuitæ, quàm onerosæ, vel in furtis: quia minùs invitus censetur promissarius, quòd res gratis promissa recusetur, quàm si res propria æqualis valoris auferatur.

Quæst. IV. *Ad quid obligat promissio facti alieni?*

Resp. Obligat ad procurandum sincerè & bona fide factum alterius. Nam promittens factum alienum, eo ipso censetur velle se obligare ad illud procurandum: alioqui ad nihil obligaret promissio illa, & nulla esset; nam non potest obligare ad ipsum factum alienum: quia ut alienum non est in promittentis potestate, & ad impossibile obligari nemo potest. *Ita Molina, Sanchez, Delugo: & alii multi.*

Quæst. V. *An promissio facta ob causam turpem, seu opus illicitum obligat?*

Resp. 1. Omnis promissio & pactio de re illicita facienda, non obligat, & nulla est jure naturali ante executionem. *Ita omnes.* Quia nemo potest obligari ad peccandum. Quòd si jurata sit, juramentum est invalidum; cùm non sit vinculum iniquitatis. Imò promissor tenetur retractare statim promissionem, utpote iniquam, & ad peccandum allicientem.

Resp. 2. Multi docent, imò Delugo asserit esse communem sententiam Theologorum, post opus malum patratum obligari promissorem ad solutionem pretii promissi, si datio & acceptatio nulla lege sit prohibita, nec irritata. Quia 1. Promissio matrimonii facta puellæ sub conditione quòd faceret sui copiam, quamvis ante copulam non obliget, post eam tamen ex justitia obligat promittentem ad servanda promissa. Qui si non perficeret, postquàm puella ex parte sua implevit conditionem, injuriam ei faceret, & inæqualitatem inter se & illam poneret. 2. In illis pactis intervenit duplex promissio, una absoluta faciendi rem illicitam, & hæc nunquam valet, nec obligat; altera est conditionalis, & ex suppositione conditionis positæ: sicut possum pauperi promittere: *Si peccavero, dabo tibi eleemosynam*. Quæ pactio perficitur posita conditione turpi, oriturque obligatio ex vi consensus ut sequentis, non ut antecedentis opus malum. 3. Posita conditione, impletio rei promissæ non est turpis, nec enim promissum impletur ob causam turpem, sed ut fides data servetur. Quòd si quis pretium promissum solvat eo quòd crimen patratum sit, tunc peccat, quia tunc approbat peccatum præteritum; sed hoc est per accidens, & ex ejus malitia: nam potest & debet solvere præcisè ut fides data servetur.

Alii verò negant tunc obligare: quia pactiones ob causam turpem in utroque jure absolutè & indistinctè decernuntur *nullius esse momenti, nullam obligationem inducere, nullam vim habere*, cap. ult. *de pactis*, ubi Greg. IX. ait: *Etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel facto, nullam obligationem inducit.* Et l. 26. de verb. obligat. *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* Et l. 6. Cod. de pact. *Pacta quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.* Item l. 5. Cod. *de legib.* Sed priores respondent his legibus significari tales pactiones non valere ante opus patratum, neque post patratum dare actionem in foro externo: per illas autem non tolli obligationem naturalem, quæ ex promissionibus onerosis oritur.

Quæst. VI. *Quænam promissiones secundùm omnes, sunt jure positivo irritæ?*

Resp. Sequentes. 1. Promissiones quæ dant occasionem peccandi: ut si alteri promittas te remissurum ei obligationem de dolo, vi, furto, injuria, &c. l. 27. §. *de pact.* quia hoc cederet in detrimentum boni communis. 2. Promissiones, quibus adimitur potestas disponendi de rebus suis; v. gr. promissio non condendi aut non revocandi testamentum, non instituendi alium hæredem nisi talem; quia hæc omnia sunt contra bonos mores civiles, hoc est, quos expedit esse in rep. bene instituta. 3. Beneficii ecclesiastici nondum vacantis promissio quovis modo facta, est illicita & nulla, ex Conc. general. Lateran. III. cap. 8. etiamsi nullum in particulari promittatur, cap. 2. *de concess. prebend.* in 6. ne detur occasio optandi mortem possessoris. Unde nec licet illud petere, cùm ejus promissio sit vetita.

Quæst. VII. *Quandonam promissio acceptata, & valida desinit obligare?*

Resp. Ex communi sententia, in his casibus. 1. Si res promissa fiat inutilis vel noxia

xia promissario; nam tunc cessat esse materia promissionis, estque contra finem illius vel si ejus impletio fiat illicita aut impossibilis, quia nemo tenetur ad aliquid illicitum, vel impossibile. 2. Si is in cujus commodum facta est, remittat: nam tunc cedit juri suo, & sic tollit obligationem promittentis. 3. Quando causa finalis, ob quam promissio facta est, non extat: ut si promiseris alteri propter beneficium quod putas te ab illo accepisse, cùm non acceperis; quia non promisisti nisi ex hac suppositione falsa; & est error in causa finali seu motivo substantiali. Item si talis causa cessat, ut si promiseris aliquid ob paupertatem, & hæc sublata jam sit; nam non intendisti te obligare ad dandum, nisi subsistente causa finali tempore executionis. 4. Quando duo sibi vicissim aliquid promiserunt, & alter non vult promissa præstare ex cap. 3. *de jurejur.* & ex *reg. jur.* 75. in 6. ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Nam tunc fit mutua compensatio; & promittens non censetur promisisse nisi sub tacita conditione, quòd alter promissum ex sua parte servaret. 5. Si status rerum & personarum ita mutetur, ut promissor juxta prudentum judicium non censeatur voluisse obligare se in tali eventu: tum quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, nec habet vim nisi ex intentione quam expressè vel implicitè habet, dum promittit: tum quia sicut ex regul. jur. 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, si in speciali peterentur; ita neque in promissione comprehenduntur illi eventus, qui judicio prudentum fuissent excepti, si menti occurrissent. Sic qui promisit se tibi mutuaturum pecuniam, non tenetur stare promisso, si postea hac indigeat ob gravem & improvisam necessitatem. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 5. ibi; *Ad hoc quòd teneatur facere quod promisit, requiritur quòd omnia immutata permaneant, alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente subintellectis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eadem conditiones non extant.* Nec obstat quòd promissio sit jurata: quia juramentum firmat promissionem tantùm secundùm intentionem qua censetur facta, & in eo sensu quo facta est, non in alio. Quare si promissio habet tacitam conditionem, sive ex mente promittentis, sive ex natura rei, sive ex juris dispositione aut interpretatione; juramentum non tollit eam conditionem, sed solùm secundùm eam firmat promissionem.

Porrò cùm arctior sit obligatio & interpretatio promissionis onerosæ, quàm gratuitæ, faciliùs in gratuita subintelliguntur aliquæ conditiones, quæ ex communi prudentum sensu inesse censentur; nec hæc obligat, cùm impleri nequit sine gravi damno non prævisio, nec (ut ait S. Antoninus) *si superveniat causa rationabilis non implendi*. Quia, ut suprà dixi, in promissione gratuita promittens se solùm ex liberalitate obligat, idèoque pendet ab illius voluntate ut apponat conditionem vel limitationem, quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari si superveniat causa rationabilis non implendi.

CAPUT II.

De Donatione.

Quæst. I. QUid, & quotuplex est Donatio? *Resp.* 1. Donatio est datio liberalis, sive doni datio. Donum autem est datum gratuitum, id est, quod neque ex justitia debitum est, neque alteri obligationem justitiæ & fidelitatis imponit, quamvis ex eo oriatur obligatio gratitudinis. Unde donatio est rei, aut juris alicujus gratuita concessio.

Ut donatio valeat, ex communi sententia, debet esse deliberata & spontanea, ut dixi de promissione ob easdem rationes; nam *nec ignorans, nec invitus quisquam donat*, l. 10. Codic. *de donat.* Hinc qui aliquid per vim vel dolum accepit, tenetur illud restituere, & tollere ac resarcire injuriam, restituendo alium in priorem statum ac libertatem. Imò juxta multos donatio ex metu levi injusto, tanquam causa finali, facta est in foro conscientiæ nulla: quia donatio ex natura sua exigit ut fiat sponte ac liberaliter: saltem est revocabilis ad nutum donantis. Non valet etiam, nisi sit acceptata ab eo cui fit, ut dixi de promissione, & patet etiam tum ex l. 10. §. de donat. ibi, *Si nescit rem quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donata rei dominus non fit.* Tum ex cap. *de præbendis in 6.* Ratio est, quia donatio est pactio, quæ est essentialiter consensus plurium.

Resp. 2. Donatio dividitur 1. in realem, quæ fit cum traditione doni, unde transfert dominium in donatarium; & in verbalem, quæ fit solis verbis absque traditione doni, & hæc solùm parit jus ad rem. 2. In putè libera-

beralem seu perfectam, quæ in donante nullam ne gratitudinis quidem supponit obligationem; & in remuneratoriam seu antidoralem, quæ supponit obligationem gratitudinis, & qua proinde compensantur beneficia & obsequia gratis collata. Multi autem, quos refert & sequitur Sanchez, docent, quando alicui prohibentur donationes erga aliquos, non prohiberi donationem remuneratoriam, proportionatam beneficiis & obsequiis aliàs non debitis, ex l. 1. §. *de donat.* ubi dicitur: *Dat aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti: & propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat. Hæc propriè donatio appellatur.* Ergo, inquiunt, si quis dat ut debita naturalis gratitudinis solvat, non est propriè ac strictè donatio, sed remuneratio. 3. Alia est inter vivos, qua quis donat cum intentione ut res se vivo fit donatarii: & alia mortis causa, qua quis sic donat, ut nolit rem nisi post mortem suam esse donatarii, ut si dicam: *Dono tibi hanc rem post mortem meam*, vel *Cum moriar*, vel *Quia timeo ne moriar*.

Quæst. II. *Quinam possunt validè donare?*

Resp. Illi soli qui habent dominium & liberam administrationem bonorum: nam qui solùm habent administrationem, possunt tantùm secundùm mentem domini & in ejus commodum alienare: qui autem solùm dominium habent sine administratione, non possunt propria authoritate pro arbitrio disponere de suis bonis: *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare*, cap. 5. de jur. patron.

Hinc 1. non possunt validè donare ii omnes qui non possunt contrahere, de quibus supra. 2. Qui præsunt communitatibus, puta civitati, monasterio; item tutores & curatores ex bonis pupillorum & minorum possunt solùm facere eleemosynas, & donationes remuneratorias moderatas, in quibus censeantur rependere utiliter, non liberaliter propriè donare. 3. Maritus ex bonis communibus nihil potest invita uxore donare saltem sine legitima causa, ob quam uxor non sit rationabiliter invita: quia marito sola potestas ea administrandi competit quoad partem ad uxorem pertinentem; at sub facultate administrandi non continetur facultas donandi: nam donatio non est rei administratio, sed amissio, ex l. 7. §. *de donat.*

Quæst. III. *Quænam donationes sunt jure civili invalidæ?*

Resp. Sequentes. 1. Donatio excedens quingentos solidos invalida est quoad excessum, nisi insinuetur, l. 36. Codic. *de donat.* Verùm circa summam & modum insinuationis consulendæ sunt leges ac consuetudines locorum. In Gallia ex edicto Henrici II non valet donatio excedens quinquaginta libras, nisi authoritate publica insinuata fit. Excipiunt multi quamlibet donationem ad causam piam: quia donatio ad redemptionem captivorum non eget insinuatione, *l. citat.* & legata ad causas pias non indigent solemnitate per leges ad legata prophana requisitas. Hancque esse communem sententiam testatur Julius Clarus, apud Lessium. Pro nomine donationis venit remissio debiti liquidi.

2. Donatio omnium bonorum tam futurorum, quàm præsentium inter vivos invalida est: quia per talem donationem homo privat se testandi potestate, quod leges reprobant tanquam contra bonum ordinem, quem decet esse in rep. l. 61. §. *de verb. oblig.* Valet tamen si fiat mortis causa, quia cùm possit revocari arbitrio donantis, non aufert testandi facultatem.

3. Donationes conjugum inter se jure communi non sunt validæ saltem irrevocabiliter, adeoque ad arbitrium donantis revocari possunt, exceptis quibusdam casibus, l. 1. & 3. §. *de donat. inter vir. & uxor.* & c. ult. *de donat. inter vir. & uxor.* Ubi Gregor. IX. ait: *Donatio, quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta .... firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, &c.* Ratio est, ne conjuges mutuo amore sese bonis spolient cum damno liberorum & parentum; & ne concordia videatur pretio conciliari. Donationes tamen inter conjuges non revocatæ confirmantur alterius obitu, ex l. 31. §. & l. 3. Cod. hoc tit. & cap. cit. modo eæ non impediant ne liberi suas legitimas partes accipiant, ex l. 1. Codic. *de inoffic. donat.*

4. Donatio patris facta filio nondum emancipato, quæ jure digest. erat nulla, jure codicis est tantùm revocabilis, exceptis paucis casibus: unde non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita. Quia quandiu filius est sub patria potestate censetur veluti una persona cum patre quoad effectus civiles. Valet autem donatio matris in filium, quia filius non est in potestate matris, scilicet civili, & in ordine ad effectus civiles.

Nota. In his & similibus, ubi agitur de dispo-

dispositione bonorum; spectandæ & servandæ sunt leges ac consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpè à jure communi Cæsareo discrepant. Nam cùm voluntates subditorum eorumque bona subjiciantur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, nemo potest de suis bonis disponere licitè contra leges justas, quæ semper obligent in conscientia; imò nec validè, si sint irritantes. *Leges justæ habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna*, ait S. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 4.

Quæst. IV. *An donatio acceptata potest revocari?*

Resp. 1. Donatio facta mortis causa, in tribus casibus revocatur. 1. Si donatorem illius pœniteat, sive expressè, sive etiam implicitè, ut si rem illam alteri donet: quia talis donatio ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem, *Nisi revocetur*. 2. Si ante donatorem moriatur donatarius, donatio est ipso jure revocata, nisi donator promisisset se eam non revocaturum; nam tunc juxta varios transiret ad hæredes donatarii. 3. Si donator dederit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacitè revocata donatio sublato periculo: quia censetur facta sub hac conditione, *Si non evasero*, ex tit. *de mortis causa donat.*

Resp. 2. Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas. Ob ingratitudinem donatarii, l. ultim. Codic. *de revocat. donat.* & cap. ultim. *de donat.* ut si donatori injurias atroces, vel grave rerum ejus damnum, vel vitæ periculum intulerit. Item juxta Doctores, si inopia pressum non aluerit. Sed ante sententiam judicis hæc pœna non debetur. 2. Ob prolem postea susceptam, ut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donarit, & postea ei nascatur proles, l. 8. Cod. *de revocat. donat.* quia tunc donatio habet saltem ex dispositione juris hanc conditionem, *Si proles non nascatur*. 3. Si sit inofficiosa, hoc est, facta contra officium pietatis debitæ liberis, vel parentibus, ut quando per eam filii privantur sua legitima, id est, parte hæreditatis sibi debita secundùm leges, l. 1. Cod. *de inoffic. donat.* 4. Si quid donatum sit ob causam, non secuta causa.

Resp. 3. Donatio inter vivos acceptata nequit revocari nisi ob causas prædictas, l. 5. & ultim. Cod. *de revocat. donat.* Quia jure naturæ donatarius acquisivit dominium rei donatæ & traditæ, jus verò ad rem, si nondum sit tradita; nec leges dant jus revocandi nisi ob causas supradictas.

Quæst. V. *An donatio facta ad certum finem valeat, si finis ille non præstetur?*

Resp. 1. Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum obligare, sed solùm allicere animum, vel præbere media ad illum assequendum, si placuerit, valida est donatio etiamsi finis non sequatur. *Est communis sententia*, ex l. 7. Codic. *de condict. ob causas*. Quia donatio non est conditionata, sed absoluta, & facta solùm ex animo alliciendi ad aliquid. Unde res donata potest acceptari & retineri à donatario, etiamsi non habeat animum præstandi quod cupit donator. Sic puella potest acceptare legatum sibi factum ut nubat, etsi nolit nubere. Item valet donatio, qua quis donat alteri ut sibi faveat in aliqua re, quamvis hic non faverit; quia principaliter facta est ad alliciendum, non ad obligandum. Quod verum est, etiamsi donator non donasset, si putasset alium non esse alliciendum: nam adhuc subsistit causa finalis, cùm donet ut possit allicere, non autem sub conditione si actu alliciat. Peccat tamen graviter fœmina, quæ munera acceptat ab amasio largiente ad alliciendum ejus consensum ad libidinem, quamvis ipsa nolit consentire ejus pravæ voluntati: nam fovet impurum ejus amorem ac desiderium, & censetur illud approbare.

Resp. 2. Si donator intendat donatarium ad certum finem obligare, donatio corruit, & res donata restitui debet, fine non impleto, si ille sit principalis finis donationis. *Est communis sententia*, ex l. 8. Codic. *de condict. ob causas*. Nam donator non vult rem esse alterius, nisi posita tali causa finali tanquam conditione.

Quæst. VI. *An dolus vel error circa causam finalem irritat donationem, & promissionem gratuitam?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia donatio & promissio gratuita fit sub conditione: Si causa finalis subsistat; & quia causa finalis est motivum substantiale donationis & promissionis gratuitæ, quo proinde non subsistente, non subsistit actus: nam actus voluntatis non est, sublato motivo volendi. Ergo si sit error circa causam finalem, deest tunc volitio donandi vel promittendi. Sic si quis falsò putans Titiam esse consanguineam, dotem ei promittat, vel donet, quia est consanguinea, hæc promissio, vel donatio nulla est.

Hinc tenentur ad restitutionem. 1. Qui fingit se habere aliquam conditionem, seu qualitatem, quæ requiritur ut quis admittatur gratis in aliquod collegium, vel hospitale,

tale, vel ut accipiat aliquod pium legatum. Item qui fingit se pauperem, ut recipiatur gratis in seminarium fundatum pro pauperibus alendis: nam adest dolus & error circa causam finalem & conditionem, qua non posita, nulla est intentio donandi, nec ullum jus nascitur. 2. Qui accipit aliquid ob causam fictam. 3. Qui se fingit pauperem, tenetur accepta titulo eleemosynæ restituere, vel donatori, quia adhuc illius sunt, nam non fuit voluntas dandi nisi vero pauperi, vel pauperibus, quia dum non constat donatorem revocasse voluntatem, censetur perseverare in priori voluntate dandi pauperi: unde tunc ejus voluntatem exequitur.

Secus, si error sit solùm circa causam impulsivam, quæ nempe tantùm movet ad faciendum, vel dandum promptiùs, faciliùs, non autem movet ad dandum simpliciter; quia ea sublata adhuc est voluntas dandi: ut si Petro verè pauperi sed simulanti pietatem, des eleemosynam principaliter ob paupertatem.

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

Quæst. I. QUid est Mutuum, seu Mutuatio? *Resp.* Est contractus, quo res numero, pondere vel mensura constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione reddendi similem in specie & bonitate, post lapsum temporis, ex l. 2. §. *de rebus credit. & Instit.* lib. 3. tit. 15.

Dicitur 1. *Res numero, &c.* ut sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum: nam materia mutui sunt res quæ in jure dicuntur functionem recipere, hoc est quarum una potest fungi vice alterius, ut vinum vini, pecunia pecuniæ, & sic substitui pro alia, ex loc. cit. 2. *Traditur*, quia mutuum traditione perficitur. 3. *Ut statim fiat, &c.* nam per mutuum, dominium rei transfertur: unde ex instit. cit. *Mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Quare mutuatarius sub suo periculo tenet rem mutuatam, sed omnes fructus ex ea percepti ad eum pertinent, nam res perit & fructificat domino. Hinc mutuum differt à commodato, locato, &c. 4. *Cum obligatione, &c.* Per hoc differt à donatione. 5. *Reddendi similem, &c.* Per hoc differt à permutatione, in qua res unius speciei datur pro re alterius speciei, v. gr. frumentum pro vino. 6. *Post lapsum temporis:* nam est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, alioqui esset inutile mutuatario; & per hoc differt à cambio, ubi pro moneta aurea statim redditur argentea ejusdem valoris.

Quæst. II. *Quænam sunt obligationes mutuatoris, & mutuatarii?*

Resp. 1. Mutuator tenetur. 1. Monere mutuatarium de vitio rei, si quod sit: alioqui tenebitur de damno, cum ei causam dederit. 2. Non repetere mutuum ante tempus præfinitum. Quod si non sit constitutum, non potest repeti nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile, spectatis circumstantiis & fine ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere. 3. Non plùs exigere quàm valeat res mutuata: nam mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & alioqui esset injustitia & usura.

Resp. 2. Mutuatarius, ut patet ex natura mutui, tenetur. 1. Reddere mutuum tempore statuto: quod si non sit constitutus terminus, quando mutuans rationabiliter repetet. 2. Si ex culpa sua non reddat tempore debito, tenetur compensare mutuanti damnum inde secutum & lucrum cessans, cùm sit illius causa injusta; nisi ex eo quòd mutuans tunc non repetierit mutuum, prudenter judicet terminum prorogasse. 3. Tenetur de omni casu fortuito, ita ut non liberetur, nisi cùm mutuator mutuum reipsa acceperit vel per se ipsum, vel per alium à se designatum: quia tunc res semper manet mutuatarii, & sic ei perit. 4. Tenetur reddere rem ejusdem speciei & bonitatis; nec sufficit si solvat ejus pretium, nisi alter sponte consentiat: mutuum enim eadem bonitate qua datum est, eodemque genere reddi debet, l. 3. §. *de reb. cred.* neque enim mutuum est venditio aut permutatio.

Quæst. III. *In qua specie & bonitate res mutuata reddi debet?*

Resp. Seclusa speciali conventione justa non potest exigi pecunia eadem in specie physica, sed solum eadem in valore quem habuit tempore mutui, sive interim valor monetæ auctus fuerit, sive imminutus, saltem si tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa nec spectata. Ita communiter Theologi, teste Delugo. Nam cùm in pecunia per se spectetur solùm valor extrinsecus, non entitas physica, & ex usu constet speciem monetæ potissimum desumi ex valore, non ex materia, reddendo valorem, quem habuit tempore mutui, tantum reddis quantum accepisti. In aliis verò rebus, in quibus per se spectatur & intenditur rei entitas, restitui

debet in eadem specie physica, v. gr. triticum pro tritico, & quidem in eadem mensura, sive pretium ejus crescat, sive decrescat, quando tempore mutui hæc mutatio non prævidetur, nec ad eam attenditur. Quia cùm in iis rebus entitas & bonitas intrinseca spectetur, reddendo eandem mensuram ejusdem speciei physicæ, & bonitatis intrinsecæ, tantum redditur quantùm acceptum est, & sic servatur æqualitas. Aliud est de moneta dum ejus valor accrevit; Quia in ea æqualitas valoris, non substantiæ spectatur.

Quæst. IV. *An licet pacisci de reddenda re mutuata in eadem mensura & quantitate, vel pecunia in eadem specie physica?*

Resp. 1. Si sit dubium utrùm res tempore restitutionis valitura sit pluris aut minoris, licet pacisci ut reddatur par mensura reique in se bonæ, & eam suo tempore accipere, quamvis interim pretium ejus valde creverit, ex cap. ultim. *de usur.* Quia tunc par est contrahentium conditio, & servatur æqualitas: nam erga utrumque est æqualis spes lucri, & æquale periculum damni. Idcirco licet etiam exigere tot in specie physica nummos, quod dati sunt, sive valor mutetur, sive non, quando utrumque est æque probabile.

Resp. 2. Si certum vel probabilius sit rem tempore solutionis plùs valituram quàm modò, vel valorem monetæ augendum, non licet exigere parem mensuram vel parem numerum nummorum, sed solùm eam mensuram, quæ tunc exæquabit valorem præsentem rei mutuatæ, vel pretium æquale monetæ mutuatæ. *Ita Lessius, Delugo, Salas, & alii multi.* Quia alioqui exigeretur ultra id quod æquivalet rei mutuatæ, quod est usura: res enim tempore solutionis pluris valebit, quam eo quo traditur. Hinc si sex modii tritici tunc valeant duodecim aureis, non licet totidem exigere, si tempore solutionis valituri sint quindecim.

Excipe, nisi statuisses rem vel monetam tuam usque ad illud tempus servare: nam tunc licet pacisci, ut moneta in eadem specie, physica, vel mutuata cum eo incremento reddatur, deducta æstimatione laboris, periculi & sumptus in ea re usque ad illud tempus servanda; nam tunc id exigitur ratione lucri cessantis.

Quæst V. *An filius familias etiam major qui sub patria potestate consistens mutuam accepit ab alio pecuniam sine consensu patris; teneatur eam restituere post mortem patris?*

Resp. Juxta multos, immò communem sententiam teste Lessio, non tenetur, etiam in conscientia, nequidem post mortem patris, si eam in ludis, compotationibus aut aliis rebus inutilibus consumpsit, & non putabatur esse sui juris. Quia jure civili nempe senatusconsulto Macedoniano in Gallia & in Lotharingia vigente, tollitur omnis obligatio etiam naturalis ex tali mutuo: nam hoc in odium ac pœnam sic mutuantium, & ob bonum commune, nempe ad tollendam occasionem multorum malorum ac scelerum fuit statutum à repub. seu principe habente dominium altum in bona subditorum relatè ad bonum commune; & alioqui lex non assequeretur finem suum, nec satis provisum esset securitati parentum, & aliis incommodis ac criminibus ex illis mutui sequi natis. Unde huic privilegio filiusfamilias renunciare non potest, quia non in ejus favorem præcisè, sed præcipuè parentum, & ad avertenda gravia mala concessum est. Et quia *jus publicum privatorum pactis mutari non potest*, l. 38. *de pact.* Nec hoc mutuum confirmari potest juramento, cùm sit in detrimentum tertii, & boni publici. Et jurans potest saltem petere relaxationem juramenti, qua obtenta ad nihil tenebitur. Idem dic si filiofamilias merces fuerunt venditæ credito, vel aliæ res mutuo datæ in fraudem legis, ut scilicet ex illis venditis pecuniam compararet, l. 3. §. *ad senat. consult. Maceden.*

Quæst. VI. *Quid est usura, & quotuplex?*

Resp. 1. Usura latè sumpta est quodlibet lucrum sive licitum, sive illicitum, vel fructus ex aliqua re perceptus. Strictè sumpta, ut hìc sumitur, est lucrum temporale præcisè ratione mutui perceptum, vel quæsitum: sive lucrum immediatè ex mutuo proveniens aut intentum. *Usura est, si plus acceperis, quàm dederis*, ait S. Hieronym. in cap. 18. Ezechiel. *Usura est, si plus quàm dedisti, expectes accipere*, ait S. Augustinus in Psalm. 36. Lucrum autem est id quod quis acquirit, cùm antea non esset suum, nec ei ex justitia deberetur.

Dicitur 1. *Lucrum temporale*, id est, pecunia vel quidlibet pretio æstimabile: nam ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. *Secundùm Philosophum, omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium potest pecunia mensurari.* Hinc non est usura mutuare ad acquirendum amicitiam alterius: quia hæc non est pretio æstimabilis.

2. *Ratione mutui*, sive expressè ac formalis,

lis, sive virtualis ac impliciti. Unde lucrum aliundè proveniens potest esse injustum, nec tamen usurarium, ut excessus justi pretii ex re vendita. E contra quidquid pretio æstimabile ultra sortem reddendam, sive ante, sive post mutuum datum, exigitur vel accipitur tanquam ex mutuo debitum, usura est. Mutuo tamen gratis dato, si quid sponte ac liberaliter offeratur, id mutuans licitè accipit, *non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficitur per hoc quòd mutuavit*, ait S. Thom. quæst. 78. art. 2. sed in praxi non licet aliquid accipere à pauperibus, & rarò ab aliis licet: quia rarò donant sponte ac liberaliter; sed plerumque dant solùm vel ad ulteriorem dilationem solutionis obtinendam, vel ex metu ne aliàs mutuum deinceps recusetur.

Resp. 2. Usura multiplex est, scilicet realis, mentalis, aperta, & palliata. Realis est ea, quæ in mutuo deducitur in pactum sive expressum, sive implicitum; cùm mutuans expressè vel implicitè declarat se velle, aut expectare aliquid supra sortem. Mentalis est, cùm quis mutuat ex intentione aliquod lucrum ex mutuo percipiendi, talem intentionem non significans ei cui mutuat, licèt eam exteriùs exequatur, sed occultè, & præcisè mutuando. Unde usura alio sensu dicitur mentalis, quam alia peccata dicuntur mentalia; hæc enim sic vocantur, quamdiu actu externo non consummantur: at usura dicitur mentalis, in quantum nullum pactum supponit, quamvis datione mutui, & receptione lucri exteriùs impleatur; sola enim voluntas percipiendi lucrum ex mutuo si mutuum non detur, est usura purè mentalis.

Usura aperta est ea, quæ percipitur ex mutuo explicito cum pacto expresso lucri. Palliata seu implicita est ea, quæ provenit ex mutuo implicito ac virtuali, latente sub alio contractu, v. gr. venditionis, depositi &c. qui tamen sit vel includat virtualiter mutuum. Unde est vera usura, sed velata aliquo prætextu: ut si deponas apud Titium aliquid in pondere, numero, vel mensura consistens, data ei facultate utendi, & ad libitum disponendi, cum pacto ut pro usu aliquid ultra capitale solvat: nam tunc est reipsa mutuum, l. 9. §. *de rebus credit.* & sic lucrum inde proveniens est usura.

Quæst. VII. *An & quo jure usura sit prohibita?* (a)

Resp. Quælibet usura omni jure prohibita est. Et 1. quidem jure divino positivo, Ezech. 18. Ubi

(a). Quæ ab Authore in hac septima quæstione & seqq. exposita sunt, & propugnata, confirmat, ac probat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in Epistola Encyclica, quam prima Novembris 1745. dedit ad omnes Italiæ Episcopos, quæque incipit, *Vix pervenit*. Sed quæ huc spectant, clarius & luculenter exponit in insigni, ac universæ Ecclesiæ perutili opere, de Synodis, in quo, ea innuens, *Quæ de usuris, & contractibus ab Episcopis in Synodis decerni possint* plura de usura, & mutuo explicat, atque declarat, quæ cum scitu necessaria videantur, omnia transcripsimus.

„ 2. Omne lucrum ex mutuo, præcise *ratione mutui*, uti loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium; atque omni jure, naturali scilicet, Divino, & Ecclesiastico illicitum esse perpetua fuit, & est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, & Theologorum unanimi consensione firmata. Huic contradixere Græci schismatici, qui, teste Guidone Carmelita *in cathaloge Hæreticorum*, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt: Græcis ex parte consensit Calvinus, qui *ad caput 18. Ezechielis*, licere docuit, aliquod moderatum lucrum, non quidem à paupere, sed à divite, præcise ratione mutui, exigere: Errorem à Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinæus *in suo tractatu de usuris*, ubi *num.* 10. audacter affirmat, usuram non esse prohibitam, *nisi in quantum est contra Charitatem*; distinguit deinde *num.* 85. tres hominum gradus: Primus complectitur pauperes, emendicata stipe viventes, quibus non mutuo, sed eleemosyna succurrendum, ait: Alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pares sint, mutuo, postea restituendo; atque his quoque mutuum gratuito dandum, asserit: Tertius gradus complectitur divites, & Mercatores, qui nihili indigent, sed rem suam negotiatione amplificare student, & ab his usuram moderatam, ratione mutui, juste, ac sancte exigi posse, tradit Molinæus. Eamdem pravam opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius, in duplici tractatu, altero inscripto *De usuris*, altero *De trapezitico fænore*, quibus in locis usuram, nisi Charitatem lædat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit *merces locatæ pecuniæ*. Verum quamquam plurimi Heterodoxi, Calvini, Molinæi, & Salmasii systemati stabiliendo allaboraverint, inter quos Petrus Heiniglus *lib.* 2. *quæst.* 1. Gerardus Noodt *de fænore, & usuris lib.* 1. Gronovius, & Barbeyrac. *in notis ad Hugonem Grotium*, *lib.* 2. *cap.* 12. Boehmerus *jur. Eccles. Protest.* *tom.* 5. *lib.* 5 *tit.* 19. rationem tamen, qua eam Salmasius tutatus est, fere omnes refellerunt, rectè arbitrantes, mutuatæ pecuniæ dominium transferri in mutuatarium, ac propterea, non posse mutuum locationi, ullo pacto comparari, sicuti testatur Gottfridus Mascovius *in notis ad Pufendorf lib.* 5. *cap.* 7. § 5.

„ 3. Impiæ Calvini, & Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores Catholici: distinguunt & illi duplex genus mutui: unum, quo pecunia, aliave res, datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant &c. alterum, quo datur ad negotiationem, ut cum Mercatoribus fieri so-

Ubi usura gravissimis criminibus annumeratur. *Uxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos: ad usuram dantem, & ampliùs accipientem, nunquid vivet? Non vivet, cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.* Et, Psalm. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo ..... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quem locum de præcepto explicat Concil. Nicæn. I. cap. 17. & Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Equidem (ut notat S. Thomas) mutuum dare potest esse interdum consilium; sed lucrum ex mutuo non quærere semper est præceptum: sicut in illo, Psalm. 75. *Vovete, & reddite vota Domino Deo vestro,* prius verbum continet consilium, posterius verò præceptum. Quare Concil. gener. Lateranens. II. canone 13. ait usuram divinis legibus in veteri & novo Testamento prohibitam esse: idem docet Concil. general. Lateranens. III. cap. 25. Et, Concil. gener. Vienn. cap. *Ex gravi*, sic definit: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.* His adde Patrum consensum. Pro omnibus sint S. Basil. in Psalm. 14. S. Greg. Nissen. homil. 4. in Ecclesiasten, S. Ambrosius, lib. de Tobia, c. 14. S. Chrysostomus, homil. 5. in Matth. S. Hieronymus, in cap. 18. Ezech. S. Augustin. in Psalm. 34. serm. 3. S. Leo, serm. 6. de jejunio decimi mensis.

2. Jure divino naturali, ut docet communis sententia doctorum. Nam recta ratio dictat esse illicitum, & contra justitiam commutativam, in contractu, ubi servanda est æqualitas, plùs exigere, vel accipere vi illius, quàm valeat res quæ datur: nam in hoc est inæqualitas, ideòque injustitia. Sed aliquid supra sortem, seu rem mutuo datam accipere ratione mutui, est plùs accipere quàm valeat res data, ut patet: nam sors reddenda jam est æqualis valoris cum re mutuata. Unde ipsi ethnici solo lumine naturali norunt usuræ malitiam, ut Plato, lib. 1. *de legibus*, Aristoteles, lib. 1. *Politic.* cap. 7. Cato, Cicero, Seneca, Plutarchus, &c. Adde quod ex S. Thom. 1. 2. quæst. 108. art. 1. & 2. ex consensu Theologorum omnia præcepta divinæ legis Evangelicæ sunt juris naturalis, præter præcepta de sacramentis & de fide.

3. Jure canonico, ut patet ex toto titulo de usuris, & ex pœnis contra usurarios statutis. Hinc usurarii compellendi sunt tum ad omnes contractus usurarios utpote injustos rescindendos, antequam absolvantur, tum ad restituendum usuras & compensandum omne lucrum cessans & damnum emergens ex usuris solutis.

Obj. 1. Deus permisit Judæis, ut usuras acciperent ab extraneis, Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno.*

Resp. Deus non permisit usuram propriè dictam, nempe lucrum ratione mutui provenienss; sed ad summum, ut supremus bonorum omnium dominus occasione mutui Judæis concessit dominium rei additæ sorti, sicut tradidit illis vasa Ægyptiorum. Unde Judæi auctarium non vi mutui, sed vi donationis divinæ accipiebant. Porrò hanc concessionem multi restringunt ad illos alienigenas, quibuscum Judæi justum bellum gerebant. Ita S. Ambrosius, lib. de Tobia cap. 15. ubi ait; *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis? Ibi, inquit, usuram exige. Cui jure inferun-*

tur

„ let, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant: in primo casu usuram esse fatentur, quidquid exigitur ultra sortem; At à fœnoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet, à patriæ legibus definitum.

„ 4. Novam hanc distinctionem, ab Hæreticis primum excogitatam, præverterant Ecclesiæ Patres, qui uno ore, absolute, atque indefinite fœnerantium pronuntiaverant, quidquid ex mutuo, ultra sortem exigitur: Tertullianus *libro* 4. contra Marcionem *capite* 17. ita explicat Ezechielis locum: *Pecuniam*, inquit, *suam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non sumet: fœnoris scilicet redundantiam, quod est usuras.* S. Basilius *in Psalm.* 14. (*tom.* 1. *oper. pag.* 107.) allegato pariter Ezechielis loco, ait. *Ezechiel id in maximis malis recenset si fœnus, & quidpiam ultra sortem accipiatur.* S. Ambrosius *lib. unic. de Tobia, capit.* 14. *numer.* 39. (*tom.* 1. *oper. col.* 607.): *Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit usura est.* S. Hieronymus *in cap.* 18. Ezechielis (*tom.* 5. *oper. col.* 210.) *Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* S. Augustinus *in Psalm.* 36. *serm.* 3. *num.* 6. (*tom.* 4. *oper. col.* 285.): *Si fœneraveris homini, idest mutuam pecuniam dederis à quo aliquid plusquam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plusquam dedisti expectas accipere, fœnerator es:* Concilium Agathense relatum à Burchardo *lib.* 2. *c.* 125. Ivone *part.* 6. *cap.* 200. & à Gratiano *caus.* 14. *qu.* 7. *can.* 4. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur, v. gr. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris;* Ex quibus Gratianus ibidem concludit: *Ecce evidenter ostenditur, quod, Quidquid ultra sortem exigitur usura est.* Patribus adhærere veteres Theologi, qui, duce D. Thoma 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2.

tur arma, huic legitimè inducuntur usura ... ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Ibidem dicit. *Sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.*

Dixi, *Ad summum*. Quia S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 2. docet id non fuisse eis concessum ut licitum, sed dumtaxat toleratum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant.

Nec obstat illud, Deuter. *Fœneraberis gentibus multis; ipse à nullo fœnus accipies*. Nam fœnerare ibi significat mutuum, & fœnus accipitur pro mutuo: ibi quippe promittitur divitiarum abundantia.

Obj. 2. Montes pietatis, qui sunt cumulus pecuniarum publica authoritate institutus ad mutuandum pauperibus, approbati sunt à Conc. Later. V. & tamen in illis aliquid exigitur supra sortem.

Resp. Illud auctarium non exigitur ratione mutui, sed damni emergentis, seu pro eorum impensis & indemnitate dumtaxat, ut expresse declarat Conc. Later. V. Nam ad conservationem & administrationem horum montium conducuntur ministri, quibus debetur aliqua merces; quæ si sumeretur ex ipsa sorte reddenda, brevi montes illi exhaurirentur; & sic damnum emergeret ex mutuo. Cùm autem montium conservatio, indemnitas & administratio ordinetur ad utilitatem accipientium mutuum, ut semper paratam pecuniam invenire possint absque necessitate adeundi usurarios cum majore suo damno, æquum est ut pro ea aliquid conferant; nam qui commodum sentit, onus quoque sentire debet, ex reg. jur. 55. in 6.

Obj. 3. Mutuans privat se potestate utendi & fruendi re mutuata, quam aliàs haberet.

Resp. Non ideo licet aliquid supra sortem exigere pro privatione ista. Quia sicut potestas illa non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate illius rei; ita privatio illius potestatis non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate privationis ipsius rei. Privatio autem rei sufficienter compensatur redditione ejusdem, & carentia periculi illius, quamdiu non redditur, cùm mutuanti, ut supponitur, ex privatione rei nullum lucrum cesset, nec damnum sequatur.

Nec dicas posse aliquid exigi propter usum rei mutuatæ; nam per se injustum est vendere alteri usum rei non suæ, sed hujus alterius; per mutuum enim transfertur in mutuatarium rei mutuatæ dominium: ac proinde usus rei pertinet ad illum, præsertim cùm usus rerum, quæ mutuantur, non sit æstimandus seorsim ab illis, sitque illarum consumptio, vel alienatio. Igitur nihil est pro quo lucrum ex mutuo accipi jure possit: ac proinde lucrum ex mutuo est omnino injustum cùm justo titulo careat.

Obj. 4. Jus civile probat usuras, digestis & codice de usuris.

Resp. 1. Cùm S. Thom. usuræ non probantur, sed tolerantur, seu non puniuntur ad impedienda majora mala, sicut tolerantur meretrices. 2. Jus civile potest intelligi de usuris latè sumptis, nempe de pecunia, quæ ultra sortem accipitur ob aliquod interesse, scilicet vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens. 3. Si quædam leges sic explicari non possent, nec supponerent titulum justum, correctæ sunt per jus canonicum, & sunt per se injustæ, ideoque nullæ.

Obj. 5. Ex S. Thom. potest aliquid accipi pro usu pecuniæ.

Resp. Loquitur de usu pecuniæ locatæ, non autem mutuatæ; sic enim, 2. 2. qu. 78. art. 1. ad 6. ait: *Usus principalis pecunia est distra-*

„ adeo districte omne lucrum ex mutuo, jure naturali, & Divino vetitum asseruere, ut ne munus quidem *ab obsequio*, *aut à lingua*, quod certe quid minimum est, nullique onerosum, à mutuatario, solius mutui causa, exigi posse docuerint.

„ 5. Neque vero Calvini, & Molinæi Asseclis suffragantur, aut loca Sacræ Scripturæ speciatim prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur, uti Exodi 22. *vers.* 25. & Levitici 25. *vers.* 35. aut sententiæ Patrum, usuras dumtaxat redarguentium immoderatas; aut Canones Conciliorum, puta 36. ex Apostolicis 17. Nicænus, & 12. Concilii Arelatensis primi, solos Clericos fœneratores severis pœnis subjicientes: Etenim antiqui Testamenti paginæ, in ipsismet in contrarium adductis locis, & adhuc clarius Deuteronomii 25. *vers.* 19. Ezechielis 18. & *Psalm.* 14. omnem omnino usuram, absque ullo personarum, à quibus exigatur, discrimine; prohibet, & detestatur; Pauperes autem alicubi expresse nominat, vel tantum exempli causa, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis alienæ, & necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immoderatum fœnus solvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput adnotavit etiam Hugo Grotius; vel quia usuræ quæ à pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam, & immanitatem, speciali nota, & reprehensione dignam, sicuti ratiocinatur Gibalinus *de usuris*, *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 2.

„ 6. In novo autem Testamento *Luca* 6. illis Christi Domini verbis, *Mutuum date*, *nihil inde sperantes*, preceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo, ab ullo, sive paupere, sive divite, exigendi non solum docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 4. sed concors fuit Conciliorum, Patrum, Summorumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III. *in cap. Consuluit*, *de usuris*, qui

distractio pecuniæ in commutationes: unde non licet ejus usum vendere, Tamen potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ, puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris, & talem usum pecuniæ licitè homo vendere potest. Quia scilicet vendens non mutuat, sed locat: unde pecuniæ dominium & periculum retinet.

Obj. 9. Mutuum dare est beneficium præstare.

Resp. Non idcirco propter hoc beneficium licet aliquid exigere: imò verò quia mutuum est beneficium, ideo est essentialiter gratuitum: nam beneficium est bonum gratis datum, ideòque essentialiter gratuitum. *Benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam, neque enim beneficium fœneramur*, ait Cicero, l. de amicitia. Igitur mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & institutus in solius mutuatarii commodum.

Quæst. VIII. *Quænam propositiones usuræ palliatæ damnatæ sunt?*

Resp. 1. Alexander VII. hanc damnavit: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Est falsa: nam obligatio non repetendi sortem ante certum tempus etsi longum, est intrinseca mutuo postulato: est enim de ratione mutui in communi, ut res mutuata repeti nequeat nisi post certum tempus varium pro varietate & exigentia causæ petendi mutui; cùm hoc sit necessarium ad finem mutui, qui est gratis impendere subsidium utile proximo: alioqui inane esset mutuum, nec beneficium. Igitur obligatio non repetendi sortem ante hoc tempus præfinitum est intrinseca huic mutuo in individuo; & si terminus sit ad longum tempus, tunc trahitur ad longum tempus obligatio intrinseca mutuo, & tunc est mutuum longum seu in longum tempus, sicut mutuatio summæ magnæ est mutuum magnum. Præterea talis obligatio, secluso alio extrinseco, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendam rem mutuatam post tale tempus, & subeundum toto illo tempore illius periculum. Hinc nec licet aliquid exigere, eo quòd mutuans terminum constitutum proroget: quia est proroga-

---

„ præfati Textus auctoritate, omnem quantumvis minimam usuram, universam vetitam pronuntiarunt; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi, ait, *omnem usuram, & superabundantiam*. Dicere autem summos Pontifices, & Concilia prædicti Textus verum, & genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquis mussitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia, non solum infailibili polleat auctoritate, in definiendis quæstionibus, Fidem, aut mores respicientibus, quod nullus Catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubitarunt, certum, & indubitatum est, eam errare non posse in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo.

„ 7. Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum: hi siquidem, licet vehementius invehantur in usuras immoderatas, atque à pauperibus extortas, veluti culmen sceleris, ad quod homines pertrahit sordida, atque insatiabilis avaritia, non idcirco tamen approbant moderatas, à divitibus exigendas; quinimmo etiam istas aliis in locis expresse condemnant: Enimvero Ambrosius *cit. lib. de Tobia cap. 6. (tom. 1. oper. col. 597.)* de his agens, qui pecuniam suam fœnerantur non indigenti, seu diviti, sed negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat: *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna sua lucra arbitrantur, & dispendio suo deputant, quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant, per suos adjungunt, se simulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates .... Sin vero nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt fabulas, ajunt, nobile prædium esse venale, ampliam domum, accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur, ut comant, similiter faciunt pretiosas vestes & mobilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: Utere, ut tua: de fructibus empta possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes*, & *cap. 14. (col. 607.): Et putas te pie facere, quia à Negotiatore, velut munus suscipis. Inde ille fraudem facit in mercium pretium, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & quodcumque sorti accedit usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est.* Similiter Hieronymus in *cit. cap. Ezechielis (col. 208. num. 5. oper.)* perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus, fœnus reprobat, etiam ex re percipiendum, quæ ingentem fructum mutuatario attulit, inquiens: *Soles argumentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios; nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam; cum ille mea liberalitate novem, & semis de meo habeat?* Nolite errare, *inquit Apostolus*, Deus non irridetur: *Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat; sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente &c.*

„ 8. Ad Canones quod attinet, si argumentum, quod ex illis instaurant, quidquam habet roboris, & efficacitatis, probaret etiam fornicationes, & adulteria esse Laicis permissa, quia plerique Canones in solos Clericos fornicarios, & adulteros, nulla facta Laicorum mentione, animadvertunt, quæ sane argumentatio inepta, & ridicula foret: novum quippe non est, Ecclesiam severius in Clericis punire delicta, quæ etiam in Laicis execratur; sicuti opportune, & ad rem apposite monuit Concilium Carthaginense 1. *can. 13. Quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari.* Cæterum non desunt alii innumeri Canones, Clericos æque ac Laicos usurarios redarguentes; atque ut alios prætereamus, antiquissima

rogatio mutui, quod ex natura sua est gratuitum; & quia nihil potest exigi ratione dilationis solutionis.

Resp. 2. Innocentius XI. damnavit has duas propositiones. 41. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Est falsa: nam centum libræ per se, & secluso omni extrinseco, nec pluris, nec minoris valent hodie quàm infra annum, cùm semper maneant eædem, & earum valor præcisè per tempus non crescat. Nec pecunia præsens est utilior possidenti, si mansura fuisset otiosa in arca. Et alioqui usura non esset illicita, & cuilibet liceret exigere auctarium vi mutui, quod fidei repugnat: nam in omni mutuo essentialiter datur pecunia præsens non nisi in futurum reddenda.

42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Est falsa. Quidquid enim rependi debet ex benevolentia & gratitudine, omninò spontaneè & liberaliter rependendum est, nec exigi potest. Et gratitudo non obligat ad aliquid certum ac definitum, sed potest impleri variis modis. Præterea imponitur nova obligatio ex pacto pretio æstimabilis, quæ est contra naturam remunerationis gratuitæ ac liberalis, cùm imponat necessitatem pacti: *Nemo enim in necessitatibus liberalis existit*, l. 18. §. *de adim. legat.*

Quæst. IX. *Num saltem licet exigere aliquid ultra sortem à divitibus, & iis qui ex pecuniis mutuatis magnum lucrum faciunt, ut sunt Judæi, mercatores, &c.*

Resp. Neg. Ita expressè Conc. Mediol. I. sub S. Carolo, & Clerus Gallicanus Meloduni congregatus, *ann.* 1579. Quia usura in Scriptura generaliter ac sine distinctione pauperis & divitis prohibetur; & quia est per se mala ac injusta. Quamvis enim non teneatis divitibus mutuare, tamen posito quòd mutues, non plùs potes exigere quàm dedisti; & pecunia mutuata jam non est tua, sed ejus cui data est, ad quem proinde pertinet totum lucrum ex ea perceptum. Quòd autem tua pecunia sit ipsis tam utilis futura, hoc

---

„ Synodus Eliberitana *can.* 20. (*tom.* 1. *collect. Hard. col.* 252.) hæc habet: *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correctus jam se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum:* Ac Leo Magnus *epist. ad Episcopos per universam Italiam, relata can.* 7. XIV. *quæst.* 4. exagitans usuræ peccatum, ait: *Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in Clericali officio constituti, sed in Laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus.*

„ 9. Jure itaque ac merito Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo, à divite, & Negotiatore exigere, veluti adversantes communi, & perpetuæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, inclamarunt, & validissimis argumentis confutarunt. Navarrus *comment. de usuris, num.* 8. *& seqq.* Giballinus, & Leotardus, in suo Quilibet *de usuris* tractatu, Cardinalis de Lugo *de justit. & jur. tom.* 2. *disput.* 25. Jacobus Gaytte egregio opere, quod concinnavit adversus Molinæum, Salmasium, Auctoremque libelli Gallici *du traité de la pratique des Billets*, Saintbeuve *in resolut. casuum conscientiæ, tom.* 2. *ultim. edit. Paris. anni* 1700. *cas.* 210 *pag.* 422. *& seqq.* Aloysius Bulteau, seu Bultellus *in apologia pro Lactantio in materia usurarum, edita Parisiis anno* 1677. Pouget *in suis Canonic. instit. tom.* 1. *pag.* 762. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 8. *part.* 2. *cap.* 7. Genet. *Theolog. moral. tom.* 1. *tract.* 4. *de mutuo, & usura, quæst.* 6. *& seqq.* Pontas *in dictionar. cas. conscient. tom* 3. *verb. Usura*, Continuator *prælect. Theologic. Honorati Tournely, tract. de contract. part.* 1. *cap.* 3. aliique plurimi.

„ 10. Verùm, quoniam tot Doctorum auctoritate, & argumentis minime perterriti, prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad Petri Cathedram electi, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depositum Nobis est à Christo concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Episcopos encyclicis literis sub die prima Novèmbris 1745. hæc inter cætera declaravimus: Primò, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium, & illicitum esse: secundò, ad usuræ labem purgandam, nullum arcessiri posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum, & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, à quo id lucrum, solius causa mutui, deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus: tertiò, quamquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, è quibus justa oriatur causa, aliquid, ultra sortem ex mutuo debitam, exigendi, atque falso, & temere affirmari diximus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, itaut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus servanda commendavimus (quæ in Episcopales Synodos utiliter inseri poterunt) ne usuræ macula inficiantur, sicuti videre est in *præfatis nostris litteris impressis tom.* 1. *nostrar. Constit. Constit.* 143. quas nuperrime Theologico commentario illustravit Daniel Concina Ordin. Prædicator. Theologus.

„ 11. Quamobrem si jampridem aliquot Episcopi, inter quos Cardinalis de Camus Episcopus Gratianopolitanus, Cardinalis de Bissy tunc Episcopus Tullensis, Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, & Bragadinus Episcopus Veronensis in suis edictis, & Pastoralibus instructionibus, præ-

hoc provenit ex eorum conditione, cura, & industria; non à re, nec ab ipsa præcisè pecunia, quæ de se sterilis est. Sic non licet cariùs merces vendere emptori, qui ex iis magnum suâ industriâ lucrum facturus est.

Objicit Carolus Molinæus: *Creditor mutuando dat causam propinquam & efficacem, hoc est, ut vulgò dicunt, sine qua non, hujus lucri. Ergo lucrum dare videtur. Igitur partem lucri saltem in eventum lucri stipulari potest, ex divinis & naturalibus regulis.*

Resp. Creditor dat id, quod non est causa instrumentalis lucri, nisi mediante industria mutuatarii, & cùm jam ejus dominium à creditore in ipsum translatum est: ac proinde tota causa lucri, nempe pecunia & industria, est mutuatarii, non mutuantis; & consequenter totum lucrum est mutuatarii: utpote totum ortum ex re & industria ipsius. Quòd autem creditor dominium pecuniæ suæ in mutuatarium transtulerit, hoc ad æqualitatem compensatur per obligationem reddendi mutuanti eamdem valore pecuniam, quæ ipsi otiosa erat, & cujus periculum interea subit mutuatarius. Nam mille nummi per se & secluso omni extrinseco, non pluris valent hodie quàm intra duos vel plures annos, cùm eorum valor per tempus non crescat; nec pecunia præsens est utilior possidenti, si mansura sit otiosa in arca.

Quæst. X. *An licet tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eò quòd per leges cogantur eorum bona integra reddere; & simul ex eis lucrum facere in commodum eorumdem sub pœna compensationis?*

Resp. Neg. Quia cùm usura sit intrinsecè mala, & à Deo absolutè ac indistinctè prohibita, nullam ob causam potest esse licita. Ita Concil. Mediol. I. Et Clerus Gallican. Meloduni congregatus, ann. 1579. tit. 34. ibi: *Curandum ne quid ex mutuo, vel depositis apud Judæum factis, aliquid præter sortem à quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit: tametsi pecuniæ sint pupillorum aut viduarum. Omnes enim tenentur*

,, fatam proscripserant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam à Conciliis, Summorumque Pontificum Constitutionibus prædamnatam, multo magis integrum nunc erit Episcopis illam, postquam iterum nominatim, & expresse est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, Constitutionibus, à sua Diœcesi exturbare, eamque temere disseminantes, aut usu ipso approbantes severis pœnis coercere.

,, 12. Post eliminatum Hæreticorum errorem, qui paucorum fraudulentia, etiam in Catholicam rempublicam irrepere cœperat, abs re non erit obiter detegere falsam doctrinam, qua sunt imbuti Judæi, inter Christianos degentes. Ex illis Deuteronom. verbis *cap. 23. Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamcumque aliam rem, sed alieno*, inferunt Hebræi sibi licere fœnerari Christianis, quos, licet inter eos versentur, pro alienis habent, & extraneis. Facile quidem esset hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicendo cum Ambrosio *cit. lib. de Tobia cap. 15.* In allegato textu, permissum dumtaxat fuisse Judæis, usuras exigere ab Amorrhæis, Amalecitis, aliisque vicinioribus populis, à quibus Deus Dominium abstulerat rerum omnium, quas possidebant, & Judæis contulerat; aut dicendo cum D. Thoma 2. 2. *cit. quæst. 78. art. 1. ad 2.* non fuisse permissum Hebræis usuras exigere ab extraneis, sed toleratum, tanquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit in illis toleratum uxorum repudium; quod etiam ante Divum Thomam senserat Alexander de Hales *part. 3. quæst. 86. art. 2.* ubi ait: *Numquam fuit Judæis licitum fœnerari alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno; sed permittebatur eis duplici de causa, scilicet ne facerent pejus, idest ne fœnerarentur fratribus suis; & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem:* At quoniam res est cum Hebræis, qui Theologorum, & SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis suppetit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices; unum faciendum superest, nimirum, ut falsæ illius opinionis usum, qui in detrimentum cedit, & oppressionem pauperum Christianorum, pro viribus impediamus; neque aliter id præstari potest, quam opportunis Constitutionibus Episcoporum, & Christianorum Principum edictis, quibus severè prohibeantur Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui, quidquam à Christianis extorqueant, & certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam, nihil impune exigere possint ex aliis contractibus, cum Christianis initis.

,, 13. Primum statutum fuit in Concilio Albiensi anni 1254. edito à Luca Dacherio *tom. 2. spicilegii*, in cujus *cap. 19. (pag. 643.)* habetur: *Statuimus, & mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quidquam usurarium sit in eis: & in eo quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur*, quod decretum renovatum legimus in Concilio Montis Pessulani, anni 1258. *cap. 5. eod. tom. 2. spicilegii.* Alterum edixit Innocentius III. *in Concilio Generali Lateranensi cap. 67. relat. in cap. Quanto magis, de usuris*, ubi districtè vetuit, ne Judæi obtentu cujuslibet contractus, quem cæteroquin licitè cum Christianis inire queunt, graves, & immoderatas usuras exigant: *Synodali decreto statuimus, ut si de cætero, quocumque prætextu Judæi à Christianis graves, & immoderatas usuras extorqueant, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter.* Utrumque vero ad compescendos fœneratores Judæos, in temporali ditione Ecclesiæ commorantes, iterum decernendum consuluit Marcellus Severolus, sacri Consistorii Advocatus, Nobis, dum viveret, singularis amicitiæ nexu conjunctus, in suo elaborato suffragio, edito apud Passerinum *in cap.* [illegible] *3. post num. 84. de usuris in 6.* & ne à Synodis recedamus, ita nuperrime statuit Episcopus Pisaurensis *in sua Diœcesana Synodo habita anni 1742. tit. 4. num. 17.* cujus exemplum poterunt alii Episcopi imitari.

tur audire illud Christi: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Constat etiam ex c. 4. *de usur*, ubi Alexander III. ait: *Cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur*.

Porrò tutores nihil periclitantur, si ex consilio consanguineorum pupilli, & judicis authoritate has pecunias impendant aut fundi frugiferi emptione, aut in contractu census, vel societatis.

Quæst. XI. *An est usurarium imponere ratione mutui aliquod onus, seu obligationem novam ultra sortis solutionem?*

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Quia quælibet obligatio ultra sortem reddendam imposita ex pacto, est onus pretio æstimabile, cùm privet libertate, quam alter aliàs haberet, & aliquod incommodum per se pariat: idcòque est injustum: nam per sortem reddendam compensatur ad æqualitatem id totum, quod mutuans dedit. Ergo id quod ampliùs exigitur seu imponitur, injustè exigitur & imponitur ratione mutui, quod est essentialiter gratuitum. Enimverò, ut ait Lessius, ex vi mutui præcisè non licet obligare nisi æquale: sed redditio sortis est æqualis actui mutuationis & rei mutuatæ. Ergo ex vi hujus contractus non licet obligare ad aliud, quam ad redditionem sortis.

Quare usura est, si ea lege mutuum des ut alter etiam aliquid justo pretio tibi vendat, vel à te emat: ut tibi in posterum remutuet, in tuo molendino molat, domum tuam conducat, vel suam locet; ut partem mutui in mercibus, quibus non indiget, recipiat; ut reddat aliam rem diversæ speciei, v. gr. frumentum pro pecunia; ut agrum tuum etiam justo pretio colat; ut tibi vel aliis beneficium ecclesiasticum, vel officium conferat; ut commendet te alteri, ut præstet aliquod munus vel à lingua, vel à manu, vel ab obsequio; ut non solvat ante certum tempus, nisi aliàs damnum timeretur ex mutuo: nam onerosum est non posse se debito liberare pro libito; imò ut præstet id ad quod tenetur ex charitate, quia tunc ei imponitur nova obligatio, nempe justitiæ, ratione cujus teneretur de damno secuto. Item ut plus recipias ex benevolentia vel gratitudine: nam obligatio ex pacto repugnat gratuitæ remunerationi, cùm ratione pacti quis compelli possit, & hæc obligatio est quid pretio æstimabile.

Licet tamen mutuum dare ea lege, ut alter tibi solvat summam aliunde tibi ex justitia certò debitam, vel ut desistat à vexatione injusta, quia hoc non est lucrum, sed debitum jam ex justitia; nec imponitur ei obligatio nova, ad quam anteà non teneretur: lucrum enim dicitur, cum quis acquirit id quod aliàs ad se ex justitia non pertinebat. Item licet exigere pignus, vel hypothecam pro securitate mutui; nam hæc assecuratio debita est.

Quæst. XII. *Numquamne licet in mutuo auctarium exigere?*

Resp. 1. Duo sunt tituli extrinseci mutuo, ob quos licet aliquid ultra sortem exigere, qui comprehenduntur nomine interesse, l. 1. Cod. *de sentent*.

Primus est damnum emergens, cùm quis in bonis jam acquisitis jacturam patitur, quia mutuat: ut si pecuniam refectioni ædium, vel solutioni debitorum destinatam mutues alteri hanc petenti: unde fit ut ædes tuæ deteriores fiant, aut corruant; vel si ipse sub usura cogaris pecuniam accipere ad debita solvenda. *Ita omnes*. Quia quilibet habet jus vitandi damnum; & nemo tenetur cum damno proprio beneficium alteri præstare, nisi is sit in necessitate, cui teneamur cum tali damno subvenire.

Secundus est lucrum cessans, cùm nempe mutuans ob mutuum privatur lucro justo, quod certò vel saltem probabiliter facturus fuisset ex pecunia mutuò data, v. g. merces, fundum, censum, aut quid simile emendo, vel aliter negotiando. *Est communis sententia*. Prob. Quia 1. tunc nihil exigitur supra sortem ratione mutui, sed ratione justi tituli mutuo extrinseci, nempe ob compensationem jacturæ lucri probabiliter sperati, quæ justè exigi potest ne mutuans ex beneficio à se in alium collato damnum percipiat: nec enim æquum est, *ut quis dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse*, cap. 2. de fidejuss. 2. Spes lucri probabiliter futuri est pretio æstimabilis; nam spes probabilis capturæ piscium ex jactu retis justè vendi potest, l. 12. §. *de act. empt.* Et l. 8. *de contrah. empt.* dicitur quòd *spei emptio sit*. Ergo mutuans justè aliquid exigit pro illa spe probabili & pretio æstimabili, qua se privat in gratiam alterius: imò amissio rei probabiliter speratæ est damnum non solùm probabiliter futurum, sed etiam actuale: nam

cùm

cùm spes lucri probabilis habeatur actu, & sit pretio æstimabilis, illius jactura est quoddam damnum actualè emergens, utpote jactura boni actu habiti. Breviùs, cessatio lucri est in æstimatione prudenti damnum quoddam pretio compensabile: nam per illam fit, ut quis minùs habeat, quàm habiturus esset. Et ideò juxta omnes, qui furatur, tenetur restituere lucrum cessans. 3. Pecunia ut subest industriæ, & tali destinationi quæstuosæ, plus valet possidenti quàm in se considerata. 4. Ex cap. 6. *de usur.* ubi dicitur posse ratione lucri cessantis vendere merces ultra currens pretium, si venditor voluisset illas reservare in aliud tempus, quo plus esse valituras verisimile esset.

Porrò S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. vult solùm nihil posse exigi in compensationem lucri merè possibilis & remoti; vel non posse tantum exigi in compensationem lucri probabiliter sperati, quantùm est ipsum lucrum quod speratur. Neque enim negat jacturam lucri probabiliter sperati esse causam justam exigendi compensationem: nam, quæst. 62. art. 4. ait: *Si quis damnificet aliquem, impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi; tale damnum non oportet recompensare ex æquo; quia minus est habere aliquid in virtute, quàm habere actu... Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum.* Idem docet in 4. dist. 15. q. 1. artic. 5.

Resp. 2. Ex communi sententia, ut possit justè aliquid ultra sortem exigi ob damnum emergens, quinque requiruntur. 1. Ut mutuum sit vera causa damni, alioqui fictus esset titulus, & vera usura. 2. Ut damnum proponatur mutuatario, nam liberè consentire debet in illam compensationem mutuo extrinsecam; & alioqui admonitus posset fortè alibi sibi providere sine hoc onere. Quare si admonitus non fuit, non tenetur damnum compensare, etiamsi postea eveniat; modò non fuerit per moram culpabilem causa illius: nam tunc non tenetur ratione culpæ, neque rei acceptæ, neque pacti additi mutuo, neque etiam contractus mutui; mutuum enim est contractus stricti juris, ex natura sua obligans solùm ad reddendam sortem. 3. Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo: alioqui excessus esset usurarius, nam exigeretur ratione mutui, & sine justo titulo. 4. Ut compensatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum prævidetur, quia tunc solùm urget titulus. 5. Ut alter non cogatur ad aliquid solvendum, quidquid evenerit, si velit se obligare ad solvendum totum damnum emergens, quod reipsa continget: alioqui ei imponeretur onus, ad quod ex mutuo non tenetur, cùm solùm possit obligari ad reddendum mutuantem indemnem.

Resp. 3. Ut auctarium justè exigi possit ob lucrum cessans, ex communi sententia requiruntur hæ conditiones. 1. Ut mutuum sit vera causa cur lucrum cesset: ac proinde ut mutuans ante petitum mutuum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi alia via justa, & pecuniam quam mutuat, jam destinarit negotiationi vel contractui justo quæstuoso, nullasque alias habeat pecunias otiosas, id est, non destinatas lucro justo faciendo, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doti, nec provisioni casuum fortuitorum, quos prudens paterfamilias cavere debet. Nam revera lucrum ei non cessat ob mutuum, qui antequam peteretur, non destinaverat pecuniam suam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, vel censui, vel societati; aut non habebat facultatem proximam justum lucrum ex pecunia faciendi; aut habebat alias pecunias otiosas. Nam tunc ex pecunia quam mutuat, nullum lucrum fecisset; ideoque talis nihil potest exigere ratione hujus tituli, utpote non extantis. Idem dic de eo, qui abstinens à negotiatione, interim se applicat alteri rei nec molestiori, nec minus quæstuosæ, cui vacare non potuisset negotiando: nam lucrum cessans per omissionem negotiationis compensatur per aliud lucrum, quod negotiando consequi non potuisset; & sic ei lucrum non cessat ex mutuatione, quæ revera ab æquali lucro eum non impedivit. 2. Ut lucrum sit certum, aut probabile: nam si sit solùm possibile, non est pretio æstimabile, cùm merè possibilium ratio non habeatur, & in æstimatione morali potentiæ remota lucrandi ex pecunia nihil addit pecuniæ spectatæ secundùm se. 3. Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, & in illius compensatione consentiat: alioqui ad illam non tenebitur, nisi per moram culpabilem solvendi fuerit illius causa, ob rationem supra dictam; quia onus extrinsecum contractui imponi non potest contrahenti sine illius consensu. 4. Ut non exigatur totum lucrum quod speratur, sed solùm quantùm spes illius judicio prudentum valet, deductis sumptibus & æstimatione periculi ac laboris. Nam res solùm sperata non est tanti valoris quanti habita in se ipsa, seu

jam

jam existens propter pericula & impedimenta, quæ evenire possunt: sic semen sparsum in agro minùs valet, quàm messis ipsa, quæ speratur. 5. Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solùm pro tempore quo lucrum fuisset: nam qui, verbi gratia, mutuat centum, & statim accipit decem pro lucro cessante, jam non mutuat alteri centum, sed solùm nonaginta; solùm enim nonaginta retinet mutuatarius, & tamen mutuans tantumdem exigit pro lucro cessante ex nonaginta, quantùm ex centum: quod est injustum & usurarium, cùm tunc lucrum ei solùm ex nonaginta cesset. Præterea quod pro interesse solvitur, eidem subrogatur; & ejus quod nondum extat, subrogatio exigi non potest.

His adde, ut quis excusetur ab usura coram Deo ratione hujus tituli, requiritur ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodioris lucri. Nam si mallet mutuare, quam negotiari, intenderet principaliter lucrum ex mutuo, & sic peccaret. Quare, ut ait Sylvius, requiritur, ut is qui mutuat, non sponte subtraxerit suam pecuniam à negotiatione priusquàm mutuet, intendens proprium commodum, & malens mutuare cum certo lucro, quàm negotiari cum incerta spe lucri: sic enim fictè pacisceretur de lucro cessante, cùm pecunia jam subtracta sit à potentia lucrandi, utpote nec secundùm rem, nec secundùm voluntatem ejus exposita negotiationi, aut destinata contractui justo quæstuoso: atque adeo lucrum, si quod cessat, non cessat ex mutuo, sed ex eo quod negotiari noluerit, aut aliter contrahere. Idem docet Toletus, asserens doctores convenire, quòd cùm quis sponte alteri offert suas pecunias mutuo, nec coactus, nec rogatus, non potest licitè lucrum ab alio exigere, cùm ipse sponte suas pecunias à negotiatione auferat.

Nota. Non licet id, quod in contractu mutui ob interesse exigitur, convertere in sortem, & ex eo aliquid ultra summam ex quovis titulo exigere: nam hoc prohibetur in jure, l. 28. *Cod. de usur.*

Quæst. XIII. *An hæc in mutuo licita est pactio, ut mutuatarius, si ad terminum præstitutum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ?*

Resp. 4. Ex communi sententia, per se licita est positis certis conditionibus. Quia debitor, qui est in mora culpabili, dignus est pœna: cùm peccet contra justitiam, non solvendo debitum tempore præfinito. Ergo potest cum ejus consensu ei imponi pœna, sicut solet imponi ei, qui à contractu resilierit: contrahentes enim cùm sint suarum rerum domini, possunt, ad majorem contractuum firmitatem, & eorum implendorum certitudinem, sibi pœnam conventionalem imponere & promittere, ex cap. 4. *de arbitr.* & l. 14. Cod. *de pact.* Omne autem promissum acceptatum servari debet.

Sed ut hoc sit licitum, ex communi sententia ista requiruntur. 1. Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures utrùm solvatur tali tempore, an non; vel si optes non solvi: vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas, tunc pœna apposita est velamen usuræ, & revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2. Ut debitor verè sit in culpa non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest justè imponi nec exigi pœna, ex l. 22. *Cod. de pœnis*, & cap. 2. *de constitut.* ibi: *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Hinc pœna non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est, difficultatem tantam, ut creditor censeatur irrationabiliter invitus circa solutionis dilationem. 3. Ut pœna sit moderata secundùm mensuram culpæ, & rei mutuatæ; alioqui esset injusta, & iniquè cogeretur alter in eam consentire; ideòque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, est prohibitum, l. 1. & 3. *Cod. de pact. pignor.* & cap. 7. *de pignor.* Quòd si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantùm pro ratione partis non solutæ, cap. 9. *De pœnis*. Idem dic, si mora non sit notabilis: nam si per biduum vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur, ordinariè non debet æstimari culpa digna pœna constituta saltem tota. *Lessius*, *Delugo*, *&c.*

Pœna autem conventionalis, positis his conditionibus, debetur ante omnem sententiam. Quia debetur ex vi pacti justi; & hæc est intentio contrahentium, ut ipso jure transgressor pœnam solvere teneatur sine necessitate judicem adeundi cum sumptibus & molestiis, & saltem si petatur: sicque communis hominum sensus intelligit. Sed justa pactio jure naturali obligat in conscientia ante omnem sententiam. Multi tamen

putant

putat talem pœnam solvi non debere antequam petatur expressè, vel tacitè. Quia mutuans, si non petat solutionem pœnæ cum facilè possit, censetur eam condonare, & pœna videtur imponi sub hac tacita conditione, *Si petatur*.

Quæst. XIV. *An licet aliquid ultra sortem exigere ratione periculi ejusdem sortis?*

Resp. 1. Nihil licet exigere à pauperibus ratione periculi sortis orti ex eorum inopia. Quia 1. Tale periculum est intrinsecum huic mutuo in individuo; sive tali mutuo ex natura sua accessorium est: accessorium autem sequitur naturam principalis, ex regul. 42. jur. in 6. Ergo cùm nihil possit exigi pro ipso mutuo, ita nec pro tali periculo. 2. Cùm charitas obliget ad illis mutuandum ut eorum necessitati subveniatur, obligat quoque, ut id fiat sine ullo eorum gravamine, ideoque ut subeatur gratis hoc periculum: alioqui non sufficienter levaretur eorum egestas. 3. Alioqui possent maxime opprimi pauperes, & eò plus ab iis exigi posset, quo egentiores sunt, ideòque digniores majore subsidio, non gravamine. 4. Sancta Congregatio Cardinalium infra laudanda permittit aliquid accipi solùm ratione periculi, prout in casu à Missionariis propositum erat, scilicet quod orieba ur ex culpa, infidelitate & injustitia mutuatarii, non autem ex ejus inopia.

Porrò fidejussor non accipit justè pretium pro periculo, sed pro obligatione illud in se suscipiendi.

Resp. 2. Multi docent licere aliquid ultra sortem pacisci & exigere ratione periculi mutuo extrinseci. Probant, 1. Ex decreto S. Congregationis de propaganda fide ab Innocentio X. approbato, & Romæ typis edito ann. 1645. & à Cabassutio relato: *In Sinarum regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur utrùm Chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licèt non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta regni lege taxatam quantitatem accipere? & causa dubitandi est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quòd qui accipit mutuatum, fugiat, vel quòd tardet in solvendo, vel quòd necessarium sit coram judice repetere, vel propter alia hujusmodi*. Sic respondit S. Congregatio: *Censuit S. Congregatio Cardinalium S. R. E. ratione mutui immediatè & præcisè nihil esse accipiendum ultra sortem principalem; si verò aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum & id quod accipitur*. Et Innocentius X. præcepit omnibus Missionariis sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus decreti observarent, & illis uterentur: donec Sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica aliud statuerit. 2. Quia probabile periculum sortis mutuo extrinsecum, quod scilicet nascitur ex eo quod detur homini decoctori vel injusto, qui aliunde habet bona saltem in spe certa, est à tali mutuo separabile, nempe per pignus, aut hypothecam quam potest dare; & simul est pretio æstimabile: nam ex S. Thom. quæst. 77. art. 4. ad 2. licitum est cariùs vendere propter periculum, cui venditor se exponit transferendo rem de loco in locum.

Idem dicunt de extraordinariis difficultatibus, laboribus, impensis, molestiis probabiliter in recuperanda sorte subeundis ex culpa mutuatarii: eo quòd hæc sint mutuo extrinseca, & pretio æstimabilia.

Sed ut hoc titulo aliquid possit justè exigi, has requirunt conditiones. 1. Ut periculum sit verè probabile, & extrinsecum mutuo, ne hoc prætextu pallientur usuræ: quale non est quoties mutuatarius est industrius, verax, justus, & de quo non datur prudens præsumptio, quòd non sit soluturus. 2. Ut in hoc auctarium consentiat mutuatarius. 3. Ut mutuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat libertatem assecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fidejussorem: alioqui sine causa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4. Ut non plus exigatur quàm judicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatæ & magnitudinis periculi, servataque proportione inter periculum & auctarium.

Nec obstat, inquiunt, cap. *Naviganti de usur.* ubi Gregor. IX. ait: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Nam censetur usurarius, quia supponitur noluisse mutuare nisi ea conditione ut ipse periculum sortis certo pretio in se susciperet, & sine justa causa imposuisset mutuatario onus pretio æstimabile, privando eum

eum libertate assecurandi sortem alia via commodiore, nempe per pignus aut fidejussorem. Alii putant mendum in textum irrepsisse, & legendum esse, *usurarius non est censendus*, ob verba immediatè sequentia: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur: quæ licet plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valitura verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari*. Particula, *quoque*, inquiunt, paritatem & conformitatem sonat, adeòque indicat Pontificem velle neutrum censendum esse usurarium; si enim de uno vellet & non de altero; dixisset: *Ille contra, ille tamen*. Ita *Barbosa*, *Layman*, *&c.*

Si objicias. 1. Auctarium non esse medium aptum ad tollendum sortis periculum, imo illud augere. 2. Inde sequi, posse aliquid exigi pro periculo auctarii ipsius, & sic in infinitum, cum illud etiam periclitetur. 3. Mutuatarium teneri periculum illud tollere redditione sortis. 4. S. Congregationem & Innocentium X. illud solùm tolerare, cùm dicat non esse inquietandos.

Respondent ad 1. Auctarium illud non exigi ad tollendum periculum futurum, sed pro periculo præsenti, & damno quodam actu existente, quod actu subit mutuans, dum pecuniam in manu sua certam exponit manui periculosæ, in qua est minoris valoris quàm in sua. Nec auctarium augere periculum sortis; nam mutuans quotannis recipiens parum ob periculum, quamvis postea sortem amittat, minus damnum patietur; & interea mutuatarius poterit lucrari ex mutuo ad sortem solvendam. Ad 2. illud auctarium speratum licet periclitans, esse sufficientem compensationem, ideoque nihil posse exigi pro illius periculo. Ad 3. Restitutione sortis non tolli periculum, quod ante illam subivit mutuans, & quod erat pretio æstimabile, sed jam non continuari. Ad 4. Negant id tolerari tantùm: nam quærebatur an id esset licitum, & respondet S. Congregatio non esse licitum ratione mutui, sed ratione periculi propositi non debere inquietari. Sanè si id jure naturali esset illicitum, deberent Missionarii monere, & impedire ne quid tale exigatur.

Quæst. XV. *An lex vel consuetudo provinciæ est titulus legitimus aliquid ultra sortem exigendi?*

Resp. Neg. si nullus alius adsit titulus justus. Quia cùm perceptio lucri ex mutuo sit jure divino vetita, nullo alio jure potest esse licita. Igitur lex, quæ permittit ex quovis mutuo aliquid ultra sortem, v. g. quinque pro centum exigere, & de eo pacisci, imò præcipit judici, ut mutuatarium compellat ad hoc auctarium persolvendum mutuanti, semper præsumit & supponit titulum interesse, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens. Quare si nullum reipsa ex mutuo lucrum cesset, vel damnum sequatur, tunc nihil potest in conscientia ultra sortem exigi, & accepta restitui debent. Item non licet plus accipere quàm sit lucrum cessans, vel damnum ortum ex mutuo, etiamsi plus lege constitutum sit; nam tunc lex vel sententia judicis nititur falsa præsumptione. Neque enim est intentio legis, nec potest esse, ut aliquid accipiatur ratione mutui.

Idem dic de lege, & de sententia Judicis, qua mutuatori adjudicatur aliquid ultra sortem à tempore interpellationis suæ, in compensationem interesse. Nam si nullum lucrum cessans, nec damnum emergens, vel non tantum patiatur mutuans, nihil aut non tantum potest accipere: quia tunc sententia judicis nititur falsa præsumptione, unde non dat verum jus. Quòd si adjudicaretur aliquid in pœnam dilatæ solutionis, nihil etiam posset accipi, si revera debitor non fuit in culpa: quia omnis pœna justa supponit culpam. Imò sunt, qui præter moram culpabilem debitoris requirunt adhuc, ut mutuator damnum vel lucrum cessans sustinuerit, quia putant legem ad pœnam damnantem supponere etiam interesse.

Obj. 1. Quælibet lex est essentialiter justa, alioqui non esset lex. Ergo lex est justus titulus accipiendi aliquid ultra sortem. *R.* dist. conseq. Si illa lex non fundetur in aliqua suppositione, C. conseq. Si fundetur in aliqua suppositione ejus quod non extet, N. conseq. Lex vel consuetudo quæ permittit aliquid supra sortem accipere, supponit damnum emergens, vel lucrum cessans: quòd si neutrum extet, non intendit, nec potest auctarium approbare aut præcipere.

Obj. 2. Per legem illam tenentur judices damnare debitores ad solvendum aliquid ultra sortem. Ergo mutuator illud justè retinere potest. *R.* neg. conseq. Nam cùm judices illud auctarium non adjudicent nisi vi legis, & lex præsupponat justum titulum, nempe damni emergentis, vel lucri cessantis, non potest mutuator auctarium sibi adjudicatum retinere, si non habeat verum titulum, quod lex & sententia judicis præsupponunt.

Quæst. XVI. *An qui pignus pro mutui assecu-*

securatione accepit, tenetur fructus ex illo perceptos computare in diminutionem sortis, deductis expensis, laboribus ac operis?

Resp. Affirm. *Est communis sententia*. Et constat ex cap. 1. & 2. *de usur.* & l. 1. Cod. *de pignor. act.* Quia mutuator nullum habet jus ad illos ratione mutui, quod est ex natura sua gratuitum, sed illi pertinent ad dominum pignoris, res enim domino suo fructificat. Hinc qui agrum sterilem, qui antea non colebatur, accepit in pignus, tenetur fructus quos ex illo sua diligentia percepit, referre in sortem, deductis impensis & laboribus, alioqui lucrum perciperet ex mutuo.

Excipe, 1. Feudum in pignus debiti datum domino directo: nam hic non tenetur fructus ex illo deducere in sortem, ex c. 8. *de usur.* vel quia per tales fructus compensari debent servitia à feudatario debita, quibus interim liberatur: vel quia feudi contractus habet hanc tacitam conditionem, ut si res feudo subjecta tradatur domino directo in pignus, ejus fructus adhuc pertineant, modo feudatarius eo tempore liber sit à servitio præstando, juxta cap. 1. *de feudis*. Et non excedant multùm fructus valorem servitii, alioqui esset contra mandatum Dei, *mutuum date, nihil inde sperantes*, ait Innocentius IV. in c. *insinuatione*, de feudis.

2. Feudum pro dote in pignus datum genero. Hic enim non tenetur ejus fructus computare in dotis diminutionem, ex cap. 16. *de usur.* Quia hoc pignus datur etiam ad sustinenda matrimonii onera, donec solvatur dos, cujus usumfructum vir haberet, unde fructus illos accipit *pro interesse*, ait Innocentius IV. in cap. cit.

Quæst. XVII. *An est usurarium ac illicitum mutuare ob spem lucri tanquam finem principaliter intentum, licèt sine ullo pacto?*

Resp. Affirm. Prob. 1. ex cap. 10. *de usur.* sibi censetur usurarius, qui licet omni conventione cessante, eo animo mutuat, ut aliquid ultra sortem recipiat, aliàs non mutuaturus. Et, ex S. August. serm. 3. in Psal. 36. ibi. *Si plus quàm accepisti expectas accipere, fœnerator es.* 2. Christus jubet ut mutuum detur gratis, & sine spe lucri finaliter ex mutuo intenti, Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*. 3. Tunc verè intenditur lucrum ex mutuo, quod est usurarium, licèt intendatur mediante benevolentia & gratitudine mutuatarii, sed intenta propter lucrum: ita ut nisi lucrum speraretur, mutuum non daretur. Nam tunc intenditur benevolentia vel gratitudo propter lucrum tanquam finem propter se ex mutuo intentum.

Non esse tamen usuram aliquid secundariò sperare ex mera liberalitate & gratitudine, non ut debitum, nec intentum ex mutuo, docet Glossa, in cap. *Consuluit*, quæ ait peccare *sperantes causa mutui in spe lucri principaliter posita. Secundariò tamen aliquid sperare non puto malum*. Ita etiam S. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 7. §. 1. ad sens: *Dicitur autem intentio principalis hac, cùm scilicet magis movetur ad mutuandum propter lucrum quod sperat, quàm propter aliud. Sed intentio secundaria dicitur, cùm etsi sperat aliquid sibi dari ab eo cui mutuavit ex sua liberalitate; tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret.* At usura est intendere, etsi secundario, lucrum ex mutuo, ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo, debitum: quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti quo actus specificatur. Et illicitum est velle etiam minùs principaliter ac secundariò aliquid illicitum. Lucrum autem ut pretium mutui, vel uti aliquid ex mutuo debitum, est quid illicitum ex usura: ergo illud quocumque modo intendere est illicitum. *Ita Lessius, Deluge, & alii.*

Quæst. XVIII. *An licet mutuum petere, vel accipere sub usura?*

Resp. 1. Non licet mutuum petere sub usuris. Quia non licet petere ab alio, quod licitè facere non potest: nam hoc esset eum inducere ad peccandum. Tamen ex communi sententia, licet ob gravem necessitatem propriam vel alienam petere mutuum ab eo, qui prævidetur non daturus nisi sub usuris, si aliter haberi nequit, intendendo solùm mutuum, & habendo se permissivè ad usuram. Quia licet petere ab alio id quod licitè præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, modò adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, qualis est hìc: nam mutuatarius non tenetur cum suo gravi damno malitiam mutuantis impedire. Ità S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 4. ibi: *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.* Et ad 2. ait: *Accipiens non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: unde*

de scandalum passivum ex parte sua est, non autem ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia ejusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.

Resp. 2. Seclusa necessitate saltem rationabili non licet mutuum petere ab usurario, & accipere sub usuris. Quia lege charitatis quisque tenetur sub mortali impedire peccatum mortale proximi, ejusque executionem, quando sine notabili suo incommodo seu damno id potest. *Mercatores dando usuras peccaverunt, tanquam occasionem peccandi usurariis præbentes, cùm necessitas quæ ponitur, ut scilicet honorabilius vivant & majores mercationes faciant, non sit talis necessitas, quæ sufficiat ad excusandum peccatum prædictum*, ait S. Thom. opusc. 67. de empt. & vendit.

Quæst. XIX. *Quid usurarius restituere tenetur?*

Resp. Tenetur restituere tum usuras acceptas, & fructus non merè industriales ex iis perceptos, tum etiam omne lucrum cessans, & damnum emergens ex usuris acceptis. Quia tenetur ratione injuriæ, exigendo, accipiendo, & possidendo rem alienam sine justo titulo; cùm mutuum non sit titulus justus, nec sponte ac liberaliter res donata sit: nam mutuatarius nollet ultra sortem dare, si posset aliter mutuum accipere, & sic involuntariè dat, non sponte nec liberaliter.

Hinc si usurarius ante mortem non restituerit, tenentur hæredes bona per usuram accepta restituere, si quæ extent secundùm se: sin minùs, tenentur eorum valorem ex usurarii bonis restituere mutuatariis, vel eorum hæredibus, ex cap. 9. *de usuris*. Nam onus restituendi est affixum bonis defuncti, ideòque transit ad eorum possessorem.

Quæst. XX. *An usura mentalis obligat ad restitutionem?*

Resp. 1. Qui mutuavit principaliter ob spem lucri, aliàs non mutuaturus tenetur restituere quæ postea ultra sortem accepit à mutuatatio cognoscente ejus intentionem usurariam, etsi nullum pactum præcesserit. *Ita S. Antonin. & alii.* Quia mutuatarius non intendit dare gratis ac liberaliter, sed tanquam debitum ex mutuo, vel dat ex metu, ne aliàs mutuum sibi denegetur. Sed injustum est accipere, & retinere aliquid datum dumtaxat ut debitum, quod revera debitum non est, vel quod nec sponte, nec liberaliter datur. Et pravitas usuræ consistit in eo quòd speretur, vel accipiatur aliquid non omnino gratuitum & voluntarium. Confirmatur ex cap. 10. *de usur.* ubi Pontifex ait eum, qui ex proposito aliquid ultra sortem recipiendi mutuat, aliàs non mutuaturus, efficaciter inducendum esse ad accepta restituenda, quamvis nulla conventio præcesserit. Excipe, nisi mutuator habeat justum titulum retinendi, nempe lucrum cessans vel damnum emergens: tunc enim usura est purè affectiva, nec reponit inæqualitatem in rebus.

Resp. 2. Si mutuatarius sponte aliquid ultra sortem donet ex liberalitate, vel gratitudine, sed mutuans ejus mentem ignorans accipiat tanquam ex mutuo debitum, peccat, & tenetur restituere ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu illam non deponit prudenter. Tamen juxta communem sententiam, ex parte rei acceptæ ad id non tenetur, sed postquam scivit illud sibi gratis donatum fuisse, retinere potest; quia alter per illam donationem gratuitam transtulit dominium rei in mutuatorem, si accedat acceptio legitima: unde accedente hac notitia potest rem acceptare & retinere ut liberaliter donatam. Quamvis enim habuerit intentionem injuriam faciendi, cùm acceperit tanquam debitum ex mutuo, & ideò peccarit; tamen reipsa nullum damnum inde alterius secutum est.

Resp. 3. Si mutuatarius dederit aliquid ultra sortem tanquam ex mutuo debitum, & mutuans illud acceptarit bona fide tanquam liberaliter donatum, hic tenetur, ubi rescierit, restituere acceptum, & fructus extantes. Quia deest titulus justus retinendi: nam datio rei ut debitæ ex mutuo nulla est, cùm nihil sit debitum ex mutuo. Nec tunc fuit donatio liberalis, quia res data fuit ut debita. Si verò mutuator aliquid ultra sortem accipiat, dubitans qua mente illud detur, an gratis, an tanquam debitum, peccat, & tenetur accepta restituere; nam injustitiam committit, sicut is qui dubia fide cœpit alienum possidere; & se exponit periculo alienum retinendi.

Quæst. XXI. *An cooperatores usurarii tenentur ad restitutionem in ejus defectum?*

Resp. Tenentur omnes, qui agentes partes usurarii, sunt causa efficax, cur usuræ petantur, solvantur, vel non repetantur. Quia sunt causa efficax damni mutuatario injustè illati. Tales sunt. 1. Consulentes usuras.

2. Dantes pecunias, eo animo, ut ex his exerceantur usuræ. 3. Judices, qui compellunt ad usuras solvendas, vel vetant ne solutæ repetantur, qui etiam ipso facto sunt excommunicati, *Clement. unic. de usur.* Notarius conficiens instrumentum, fingens licitos contractus, vel falsos scribens, ut cùm dantur centum, ipse scribit centum viginti, &c. Nisi id faciat postulante mutuatario; tunc enim licèt mortaliter peccet, & fit perjurus, tamen non tenetur ad restitutionem, quia spontè volenti & roganti non fit injuria. *Ita S. Antonin.* 5. Factores seu negotiorum gestores, qui contractus usurarios faciunt, & famuli cogentes ad usuram solvendam. 6. Proxenetæ, hoc est, qui quærunt eos qui pecunia indigent, adducuntque ad usurarios, dum isto modo partes agunt usurarii. At non tenentur, dum agunt partes mutuatarii, quia tunc beneficium ei præstant, & non est in eorum potestate ut gratis mutuum detur.

Qui autem ita remotè concurrunt, ut non censeantur causa damni mutuatario illati, non tenentur restituere: quales sunt secundùm multos famuli qui recipiunt pignora, eaque custodiunt, qui numerant pecuniam, qui referunt omnia in librum rationum. Quia non censentur causa damni, cùm independenter ab illorum opera illatum fit; & quia circa illorum operam non est invitus mutuatarius, nec de illa rationabiliter conqueri potest.

Quæst. XXII. *Quænam sunt pœnæ usurariis constitutæ?*

Resp. Usurarii notorii seu manifesti sunt, 1. Infames in utroque jure, ideòque irregulares. 2. Privantur communione altaris, ac sepultura ecclesiastica, & eorum oblationes non possunt accipi, cap. 3. *de usur.* ex Concil. gener. Later. III. 3. Non debent ad confessionem admitti, antequàm satisfecerint, vel cautionem dederint, cap. ult. *de usur.* in 6. ex Conc. gener. Lugdun. 4. Irrita sunt eorum testamenta nisi ante mortem restituerint, vel cautionem legitimam dederint, ex cap. cit. 5. Pro clericis, qui moniti non desistunt, suspensio ab officio & beneficio ferenda: pro laicis excommunicatio ferenda, usque ad debitam restitutionem, cap. 7. *de usur.*

Porrò usurarius notorius est ille, qui facto vel jure manifestè usurarius est. Est notorius notorietate facti, dum mutuat palam ad usuram, ita ut nulla tergiversatione celari possit. Est notorius notorietate juris, quando de hoc crimine in judicio convictus est & damnatus. In Gallia dicitur admitti sola notorietas, quæ habetur per sententiam judicis.

CAPUT IV.

De Deposito, Commodato, Precario, & Mandato.

Nota. Depositum, commodatum, &c. sumuntur hìc pro contractu, licèt sæpè sumantur pro ejus materia, scilicet re deposita, commodata, &c.

Quæst. I. *Quid est depositum?*

Resp. Est contractus, quo aliquid alteri custodiendum traditur, & ad hoc suscipitur. Perficitur solùm, dum res traditur à deponente, & suscipitur à depositario. Tradere enim, vel deponere, non sufficit, sed requiritur etiam ut alter significet se ejus custodiam suscipere; nisi fortè ex officio teneatur eam custodire, ut sunt caupones, stabularii, aurigæ, nautæ, &c. nam sufficit illis videntibus rem in domo, vel curru, vel navi deponi, l. 1. §. *Nauta &c.*

Sequestrum autem, quod est species depositi, est contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine ut postea reddatur ei, cui adjudicabitur.

Quæst. II. *Quænam sunt obligationes depositarii?*

Resp. Ex communi sententia, tenetur. 1. Rem depositam servare ac custodire ea cura ac diligentia, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere, l. 32. §. *depos.* Quod si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solùm de dolo & lata culpa, l. 1. Cod. *depos. &c.* Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi.

Hinc sartores, molitores, aurigæ, caupones, & similes, tenentur ex culpa levi; nam tenentur ex officio sibi & aliis utili annexam habente custodiam eorum quæ ipsis traduntur: & sic tenentur ea custodire ex contractu virtuali ac implicito in utriusque partis commodum cedente. Si verò depositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit ea uti si egeat, hic tenetur de culpa levissima, juxta alibi dicta. Item si seipsum obtulit ad custodiendam rem maxima diligentia, vel hanc expressè promiserit: nam tunc tenetur ex pacto contractui addito.

2. Tenetur non uti re deposita, sine consensu domini expresso, vel tacito, aut saltem pru-

prudenter præsumpto. Quia rei usus non est ipsi concessus, sed solùm commissa custodia; & non licet usurpare usum rei alienæ invito domino: alioqui fit contra justitiam: nam quivis habet jus ut nemo utatur re sua sine suo consensu. Quare, l. 3. Cod. *depos.* utens re aliqua deposita sine consensu domini, dicitur reus furti. Hinc si usus ille fit pretio æstimabilis, ut usus equi, vestis, &c. solvi debet illius pretium: nam usus & fructus rei ad dominum pertinet, & pretium usus est quidam fructus. Quòd si dominus usum concedat, tunc depositum transit in mutuum, si res deposita sit usu consumptibilis, aut alienata; vel si talis non sit, in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem si pretium exigatur. Porrò secundùm multos, domini consensus præsumitur circa usum pecuniæ depositæ, cùm eam tradit, nec sacculo clauso, nec obsignato, nec alio indicio ostendit se utendi facultatem denegare, modò recipiens sit moraliter certus se eam soluturum, ut primùm exigetur.

3. Tenetur depositum repetenti reddere statim, cap. 2. *de depos.* & l. 1. §. *depos.* Nam alioqui retineret rem alienam invito domino. Excipe, nisi deponens in suum vel aliorum damnum reposcat, ut si furens ensem repetat: nam tunc deponens non est rationabiliter invitus, vel nisi res deposita sit furtiva, & dominus eam repetat; tunc enim restitui debet domino, l. 31. §. *depos.* Si verò dominus eam non repetat, juxta l. cit. & l. 1. §. *depos.* restituere debet ipsi furi; sed tunc tenetur eum monere ut eam restituat vero domino; & ni faciat, monere dominum. Imò videtur lex supponere furem rem depositam repetere, ut eam restituat domino. Quare Lessius docet eam semper debere restitui domino, nisi fur putetur eam repetere animo restituendi eam domino.

4. Nihil potest retinere, vel exigere pro rei custodia, nisi dominus ei mercedem expressè promiserit. Quia depositum purum est in gratiam solius deponentis: & idcircò depositarius vi illius tenetur tantùm de culpa lata & dolo: Unde nihil ei debetur nisi vi alterius contractus seu pacti; & tunc depositum transit in locationem operæ ad custodiendum rem depositam, & depositatius tenetur de culpa levi, cùm jam contractus cedat etiam in ejus utilitatem.

Porrò si depositarius alteri quàm domino reddiderit depositum, & perierit, non tenetur ad restitutionem; modò bona fide & prudenter, licèt falsò, putaverit esse dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum: quia tunc abest fraus, dolus, & culpa lata, ex quibus solùm tenetur de damno.

Quæst. III. *Quid sunt Commodatum & Precarium?*

Resp. Commodatum est contractus, quo res ad solum usum gratuitò conceditur usque ad designatum tempus, ante quod repeti non potest.

Precarium est gratuita solius usus rei concessio ad nutum revocabilis. Unde non differt à commodato, nisi, quòd possit quovis tempore repeti à concedente, non tamen in continenti, alioqui esset inane ac illusorium, non beneficium. Solvitur ipsius rei alienatione, & morte accipientis, cap. ult. *de Precar.*

Quæst. IV. *Quænam sunt obligationes commodantis, & commodatarii?*

Resp. 1. Ex communi sententia, commodans tenetur, 1. Aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum, alioqui tenebitur de damno inde secuto, l. 18. & 22. §. *commod.* cùm dederit illius occasionem. 2. Tenetur ad impensas extraordinarias, l. 18 §. *commod.* 3. Tenetur non repetere ante tempus, de quo expressè, vel implicitè conventum est, l. 17. §. *commod.* & cap. un. *de commod.* Quia, ut ibi dicitur, *non oportet nos beneficio decipi, sed juvari.* Et quia alter jus re utendi usque ad illud tempus vi pacti acquisivit. Quare si ante repetat, tenebitur de interesse, quod inde alteri sequetur: nam fecit injuriam violando jus alterius ex pacto acquisitum. Excipe, nisi commodanti damnum simile ex carentia rei suæ inopinatò immineret: tunc enim juxta multos ei licet ante tempus finitum repetere, etiam cum alterius damno. Quia non censetur usum rei suæ gratis concessisse, nisi sub hac tacita conditione, ut in tali eventu posset repetere; neque enim in gratuita promissione, & concessione usus rei, quis censetur velle se ad tantum obligare, quantum in onerosa.

Resp. 2. Ex communi sententia, commodatarius tenetur ex justitia, 1. Non uti re commodata, nisi ad usum sibi concessum, aut saltem cui prudenter judicet dominum consensurum, ex l. 5. §. *commod.* ubi aliàs dicitur furti reus; quia usurparet aliquem usum rei alienæ invito domino; nec enim habet jus nisi ad usum concessum, ex instit. *de obligat. quæ ex delict. &c.* ibi: *Furtum fit, cum quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur: Si-*

ve is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratia ei data est, furtum committit: veluti si quis equum gestandi causa commodatum sibi, longiùs aliquò duxerit. Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id invito domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum; at si permissurum credant, extra crimen videri.

2. Tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur, *cùm dies statuta pro domino interpellet*, cap. ult. *de locato*. Alioqui tenebitur omne lucrum cessans & damnum inde proveniens compensare, cùm sit illius causa injusta: nam non habet jus utendi re aliena, eamque retinendi ultra tempus sibi concessum, sed dominus habet jus illam tunc possidendi, & ea utendi.

3. Tenetur ad impensas ordinarias & modicas, necessarias ad rei commodatæ conservationem, v. gr. ad pabulum equi, non tamen ad extraordinarias magnas, v. gr. ad curationem magni pretii, ad restaurationem domus, l. 18. §. *commod.*

4. Tenetur maximam diligentiam ac curam ad rem commodatam integrè & in bono statu conservandam adhibere, ex instit. *Quibus modis, &c.* & ex l. 18. §. *commodat.* ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet.* Quare si res pereat, vel deterior fiat ex culpa etiam levissima, tenetur ad restitutionem; nam contractus cedit in ejus solius utilitatem, ex cap. un. *de commod.* ibi: *Cùm gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.* Ergo tenetur ad restitutionem rei commodatæ, quæ perit vel amittitur, dum per tertium remittitur, si non adhibuit diligentiam & prudentiam maximam, ut fidelem, ac idoneum inveniret: secùs, si hanc adhibuit, l. 20. §. *commod.* vel si tertius ille à commodante fuit electus, tunc enim res domino suo perit. Quòd si in utriusque commodum res fuisset commodata alteri, hic tenebitur solùm de culpa levi: si verò in solius commodantis, de culpa lata, juxta regulas alibi traditas.

Quæst. V. *An res aliena commodata, deposita, conducta, &c. debet præferri propriæ, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii, &c.*

Resp. 1. Si res tua propria sit pretiosior, potes eam conservare præ aliena commodata, deposita, &c. Quia non exigit æquitas, ut quis majore suo damno impediat damnum minus alterius. Sed tunc si res erat commodata, juxta multos teneris ejus pretium restituere, ex l. 5. §. *comm.* ubi dicitur commodatarius non teneri compensare damnum ex incendio vel ruina ortum, *nisi cùm posset res commodatas salvas facere, suas prætulit*. Nam æquum non est, ut alter damnum sustineat, salvis ejus rebus, cui gratificatus est, & ob cujus solius commodum res sua adducta est in periculum.

Resp. 2. Si res aliena sit pretiosior, teneris ex justitia eam præ tuis conservare. Quia rei alienæ ea debetur custodia, quam quisque prudens in suis rebus adhiberet: quisque autem servaret res suas pretiosiores, relictis vilioribus. Sed tunc si res aliena erat apud te in commodum solius domini, potes exigere compensationem totius damni, quod passus es eam servando: nam non teneris eam gratis servare tuo damno, cùm in tuam utilitatem non detineas. Si autem erat in commodum tui & domini, potes repetere mediam partem damni, quia utriusque causa res periclitabatur; & par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus pro ratione commodi. Si verò res apud te erat in tui solius utilitatem, juxta Lessium & alios, non potes exigere compensationem pro tuis rebus, ex l. 5. cit. §. *commod.* Quia cùm jactura rerum tuarum minoris vel æqualis valoris teneris alterum præstare indemnem, cùm tantùm tui commodi occasione res ejus in periculum istud inciderit.

Resp. 3. Quando res tua est æque pretiosa, potes illam præferre alienæ, si res aliena sit apud te in commodum solius domini, vel in commodum commune. Si verò res aliena sit in commodum tui solius, juxta multos teneris eam tuæ præferre, ex l. 5. cit. Quia rem alienam in tui solius commodum acceptam teneris diligentissimè conservare: nec tunc ille debet tibi compensare, cum res sua tui solius causa periclitaretur; & cùm solus ex contractu commodum sentias, par est ut solus damnum patiaris, præstando id ad quod tenebaris.

Porrò qui rem suam præ aliena conservat, dum tenetur alienam suæ præferre, tenetur ad restitutionem, quia fecit injuriam damnosam.

Quæst. VI. *Quid est Mandatum?*

Resp.

Resp. Est officium gratis susceptum in gratiam alterius; sive est obligatio aliquid agendi in commodum alterius, gratis suscepta, v. g. negotium aliquod gerendi, aliquid ipsi emendi, &c. Nam si pretio suscipiatur, est potiùs locatio operæ. Mandatum autem non potest esse nisi de re licita, l. 6. §. *mandat.* & re integra solvitur morte mandantis, l. 15. Cod. *Mandanti*.

Quæst. VII. *Quanam sunt obligationes mandatarii, & mandantis?*

Resp. 1. Ex communi sententia, mandatarius, & quivis negotiorum gestor, vel procurator tenetur, 1. Alterius negotium diligenter & utiliter gerere tanquam proprium: nam ad hoc se obligavit acceptando mandatum, nec ei aliter negotium commissum fuisset, ex l. 21. Cod. *mandat.* ibi: *Aliena negotia exacto officio geruntur: nec quidquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum est*. 2. Negotium susceptum conficere: *Voluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis consummare*, l. 17. §. *commod.* Nam ad id se obligavit, illud suscipiendo. 3. Tenetur saltem de dolo, & culpa lata, si mandatum in solius mandantis utilitatem gratis susceperit, l. 3. §. *de negot. gest.* De levi, si id etiam in suam utilitatem cedat, vel si se obtulerit, cùm alius diligentior præsto esset: de levissima verò, si maximam diligentiam promiserit, vel hanc res exigit. 4. Non potest fines mandati sui transire: *Diligenter enim fines mandati custodiendi sunt*, l. 5. §. *mandati*. Unde non potest aliquid pluris emere, aut minoris vendere, quàm ei præscriptum sit. 5. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel eam priùs petierit: nec ei licet operam occultè compensare, alioqui tenetur ad restitutionem. Nam hoc ipso quòd mandatum suscipit nihil petendo, censetur velle alteri gratificari, & operam suam gratis ex amicitia præstare, ex l. 1. §. *mandat.* ibi: *Mandatum nisi gratuitum nullum est; nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium ergo est officio merces: interveniente enim pecunia res ad locationem & conductionem potiùs respicit*.

Resp. 2. Mandans tenetur mandatario præbere necessaria ad mandati executionem, & solvere sumptus, ex cap. 6. *de procurat.* nam id æquitas & justitia exigit.

Sed quid dicendum de eo, qui absentis & ignorantis negotium gessit sine mandato?

Resp. Is perinde ac mandatarius tenetur negotium alterius diligenter administrare tanquam suum, & resarcire damna absenti illata ex ejus culpa lata, imò levi, saltem si alius diligentior negotium illud suscepturus esset, *instit. de oblig.* & l. 20. Cod. *de negot. gest.* Quia is qui alterius negotium suscipit, diligentiam suam ac industriam promittere censetur, quam proinde saltem ordinariam adhibere tenetur. Absens verò tenetur ei impensas & damna ex negotii administratione secuta compensare, & operæ mercedem congruentem solvere; & si recuset, datur actio contra eum, l. 2. §. *de negot. gest.* idque etiamsi negotium malè succedat, modò negotii gestor prudentiam & diligentiam debitam adhibuerit. Nam cùm res ipsa, & bonum commune postulet, ut res & negotia absentium administrentur, æquum est impensas ea de causa factas, operas, & damna secuta compensari ei, qui talia negotia gessit. Hic autem rationem expensi & recepti reddere debet, *instit. de oblig.*

CAPUT V.

De Emptione, & venditione.

Quæst. I. Quid est Emptio & venditio?

Resp. Emptio est pactio pretii determinati dandi pro merce. Venditio est pactio mercis dandæ pro pretio determinato. Unde realiter utraque non est nisi unus contractus mutuus, qui absque traditione rei aut pretii perficitur solo consensu partium exteriùs significato, quo se mutuo obligant; venditor quidem ad mercem tradendam, emptor verò ad pretium solvendum, l. 1. §. *de contrah. empt. & instit.* l. 3. tit. 24. Ita ut simul ac de pretio convenerunt: neuter resilire possit. Tamen sine traditione non habet ultimum suum complementum, nec transfertur dominium. At non ideo licet uni contrahentium altero invito ante traditionem à conventione discedere, l. 3. Cod. *de rescind. vendit.* nam pacta obligant in conscientia.

An autem, cùm arrha datur, licet resilire cum sola illius jactura?

Respondet Delugo hoc pendere ex consuetudine, quæ intentionem contrahentium optimè declarat. Quare si usus est, ut cum sola jactura arrhæ impunè recedant, ea solùm videtur intentio. Alioqui censebitur data arrha ad securitatem obligationis contractæ etiam ex parte dantis, qui eam implere debeat.

Utriusque contractus justitia in æquali valore mercis & pretii consistit. Merx est res

quævis pretio temporali æstimabilis & parabilis: pretium verò est pecunia, quæ inventa est ut sit mensura & pretium omnium, quæ in contractus humanos venire solent. Nam ante usum pecuniæ erat solùm permutatio, quæ est pactio mercis pro merce, vel etiam nunc pecuniæ pro pecunia præsenti. Permutatio autem easdem leges habet, quas contractus emptionis & venditionis, exceptis iis, quæ ad pretium spectant, ex l. ult. *de rer. permut.* & lib. 2. eod. tit. Nam in permutatione non datur pretium, seu pecunia pro alia re. Justitia tamen exigit ut sit æqualitas valoris unius rei cum alia.

Porrò dixi *pretii determinati*; nam necesse est ut pretium sit definitum. *L. 35. §. de Contrah. empt.*

Nota. Cùm res venditur, censetur cum ea vendi id omne, quod est pars illius, vel cum ea connexum, & ejus accessorium, nisi expressè excipiatur. Sic fundo empto censentur arbores in eo consitæ, & fructus pendentes vendi; nam fructus rei cohærentes censentur pars illius, l. 44. §. *de rei vindict.* Secùs de fructibus avulsis.

Quæst. II. *Quodnam est pretium justum rerum venalium?*

Resp. Justum pretium est illud, quod exæquat valorem rei venalis. Duplex est, scilicet legitimum, & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Pretium legitimum est illud quod lege principis vel magistratus decreto constitutum est. Vulgare est, quod communi hominum æstimatione constituitur, spectatis mercium copia, vel penuria venditorum, impensis, labore, periculis, modo vendendi, emptorum multitudine, vel paucitate, &c. seclusis fraudibus ac monopoliis injustis, juxta l. *Pretia*, §. ad legem Falcid. *Pretia rerum non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, hoc est, definiuntur.

Hinc pretium justum & injustum potest esse diversum in diversis locis & temporibus, pro varia in iis rerum æstimatione. Pretium legitimum consistit in indivisibili, ita ut non liceat venditori illud augere, nec emptori minuere, nisi venditor sponte velit minùs exigere. Quia publica potestas, pro vi quam habet obligandi suos subditos in ordine ad bonum commune, restringit pretium ad aliquid determinatum, ideòque indivisibile. Vulgare verò habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluris vel minoris vendere aut emere. Ratio est, quia legitimum constituitur ab uno, vel à pluribus in idem consentientibus: vulgare autem pendet à multis non idem omnino judicantibus. Quod enim quidam æstimant novem, hoc alii decem, alii verò undecim æstimant. Quare ex communi sententia, triplex est vulgare pretium, nempe infimum, medium seu mediocre, & summum seu rigorosum. Sic juxta communem sententiam, si pretium medium sit viginti, infimum erit novemdecim circiter, summum vigintiunum. Item si medium sit centum, infimum erit nonaginta quinque, summum verò centum quinque, aut circiter. Et ita cum proportione de aliis secundùm æstimationem prudentem: sic tamen ut latitudo sit major, si res sit pretiosior; & minor, si res sit minùs pretiosa, ut patet in exemplis allatis, in quorum primo latitudo est trium aureorum, in secundo decem. Imò ipsum medium suam habet latitudinem, similiter infimum, & summum.

Sed quid, si res quædam neque lege, neque ex communi æstimatione hominum pretia habeant, cujusmodi sunt gemmæ exquisitæ, aves raræ, tabellæ, statuæ antiquæ, flores, artefacta quædam rara, & similia, quæ non sunt necessaria?

Resp. Res illæ non possunt vendi pro arbitrio vendentis, sed vendi debent secundùm æstimationem peritorum. *Ita Cajet. Navarr. Rebellus, Lessius, Salas, Delugo, & alii.* Quia justum earum pretium sumendum est, non ex beneplacito domini, sed ex judicio prudenti, spectatis novitate, antiquitate, raritate, utilitate, & aliis circumstantiis ad valorem rei facientibus. Nam non ideo res tanti valet, quia venditori placet tanti vendere, sed quia intelligentium judicio tanti æstimatur. Et nemo prudenter potest judicare rem tanti valere quanti potest vendi; pretium autem justum debet esse prudenter æstimatum. Nec refert quod nulla vis, aut necessitas inferatur emptori; alioqui possent usuræ retineri, quando mutuum petitur ad usus non necessarios, ut ludum, &c.

Quæst. III. *An liceat vendere ultra justum pretium, saltem extraneos, vel emere infra?*

Resp. Neg. *Ita nunc omnes Theologi.* Constat, 1. Ex cap. 1. *de empt.* ibi: *Presbyteri plebes suas admoneant, ut non cariùs vendant transeuntibus, quàm in mercato vendere possint.* 2. Quia in omni contractu æqualitas justitiæ jure naturali servari debet erga omnes: sed non servatur justitiæ æqualitas inter rem & pretium, si res pluris vendatur, vel minoris ematur, quàm valet. *Emptio & venditio videtur esse introducta*

-pro

pro communi utilitate utriusque ...... Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius quàm alterius, & ideo debet secundùm æqualitatem rei inter eos contractus institui .... & ideo cariùs vendere, vel viliùs emere rem, quàm valeat, est secundùm se injustum & illicitum. S. Thom. 2. 2. qu. 77. art. 1.

Quare venditor tenetur in conscientia excessum pretii restituere, & emptor supplere pretium justum. Nam illud quod excedit, vel deficit, non censetur liberaliter ac gratis & absolutè donatum; sed pretium datur solùm tanquam debitum ac justum pretium mercis, merx verò tamquam aliquid æquivalens ac debitum pretio oblato: quamvis in foro externo non detur actio, nisi cùm est injustitia, seu læsio ultra medietatem justi pretii, ad vitandam multitudinem litium, quæ passim emergerent, si ex quavis inæqualitate daretur actio.

Cùm autem in pretio vulgari detur aliqua amplitudo, licet vendere pretio summo, & emere infimo, nam utrumque justum est. Non licet tamen ei, qui aliquid pretio infimo vendidit, pretium occulta mercis imminutione reducere ad medium vel summum: nam ageret contra conventionem, & contra jus alterius ex ea acquisitum, sicque teneretur ad restitutionem. Venditio enim est perfecta consensu ementis & vendentis, etiam antequam tradatur merx.

Obj. L. 16. §. *de minor.* dicitur in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.

Resp. Id intelligendum est intra latitudinem vulgaris ac justi pretii; vel solùm significatur in foro externo non dari actionem, nec pœnam pro læsione infra dimidium. Alioqui lex ista injusta ac nulla esset, & repugnaret isti legi divinæ naturali, 1. ad Thess. 2. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Nota. Est injustitia, quoties, dato justo pretio, additur emptori vel venditori onus aliquod pretio æstimabile, quod non compensatur. Nam tunc est inæqualitas: nam emptor ultra pretium justum, vel venditor ultra rem venditam compellitur ad aliquid pretio æstimabile, pro quo nihil rependitur. *Delugo.*

Quæst. IV. *An qui fraude vel mendacio induxit alium ad emendum majore pretio, quàm aliàs emisset, quamvis non excedente summum, peccat & tenetur ad restitutionem?*

Resp. Affirm. Quia emptori est illius damni vel lucri cessantis causa per injuriam; nam quisque habet jus ut fraude, vel mendacio, aut vi non inducatur ad aliquod damnum patiendum, vel lucrum amittendum.

Quæst. V. *An sunt aliqua causa, ob quas licet res pluris vendere, vel minoris emere, quàm alioqui valent?*

Resp. 1. Etsi nunquam liceat rem pluris vendere, vel minoris emere, quàm hic & nunc valeat, omnibus consideratis, cùm aliàs non servaretur æqualitas justitiæ inter mercem & pretium; sunt tamen variæ causæ pluris vendendi, vel minoris emendi rem, quàm alioqui valeat pretio vulgari, eo quòd ob illas pluris, vel minoris æstimetur & valeat, quàm si abessent.

Resp. 2. Ex communi sententia, causæ pluris vendendi hæ sunt. Prima, lucrum cessans, vel damnum emergens, deductis deducendis: ut si merces, quas in aliud tempus servare decreveras, quo plus probabiliter valituræ sunt, vendas in gratiam alterius, ex cap. ult. *de usur.* aut si vendas merces, quas cogeris postea carius emere. Nam præter pretium rei currens exigi potest compensatio jacturæ lucri sperati, & damni, quæ ex alienatione rei sequuntur, ut dixi de mutuo: venditor enim non tenetur ex justitia cum suo damno vendere. Sed tunc cùm venduntur merces anticipata pretii majoris taxatione, deduci debent impensæ, quas venditor facturus erat ad servandas merces usque ad statutum tempus, & computari æstimatio diminutionis, deteriorationis, & periculi harum mercium in id tempus servandarum. Alioqui non servaretur æqualitas, & venditor exigeret ultra suam indemnitatem, ideòque plus quàm sibi deberetur. Exigeret enim totum lucrum cessans, non compensando damnum ac periculum quod subiret, merces suas servando, à quo immunis est eas vendendo. Item vendendi ante tempus quo statuerat vendere, licet convenire cum emptore, ut solvatur pretium sive majus, sive minus quod res valebit eo tempore quo venditor decreverat vendere, sed deductis mox dictis.

Secunda causa est affectus rationabilis domini erga rem, quæ venditur in gratiam alterius, ut quia est antiqua, quia à principe vel à majoribus accepta, &c. Atque etiam oblectatio: nam molestia subeunda ex carentia rei specialiter amatæ, & privatio oblectationis in gratiam alterius sunt pretio æstimabiles, tamquam incommoditas quæ-

dam, perinde ac privatio utilitatis. Sed illud pretium debet esse moderatum judicio prudentum: affectus enim immoderatus intra terminos rationis & moderationis reduci debet, nec pretio enormi redimi.

Nota. Cùm ob prædictas causas plus exigitur, emptor de hoc monendus est; alioqui ei fieret injuria. Nam ipso ignorante ideòque non consentiente, acciperetur pretii excessus pro aliquo merci extrinseco, cùm tamen ipse solùm consentiret in pretium mercis secundùm se spectatæ, & fortè rem non emeret, sed aliunde sibi providere, si sciret pretium propositum esse majus, quàm res secundùm se valeat. Præterea deciperetur circa valorem rei absolutum, & alios postea decipere posset.

Tertia est copia emptorum vel pecuniarum, & penuria mercium, ut fiat, v. g. in adventu subito principis, exercitus, &c. Id enim pluris æstimatur, quod a pluribus quæritur, quodque difficilius vel minore copia invenitur.

Quarta, pericula, impensæ, labores in rebus istis conquirendis, conservandis, &c. communiter occurrentia: nam hæc sunt pretio æstimabilia: nisi tamen merces illæ jam suum habeant pretium, quo passim vendantur: nam tunc in pretio æstimando jam habita est ratio laborum & impensarum, quæ communiter fieri solent. Dico, *communiter*. Nam si quis plures impensas fecerit, & plus laboris, vel periculi aut damni subierit, quàm alii communiter, non potest ideo pretium augere, sicut non tenetur minuere, si ordinarias impensas non fecerit. Quia infortunium, vel difficultas, sicut felicitas vel industria unius venditoris non mutat à communiter accidentibus; res quippe tanti valet, quanti æstimatur communiter, non quanti per infortunium, vel imprudentiam aliquibus constat.

Quinta, modus vendendi, ut cùm res venditur in parva quantitate & minutatim, tunc enim propter labores, impensas, operas & curas, quæ ad id exiguntur, potest pluris vendi, quàm si venderetur simul in magna quantitate.

Resp. 3. Ex communi sententia, sunt quoque variæ causæ, ob quas licet minoris rem emere, quàm aliàs valeret.

1. Si res emptori parum sit utilis, nec eam emat nisi in gratiam venditoris. Res enim vilescit tum ex eo, quòd emptores non inveniantur, tum ex eo quod res ementi parum sit utilis. Item si res ultrò offerantur, & emptores quærantur aut rogentur, juxta illud effatum, *Merces ultroneæ vilescunt*: quia hoc indicat paucitatem emptorum; nisi tamen aliud charitas exigat: neque enim licet vilius emere res pauperum, quas ipsi necessitare compulsi venales proponunt, eo solo prætextu quòd offeruntur venales. Imò ob necessitatem præcisè, qua proximus rem suam vendere cogitur, pretium imminuere injustum est, perinde ac illud augere ob necessitatem, vel utilitatem emptoris: quia sicut emptoris necessitas non auget valorem rei, sic venditoris necessitas eundem absque alio titulo non minuit.

2. Ob emptorum paucitatem. Quia id minoris æstimatur, quod minus quæritur.

3. Ob mercium copiam supervenientem. Tunc enim vulgare pretium minuitur; quia minoris id æstimatur, cujus major est copia.

4. Cùm merces in magna quantitate simul emuntur, tunc minoris emi possunt, quàm si minutatim & per partes emerentur. Quia hoc vendendi modo mercator liberatur multis curis ac impensis & operis, quas circa illas subisset, & fit expeditior ad novas merces comparandas: quod magis ipsi quæstuosum est, quàm si eas pretio ordinario sensim vendidisset.

5. Cùm venduntur auctione publica, seu sub hasta, tunc possunt minoris emi, & interdum pluris vendi, quàm ferat pretium mercatorum. Quia ibi res fortuito ac incerto pretio subjiciuntur; ita ut seclusa vi, fraude & subornatione possint justè minoris emi ob licitantium paucitatem ac frigus, & pluris vendi ob offerentium multitudinem ac fervorem. Quare juxta multos justum ullius fori pretium est illud, quod absque vi, fraude, & subornatione offertur & acceptatur ab intelligentibus, ut passim fert eruditorum ac piorum sensus, & usus, in quem publica potestas tacitè consentire videtur.

Dixi, *absque fraude &c.* Nam si per fraudem, vel subornationem extrahatur res extra pretium mercatorum, tunc erit injustitia, & obligatio restituendi: ut si venditor inducat fictum licitatorem, ut augeat pretium; vel si emptor impediat alios, ne pretium libere augeant, vel per vim, aut fraudem avertat alios ab emendo. Nam quisque jus habet ne fraude, aut vi impediatur ejus commodum.

Quæst. VI. *An licet pluris vendere rem eò quòd sit emptori valde grata, vel utilis, aut necessaria?*

Resp. Neg. *Est communis sententia*. Quia hæc

hæc utilitas, affectio, necessitas non est aliquid vendentis; sed est ex conditione ementis: at injustum est vendere rem cariùs propter aliquid, quod suum non est. S. Th. 2. 2. quæst. 77. art. 1. ubi ait: *Si aliquis multùm juvetur ex re alterius, quam accepit, ille verò qui vendit, non damnificatur carendo re illa; non debet eam supervendere: quia utilitas quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licèt possit ei vendere damnum quod patitur.* Hinc injustè mihi cariùs vendis domum tuam meæ contiguam, quia mihi perutilis est.

Quæst. VII. *An privatim sciens pretium mercis brevi auctum, vel imminutum iri, potest justè eam pretio currente vendere, vel emere, non monito altero contrahente?*

Resp. Affirm. modò absit fraus omnis. Ita S. Thom. quæst. 77. art. 3. ad 4. & alii communiter. Quia pretium currens, sive sit lege, sive communi æstimatione constitutum, est justum, & nondum immutatum. Nam scientia privata vendentis, vel ementis non mutat decretum magistratus, nec communem æstimationem, unde petitur justum rei cujusque pretium. Sic Joseph, *Genes.* 41. sciens privatim fore magnam frumenti caritatem, frumentum Ægypti pretio currente emit, quod postea cariùs vendidit: eadem autem est in eo casu, quantùm ad justitiam, venditoris ac emptoris conditio. Idem dic de pecunia, cujus valor præsens justus est, donec per edictum principis mutetur.

Sed observa, 1. potest interdum in hoc peccari contra charitatem, ut si pauperi magnam copiam rerum brevi minuendarum vendas. Ita *Rebellus, Reginaldus, & alii.* Quia charitas vetat ne proximum in gravem necessitatem conjicias, ut lucreris; sicut jubet ei subvenire etiam cum aliqua bonorum tuorum jactura. Quare si peccas contra charitatem non subveniendo proximo in gravi necessitate constituto, cùm potes sine tuo gravi incommodo, à fortiori peccabis si eum in talem necessitatem conjicias ut lucreris.

2. Esset contra justitiam vendere pretio currente res, quarum pretium minuendum est ob ipsius rei vitium: nam eo ipso res illa jam censetur esse tunc vitiosa, ac proinde jam nunc minùs valet. *Ita communiter.* Hinc qui occultè scit suum debitorem parem non esse solvendo, non potest hoc debitum pretio ordinario vendere: quia hoc debitum jam vitiosum est in se: cùm debiti seu obligationis valor multum pendeat à solutionis certitudine. *Ita Lessius.*

3. Si interrogatus an pretium minuendum sit, neges, & ideo alter inducatur ad emendum, ex communi sententia peccas contra justitiam, & teneris restituere. Quia mendacio, ideòque via injusta inducis proximum ad contrahendum cum suo damno; & injustum est proximi bonum fraude, mendacio vel dolo impedire aut minuere.

4. Magistratus peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, si pretia rerum mutent ob privatam suam utilitatem; vel si edicti justi promulgationem differant eo solùm fine, ut priùs merces vendant, aut emant, vel pecunia distrahant; aut si alicui legem brevi promulgandam significent, qua notitia ille utatur cum aliorum detrimento, *Ita Rebellus, Delugo, & alii multi.* Quia ex suo officio tenentur impedire damna aliorum, & curare ne ex suis decretis damnum aliquibus præ aliis eveniat. Enimverò eorum officium in communem utilitatem institutum est: ergo non possunt eo uti in damnum aliorum, ob utilitatem propriam, vel privatam alterius.

Quæst. VIII. *An excusatur vendens ultra pretium justum, eo quòd emptor tale pretium offerat?*

Resp. Neg. *Est communis sententia.* Quia emptor non vult liberaliter donare excessum pretii justi, sed emere & solvere dumtaxat justum pretium. Unde excessum non offert, nisi ex errore tollente voluntarium, vel ex necessitate aut affectu erga rem illam, quæ non augent pretium mercis respectu venditoris, cùm sint ex conditione emptoris. Si tamen constaret excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando principes, posset retineri: donatio enim liberalis est justus titulus, ob quem etiam emptor posset minoris emere. Sed hoc numquam præsumi debet, nisi absint ignorantia justi pretii, necessitas, fraus ac coactio, & adsit aliqua causa, ut consanguinitas, affinitas, amicitia, vel liberalitas.

Quæst. IX. *Si venditor ignoret valorem mercis suæ, ad quid tenetur emptor?*

Resp. Ex communi sententia, tenetur illum aperire, si rogetur, alioqui injustè deciperet. Si non rogetur, tenetur pretio justo saltem infimo emere, quamvis minus ex ignorantia petatur. Nam non servaretur æqualitas; & injustum est rem emere, vel ven-

vendere minori pretio quàm communi æstimatione valeat, cùm hoc pretium sit injustum. Neque enim venditor intendit donare id quod deest justo pretio, sed rem uti est vendere justo pretio. Et manente ignorantia, quævis ejus condonatio non est voluntaria, nec proinde valida.

Quæst. X. *An qui scit in agro alieno latere thesaurum, licite emit agrum pretio communi, ut fiat dominus totius thesauri?*

Resp. Affirmant quidam Doctores. Quia 1. Christus, Matth. 13. innuit hoc licere. 2. Thesaurus non est pars fundi, nec ejus fructus, cùm ibi non natus sed positus fuerit; nec pertinet ad dominum agri donec eum invenerit, cum thesaurus in nullius bonis sit, instit. *de rer. divis.* 3. Justum pretium rei petitur ex communi æstimatione, non ex utilitate soli emptori nota, quæ est per accidens & extrinseca rei. Nec emptor tenetur indicare, cùm cuilibet liceat uti propria scientia ad acquirendam rem, quæ nullius est: verùm alii negant.

Aliud est de venis metallicis, vel alio minerali, quæ latent in agro: nam sunt partes fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ; aut saltem sunt fructus agri. Ergo sunt domini agri, & in emptione fundi debet haberi eorum ratio, cùm vere simul emantur. Sunt tamen qui docent, si emens id nesciverit, & bona fide emerit, non teneri hoc compensare; quia quæ à nemine cognoscuntur, non æstimantur pretio, sed se habent in æstimatione hominum tanquam si ibi non essent.

Quæst. XI. *An licet justo pluris vendere ob dilatam solutionem pretii, vel minoris emere ob anticipatam?*

Resp. Neutrum licet, nisi adsit alius titulus justus, ut lucrum cessans, vel damnum emergens. *Est communis sententia*, & constat. 1. cap. 6. & cap. 10. *de usur.* 2. Quia res non venderetur aut emeretur pretio justo: nam pretium justum est illud, quod aut lege, aut communi æstimatione constitutum currit. Neque pretium debet æstimari ex anticipatione, vel dilatione solutionis: nam perinde justum est, si illud nunc detur, solùm post annum. Sola quippe ratio temporis per se nihil confert ad pretium; alioqui usura esset licita, & pecunia numerata esset pretiosior numeranda, quod damnavit Innocentius XI. Unde solutio futura per se æqualis est æstimationis cum præsenti. 3. In dilata, vel anticipata solutione est mutuum implicitum & virtuale: nam cùm creditor concedit dilationem solutionis, perinde facit ac si acceptam à debitore pecuniam eidem usque ad tempus mutuaret. Similiter qui solutionem pretii anticipat, idem præstat ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ. Ratione autem mutui aliquid ultra valorem rei exigere injustum ac usurarium est. Ita S. Thom. quæst. 78. art. 2. ad 7. ubi ait: *Si aliquis cariùs velit vendere res suas, quàm sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifestè usura committitur: quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere viliùs, quàm sit justum pretium, eo quòd pecuniam ante solvit quàm possit ei res tradi, est peccatum usuræ, quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.*

Ex communi tamen sententia, licet numerata pecunia vendere pretio infimo, non numerata summo, quia utrumque justum est. Hinc injustum est nunc emere pretio currente triticum tradendum eo tempore, quo speratur plus valiturum. Licet tamen merces emere minore pretio quàm valeant cùm emuntur, & datur pretium, si verisimiliter putentur minùs valituræ tempore, quo tradentur: nam aliàs emptor damnum pateretur.

Nota. Mercatoribus, qui credito vendunt merces, non licet plerumque aliquid supra justum pretium exigere ob lucrum cessans. Quia rarò lucrum eis ideo cessat: imò ordinariè augetur: nam sic vendendo, plures emptores habent, & plures merces vendunt, quàm si exigerent solutionem præsentem, & liberi sunt à periculo, & labore conservandi merces.

Quæst. XII. *An licet credita, chirographa, & census minoris emere, quàm continent; v. gr. an jus ad centum nummos solvendos intrà annum emi possit numeratis tantùm nonaginta?*

Resp. 1. Si hæc sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate ac molestiis exigenda, licitè emuntur minoris quàm contineant: nam tunc in æstimatione communi minùs valent. Hinc ex l. *Minus* 5. de reg. jur. *Minus est actionem habere, quàm rem*, quæ scilicet certò & sine molestiis

stiis ac sumptibus haberi nequit. Idem dic si ex tali emptione lucrum cesset, vel damnum oriatur ementi. Non licet tamen ipsis debitoribus ea debita minoris emere, cùm sint causa eorum minoris æstimabilitatis, & teneantur ad integram solutionem. Quæstores verò publici, & ii quibus incumbit aliorum debita solvere, si eum creditoribus durè ac molestè agant, ut ad creditum ipsis vel eorum amicis vendendum adigant, tenentur ad restitutionem: cùm sint causa injusta difficultatis solutionis, & damni.

Resp. 2. Seclusο lucro cessante, vel damno emergente, non licet credita & chirographa liquida ac secura minoris emere quam contineant. *Est communis sententia, teste Delugo*. Prob. Quia non servaretur æqualitas pretii cum re empta, nam minoris emeretur creditum quàm valet. Jus enim ad debitum liquidum mille aureorum exigendum, & certò recipiendum sine difficultate ac molestia valet mille aureos: nam si debitum illud quod emitur, non esset exigendum post annum, sed nunc, idque sine ulla difficultate, molestia ac damno, non potest dici non valere mille aureos: sed ob solam dilationem temporis non potest minui ejus valor, alioqui usura esset licita. Præterea mille aurei certò in futurum solvendi tanti valent, quanti mille præsentes, ut constat ex propos. 41. ab Innocentio XI. damnata.

Ob eamdem rationem non licet census jam constitutos nulli periculo expositos emere infra pretium lege vigente taxatum. Alioqui emerentur viliùs justo, cùm pretium legitimum sit indivisibile, & census jam constitutus nulli periculo ac difficultati expositus tanti valeat, quanti novus. Quòd si lex sit abrogata per consuetudinem legitimè præscriptam, vel revocata ex consensu saltem tacito principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare, (ut varii dicunt ex consuetudine habere) potest emi infimo pretio census, qui summo venditus fuit, cùm utcumque justum sit. Non tamen potest redimi à vendente nisi eo quo emptus est pretio: quia ad justam venditionem cum pacto retrovendendi requiritur ut venditor idem pretium ab emptore datum reddat, cùm hoc pactum sit simile pacto rescindendi contractum.

Quæst. XIII. *Ad quid tenetur, qui falsam monetam pro vera ignoranter tradidit?*

Resp. Tenetur ubi id novit, veram tradere, vel si non potest, rescindere contractum. Quia rem dedit intrinsecè ac substantialiter vitiosam, & se obligavit ad dandam veram monetam. Item fuit error circa substantiam monetæ, quæ est materia contractus; & alioqui esset inæqualitas, quæ ubi innotescit, reduci debet ad æquitatem, ne fiat injuria.

Quæst. XIV. *An licet vendere res defectuosas, vel mixtas?*

Resp. Ex communi Doctorum sententia, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. 1. Qui scienter vendit rem vitiosam sive in substantia, tunc enim contractus est etiam nullus, ob defectum consensus substantialis; sive in quantitate seu pondere, numero, vel mensura, ex Deut. 25. *Non habebis diversa pondera majus & minus: nec erit in domo tua modius major, & minor. Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus tibi .... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc & aversatur omnem injustitiam*. Sive in qualitate, non minuto pretio, etiamsi vitium non sit noxium. Nam in his casibus violatur æqualitas quam justitia exigit: non enim servatur æqualitas inter rem & pretium; nam res defectuosa, seu vitiosa, in quantitate, vel qualitate minùs valet quàm integra & bona. Ergo non potest justè vendi, nisi pretio minore pro ratione defectus. Quòd si qualitas rei sit noxia, venditor tenetur emptori de damno, cùm fuerit ejus causa injusta.

2. Qui vendit rem mixtam alia viliori, v. gr. vinum aqua mixtum, vel farinam frumenti mixtam hordeacea, si mixtio noxia sit, vel reddat rem inutilem aut deteriorem. Quia injustè decipit emptorem, qui res puras, non mixtas putat & vult emere, eique injustè infertur damnum contra bonam fidem contractus.

Imò etiamsi res mixta non fiat deterior, nec inutilis, non licet eam vendere eodem pretio ac si esset pura. Quia minoris valet, estque injustum eodem pretio rem vilem quo pretiosiorem, v. gr. aquam pretio vini, panem hordeaceum pretio tritici vendere secundùm aliquam quantitatem. In ejusmodi autem rebus mixtis est aliqua quantitas rei vilis. *Ita S. Antoninus* 2. part. tit. 1. cap. 17. *Rebellus, Tamburinus, & alii multi*. Nec refert quòd vinum sic mixtum æque vel fortasse meliùs emptori sapiat, quàm si esset purum: hoc enim per accidens est, & emptor admiscere aquam poterit. Vinum autem mixtum est minoris æstimabilitatis ac valoris secundùm se quàm purum, estque in se deterius, & citiùs acescit, & ad plures effectus

fectus minùs utile est. Igitur tunc minui debet pretium pro ratione mixtionis.

3. Qui utitur aliquo artificio, ut mercis bonitas magis appareat, & ideo vendit supra summum. Non enim ideo pluris valet, cùm bonitas non inde augeatur. Item qui aliquo artificio auget pondus vel extensionem mercis, v. gr. avenam aqua perfundit, lanam ponit in locis humidis ut fiat ponderosior. Nam emptor decipitur in pondere, & mensura; & res verè ac in se minorem habet quantitatem.

Quæst. XV. *An venditor tenetur aperire vitium ac defectum rei venalis?*

Resp. 1. Si emptor quærat an res careat vitio, venditor tenetur ex justitia aperire rei vitia, præsertim occulta. *Est communis sententia Doctorum, inquit Lessius.* Quia alioqui emptorem injustè deciperet; nam emptor habet jus cognoscendi rem, quam vult emere, & ut ei secundùm veritatem respondeatur, idque bona fides contractus postulat. Quare si venditor afferat vitio carere rem, quæ occultum habet, & ideo illiciat emptorem ad eam emendam, aliàs non empturum, tenetur ad rescindendum contractum, si emptor velit: quia dolus illi causam dedit. Si verò eam emisset quidem, sed minoris, venditor tenetur ei restituere ex pretio quanti minoris justè emisset; nam eatenus eum decepit, eique fecit injuriam, l. 13. §. *de action. empt.* Quod si venditor putaret manifesta vitia non deprehendi ab emptore, teneretur etiam illa aperire, inquit Lessius, quia generatim rogat de omnibus.

Resp. 2. Si res putetur noxia, vel inutilis ad usum ad quem petitur, venditor etiam non rogatus tenetur ejus vitium aperire, alioqui tenebitur ad restitutionem pretii dati, & damnorum inde secutorum, ut si vendat, etsi pretio modico, corium fragile, vel pannum adustum pro durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, domum ruinosam pro firma, semina corrupta pro recentibus, carnes infectas, ovem morbidam ex qua grex morbum contrahat, tigna vitiosa unde ædes corruant, &c. *Est communis sententia*, & constat. 1. Ex l. 13. §. *de act. empt.* & aliis. 2. Quia eo casu censetur emptor involuntarius, & quasi dolo ad emendum inductus, cum putat mercem bonam & sibi utilem offerri, talemque solùm emere velit; & tamen noxia aut inutilis offertur. 3. *Venditor ex hoc ipso dat emptori damni, vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit*, ait S. Thomas, quæst. 77. art. 3. Sed, *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*, c. ult. *de injur.* Idem dic, si rem vitiosam vendas emptori revendituro, quia eris causa periculi, vel damni aliis emptoribus obventuri ex ignorantia vitii.

Imo si res sit notabiliter minùs utilis, quàm rationabiliter exoptet emptor, tunc venditor tenetur ei defectum rei detegere. Quia tenetur cum emptore secundùm voluntatem ejus rationabilem contrahere, id enim exigit bona fides in contractibus servanda. Sic merces, quæ diu servari nequeunt, non licet vendere quærenti res diu servandas.

Porro venditor ignarus vitii occulti suæ mercis, tenetur eo cognito vel rescindere contractum, vel resarcire inæqualitatem, restituendo excessum pretii. Nam injustum est retinere pretium majus, quàm res valeat. Non tenetur tamen compensare alia damna inde secuta, modò absit culpa lata & levis. Quia non est causa injusta illorum, cùm ignorantia invincibilis eum excuset, sed se habet ut possessor bonæ fidei, & aliunde tenetur ex contractu de sola culpa lata & levi.

Nota. Quamvis dum vitium rei est manifestum, censeatur notum emptori; si tamen venditor sciat emptorem illud non advertere, & esse periculosum, tenetur ei declarare etsi non rogatus. *Ita communiter, teste Rebello.* Nam tunc respectu emptoris est occultum, & error dat causam contractui. Præterea bona fides in contractibus debita id exigit. Idem docet Valentia cum aliis, si vitium adversetur intentioni, quam actu habet emptor in emendo, quamvis ex incuria illud non advertat: quia emptoris incuria nullum dat jus venditori, & nihilominus verum est, quòd emptor non vult, nec intendit emere rem cum tali vitio.

Resp. 3. Si vitium non reddat rem noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minùs utilem, quàm emptor rationabiliter exoptet, nec venditor interrogetur de vitio; ex communi sententia, is non tenetur aperire vitium etiam occultum, modò minuat pretium pro ratione vitii. Quia tunc nulla fit emptori injuria, nec damnum; & aliàs non possent conservari commercia in rep. Nam si defectus omnes non notabiles in se, nec relatè ad usum emptori detegerentur, multi ab emendo deterrerentur in magnum venditorum detrimentum, vel multùm de pretio justo detraherent.

Si tamen venditor probabiliter judicet empto-

ptorem, rem eam esse revenditurum tanto pretio quanto si careret defectu, seu vitio, tenetur ei aperire defectum saltem post contractum. Quia hoc ipso quòd rem suam exponit venalem cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur; & alias daret occasionem damni aliis inferendi. Imò si emptor non aliter consentit in contractum, nisi posita conditione, quòd res careat tali vitio licèt non noxio, & venditor expressè id cognoscit aut ex verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis signis aut conjecturis, quocumque pretio res vendatur, fit injustitia emptori, accipiendo pretium non detecto vitio. Quia tunc contractus est nullus, cùm consensus emptoris fuerit conditionalis, & desit conditio cui alligatus erat.

Quæst. XVI. *Cuinam res vendita perit, vel deterior fit?*

Resp. 1. Si res vendita pereat post traditionem, fide de pretio data, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit. Quia emptor est illius dominus; cùm per traditionem supposito titulo dominium rei acquiratur; res autem perit domino suo.

Resp. 2. Si res pereat ante traditionem, sitque res certa ac determinata, ut hic equus, hic grex, &c. perit emptori, ex variis legibus, & ex instit. *de empt. & vendit.* Ratio est legum dispositio, quæ etsi impediant dominium ante rei traditionem, tamen statuunt, ut effectus ex eo profluentes, & omnia rei commoda ac incommoda post perfectam venditionem pertineant ad emptorem, perinde ac si jam translatum esset dominium rei, ex l. 1. *Cod. de peric. comm. rei vendit.* & l. 12. *Cod. de act. empt.* Emptio autem & venditio perficitur solo consensu mutuo contrahentium; seu simul atque de merce tradenda & solvendo pretio determinato convenerint, dum sine scriptura res agitur, *ex instit. sup.*

Si tamen mora vel culpa levi venditoris, qui tenetur rem custodire donec tradiderit, res fiat deterior, vel pereat, vel si ita conventum sit, ipse tenebitur de damno. Item si venditio fiat sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori: quia venditio sub conditione non est perfecta ante conditionis eventum, l. 7. §. *de contrah. empt. &c.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Ideoque ante illius eventum periculum & detrimentum rei pertinet ad venditorem, l. 10. §. *de jure dotium.*

Resp. 3. Si res sit indeterminata quoad individuum, ut si emantur sex modii tritici ex granario, sex oves ex grege; vel si res sit determinata quoad mensuram tantùm aut numerum, verbi gratia, totum acervum tritici uno aureo in singulas mensuras, vel hunc gregem taxato pretio in singula capita, &c. tunc ante traditionem, aut mensurationem, vel numerationem res perit venditori, qui proinde tenetur restituere pretium, si erat solutum. Quia ejusmodi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensus fuerit tot modios tritici, &c. Ita l. 35. §. *de contr. empt. &c.* Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora sit, periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo, emptor pretium amittet. L. 5. §. *de peric. & commod. rei vend.* & l. 2. *Cod. eod. tit.*

Resp. 4. Cùm ex duabus rebus una disjunctivè venditur, verbi gratia, ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolutè factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licèt nihil receperit. Si verò alterutra dumtaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere, l. 34. §. *de contrah. empt. & vend.*

Quæst. XVII. *An venditor potest fructus & utilitates rei venditæ percipere donec solvatur pretium?*

Resp. Secluso titulo lucri cessantis vel damni emergentis pretio non potest, si rem emptori tradiderit pretio promisso. *Est communis sententia.* Quia tunc rei dominium translatum est absolutè in emptorem, ex l. 19. §. *de contrah. empt.* Res autem domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcisè ob dilationem solutionis. Quod verum est etiamsi emptor sit in mora culpabili solvendi pretii; quia non desinit idcirco esse dominus rei, ac proinde etiam fructuum. Sed tunc tenetur compensare interesse, quod ex dilatione pretii venditor patitur. Hinc quando venditio absoluta dissolvitur ex mutuo consensu, fructus sunt emptoris; nam tempore intermedio fuit dominus rei.

Imò non potest venditor accepta solùm de pretio fide, fructus rei venditæ percipere, etiamsi res emptori non fuerit tradita, nec persolutum pretium. Quia perfecta venditione, sicut rei emptæ periculum & incommodum spectant ad emptorem, ita & fructus & commoda ad eum pertinere debent:

bent: alioqui inæqualis esset contrahentium conditio, ideòque injustitia. Et ita statuitur *instit. de empt. & vend.* ubi hæc ratio additur: *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.*

Sed num venditor potest singulis annis quinque pro centum exigere ab emptore, dum pretium rei emptæ solverit.

Resp. Licitè potest, modò adsit titulus damni emergentis vel lucri cessantis, ut si ex hoc pretio, seu summa tantumdem percepturus esset ex contractu census vel societatis, aut negotiatione, &c. Quia annuus ille pecuniæ reditus non exigitur ratione dilationis solutionis, quod esset usurarium, sed ob compensationem jacturæ lucri aliunde justè percipiendi; & interea emptor fruitur re empta & ejus pretium retinet.

Quæst. XVIII. *An liceat vendere cum pacto retrovenditionis, & emere cum pacto redemptionis?*

Resp. 1. Peccat contra justitiam, qui credito, seu non numerata pecunia vendit alicui merces summo vel medio pretio, ea lege, ut sibi retrovendantur pretio infimo numerata pecunia. Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Contractus Mohatra licitus est, etiamsi respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri.* In pacto ut res retrovendatur venditori infimo pretio, est inæqualitas, ideòque injustitia: nam ultra pretium justum imponitur onus pretio æstimabile retrovendendi pretio infimo; & sic tollitur facultas retinendi, vel vendendi pretio summo aut medio. Imò hoc pactum reddit contractum usurarium, & facit ut sit jam mutuum virtuale, in quo aliquid ultra sortem exigitur: nam perinde se habet ac si venditor minorem pecuniæ summam mutuaret, ut reciperet majorem.

An autem secluso tali pacto & onere, idem venditor licitè emere possit ab emptore pretio infimo easdem merces? Negant S. Antoninus, Toletus, & alii. Affirmant plures, seclusa tamen lege positiva, qua id in multis locis prohibitum est. Quia venditor easdem merces justo pretio vendidit, & postea emit: nam quilibet alius justè potest merces alteri venditas emere infimo pretio; cur id non liceret etiam venditori, qui relinquit emptori libertatem eas sibi retinendi, vel alteri tradendi? Neque eum gravat, sed potius liberat onere quærendi alios emptores.

Resp. 2. Venditio cum pacto retrovendendi, & emptio cum pacto redimendi, non est licita, nisi positis his conditionibus, 1. ut nihil fiat in fraudem usurariam, & adsit intentio vera emendi & vendendi. Alioqui jam esset mutuum implicitum, ideòque lucrum inde proveniens esset usura, 2. Ut onus impositum compensetur. Nam omne onus contractui extrinsecum, & pretio æstimabile compensari debet; aliàs non servaretur æqualitas, & justitia; ac proinde minui debet pretium, si emptor teneatur emptam rem revendere venditori: nam talis obligatio est onus pretio æstimabile, cùm privet emptorem facultate eam retinendi aut aliter alienandi: augeri verò debet, si venditor teneatur rem venditam redimere, si emptor velit, cùm hoc onus sit pretio æstimabile, & extrinsecum venditioni. 3. Ut res non redimatur majore pretio quo priùs vendita fuit, nisi melior industria vel opera emptoris effecta sit. Nam vis pacti retrovendendi in eo est, ut emptor restituat rem, restituto pretio pro ea dato: perinde est enim cum eo pacto contrahere, ac cum pacto ut liceat post aliquod tempus contractum dissolvere. 4. Ut emptor fiat verè dominus rei emptæ, ejusque periculum subeat, & fructus & commoda percipiat; nam hoc exigit natura contractus.

Cum his conditionibus pactum illud ex communi sententia licitum est, cùm non repugnet substantiæ contractus, & aliunde compensetur onus impositum. Emptio tamen rei frugiferæ facta ea lege, ut venditor teneatur postea rem suam recipere, totum pretium pro ea acceptum reddere emptori retinenti sibi fructus, est saltem in praxi usuræ palliatæ obnoxia. Et reipsa est mutuum virtuale cum lucro respectu ejus, qui nolens mutuare alteri pecuniam quærenti, emit ab eo, v. gr. vineam ea lege, ut post duos aut tres annos redimatur eodem pretio, quo empta fuit, retentis fructibus ex ea perceptis: nam talis non habet intentionem sinceram emendi, sed intendit solùm dare pecuniam præsentem ea lege, ut totam postea recipiat cum lucro; quod est usurarium.

Quæst. XIX. *An qui rem nomine alterius vendit ultra pretium sibi designatum, sed justum, potest excessum sibi retinere?*

Resp. Neg. Quia 1. dominus præscribens rei suæ pretium, intendit solùm ut non minoris vendatur, non autem ne pluris, si justè possit. 2. Totum rei pretium justum, cùm succedat loco ipsius rei, pertinet ad dominum rei venditæ. Nihil ergo ex eo retinere licet sine ejus consensu.

Nec dic hunc excessum esse fructum industriæ

ſtriæ vendentis. Nam ipſam induſtriam vel gratis præſtitit, & tunc non poteſt eam ſibi compenſare, cùm eam donaverit: vel pretio locavit, & tunc nihil ei debetur ultra mercedem pactam; vel ſi eſt famulus; tunc ad eam tenetur ex ſuo officio abſque nova mercede. Si tamen famulus vel alter rem illam pretio à domino deſignato ſibi emat, & poſtea ſuo nomine divendat pretio juſto paulo majore, poteſt ſibi retinere hoc lucrum; qui rem illam juſto pretio ſibi comparavit, & poſtea juſto pretio ſuo nomine vendidit; niſi dominus ei mandaſſet ut venderet, quanti intra latitudinem juſti pretii vendi poſſet, quo caſu tenetur illam diligentiam præſtare. *Ita Leſſius.*

Similiter qui alterius nomine rem emit infra pretium ſibi præfinitum, non poteſt reſiduum pretium ſibi retinere. Quia præſcribens pretium non intendit exceſſum donare, ſed ſolùm vult ut res non pluris ematur. Hinc ſartores peccant retinendo exceſſum pretii dati ad emendum pannum; vel ſi faciliores ſint in licitando, eo quòd à mercatore aliquid obtineant; nam tenentur aliorum negotium à ſe ſuſceptum utiliter gerere perinde ac ſuum. Et hoc ipſo quòd quis mandatum alterius ſuſcipit, ſe obligat ad ejus commoda procuranda; nec aliter res gerenda alteri committitur. Neque poſſunt operam impenſam occultè compenſare: nam ſufficienter compenſatur per hoc, quòd iis præ aliis veſtis facienda committatur, & communi pretio perſolvatur. Præterea qui negotium alterius ſuſcipit nihil petendo, cenſetur velle ſuam operam gratis præſtare, ex l. 1. §. *Mandat*, *&c.*

Quæſt. XX. *Cuinam res debetur, dum fuit duobus ſucceſſivè vendita?*

Reſp. Ex communi ſententia, ſi res neutri tradita ſit, debetur priori emptori. Quia res illa non poterat vendi alteri ſine injuria prioris emptoris, qui jus ad illam priùs habet, l. 26. §. *locat.* Si verò res tradita ſit ſecundo emptori, hujus eſt; quia per traditionem acquiſivit ejus dominium, l. 15. Codic. *de rei vindict.* priori autem competit ſolùm actio in venditorem, ut vel reſciſſo ſecundo contractu rem ſibi tradat, vel compenſet intereſſe: nam ſecundùm leges ſolo contractu ſine traditione non acquiritur dominium.

Excipe niſi res vendita, vel donata ſit civitatibus aut Eccleſiis, vel piis cauſis; nam per ſolam emptionem, aut donationem ante traditionem acquirunt dominium. Poteſt tamen prior emptor rem evincere à poſteriore, ſi hic emit mala fide, hoc eſt, ſciens rem jam eſſe alteri venditam. Imò hic poſterior tenetur ſponte rem priori tradere, recepto pretio, ſi impulerit venditorem ad ſibi iterum vendendum, ſciens rem jam eſſe alteri venditam. Quia violat jus prioris emptoris, & eſt cauſa injuſta venditionis & damni inde ſecuti: unde tenetur injuriam à ſe illatam tollere & reſarcire.

Nota. Hoc idem procedit in aliis contractibus, v. gr. in locatione: nam ſi ſecundo conductori res locata tradita fuerit, is præfertur priori: quia habet tunc rei detentionem, à qua expelli non debet.

Quæſt. XXI. *An Monopolia licita ſunt?*

Nota. Monopolium proprie eſt, cum unus vel pauci efficiunt ut merces certas vendant, emantve ſoli; vel etiam plures inter ſe conveniunt, ut merces aut operas non vendant, niſi certo pretio. Non agitur hic de monopolio latè ſumpto, ſeu facto authoritate publica, cùm ſcilicet unus vel pauci facultatem à principe obtinent, ut ipſi ſoli certas merces vendant, nam patet hoc eſſe licitum, ſi fiat ob juſtam cauſam, & juſto pretio: quia hoc interdum poſtulat bonum commune, ne ſcilicet deſeratur rerum aliquarum negotiatio, vel artificium: ſunt enim aliquæ merces, quæ ſine magnis ſumptibus comparari nequeunt, quos ſumptus ob damni periculum nemo vellet in ſe ſuſcipere citra privilegium, ut ſolus venderet, ut liquet in librorum impreſſione. Præterea id poteſt princeps, cùm ipſi neceſſaria eſt pecunia ob bonum commune: ſed tunc moderatè taxari debet pretium illarum mercium, præſertim ſi ſint communiter neceſſariæ ad commodè civiliterque vivendum: nam aliàs daretur occaſio privatis alios pro arbitrio gravandi, magnoque damno afficiendi.

Reſp. Quælibet monopolia authoritate privata facta, ſunt prohibita non ſolùm lege humana, Cod. *de monopol.* ſed etiam divina naturali: nam ſunt. 1. Contra charitatem, vetantem ne quis impediat commodum aliorum, & efficiat ut proximus rem cariùs emat, quàm eſſet empturus; nemo enim vellet id ſibi fieri. 2. Contra bonum commune, cùm multis noceant. Contra juſtitiam commutativam, ideòque obligant ad reſtitutionem: nam populus habet jus, ut non augeantur privata authoritate & ob bonum privatum pretia rerum; vel caritas variis machinationibus inducatur.

Quatuor modis & quidem contra juſtitiam fiunt. 1. Cùm pauci vel plures inter ſe conveniunt

veniunt ut merces, aut operas non vendant nisi certo pretio, licèt non excedente summum vigens ante conventionem, vel non emant nisi infimo. Nam hi violant jus quod finguli habent emendi pretio medio vel infimo, & vendendi summo aut medio; impediendo privata authoritate ne sic jam emere, vel vendere possint, & restringendo pretium ad summum vel infimum. *Ita multi* contra alios fatentes tamen esse contra charitatem, imò etiam contra justitiam, si summum pretium excedant. 2. Cùm quis vi, metu vel fraude impedit ne merces aliunde advehantur: nam cives habent jus ne impediatur eorum commodum, præsertim injusta via. *Ita communiter*. 3. Cùm unus vel pauci emendo omnes ferè merces certi generis, v. gr. frumentum, inducunt caritatem. *Ita communiter*. Nam inducere caritatem est contra jus populi & dare illi causam damni: unde hoc in raptorum numero recenset Catechismus Romanus. Vel nolunt postea vendere, nisi summo pretio: nam impediunt privata authoritate ne jam alii possint emere medio aut Infimo pretio, contra proprium jus. 4. Cùm mercatores supprimunt merces suas, ut inde earum prerium crescat; quia efficiunt ut augeatur earum pretium perinde ac si raræ essent, cùm tamen raræ non sint. Deinde resp. habet jus emendi res venales eo pretio, quod spectata earum copia justum censetur. Secùs, si quis suas res nondum venditioni expositas servet usque ad tempus, quo cariùs venduntur, modò hac suppressione non inducatur caritas; tunc enim nemini fit injuria, nec occasio damni datur.

Porrò ad hanc injustitiam pertinet, si apponatur fictus licitator, ut alter emptor augeat pretium. Item si artifices conspirent ad non docendam artem suam, nisi certo pretio injusto; vel ut opus ab uno inchoatum alter non perficiat; quod prohibetur, l. 2. Cod. *de monopol.* nam hæc conventio cedit in damnum aliorum.

Quæst. XXII. *Quænam vendere non licet?*

Resp. Ex communi omnium sententia, non licet vendere nec emere. 1. Res spirituales, vel spiritualibus annexas, quia simonia est. 2. Ea, quæ justa lege prohibentur: nam leges justæ obligant in conscientia. 3. Ea, quibus emptor non potest uti sine peccato, vel quæ moraliter non nisi ad nocendum inserviunt, vel quibus prævidetur emptor usurus ad peccandum, vel ea quibus homines communiter malè utuntur, & quæ sunt occasio emptoribus peccandi, nisi constet hunc emptorem bene usurum. Quia esset cooperari peccato alterius, vel eum exponere periculo peccandi, imò ei instrumentum & materiam peccandi præbere.

Hinc peccat mortaliter, qui vendit obscœnas imagines, vel librum contra religionem aut bonos mores, aut famam proximi, sed qui ejusmodi res habet, tenetur eas destruere. Quòd si inde damnum patiatur, id sibi imputet: nam tales libros non debuit sibi comparare; nec ideo magis excusatur, quàm qui falsam monetam ignoranter ab illo accepit, quam tamen aliis tradere non potest.

Sed an peccat mortaliter qui vendit sal, aut alias merces sola lege civili prohibitas; etiamsi lex illa supponatur merè pœnalis?

Resp. Affirm. Quia se exponit morali periculo vitam, aut libertatem, & bona omnia amittendi cum exitio familiæ. Est autem mortale saltem contra charitatem tali periculo se exponere ob aliquod commodum temporale longè inferius damno cui se exponit. Quare nec licet aliis ista emere, quia dant occasionem peccato vendentium.

Quæst. XXIII. *Quænam sunt obligationes emptoris, & venditoris?*

Resp. Præter hactenus dictas tenetur ex justitia constituto tempore emptor solvere pretium promissum, & venditor tradere mercem: nam ex contractu oritur jus strictum & obligatio justitiæ.

Quæst. XXIV. *An peccat, qui cogit vendere etiam justo pretio?*

Resp. Is mortalis violentiæ reus est. Constat. 1. Ex historia regis Achab, qui Nabuthem cogere voluit ut vineam suam venderet etiam justo pretio, & à nolente eam accepit, 3. Reg. cap. 21. Quocirca S. Chrysostom. homil. 87. in Matth. sic ait: *Hoc Achab regem perdidit: nam quamvis pretium dederit, verumtamen quia à nolente accepit, pœnas luit. Emptor enim non cogere, sed persuadere debet. Quod si verò æquum pretium persolvens tanto supplicio affectus est; qui nullo pretio aliena rapit, quam punitionem non meretur?* 2. Qua gravis sit injuria domino rei, qui jus habet eam sibi retinendi.

Quæst. XXV. *Quid dicendum de Retractu gentilitio?*

Resp. 1. Est jus concessum proximo consanguineo venditoris ad rescindendam intra certum tempus, & ad revocandam venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio,

tio, quo res illa ab extraneo, vel à remotiore consanguineo empta fuit. Quod jus concessum est ad bona immobilia intra consanguineos conservanda: quare non potest extraneo vendi, nec dari.

Resp. 2. Peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. 1. Consanguineus, qui rem venditam retrahit animo eam alteri suo nomine comparandi: quia lex non dat jus retrahendi, nisi ut sibi retineat. Imò sæpe juramento affirmare cogitur velle sibi retinere. 2. Extraneus qui nomine consanguinei ab emptore rem emptam vindicat: nam facit emptori injuriam: lex enim non dat jus retrahendi, nisi consanguineo proximo, ut rem venditam ab alio sibi retineat. 3. Qui fraudibus, vel minis impedit consanguineum ne rem sibi retrahat, vel qui ab eo majus pretium exigit, quàm dederit: nam illius jus violat.

CAPUT VI.

De Locatione, & Conductione.

Quæst. I. QUid sunt?

Resp. Locatio est contractus, quo rei usus vel fructus, vel personæ opera pro certo pretio conceditur ad tempus. Conductio est contractus, quo rei usus vel fructus, aut personæ opera pretio accipitur. Unde sunt unus idemque realiter contractus mutuus, qui ex parte dantis est locatio, & ex parte accipientis est conductio. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

Porrò, *locatio, & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque regulis juris consistit*, instit. lib. 3. tit. 25. Nam sunt emptio & venditio usus aut fructus rei, vel operæ personæ. Hinc numquam licet locare pretio justo majore, nec conducere justo minore.

Quæst. II. *Quænam sunt obligationes locatoris & conductoris ad se invicem?*

Resp. 1. Ex communi sententia, locator tenetur. 1. Aperire conductori vitia rei locandæ, ut dixi de re vendenda: nam locatio & conductio iisdem regulis consistunt. Alioqui tenebitur conductori de damno, etiamsi illud vitium locator ignoret, sed culpabiliter, ex l. 19. §. *locat.* ibi: *si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata*. Quia locator tenetur expendere diligenter num res quam locat, sit apta usui ad quem datur, nec noxia; idque postulat æquitas, & natura locationis, quæ instituta est in commodum utriusque contrahentis.

2. Tenetur ad impensas necessarias tum ad reparationem rei locatæ, tum ad convenientem usum ad quem locatur. Nam debet reddere rem aptam ad usum conductoris, & si hanc aptitudinem amiserit, eamdem reddere, cùm pretium propter usum accipiat, l. 15. §. *locat.* Quòd si à conductore aliquid in hunc finem fuerit necessariò impensum, v. gr. in curationem equi, restaurationem domus, &c. tenetur locator id rependere, ex l. 55. §. *locat.* Nam si talis obligatio oritur ex commodato, quod gratis fit, à fortiori exurgit ex locato, in quo merces accipitur. Item tenetur ad onera publica ad eam pertinentia, nisi aliter conventum sit, servata æqualitate.

3. Tenetur remittere pretium locationis pro eo toto tempore, quo conductor non potuit uti re vel opera locata, si impedimentum proveniat ex parte locatoris vel rei locatæ, ex l. 27. & 33. §. *locat.* Nam conductor non censetur promittere pretium, nisi quatenus re locata uti aut frui poterit, quantùm est ex parte locatoris, & rei locatæ; & tunc nihil esset, quod pretium mereretur. Agrorum autem locator tenetur pensionem totam remittere colono, si hic sine sua culpa, sed ob sterilitatem vel grandinem nihil recipiat, vel si vi tempestatis, hostium depopulatione, aut incendio absque coloni culpa segetes pereant etiam collectæ in manipulos, l. 15. §. *locat.* Quòd si colonus aliquid receperit, sed sterilitas vel jactura fuerit magna, tunc locator tenetur imminuere pensionem pro rata, *nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*, cap. 3. *de locat.* Quæ intellige, nisi colonus convenerit ab initio, ut quovis eventu solvere teneatur integram pensionem, quæ ob hoc onus minor fit, ex l. 9. *locat.* nam tunc conductor cedit juri suo, quod compensatur.

4. Si rem locatam dominus vendat, debet ea lege divendere, ut conductor eadem conditione apud emptorem maneat: à quo si domo vel fundo pellatur, tenetur venditor conductori de damno, l. 25. §. *locat.*

5. Tenetur ad non privandum conductorem re locata ante terminum constitutum, alioqui tenebitur ad interesse; quia conductor per contractum acquisivit jus utendi, vel fruendi re usque ad illud tempus. Excipiuntur, cap. 3. *de locat.* & l. 3. Cod. *de locat.* quatuor casus, in quibus conductor ante termi-

minum amoveri potest. 1. Si casus improvisus accidat, ob quem res locata sit necessaria domino, ut incendii, matrimonii &c. 2. Si res locata, v. gr. domus egeat refectione, seu instauratione, sed remitti debet pensio pro residuo tempore. 3. Si conductor pensionem per biennium non solverit. 4. Si re locata ad malos usus vel ad damnum inferendum utatur, aut rem destruat.

Denique locator tenetur rem non locare ei, qui ea malè usurus est: quia hoc esset ei dare occasionem seu commoditatem peccandi, ejusque peccatis cooperari, perinde ac si daret ensem ei, quem sciret uti velle ad duellum.

Resp. 2. Ex communi sententia conductor tenetur. 1. Uti re locata juxta boni viri arbitrium, & non ad alios usus præter concessos. Nam qui usurpat usum aliquem rei alienæ sine consensu domini, peccat contra justitiam.

2. Tenetur pro illius conservatione eam curam adhibere, quam diligentiores ac prudentiores in re sua simili impendere solent. Quare si ex ejus culpa lata vel levi, res pereat, aut deterior fiat, tenetur ad restitutionem: nam contractus cedit in utriusque utilitatem. Imò tenetur etiam de culpa famulorum operariorum, & eorum quos admittit; si ex negligentia non impedivit, vel si idoneos non conduxit, vel malos homines admisit, l. 11. & l. 25. §. *locat.* Item curare debet ut nullum detrimentum dominus patiatur, sive quoad jus rei, sive quoad ejus substantiam, & tenetur de casu fortuito eveniente ex eo, quòd aliquid egerit contra pactum, l. 11. §. *locat.*

3. Tenetur ad impensas modicas, & quotidianas necessarias ad conservationem rei conductæ, v. gr. ad equi alimenta.

4. Tenetur pensionem stato tempore solvere, nam hæc tunc ex justitia debetur: unde si sit in mora culpabili, tenetur locatori de interesse, l. 17. Cod. *de locat.* Quòd si re conducta uti, vel frui non potuerit ob causam non provenientem ex parte sua, v. gr. ob bellum, vel si domus ex parte corruat, si equus morbo afficiatur, non tenetur solvere pensionem pro eo tempore, ex l. 27. & 33. §. *locat.* ob rationem supradictam. At si non possit ea re uti aut frui, ob causam ex parte sua licèt sine culpa sua provenientem, tenetur totam pensionem solvere, etiam pro toto tempore, quo non potest uti. Nam æquitas postulat, ut locator damnum non patiatur ob causam supervenientem ex parte conductoris. Et sicut conductor non tenetur solvere pensionem, quando non potest uti re conducta ob causam provenientem ex parte locatoris aut rei locatæ; ita par est, ut locator percipiat pensionem quando conductor non potuit uti re conducta ob causam ex parte sua provenientem.

5. Tenetur rem conductam non dimittere ante terminum constitutum: alioqui tenetur solvere integram pensionem, perinde ac si ea re usus esset, nisi ejus usu impediatur ob causam non provenientem ex parte sua, qua tenetur servare contractum, l. 53. §. *locat.* Porrò nisi aliter conventum sit, conductori licet rem sibi locatam locare alteri, æque idoneo, qui primo conductori tenebitur pensionem solvere, & hic primo locatori l. 6. Cod. *de locat.*

6. Rem locatam completo locationis tempore restituere locatori: nam non habet jus eam diutiùs detinendi; alias tenetur de damno.

Nota. Licèt rei locatæ periculum maneat penes dominum, tamen ex l. 23. §. *de reg. jur.* potest apponi pactum, ut conductor præstet casus fortuitos, & in se suscipiat periculum omne rei locatæ. Sed hoc onus imminutione pretii compensari debet: alioqui esset inæqualitas, ideòque injustitia.

Quæst. III. *Quænam sunt observanda circa locationem operariorum & famulorum?*

Resp. Ex communi sententia Doctorum, ista. 1. Justum stipendium locationis operæ famulorum, ancillarum, & operariorum censetur illud, quod illis communiter in illis locis dari solet. Nam petitur à communi æstimatione: pretium quippe operarum, & obsequiorum perinde ac rerum venalium potest habere latitudinem summi, medii, & infimi, quando non est lege taxatum. Quare si quis exigat stipendium majus summo, vel solvat minus infimo, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, perinde ac vendens supra summum vel emens infra infimum: nam tunc tollitur justitia inter pretium & operam. Item stipendium censetur justum, quando multi alii reperiuntur, qui libenter talem operam, tale munus, tale obsequium pro tali stipendio sunt præstituri: nam illud pretium communi æstimatione justum censetur, quod non solet tanquam insufficiens recusari, aut quod uno recusante statim admittitur ab alio.

2. Si nulla facta sit pactio, & pretium relictum sit arbitrio conductoris, hic tenetur dare infimum saltem mercedis justæ pretium.

tium. Nam talis conductio est quædam emptio obsequiorum, quæ semper exigit pretium justum. Et quamvis alter nullum pretium determinarit, non intendit tamen totum obsequium vel ejus partem gratis præstare; sed mens ejus est, ut solvat conductor quod justum esse judicaverit secundùm communem æstimationem.

3. Si famulus vel operarius se ultrò obtulerit domino, & hic illius opera non egeat, sed solùm ex charitate ad preces ejus eum conducat; tunc tenetur ei dare alimenta: & si ejus opera conductori afferat utilitatem, quæ pluris ei valeat quàm alimenta, tenetur præter alimenta dare pretium æquale valori utilitatis inde perceptæ. Nam alter non intendit operam suam donare, sed vendere justo pretio, non ex mera voluntate, sed ex æquitate constituendo; & jure naturali *dignus est operarius mercede sua*, Luc. 10. Quare cum opera pluris valeat conductori quàm alimenta, compensari debet ex justitia juxta hunc valorem. In tali autem casu opera æstimari debet ex utilitate, quam conductor ex ea percipit, nam in talibus circumstantiis secundùm communem æstimationem non plus valet.

4. Si operarius vel artifex convenerit de pretio minore quàm valeat ejus opera, vel opus, falsò putans opus, v. gr. ædificium minore tempore, & labore vel sumptu egere; tenetur conductor supplere defectum justi pretii, etiamsi læsio fuerit infra dimidium justi pretii. Quia alioqui esset inæqualitas inter pretium & operam, vel opus, ideòque injustitia. Neque enim sponte ac scienter, sed ex ignorantia consensit in pretium justo minus, nec spontè donat id quod deest. Præterea qui emit aliquid pretio proposito, sed inæquali, tenetur complere pretium saltem infimum, ut tollatur inæqualitas.

5. Si conductor non possit opera alterius conducta uti, ob impedimentum, quod non proveniat ex parte operarii, tenetur totam mercedem pactam ei solvere, perinde ac si operas suas impendisset, l. 38. §. *locat.* ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit quominùs operas præstaret.* Nam fidem contractus impleri æquum est; & locator habet jus, ut non patiatur damnum, ob causam non provenientem ex parte sua. Sed si operarius ex opera sua alibi impensa aliquid lucratus fuerit, conductor potest tantumdem detrahere de pretio conductionis, vel nihil dare si tantumdem lucratus fuerit, ex l. 19. §. *locat.* Quia locator nullum damnum sustinuit, & opera illa ratione conductionis erat conductori debita. Si verò locator operam conductam non præstet, ob impedimentum ex sua parte proveniens, licèt sine sua culpa, non debetur illi merces, & accepta restitui debet, ex l. 38. cit. Nam conductor non se obligavit ad dandum pretium pro opera quæ præstari nequeat ob causam provenientem ex parte locatoris. Imò ipse tenebitur ad interesse conductoris, si operam toto tempore ex sua culpa non impenderit: quia est causa injusta damni, cùm hoc oriatur ex non servato culpabiliter contractu, qui ex justitia impleri debebat.

6. Bene laborantibus justum stipendium statim solvi debet; nam habent jus statim accipiendi post operam præstitam. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue*, Tob. 4. *Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit*, Jac. 5. Si verò non benè laboraverint, peccant contra justitiam, nec debetur illis stipendium nisi pro æstimatione laboris. Quare si integrum receperint, tenentur vel supplere defectum laboris, vel restituere excessum stipendii, cùm ad eum jus non habeant; imò & compensari conductori damnum, & lucrum cessans: nam fuerunt causa illius injusta, cùm tenerentur ex conventione diligenter laborare.

CAPUT VII.

De Censu, Emphyteusi, & Feudo.

Quæst. I. **Q***Uid & quotuplex est census?* *Resp.* Census alius est reservativus, & alius consignativus. Census reservativus sumptus pro contractu, est ille quo quis in alterum transfert rei suæ dominium directum & utile, reservato sibi jure pensionis annuæ super eadem re. Hunc licitum esse patet: nam sicut quis potest rem suam tradere, vel non tradere, ita & tradere reservato sibi jure pensionis.

Census consignativus sumptus pro contractu, est contractus, quo emitur & venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, vel persona alterius, vel utraque. Sæpe sumitur pro tali jure. Hic census dividitur, 1. in realem, qui fundatur super re aliqua, ut prædio, domo, &c. Ita ut ex ea re pensio debeatur, ad quemcumque res illa transeat, donec census redimatur; in personalem, qui

constituitur immediatè super persona alterius, eam obligando immediatè, bona verò ejus mediatè tantùm; & in mixtum, qui fundatur super utrisque, ita ut re pereunte, adhuc persona maneat obligata. 2. In vitalitium, qui extenditur solùm ad vitam unius vel plurium, estque virtualis sponsio nixa eventu fortuito, & in perpetuum, sed donec redimatur.

Censum realem esse licitum declararunt Martinus V. & Calixtus III. Sed re super qua fundatur destructa, petit: nam corruente fundamento perit res in eo fundata: ut si domus vel molendinum corruant, perit census super his fundatus, ita ut jam nihil liceat exigere à venditore. Hujus census licitas patet: nam nihil est nisi emptio & venditio rei pretio æstimabilis.

Quæst. II. *An jure naturæ licitus est census consignativus personalis, vel mixtus?*

Resp. Communis sententia affirmat, modò ematur justo pretio, id est, lege vel consuetudine constituto, & venditor census possit sua opera vel industria lucrari, aut habeat bona in re vel in spe certa, ex quibus pensio duci possit, nec obligetur ad censum redimendum, licèt semper pro libito eum redimere possit eodem quo vendidit pretio.

Prob. 1. Ex communi praxi piorum & eruditorum in Gallia, Belgio, &c. 2. Quia pretio æstimabile est, adeòque potest emi & vendi jus ad pensionem non solùm ex re frugifera, sed etiam ex persona alterius, quæ potest lucrum facere ex labore, industria, vel ex bonis suis saltem per alios, & quæ proinde potest obligari immediatè ad pensionem solvendam; cùm quis possit in alterum transferre jus percipiendi aliquid à se acquisitum: ergo & vendere. Nec refert quòd decursu temporis pensiones recipiendæ summam pretio dato majorem efficiant, nam non emuntur illæ pensiones, sed jus ad illas percipiendas. At jus ad pensiones per partes & tot intervalla annorum recipiendas non pluris æstimatur, quàm summa simul habita, licèt minor illis pensionibus collectivè sumptis. Quia illa summa divisa per multas partes multaque ac longa temporum intervalla, cum incertitudine recipienda, & variis incommodis exposita, minoris valet secundùm prudentum æstimationem, quàm istarum partium collectio simul habita, quæ opportunior ac utilior est ad quodlibet lucrum ac negotiationem, & nullis incommodis obnoxia. Et verò in emptionem agri pretium commune censetur justum, licèt diuturnitate temporis fructus superent pretium agri. 3. Teste Toleto, Nicolaus Papa ann. 1450. approbavit hunc contractum ad petitionem Alphonsi regis Aragoniæ.

Obj. 1. Contractus censualis personalis videtur esse mutuum virtuale.

Resp. Neg. Nam ille census est emptio, non pensionis, sed juris ad pensionem, pro pretio ab emptore irrevocabiliter dato: unde nec in eo emitur pecunia, sed jus ad pecuniam, nec pecunia data potest unquam repeti. At in mutuo datur pecunia præsens pro pecunia futura æquali tota simul solvenda, quæ potest à mutuante post certum tempus exigi.

Obj. 2. S. Pius V. in Bulla *Cum onus*, (a) statuit

(a) Auth. opinio propugnatur à Soto, Covarruvia, Lessio aliisque gravissimis authoribus, qui recensentur in laudato Opere de Synodo Diœcesana lib. VII. cap. 48 ubi SS D. N. indicatis nonnullis contrariæ opinionis momentis num. 4. ita num. 5. rem persequitur. „ Sed superfluum est censum personalem „ novis argumentis insectari, quem jam proscripsit „ sanct. Pius V. in laudata Const. *Cum onus*, ubi ad „ census honestatem, inter cæteras conditiones, hanc „ quoque requirit ut census constituatur in re fructi„ fera, non qualicumque, sed immobili certa; ac „ nominatim designata. Quapropter etiam Auctores, „ qui censum personalem, ejus natura inspecta, ab „ usuræ suspicione vindicant, ingenue tamen faten„ tur, eum licite fieri non posse, ubi præfata Pii V. „ Constitutio est recepta; quod tamen in Gallia, „ Belgio & Germania non contigisse, affirmant Les„ sius cit. cap. 22 num. 20. Haunoldus de justit. tra„ ctat. 10. num. 226. Pirhing. ad tit. de usur. num. 85. „ Reiffner ibid. num. 81. Verum, quamquam nos „ sciamus, eumdem Summum Pontificem, supplican„ te Catholico Rege Philippo II. indulsisse Hispanis, „ ne ad suæ Constitutionis, quoad eas conditiones, „ quæ juris naturalis, aut Divini non sunt, exactam „ observationem adstringerentur, sicuti narrant Gut„ tierez cit. quæst. 177. in fin. & Felicianus de Solis „ lib. 2. de censib. cap. 7. num. 2. nec dubitemus, „ ab eadem obligatione potuisse contrario usu, seu „ legitime præscripta consuetudine, cæteras eximi na„ tiones; vehementer tamen suspicamur, in censu me„ re personali, præsertim utrinque redimibili, eas „ desiderari conditiones, quas non solum Pontificia „ Constitutio, verum etiam ipsum jus naturale, & „ Divinum exposcunt, ne sit larvatus contractus mu„ tui, & propterea coram Deo usurarius.

„ Sed quoniam nulla hactenus hac de re ab Apo„ stolica Sede prolata est sententia, non decet, ut „ Episcopus in sua Synodo censum personalem decla„ ret ex natura sua usurarium; sed si præsit Diœ„ cesi, ubi prædicta viget S. Pii V. Constitutio, urge„ bit ejusdem observationem, curabitque pro viribus, „ ne personales census in eam clanculum inducantur, „ si verò Diœcesim gubernet, in qua Piana constitu„ tio non est moribus recepta, serio Fideles mone„ bit, atque hortabitur, ut à censibus personalibus „ abstineant, eo quod, etiam sola spectata eorum„ dem indole, usuræ periculo, & suspicione non „ vacent,

tuit *censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut qua pro immobili habetur, de sua natura frugifera.*

Resp. In hoc non explicat jus naturale nec divinum, sed solùm sancit jus humanum, quod in Gallia & in multis aliis locis non viget.

Nota. Non licet pensiones debitas conjungere sorti, & per illas eam augere & postea exigere majorem pensionem. Nam id prohibetur jure Cæsareo, & Gallico, & à Pio V. Porrò quando redimitur census, non potest cogi emptor ad recipiendum pretium per partes, sed totum simul reddi debet, nisi aliter justè conventum sit; nam in eo onus & damnum sentiret.

Quæst. III. *An licitus est census utrimque redimibilis?*

Resp. Neg. Quia census præsertim personalis utrimque redimibilis, seu factus cum conditione ut venditor teneatur illum redimere, sicut potest cogere emptorem ad illum redimendum, videtur mutuum implicitum ac virtuale, ex quo aliquid ultra sortem exigitur: in eo enim emptor dat pecuniam ea lege ut totam ad certum tempus recipiat cum lucro, quod est mutuare ad usuram sub emptionis larva. Et verò si talis contractus liceret, usura saltem cum mercatoribus posset per illum excusari, modò minus lucrum exigatur, quàm sit pensio annua census irredimibilis ad nutum emptoris. Quare Toletus, l. 5. c. 47. docet in censu personali non posse venditorem cogi ad redimendum censum, *quia tunc videtur mutuum virtuale.*

Quæst. IV. *Quid sunt Emphyteusis & Feudum, & ad quid obligant?*

Resp. Emphyteusis est contractus, quo res immobilis conceditur quoad dominium utile, sub onere annuæ pensionis solvendæ proprietario retinenti dominium directum, idque, vel in perpetuum, vel ad unius aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus. Differt à locatione, quòd emphyteusis constitui solùm possit in re immobili, & ad tempus non minus decennio, & quòd per eam transferatur dominium utile.

Emphyteuta tenetur. 1. Certam pensionem, vel in pecunia, vel in fructibus domino directo solvere statis temporibus: alioqui amittit rem emphyteuticam cum omnibus impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro Ecclesiastica, per triennium pro sæculari. 2. Rem concessam fructuosiorem facere, aut saltem non deteriorem; nam ad hunc finem præcipue conceditur.

Resp. 2. Feudum pro contractu est concessio rei immobilis, vel æquipollentis, quoad dominium utile, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis domino directo præstandi. Differt ab emphyteusi præsertim quòd in puro feudo non debeatur pensio, sed solùm obsequium personale, ad quod datur.

Feudatarius tenetur, 1. Præstare juramentum fidelitatis. 2. Suo tempore requisitus obsequia debita præstare. 3. Non debet disponere de feudo sine consensu infeudatoris. Amittit autem feudum neglectu obsequiorum, & ob crimen feloniæ, id est, belli contra dominum directum gesti.

CAPUT VIII.

De Contractu societatis.

Quæst. I. **Q***Uid est contractus societatis?*

Resp. 1. Est duorum vel plurium conventio contribuendi aliquid ad communem quæstum vel usum. Sunt qui addunt, & sustinendi commune damnum. Esse licitum constat. 1. Ex jure civili, §. & Codic. *Pro socio*, & jure canonico, cap. 7. *de donat. inter vir. &c.* Ubi mandatur dotem uxoris ad lucrum dari mercatori, nimirum in societatem. 2. Quia licet convenire ad lucrum ex pecunia & industria captandum, servata æqualitate: quamvis enim pecunia de se sterilis sit, non est tamen sterilis ut subest industriæ tanquam instrumentum negotiationis quæstuosæ. Et hæc societas valde differt à mutuo: nam in ea qui confert pecuniam, retinet illius dominium, & subit ejus periculum ac damnum, quod non fit in mutuo. Unde ultra sortem, potest accipere aliquid tanquam fructum suæ pecuniæ negotiationi, & periculo expositæ, vel animalium de se fructuosorum.

Quæst. II. *Quænam ad justitiam societatis requiruntur?*

Resp. Ex communi sententia, sequentia. 1. Ut negotiatio sit licita, alioqui societas esset mala, & nulla, l. 57. §. *Pro socio*. 2. Ut singuli socii aliquid aptum ad lucrum faciendum conferant in commune, sive pecuniam, sive operam ac industriam, sive animalia, vel instrumenta, ut navem, equos, &c. Qui enim in ea nihil confert utile, non habet jus ex ea emolumentum percipiendi: 3. Ut lucrum dividatur inter socios pro rata portione eorum, quæ quisque contulit, l. 29. §. *Pro*

§. *Pro socio*, alioqui non servaretur æqualitas. 4. Ut impensæ, damnum, ac periculum sint communia, l. 67. §. *Pro socio*, ibi: *Cùm societas contrahitur, tam lucri quàm damni communio initur*. Et verò societas est quædam fraternitas, ex l. *Verum*. §. *Pro socio*. Jus autem fraternitatis exigit, ut lucra & damna sint communia. Præterea æquitas postulat, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, juxta regul. jur. 5. ut si res vel pecunia collata pereat citra culpam latam & levem socii, pereat ei qui contulit, quia hic retinet illius dominium: res autem domino suo perit. Quòd si pereat ex culpa lata & levi socii, hic tenetur eam restituere domino, l. 72. §. *Pro socio*. Nam qui rem alterius accipit, tenetur ex culpa lata & levi, quando contractus cedit in utilitatem utriusque. Tamen juxta Doujat. in Gallia socii non tenentur, nisi de culpa lata & dolo. 6. Ut ad certum tempus ineatur societas, ante quod repetere non liceat, quod in eam collatum est: nam hoc exigit finis societatis.

Ex his patet finita societate sortem reddi debere domino, & lucrum quod ea dempta superest, dividi inter socios pro rata contributionis ad societatem. Nam alter remanet dominus pecuniæ collatæ, nisi tamen pecunia communicata fuerit socio, aut aliter justè conventum sit. Ita declaravit Sixtus V. constitut. *Detestabilis*.

Quæst. III. *An licitus est contractus societatis triplex?*

Nota 1. Contractus triplex est ille, quo pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio, ut quidquid contigerit, sibi sua sors integra reddatur cum certo lucro, sed minore eo quod probabiliter sperare potuisset. Dicitur triplex, quia in eo tres contractus sive formaliter, sive virtualiter contineri dicuntur. Primus & principalis est contractus societatis, quo confers pecuniam in societatem. Secundus est contractus assecurationis sortis, pro qua cedis socio magnam partem lucri sperati; v. gr. si sit spes ex centum aureis lucrandi triginta, quorum media pars ad te pertineret, ex iis cedis quinque pro assecuratione sortis, retentis tibi decem. Tertius est venditio lucri majoris sperati incerti pro certo, sed minori: v. gr. hanc spem decem aureorum vendis pro quinque certo solvendis. Unde conferens in societatem centum aureos, per alios contractus hanc summam servas indemnem, & certum ex ea lucrum facis, scilicet quinque aureorum.

Nota 2. Consentiunt omnes non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non poterit ex ea negotiaturus, v. gr. cum paupere qui indiget illa pecunia ad suam sustentationem, vel ad solvenda debita. Quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram velaret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi.

Resp. Contractus triplex videtur jure naturali illicitus. Ita S. Antonin. S. Bernard. Panormit. Azor, Rebell. &c.

Prob. Quia 1. in illis aliquid exigitur ultra sortem absque titulo, quod est injustum. Nam si quis est titulus, maximè societas; sed hæc destruitur per assecurationem sortis; societas enim essentialiter exigit, ut damnum ac periculum sicut lucrum sit inter socios commune: nam *cùm societas contrahitur, tam lucri quàm damni communio initur*. l. 67. §. *Pro socio*. 2. Totum jus lucrandi in societate per solam pecuniam sine opera & labore fundatur in periculo, cui quis pecuniam suam committit in negotiatione. Nam pecunia otiosi domini non potest ei esse instrumentum quæstuosum, nisi quatenus ejus periculo negotiationi subjicitur, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 5. ibi: *Ille qui committit pecuniam suam, vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum; sed remanet ejus: ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo sic licitè potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua*. Enimverò pecunia de se sterilis est, nec alia ratione fructuosa, nisi vel per industriam utentis, vel per hoc quòd periculo exponatur in negotiatione. Sed posita assecuratione solùm conceditur usus pecuniæ ut pecuniæ nulli periculo expositæ, idcòque prorsus sterilis, & quæ nullum domino fructum parere potest. 3. Violatur æqualitas in societate servanda, si qui nihil confert nisi quod est de se sterile particeps de lucro, & nihil de damno, nec periculo, sicque certus de sorte & lucro: alter verò non sit certus de ullo lucro, & subeat omne periculum operæ propriæ ac pecuniæ alienæ. Hinc, l. 51. §. *Pro socio* dicitur: *Sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit*. 4. Sixtus V. tres contractus in Bulla *Detestabilis* damnavit ut per se illicitos, his verbis: *Irrepsit enim versutè & callidè antiquus humani generis hostis per varios dolos & fallacias & incautos homi-*

nes

eas ...... ut seipsos in usurarum voraginem Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, & christianæ charitati contrariam, fœdè immergant; & dum vanas & terrenas divitias quærunt, veras ac cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus hoc malum quasdam provincias pervasisse..... Proinde nos ..... ut gregem dominicum ...... ab offensione, & vitæ æternæ discrimine tutum in viam salutis dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latiùs serpat ..... tollere cupientes ..... Damnamus & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones & pactiones posthac ineundos seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque ejusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios ac illicitos posthac censeri debere ..... ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus & prohibemus. Porrò ideo dicit hos contractus usurarios ac illicitos *posthac* censeri debere, non quòd antea tales non fuerint in se, sed quia ante ejus constitutionem ignorantia invincibilis quæ poterat esse in multis, illos excusabat ab usura formali, seu imputabili.

Nec obstat cap. 7. *de donat.* Quia Innocentius III. ibi solùm permittit uxoris dotem dari mercatori, ut de parte honesti luceri vir onera matrimonii possit sustinere, nulla facta mentione assecurationis. Nec refert quod alias exponeretur dos periculo; quia dos erat securior apud mercatorem, quam apud ejus maritum dilapidatorem nec cautionem dare valentem. (*a*)

Obj. 1. Licèt sit de natura societatis puræ, ut commune sit periculum ac damnum inter socios, perinde ac lucrum; potest tamen vi alterius pacti redimi hoc periculum per compensationem. Nec magis per assecurationem destruitur societas, quàm contractus depositi, & commodati, vel locati: nam etsi periculum rei depositæ, commodatæ, locatæ suapte natura pertineat ad rei dominum; pacisci tamen sub justa mercede licet, ut alter totum periculum subeat. 2. L. 29. §. *Pro socio* dicitur: *Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat, &c.* 3. Securitas & lucrum certum non præstantur ex vi contractus societatis, sed ob remissionem majoris lucri sperati, & vi alterius contractus. 4. Ad æqualitatem contractus satis est, quòd commoda æquivaleant incommodis: periculum autem sortis, quod subit socius, satis compensatur per majus lucrum speratum, & sic non est societas leonina, qua totum periculum rejicitur in socium, nec id onus aliunde compensatur. 5. Tres contractus seorsim & cum diversis personis liciti sunt, ergo & simul cum socio: nam quæ facta cum diversis & seorsim justa sunt, etiam simul cum eodem facta justa sunt; justitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non verò in habitudine ad diversas personas & tempora. 6. In triplici contractu non intervenit mutuum, quia non transfertur dominium pecuniæ in socium. Nam hic non potest de pecunia sibi in societatem data disponere pro libito, etiamsi eam assecuraverit, sed hanc tenetur vi contractus societatis in negotiationem ad lucrum impendere; aliàs faceret injuriam conferenti, qui ideò posset contractum rescindere, cùm hæc pecunia solùm data sit ad negotiationem. Quare si pecunia illa surrepta fuisset, hanc posset collator vindicare actione in rem.

Resp. Ad 1. periculi & damni ac lucri communicationem esse essentialem societati, ideòque ab ea inseparabilem per aliud pactum, sicut obligatio servandi rem depositam est essentialis deposito. Unde l. *Verum* §. *Pro socio*, societas dicitur *jus quodam modo fraternitatis in se habere*; quod jus exigit lucri & damni communionem. Aliud est de depo-

(*a*) Vide SS. D. N BENEDICTI XIV. tractatum de Synodo Diœcesana, ubi, expendens lib. VII. cap. 50. hanc de contractu trino quæstionem, recensitis præcipuis rationum momentis, quæ in utramque partem adducuntur, ita concludit. „ Apostolica Sedes contrariæ opinioni, (ei scilicet, quam auth. refellit) „ esse minus congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, nullam hactenus censuram inussit, à qua proinde etiam infligenda debet Episcopus abstinere: ad „ usum verò quod attinet, tuto posse contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo „ suos subditos dehortari, quod à plerisque Episcopis in suis Diœcesanis Synodis sæpissime factum „ referunt Gennet. tom. 1. tractat. 4. cap. 24. & Nat. „ Alex. Epist. 94. in append. ad tom. 2. suæ Theologiæ Moralis.

deposito & aliis, in quibus assecuratio est præter, sed non contra naturam illorum: nam natura depositi est ut res deposita servetur, natura commodati ut usus rei gratis concedatur, &c. At natura societatis est ut fit communio contributionis, & lucri ac damni, ex l. 52. & l. 67. citat. *Ad* 2. Legem intelligendam esse ratione socii dumtaxat, qui operas ponit, ita ut si ejus opera ac industria tanti valeat, quanti pecunia ab alio socio collata, non debeat ille pecuniæ alterius sibi communicatæ periculum ac damnum subire: nam aliàs plus de damno quàm de lucro participaret, & sic inter illos non esset æqualitas: subiret enim damnum propriæ industriæ, & partis pecuniæ communicatæ. *Ad* 3. *&* 4. Lucrum majus speratum fundari in societate, quæ destruitur per assecurationem sortis, ideòque tunc nihil posse ob remissionem lucri majoris sperati exigi. *Ad* 5. Disparitas est, quia alia pacta cum alio facta non impediunt quominus stet vera societas cum mercatore, qui in eo statu constituitur quem postulat societas: per accidens enim respectu illius est quòd alii pecuniam collatam assecurent. At pacta illa cum socio inita evertunt societatem & æqualitatem, cum hic totum periculum ac damnum subire debeat; ille verò solùm lucrum certum ultra sortem recipiat. *Ad* 6. pactum illud est injustum: nam eo ipso quod mercator tenetur sortem in omni eventu restituere, ea potest uti sive in negotiatione, sive extra pro libito. Quid enim ad dantem attinet quos in usus alius impendat, modò sors ipsi cum lucro certo restituatur? Unde obligatio imposita socio pecuniam datam non impendendi nisi in negotiationem, est majus onus additum, quod ad nihil aliud sibi quàm pro pallio usurario prodest.

CAPUT XI.

De Cambio.

Quæst. I. Q*Uid, & quotuplex est?*

Resp. Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro. Hinc differt. 1. A quavis alia permutatione, qua non pecunia, sed aliæ res permutantur. 2. A mutuo, quod non est permutatio, quodque perficitur sola rei mutuatæ traditione, & essentialiter exigit, ut res alia similis non reddatur nisi post lapsum temporis. At cambium non perficitur nisi pecunia sit ex utraque parte data & accepta, saltem æquivalente, permutatio enim omnis utrimque donationem requirit.

Cambium duplex distinguitur, scilicet reale, & siccum. Reale seu verum est vera pecuniarum permutatio, æqualitate inter datum & acceptum servata. Siccum est cambium fictum, & verum mutuum specioso nomine cambii velatum, ut cùm habetur sola ratio temporis ad lucrum exigendum, aut quando fingitur solutio alibi facienda, & fit in eodem loco cum lucro. Dicitur siccum, quia caret humore, seu justo titulo ad lucrum pariendum. Unde à Pio Bulla. *In eam*, omne cambium siccum declaratur usurarium. Hinc patet lucrum ex eo perceptum, esse injustum & restituendum.

Cambium reale dividitur in manuale, & locale. Manuale seu minutum, est permutatio monetæ diversæ speciei & rationis, ut aureæ cum argentea, minoris cum majore, patriæ cum externa, &c. & vicissim. Locale seu per litteras est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, ut si des hic Titio pecuniam, & Titius tradat tibi litteras cambii, quarum ope eamdem summam recipias Romæ.

Quæst. II. *An in cambio reali licitum est lucrum?*

Resp. Affirm. Modò sit moderatum, & secundùm leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum æstimationem. Nam tale lucrum in cambio manuali percipitur non solùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex cambio, sed etiam ratione laboris & operæ in conquirendis, coacervandis, custodiendis variis speciebus monetarum, & in numeranda pecunia, &c. In cambio verò locali ratione trajectionis realis vel virtualis pecuniæ de loco in locum, cui trajectioni faciendæ campsor operam suam locat, suscepto in se omni labore & periculo: quæ quidem opera, labor & periculum in gratiam alterius suscepta, sunt pretio æstimabilia.

Nec obstat quòd interdum campsor id faciat sine labore & incommodo, imò cum suo commodo. Nam hoc est per accidens, & provenit ex ejus cura, industria, & officio, pro quo sustinendo multæ aliunde impensæ & operæ præstandæ sunt; cùm reipsa suscipiat obligationem ex se laboriosam, & periculosam.

Quæst. III. *An licitum est cambium ad terminum solutionis, seu, ut ajunt, ad nundinas? Sic fit, campsor vel mercator dat hic pecuniam ea lege, ut illam cum lucro recipiat Francofurti, vel alibi ad proximas nundinas: ita ut plus vel minùs exigatur pro cambio,*

bio, quò magis vel minus remota sunt nundinæ?

Resp. Secluso alio titulo justo excusante ab usura, cambium hoc est usurarium. Nam est verum mutuum, ratione cujus lucrum exigitur: nihil enim aliud est quàm contractus, quo traditur pecunia ut reddatur cum lucro intra terminum, seu in quo exigitur aliquid ob dilatam solutionem. (*a*)

CAPUT X.

De Transactione, Assecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.

Quæst. I. QUid est Transactio?

Resp. Est pactio utrimque onerosa de re dubia, & lite incerta sive mota, sive movenda. Hinc ad ejus justitiam tria

(*a*) Tutam solidamque Auth. de Cambio doctrinam perspicuè confirmat & explicat SS. D. N. in prælaudato opere de Synodo cap. 48. à §. 7. ad finem usque. Ut autem omnibus nota sit Romani Pontificis hac de re sententia; & quæ circa hujusmodi contractus esse debeat cura Episcoporum, omnia fermè huic capiti adjecimus. „ Necesse est, *inquit*, ut in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum, illam alibi restituendi: si enim sciret, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam, quamvis cambii litteræ alio directæ fingerentur, sub cambii specie, vera lateret usura, quæ hominum quidem judicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod *fictum*, & *siccum* appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversus cambia statuit clar. mem. Cardinalis Lanfredinus *in sua Diœcesana Synodo Cingulana, habita die 6. Augusti 1736. cap. 54.*

„ Hæc manifesta sunt, & vix ulli obnoxia difficultati; alia captiosa adinventa est species cambii, quod vocant *obliquum*: Titius indigens mille aureis, mutuos eos petit à Cajo, qui consuevit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, à quo ratione mutui, nihil potest exigere: quia vero Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit à Cajo prædictos mille aureos, neque, mutui causa, quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit; ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive à semetipso, sive ab alio per cambii contractum, accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos à Campsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit à Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Si primo modo res peragatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii litteras revera à se transmissas, seu mille aureos se fuisse per cambium ab alio consecutum. Sed si Titius mutuatarius onus in se suscepit, summam ei æquivalentem, quàm à Cajo mutuam accepit, cambiis activis negotiandi: tunc aut stetit promissis, aut non: Si primum, Cajus creditor juste percipit fructus, seu pecuniæ accessiones à cambiis productas. Si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis consequatur, eosdem tamen fructus à Titio requirit, titulo *ejus quod interest*, seu damni quod subit, ex eo, quod Titius susceptæ obligationi non satisfecerit, juxta decisionem 829. *Romana Rota coram Dunozetto jun.* Et quia hic posterior modus securiorem redd[illegible] tuantem, cui duplicem ap[illegible] dum auctarium mutuat[illegible] causa frequentius adhibetur.

„ Præmissa hac ca[illegible]one, quam præbet Cardinali[illegible] *titul. de cambiis in Summ. par*[illegible] facile est suspicari prædictas involutas an[illegible], esse unice excogitatas, ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur: & magis adhuc aperte se prodit, cum contractus, secundo ex recensitis modis initur, quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit à Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos, in mutuantis Caji utilitatem? Et nihilominus non desunt Auctores, qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca *de cambiis disc.* 3. *num.* 5. *disc.* 5. *num.* 8. *disc.* 23. *num.* 9. Ansald. *de commerc. & mercat. disc.* 65. *num.* 46. *& sequentib.* Rota Bononien. apud Urceol. *de transact. quæst.* 40. *à num.* 23. *usque ad fin.* & Rot. Romana *decis.* 1. *lib.* 8. *ad Ornat. Cardin. de Luc. & decis.* 323. *& 695. cor. Molinep.*

„ Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque à mutuante, neque à mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit, eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare, minimè dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe, & usurarium, ac propterea è Christiana republica prorsus eliminandum. Non enimvero negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere à mutuatario, titulo *ejus quod interest*, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis: sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, & doli; quamobrem clar. mem. Cardinalis Marcellus de Aste Episcopus Anconitanus, in suo Pastorali monito, edito post Constitutiones Synodales Cardinalis Bartholomæi Massei, ejusdem urbis Episcopi, evulgatas anno 1738. *pag.* 165. *& seqq.* suas oves serio est dehortatus à cambiis obliquis, quæ mera esse deprehendit tegumenta usuræ; Nec inopportunum existimamus, ut quilibet Episcopus, ad eradicandum è sua diœcesi eorumdem cambiorum abusum simile monitum formet, suisque inserat Synodalibus Constitutionibus.

aria requiruntur. 1. Ut res super qua transigitur, sit dubia saltem probabili existimatione utriusque partis: alioqui fieret injuria parti clarè habenti jus, quæ non componere transigendo, sed vexationem injustam redimere censeretur. 2. Ut conventio fit cum aliquo onere utriusque partis: alioqui donatio esset, non transactio. 3. Ut per eam lis componatur vel dirimatur: nam ad hoc instituta est.

Quæst. II. *Quid est assecuratio?*

Resp. Est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio ad solvendum ejus pretium, si perierit. Quando hæc obligatio pretio suscipitur, est contractus simi[illegible] [illegible]itioni: nam venditur obligatio præstand[illegible] indemnem, quæ est pretio æstim[illegible]

Ex. communi[illegible] ejus justitiam requiritur. 1. Ut p[illegible] sit saltem probabiliter, vel ab u[illegible]e judicetur subesse, ita ut rei eventus sit utrique incertus. Si enim ante contractum constaret assecuranti res, vel merces alterius esse extra omnem aleam positas, v. g. jam pervenisse ad portum, peccaret & teneretur restituere pretium acceptum. Nam nullus est titulus accipiendi pretii, cùm assecuratio non fit in hoc casu digna pretio. Præterea assecurans sua deceptione dedisset causam contractui. Idem dic de eo qui sciens rem suam periisse, pacisceretur cum altero de illius assecuratione: quia impossibilis est rei, quæ periit, assecuratio; hæc enim potest esse duntaxat de re, cujus periculum caveri potest: ergo tunc nullus est contractus, cùm deficiat ejus materia. Deinde tunc dolus daret causam contractui. 2. Requiritur ut pretium sit proportionatum periculo, spectata æstimabilitate rei, quæ assecuratur, alioqui non servaretur æqualitas.

Quæst. III. *Quid est Fidejussio?*

Resp. Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Circa quod observa.

1. Si obligatio debitoris principalis sit invalida, aut extinguatur, cessat etiam obligatio fidejussoria defectu materiæ: quia hæc semper supponit obligationem principalem, estque illius accessoria.

2. *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur: nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione debet esse, quàm in principali re*, institut. de fidejussor.

3. Fidejussor non potest conveniri ad solvendum, nisi priùs à principali debitore repetitum fuerit debitum, & constiterit eum non esse parem solvendo. Hæc enim est veluti conditio hujus contractus, nisi aliter conventum sit.

4. Fidejussoris obligatio transit ad hæredes.

5. Peccat graviter qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus se fidejussorem constituit, putans fieri posse ut debitor non sit solvendo par. Nam creditorem injustè decipit, falsam rei securitatem offerendo, & dat ei occasionem periculi ac damni.

6. Principalis debitor tenetur non solùm rependere quæ fidejussor pro eo solvit, sed etiam resarcire omnia damna orta ex eo, quòd ipse tempore debito non solverit: nam vi contractus tenetur fidejussorem indemnem servare, ea quippe lege is fidejubet.

Sed an licet pro fidejussione exigere pretium à debitore?

Resp. Multi affirmant licere de eo pacisci, pro ratione quantitatis debiti & periculi. Quia obligatio civilis solvendi debitum alterius est onus justitiæ pretio æstimabile, nec fidejussor tenetur eam gratis suscipere. Neque id exigitur pro solutione pecuniæ alterius loco datæ vel dandæ, nam hoc esset usurarium; sed pro subeunda obligatione solvendi debitum alterius. Neque est mutuum virtuale: nam fidejussio non consistit in traditione rei sicut mutuum, sed præcisè in susceptione obligationis alienæ. Si tamen fidejussor sciat nullum subesse periculum, nec molestiam, alii, quibus assentior, docent eum nihil posse exigere, quia tunc obligatio quam suscipit, nullum affert onus pretio compensabile.

Quæst. IV. *Quid est Pignus, & Hypotheca?*

Resp. Pignus est contractus, quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo sic obligata est, ut possit ex ea solutio peti, si debitor non solverit.

Hypotheca verò est contractus, quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, itaut jus habeat ex ea solutionem petendi. Differunt inter se, 1. Quod in pignore res tradatur creditori, in hypotheca verò res sola conventione obligetur sine traditione. Interdum tamen mobilia bona sine traditione hypothecantur. 2. Quòd pignus sit rei mobilis, hypotheca verò rei immobilis. Hæc tamen nomina passim in jure idem sonant; & sumuntur etiam pro ipsa re alteri obli-

obligata ad securitatem debiti, & pro jure petendi solutionem ex re sic obligata.

Hypotheca alia est conventionalis seu expressa, quæ mutuo consensu expresso constituitur. Alia tacita seu legalis, quam lex vel consuetudo attribuit, etiamsi de hac nulla facta sit in contractu mentio. Sic bona tutoris & curatoris sunt hypotheca pupillo & minori pro administratione bonorum, bona mariti pro dote uxoris, &c. Item alia est universalis, per quam omnia bona tum præsentia, tum futura obligantur: alia particularis, id est, unius, vel plurium rerum in specie, & hæc semper afficit rem ad quemcumque perveniat, donec debitum solvatur.

Quæst. V. *Quænam sunt obligationes dantis, & accipientis pignus & hypothecam?*

Resp. 1. Ex parte dantis seu debitoris hæ sunt. 1. Non licet eandem rem dare pluribus in pignus seu hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis. Nam ideò res subjicitur hypothecæ, ut creditor ex ea solutionem capiat, si debitor non solvat. Sed plures creditores non possunt solutionem accipere ex re insufficiente pro pluribus debitis. Excipe nisi posteriores creditores moneantur de priori hypotheca; nam tunc his non fiet injuria, cùm scienti & volenti non fiat. 2. Debitor tenetur creditori impensas factas in pignoris conservationem & ne deterius fiat, restituere, l. 25. §. *de pignorat. act.* nec potest pignus repetere donec debitum integrè solverit, l. 6. Cod. *de distract. pign.* 3. Ei non licet vendere rem hypothecatam, nisi emptore mónito de hypotheca, quia illum deciperet. Nam emptor putaret rem ab omni onere liberam, cùm tamen tenetur ex ea debita solvere, res enim transit ad emptorem cum suo onere reali, nec emptor plus juris acquirere potest, quàm haberet venditor: hic autem non habebat ejus dominium liberum à debitis, cùm res sit ad debita obligata.

Resp. 2. Ex communi sententia, creditor tenetur. 1. Diligenter servare pignus, & curare ne pereat, aut deterius fiat: alioqui tenebitur de damno secuto ex culpa lata & levi, l. 13. §. *de pignor. act.* non tamen levissima, quia contractus cedit in utriusque partis utilitatem. Potest autem pignus acceptum, vel hypothecam alteri obligare, sed non pro majore summa, l. 1. Cod. *Si pignus*, &c. 2. Non potest uti re oppignorata sine consensu debitoris: alioquin furti actione tenetur, l. 56. §. *de furtis*, nisi utatur in gratiam debitoris, ne scilicet alioqui deterior fieret. Quia est res aliena ad securitatem tantùm, non ad usum concessa. Sed injustum est uti re aliena sine consensu domini. Quòd si debitor concedat illius usum, valor talis usus debet in sortem computari: alioqui committeretur usura; nam ob concessam dilationem solutionis, acciperetur aliquid ultra sortem, cùm usus pignoris sit quid pretio æstimabile, & veluti ejus fructus ad dominum pertinens. 3. Tenetur fructus ex pignore vel hypotheca perceptos & consumptos in sortem computare, deductis sumptibus suis ac laboribus, & extantes restituere vel deducere: quia res illa est debitoris, ad quem proinde pertinent fructus ex ea nati, res enim domino suo fructificat. 4. Non potest vendere pignus, nisi debitore tempore debito non solvente, & eo priùs monito. Quòd si pluris vendat, quàm sit debitum, tenetur excessum restituere debitori, cùm nullo justo titulo possit eum retinere. 5. Non potest pacisci cum debitore, ut si non solvat statuto tempore, pignus sit creditoris; sed hic semper tenetur pignus totum restituere, cùm ei postea debitum solutum fuerit, nam talis conventio utroque jure prohibetur, l. ult. Cod. *de pact. pignor.* & cap. 7. *de pignor.* 6. Tenetur soluto integrè debito statim restituere pignus, nam tunc cessat titulus & jus illud retinendi, l. 6. §. *Quibus modis pignus*, *&c.*

CAPUT XI.

De Ludo & Sponsionibus.

Quæst. I. *Quid est ludus, & quænam requiruntur ut sit licitus?*

Resp. 1. Ludus generatim est jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem ordinatum. Ejus finis proximus est, ut animus oblectatione relaxetur, fiatque aptior ad applicationem ac intensionem necessariam, eo modo, quo vires corporis per somnum reficiuntur: quies enim animæ est delectatio, inquit S. Thom. 2. 2. qu. 168. art. 2. Hinc ludus tam potest esse honestus quàm dormitio, si cum debitis circumstantiis ob finem honestum exerceatur, pertinetque ad virtutem, quam Aristoteles & S. Thomas Eutrapeliam vocant, quæ est species temperantiæ, per quam homo dirigitur ac inclinatur ad modum in ludo tenendum.

Ut autem ludus sit licitus, hæc ex communi sententia requiruntur. 1. Ut ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2. Ut non sit occasio peccandi, nec scandalum aut damnum

ul-

ullum cuiquam pariat. 3. Ut modus debitus, decorum, & omnes circumstantiæ debitæ serventur, ita ut congruat personæ, tempori, & loco, &c. nam bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Hinc Conc. Senonense prohibet clericis ne in publico ludant pila, aut aliis ludis, maximè cum laicis, ob indecentiam. 4. Ut nec sæpiùs nec diutiùs ludatur quàm exigit necessitas reficiendi vires animi, & eum expeditiorem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi sicut cibi & potus. *Parum* autem *de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*, ait Aristoteles à S. Thoma, quæst. cit. art. 4. relatus. His adde, ut ludus necessarius referatur ad finem honestum; nam homo semper propter finem honestum agere tenetur.

Resp. 2. Ludus pro contractu sumptus, est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedat id quod exposuerunt. Jure naturæ licitus est, servatis debitis conditionibus: sicut enim licet rem suam alteri absolutè donare, ita & dare sub conditione licita, puta si victor ludendo extiterit.

Conditiones autem requisitæ in contractu ludi sunt. 1. Ut omnes conditiones ad ludum honestum necessariæ modò dictæ serventur: nam hic contractus continet ac supponit ludum, cui est accessorius. 2. Ut summa, quæ ludo exponitur, sit modica secundùm cujusque facultatem ac conditionem, & non major quàm opus sit ad excitandum cum oblectatione animum, & impediendum ne ludus langueat. 3. Ut ludentes habeant dominium ac liberam dispositionem eorum quæ exponunt, & aliunde habeant unde familiam alant, debita solvant, eleemosynas erogent, & cæteris officiis planè satisfaciant: 4. Ut non ludatur principaliter ob lucrum: nam finis proximus ludi est animi levamen, & oblectatio, ut animus sit vegetior & aptior ad exercitia debita propter Deum rectè obeunda. Deinde lucrum non potest esse finis honestus. 5. Ut absit omnis fraus & injuria. 6. Ut sit æqualitas moralis quoad omnes in spe lucrandi & periculo perdendi. Nam hæc requiritur ad justitiam hujus contractus qui est utrimque onerosus: in eo quippe emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Quæst. II. *Quinam ludi sunt prohibiti?*

Resp. Jure divino naturali prohibiti sunt ludi ex se mali ac turpes, indecori, & ad luxuriam provocantes; vel qui sunt occasio proxima peccati, aut aliis scandalum. Jure autem humano tam civili, quàm canonico prohibitus est omnibus etiam laicis ludus saltem frequens aleæ, l. 1. & 2. Codic. *de aleator*, &c. *Episcopus*, dist. 35. ex canon. Apostolorum, ibi: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus*. Ratio prohibitionis est periculum & occasio multorum peccatorum, & malorum, ut iræ, rixarum, litium, blasphemiæ, perjurii, jacturæ temporis, neglectus officiorum debitorum, eversionis fortunarum, &c. Ludus autem aleæ est ille, cujus successus unicè vel magis ex fortuna seu casu quàm ex industria pendet, ut ludus taxillorum & chartarum. Nomine autem fortunæ ac casus intelligi debet dispositio providentiæ divinæ præter certam aliquam spem & opinionem humanam à sola Dei voluntate pendens.

Hinc, ut patet ex pœna gravi apposita, peccat mortaliter qui aleæ deservit, hoc est qui tali ludo crebrò & per longum tempus lucri causa ludit. *Ludus aleæ est peccatum mortale secundùm Raymundum, quod credo verum quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum; nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem & moderate, non videtur mortale*, ait S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 23. §. 8.

Imò secluso jure positivo sæpè est mortalis aleæ ludus ratione multarum circumstantiarum, ut docet Toletus, post S. Chrysost. qui homil. 15. ad popul. ait: *Aleas tractare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre... Circa aleas studium, blasphemias, jacturas, iras, convicia, infinitaque alia his graviora sæpe produxit*.

Hinc etiam graviter peccant, qui aleatoribus domum suam ad ludendum commodant: quia occasionem & commoditatem graviter peccandi aliis præbent; idque jure Cæsareo & Francico prohibetur. His ergo deneganda est absolutio, nisi resipuerint, ut monet S. Carolus.

Quæst. III. *Quandonam committitur peccatum mortale in ludo?*

Resp. Ex communi sententia, his casibus. 1. Si ludus sit per se graviter illicitus ac turpis, vel solo jure positivo graviter vetitus. 2. Si ludenti vel aliis sit occasio proxima

ma peccati mortalis, ut blasphemiæ, perjurii, fraudum, rixæ, libidinis, &c. 3. Si idcirco negligantur officia sui status, vel muneris; aut omittantur opera graviter præcepta. 4. Si immodica summa ludo exponatur, ita ut reliqua bona non sufficiant ad sustentandam familiam, alendos filios, ad dotandas filias decenter secundùm suum statum, ad solvenda debita, ad dandas eleemosynas, &c. 5. Si injuria vel damnum grave alteri inferatur fraudibus, violentiis, attractionibus ad ludum, &c. 6. Affectu ad ludum graviter immoderato. *Nam potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem praponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra praceptum Dei vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non refugiat*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 168. art. 9. Denique si quis ludat cum eo qui non potest alienare: nam vult sine titulo justo alienum obtinere, quod est injustum, & cooperatur injustitiæ alterius.

Quæst. IV. *Quibus casibus lusor ante omnem sententiam tenetur ad restitutionem?*

Resp. Ex communi sententia, victor restituere tenetur. 1. Si victus non habeat rei dominium, & liberam dispositionem. 2. Si victor vi, minis, dolo, conviciis, vel simulatione imperitiæ induxit alterum ad ludendum. Nam fecit ei injuriam, eique occasionem damni injustè dedit. Si tamen coactus lucretur, non tenetur restituere lucrum: quia ludus ex parte ipsius est justus, & omnem inæqualitatem circa spem lucri sustulit injuria coactionis, & victus sponte in hoc periculum se conjecit. 3. Si fraude aliqua contra ludi leges usus sit, v. g. si chartas signo aliquo notaverit, aut per nutus circumstantium, vel ex industria agnoscat, vel artificiosè ita componat, ut meliores sibi obveniant, &c. Et tunc tenetur restituere tum id quod lucratus est, cùm illud acquisierit per injuriam: tum etiam id quod alter justè lucratus fuisset: nam hæc spes lucri erat pretio æstimabilis, & ei per injuriam sublata fuit. Ludi autem leges sunt quæ vel communi ludentium consensu constitutæ sunt, vel loci consuetudine receptæ. Quædam tamen fraudes seu potiùs astutiæ, quæ ex communi consuetudine adhibentur, & noscuntur adhiberi, non censentur contra ludi leges, nec injustæ, ut si quis sciens se meliores chartas habere, timorem simulet, quo alter ad augendam sponsionem impellatur. 4. Si victor ante ludum habuerit animum non solvendi, vel si non possit alienare rem ludo expositam aut quidquam amittere, vel si arte ludendi sit notabiliter alteri superior, ita ut moraliter certus sit de victoria. Quia tunc error dedit causam contractui: alter enim non voluit ludere, nisi quia contrarium putavit. Præterea hæc sunt contra justitiam ludi exigentem, ut inter ludentes sit æqualitas moralis in spe lucrandi, & in periculo perdendi: nam hic contractus est utrimque onerosus, non donatio, nec ad remunerandum digniorem & peritiorem institutus; sed in eo emitur spes lucrandi periculo perdendi: ideoque requirit æqualitatem inter spem & periculum. Idque verum est, etiamsi excessus peritiæ sit notus alteri; nisi prudenter ex circumstantia censeatur donatio spontanea lucri ex parte minùs periti. Nàm sicut non sufficit ad justitiam venditionis, si emptor vitium rei norit, & rei cupiditate solvat pretium justo majus, quia aliter eam habere nequit, nec donare excessum censetur; ita in ludo, &c. nisi inæqualitas peritiæ aliunde compensetur. Quamdiu tamen uterque ignoret excessum notabilem peritiæ alterius, lucrum est justum etiam in peritione: quia uterque tunc se exponit periculo perdendi; & sicut lucranti occurrit imperitior, ita poterat occurrere peritior, & sic contractus fuit fortunæ, & ex utraque parte æqualis. Præterea ludentes hoc animo ludunt, ut lucrum retineri possit, dum neutri constat de notabili excessu. 5. Juxta varios, si victor luserit ex animo repetendi solutum: quia non habebat jus lucrandi, & decepit alterum, qui non voluit ludere nisi supposita spe lucrandi. Qui tamen lusit animo solvendi, potest mutare animum peracto ludo, & solutum repetere in judicio.

Quæst. V. *An qui ludo vetito, seu alea aliquid lucratus est, tenetur lucrum restituere, vel qui perdidit solvere?*

Nota. Agitur hic de magna summa: nam qui modicum perdidit, tenetur solvere. Quia contractus ludi fuit justus, obligatque naturaliter; nec leges, quæ vigent, prohibent modicum quid ludo per se licito exponere, ac proinde lucrum modicum solutum retineri potest, nec conceditur jus illud repetendi.

Resp. 1. Juxta communem sententiam, seclusa lege speciali loci irritante contractum ludi, magna pecuniæ summa jam acquisita ludo vetito, seu alea, servata aliunde justitia, potest retineri in conscientia, donec per sententiam judicis exigatur restitutio. Quia contractus ludi jure naturæ habet vim trans-

transferendi dominii ex libero consensu ludentium; & jure positivo communi, vel saltem ex consuetudine, non est ipso facto irritus; nec ludentes redduntur inhabiles ad transferendum dominium, neque obligantur ad restitutionem nisi post sententiam judicis. Ex eo autem quòd contractus fit prohibitus, non ideò hoc ipso est irritus, *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, cap. 16. *de regular.* ut patet in matrimonio post votum simplex castitatis contracto, in negotiatione clericis interdicta, &c.

Resp. 2. Qui alea lusit, & notabilem pecuniæ summam perdidit, sistendo in jure naturali, tenetur solvere. Quia contractus fuit validus, ac proinde ex illo victor comparavit jus ad id quod lucratus est. Prætereà qui perdidit, debuit ludendo consentire in solutionem si perderet: alioqui mala fide lusisset, ideoque lucrari non potuisset.

Sed controvertitur an jure civili communi seu Cæsareo, lusor teneatur in conscientia solvere debita ludo contracta? Alii negant, quia, l. 1. Cod. *de aleator.* conceditur victo & ejus hæredibus jus repetendi in judicio quod solvit. Ergo victus potest jure retinere id quod solutum repetere statim posset: cui enim lex dat actionem repetendi, etiam dat exceptionem ut non solvat, juxta reg. jur. 71. in 6. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus*. Et l. 198. §. *de regul. jur.* Prætereà leges Cæsareæ statuunt, ut victus non cogatur solvere. Unde cùm retinere meam rem, & datam recipere æquivaleant, injustum non est commodiorem modum absque inutili circulo eligere. Hinc, lib. 3. §. *de compensat.* dicitur: *Interest nostra potiùs non solvere, quàm solutum repetere*.

Alii verò contendunt debitorem teneri solvere, nisi judicem requirat pro debiti sui absolutione. Quia 1. qui lusit, validè lusit. Ergo contraxit obligationem standi contractui valido, donec irritetur; & sic victor habet jus ad solutionem donec eo privetur per judicem. 2. Sicut qui validè lusit & perdidit, non potest ante sententiam judicis solutum repetere, aut occultè recipere, ita nec potest ante sententiam non solvere. 3. Leges non concedunt jus repetendi solutum nisi in judicio; ergo jus non solvendi acquiritur solùm per sententiam judicis. & cùm dicunt, victus non cogatur solvere, subintelligitur *à judice*: unde significant solùm actionem victori non dari ad repetendum debitum. Porrò certum est victum teneri solvere, si juraverit se soluturum: quia juramentum de re licita præstanda servari debet ex religione & reverentia erga Deum.

Dixi *jure communi*. Nam potest esse alia consuetudo patriæ, vel lex specialis annullans obligationem naturalem solvendi debita ludo contracta, prout est in Gallia ex edicto Ludovici XIII. quoad hoc recepto. Sed videtur in his rebus standum esse consuetudini receptæ, nec lege abrogatæ.

Quæst. VI. *Quid est sponsio, & quid ad ejus justitiam requiritur?*

Resp. Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate aut eventu rei alicujus contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut id fit ejus, qui veritatem tuetit assecutus.

Ut hic contractus fit justus, necesse est, 1. Ut res, de qua agitur, in eodem sensu ab utroque accipiatur: nam alioqui nullus esset contractus sponsionis, siquidem spondentes non consentirent in idem, si diversimodè rem intelligerent. 2. Ut res de qua contenditur, fit incerta utrique contrahenti. Alioqui jam non esset æqualitas in spe & periculo, quæ ad justitiam sponsionis requiritur: nam sponsio est contractus onerosus, quo emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Hinc si quis certus de rei veritate, vel eventu, aliquid sponsione lucratus est, tenetur id restituere, etiamsi de sua certitudine alterum monuisset, qui nihilominus vellet contendere. Quia hic non vult donare, aut se punire, sed spondere, eo quòd putet rem esse semper incertam & falli ab alio: & ideo diligenter postea veritatem inquirit. Cum autem in sponsione ematur, & vendatur spes lucri periculo amittendi, veluti merx pretio: si nullum fit periculum perdendi, nihil emitur, nec venditur; ac proinde invalidus est contractus, sicuti invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, etiamsi emens monitus fuisset falsam esse, sed credere noluisset. *Delugo*.

CAPUT XII.

De Ultimis voluntatibus.

Quæst. I. Quid est *Testamentum?*

Resp. Est legitima dispositio de iis, quæ quis vult fieri post mortem cum institutione hæredis, vel legatarii universalis. Quod addo, quia in Gallia ad testamentum non requiritur hæredis institutio: imò si fieret, dicitur testamentum à judicibus declarandum esse irritum: quia lex con-

consuetudinaria permittit solùm institutionem legatarii universalis, quando non instituitur hæres is, qui ab intestato foret.

Dividitur in solemne, in quo servàntur omnes solemnitates à jure præscriptæ, & in privilegiatum, quod valet etiamsi non omnes illæ solemnitates serventur: tale est testamentum militare. Solemne subdividitur in scriptum, seu clausum, quod fit scripto coram testibus requisitis; & in nuncupativum seu apertum, quod fit viva voce coram testibus requisitis, licèt postea possit scripto mandari.

Circa solemnitates à jure in testamentis requisitas consuli debent leges ac locorum consuetudines.

Jure autem Cæsareo ad testamentum scriptum hæc requiruntur. 1. Ut hæres claris & expressis verbis instituatur, illiusque nomen propria manu testatoris scribatur, vel si aliena, ipse testator scribat, & subscriptum ac involutum ostendat testibus, dicatque in eo suam ultimam voluntatem contineri. 2. Ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, idonei, hoc est, qui non excludantur à jure, quales sunt hæres, filiusfamilias, furiosi, damnati ob crimen, &c. 3. Ut omnes & singuli testes nomen suum subscribant propria manu, & annulo seu sigillo obsignent. 4. Demum ut id totum in uno eodemque loco & tempore, unoque contextu peragatur, l. 21. Codic. *de testam.*

Ad nuncupativum requiritur solùm, ut testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm circa legata coram septem testibus, masculis, liberis, puberibus, & ad id vocatis declaret distinctа voce, ut possit audiri.

Quæst. II. *An testamentum destitutum solemnitate requisita à jure civili, validum est in conscientia?*

Resp. Circa hoc multiplex est sententia. Prima docet tale testamentum esse invalidum in utroque foro, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius teneatur ante sententiam judicis restituere hæredibus ab intestato. Secunda asserit valere in conscientia, ita ut hæredes ab intestato non possint licitè repetere hæreditatem vel legatum; & si adjudicetur ipsis à judice, teneri ad restitutionem, si ipsis constet de voluntate testatoris. Tertia inter has media docet illud nullam parere obligationem civilem, sed solùm naturalem, & quidem infirmam, quæ per judicem tolli possit, atque ita non esse omnino invalidum in foro conscientiæ; sed valere ad hoc ut hæreditas vel legatum possit retineri in conscientia, donec à judice adjudicetur hæredibus ab intestato: neque etiam omnino firmum, quia post sententiam judicis relicta per illud restitui debent hæredibus ab intestato. *Ita Sanchez, Layman, & alii*, qui sic putant conciliari posse leges in speciem contrarias. Unde leges, quæ dicunt testamentum destitutum solemnitate pro infecto habendum, nullum esse, scilicet, inquiunt per sententiam judicis, qui ob defectum solemnitatis efficaciam ejus elidit.

Ego assentior iis, qui docent, hac in re consulendam esse locorum consuetudinem, & praxim judiciorum, atque servandum id quod æquus judex perspecta penitus veritate judicaret. Nam idem in utroque foro servandum est, ubi forum externum non nititur falsa præsumptione, nec damnat in pœnam, quæ judicis sententiam requirit. Quare si judex quamvis certò norit voluntatem testatoris, rescindat testamentum ob defectum solemnitatis, & hæreditatem ac legata prophana adjudicet hæredi ab intestato: ea ipsi debetur in conscientia ante sententiam. Quia sicut privati possunt apponere contractibus suis certas conditiones, quibus omissis nolunt valere contractum; ita principes vel respubl. cui subditorum personæ ac bona subjiciuntur in ordine ad bonum commune, potuit propter fraudis periculum, & majorem dispositionis cautionem facere, ut consensus contrahentium ac disponentium sine certa solemnitate esset de facto irritus: fecisse autem constat ex verbis legis, vel consuetudine & praxi judiciorum, quæ est legum interpres.

Nota. Testator tenetur hæredes instituere in portione legitima descendentes, & his deficientibus ascendentes, nisi justam exhæredandi causam habeat: unde hi dicuntur hæredes necessarii.

Quæst. III. *Quinam testari non possunt?*

Resp. 1. Qui carent usu rationis, ut infantes, & perpetuò amentes. 2. Filiusfamilias. Si tamen pubes sit, potest testari de bonis castrensibus & quasi castrensibus ad quaslibet causas, & de adventitiis ad pias causas, sed cum patris consensu, ex cap. 4. *de sepultur.* in 6. 3. Servus. 4. Religiosi solemniter professi. 5. Prodigi post interdictam administrationem. 6. Qui commiserunt aliquod crimen, cui jure annexa est talis pœna, & mors damnati. 7. Clericis de bonis ecclesiasticis, cap. 9. *de testament.* in multis tamen locis consuetudo est contraria: sed semper

per teneantur de iis in pias causas disponere: nam juxta communem sententiam tenentur jure divino naturali ea bona toto vitæ tempore sic impendere. Quare nulla consuetudo, nec potestas humana potest eos excusare vel dispensare.

Quæst. IV. *Quid est Codicillum?*

Resp. Est scriptura continens ultimæ voluntatis dispositionem circa ea, quæ quis vult fieri post mortem citra hæredis, seu legatarii universalis institutionem. Adhibetur ad legata ac fideicommissa relinquenda, vel ad aliquid explicandum, aut mutandum circa testamentum. Ad ejus valorem sufficiunt quinque testes licèt non rogati, nec requiritur, ut testator manu propria subscribat.

Quæst. V. *Quænam notanda sunt circa legata?*

Resp. Sequentia. 1. Legatum est ultima voluntaris dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum directis verbis alicui relinquit. Sumitur etiam pro ipso dono sic relicto.

2. Legata solvi debent ex justitia statim post aditam hæreditatem, & ex hoc legatarius acquirit eorum dominium. Quare si executor testamenti negligat ea solvere, tenetur de damno inde secuto: nam peccat contra proprium officium in damnum alterius; executor enim constituitur ad præstandum, id omne, quod testator fieri voluit: qui autem peccat contra proprium officium ad alterius commodum spectans, peccat contra justitiam. Si nullus sit constitutus executor, tenetur hæres: nam hæreditatem acceptando, se obligavit implicitè ad præstanda onera ei annexa.

3. Legatum transmittitur ad hæredes legatarii.

4. Legatum sub modo factum obligat ad modum illum observandum, si modus sit in utilitatem tertii, vel legantis. Quia tunc testator præsumitur voluisse ad eum obligare: secùs dicunt, si modus sit in solam utilitatem legatarii, quia non præsumitur obligatio inducta, nisi aliunde colligatur, sed solùm testator explicuisse motivum legandi. Quando autem testator obligat ad modum implendum, aliquando obligare vult, non ita tamen, ut si non impleatur, legatum revocetur & restitui debeat, sed ut peccet legatarius contra justitiam, si non observet. Aliquando vult, ut modo non observato res legata restituatur, vel cum fructibus perceptis, vel sine illis. Quæ omnia pendent ex intentione testatoris, quæ arbitrio prudentis ex ejus verbis & aliis conjecturis ac circumstantiis colligenda est. Quando legatum relictum est Ecclesiæ, vel piæ causæ sub modo obligante, nisi aliud testator expresserit, non censetur voluisse quòd revocetur legatum, si modus non servetur, cap. *Verum*, de condition. appos.

5. Si legatum ad certam piam causam factum, nequeat ei applicari, debet ab hærede dari in alteram piam causam impendendum judicio Episcopi. Nam defunctus censetur in tali casu voluisse, ut alteri piæ causæ applicaretur, cùm id æque sit gratum Deo, & utile ejus animæ. Episcopus verò ut interpres voluntatis defuncti, tunc habet jus legata pia ad alium pium usum destinandi, ex cap. 3. & 17. *de testament.* Legatum verò relictum ad causam prophanam, si impleri nequit, redit ad hæredem.

6. Quamvis testamentum ad causam non piam defectu solemnitatis esset invalidum in utroque foro; tamen legata pia in eo contenta valida sunt, & ea statim solvere tenetur hæres ab intestato, si constet quoad illa de voluntate defuncti, ex cap. 11. *de testament.* Tum quia ipsa pia legata sunt remedia vulgò ad testatoris salutem necessaria, & semper utilia, imò sæpe restitutiones ex justitia debitæ, & à confessario præscriptæ. Tum quia juxta leges Cæsareas legata etiam prophana relicta sine solemnitate requisita solvi debent, si constet de voluntate defuncti, ex institut. *De fideicomm.* & ex cap. 4. *de testament.* In Gallia verò jure consuetudinario secundùm communem Doctorum Gallorum sententiam hæres tenetur in conscientia solvere legata ad pias causas, quamvis in iis, vel in testamento præscriptæ solemnitates omissæ fuerint: secùs, si sint ad causas prophanas. Hinc quando hæredi constat voluntatem testatoris esse, ut aliquid in causam piam distribuatur, licèt id in foro externo probari nequeat, tenetur in conscientia solvere. Tunc enim probatione opus non est, dum de veritate constat.

Quæst. VI. *Quid est Fideicommissum?*

Resp. Est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. Duplex est, aliud universale, in quo tota hæreditas committitur danda alteri. Sed jus Cæsareum concedit fideicommissario quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur à jureconsulto Trebelliano, ne inutiliter hæreditatem adierit.

Aliud particulare, in quo tantùm pars hæreditatis committitur danda alteri.

Quæst. VII.

Quæst. VII. *An valeat in foro conscientiæ fideicommissum in favorem ejus, qui per leges non potest hæres vel legatarius institui?*

Resp. 1. Testator peccat mortaliter ita disponendo, & etiam is qui talis dispositionis executionem promittit: quia violat legem justam, quæ id graviter prohibet. Hinc S. Hieron. epist. ad Nepotian. ait: *Per fideicommissa legibus illudimus.*

Resp. 2. Is qui per fideicommissum etiam occultum, hæreditatem aut legatum accepit tradendum personæ, quæ per leges excluditur ab hæreditate, vel legato seu dono, putà filio spurio vel uxori defuncti, ita ut non acceperit nisi sub hac conditione sibi significata: non potest licitè tale fideicommissum exequi, sed tenetur accepta restituere legitimis hæredibus ab intestato. Quia 1. aliciqui ageret contra intentionem & finem legis, & ipsam legem prohibentem ne hæreditas vel legatum & donum talibus personis tradatur simpliciter, ideòque sive directè, sive indirectè. *Nam certum est quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, regul 88. jur. in 6. *Et cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, reg. 84. jur. in 6. Jam verò *quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*, regul. 64. jur. in 6. & leges justæ obligant in conscientia. 2. Tale fideicommissum est in fraudem legis ejusque efficaciam prorsus eluderet, si liceret aut valeret. *Ac fraus & dolus alicui patrocinari non debent:* ait Concilium general. Lateranens. IV. cap. 46. Item persona quæ per legem excluditur ab hæreditate, vel legato, reipsa bona acciperet à principali testatore per alium tamquam instrumentum: at lex id vetat, hoc ipso quòd illam excludit à bonis defuncti. *Ita Covarruv. Azor asserens esse communem sententiam.*

Igitur tale fideicommissum debet censeri tamquam si factum non fuisset, ac proinde bona defuncti per illud accepta pertinent ad hæredes legitimos ab intestato. Nam qui accepit aliquid tradendum alteri, non potest illud sibi retinere, quia revera non ei donatum fuit: neque potest tradere illis, qui per leges sunt incapaces illud accipiendi. Hinc Covarr. & Azor, ex communi (ut ipse ait) sententia, docent filium spurium qui accepisset bona patris per fideicommissum, vel alio modo, teneri ante omnem sententiam ea restituere legitimis hæredibus ab intestato venientibus, vel testamento institutis, cùm justa lege eorum bonorum capax non sit.

Porrò in Gallia id omnino certum est: nam ibi, & fortè etiam in multis aliis locis, quodvis fideicommissum jure saltem consuetudinario vim legis habente & obligante in conscientia, reprobatum est, nullumque jus tribuit.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De natura Sacramentorum novæ Legis.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est Sacramentum?*

Resp. Sacramentum genericè sumptum, est signum sensibile gratiæ sanctificantis, permanenter à Deo institutum. Sacramentum verò novæ Legis est signum sensibile, permanenter à Christo institutum, ad significandam & producendam gratiam sanctificantem ex opere operato. Unde in eo maximè differt à Sacramentis antiquæ Legis, quòd hæc non causarent gratiam ex opere operato, sed tantùm illam significarent nobis dandam per Passionem Christi, ut docet Concilium Florentinum.

Sacramenta novæ Legis sunt septem, non plura nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. sess. 7. can. 1.*

Quæst. II. *Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?*

Resp. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Conc. Florentin. in decreto de Sacrament. & constat etiam ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ.

Porrò materia Sacramenti dicitur id, quod in Sacramento minùs perfectè significat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfectè significandum. Duplex est materia, nempe remota, & proxima. Materia remota est res, quæ adhibetur, ut Aqua in Baptismo. Proxima est usus seu applicatio talis rei, ut Ablutio. Forma verò est illiquid

quid sensibile, quod clariùs effectus Sacramenti indicat & determinat, ac perficit significationem materiæ obscuram, nec satis determinatam. Verba autem strictè sumpta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem præter Matrimonium, quod juxta communem sententiam potest perfici sine benedictione Sacerdotis, sed sola scriptura, vel nutu exprimente mutuum consensum, quæ sunt verba virtualia, in quantum sunt expressiva consensus, & sufficiunt in contractibus: quia, cùm hoc Sacramentum consistat adæquatè in contractu matrimoniali, quæ Christus evexit ad esse Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu *regulariter* per verba de præsenti expresso. Aliud est de sex aliis, ut constat ex Traditione, & praxi Ecclesiæ.

Quæst. III. *Qualis unio inter materiam, & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

Resp. Requiritur utriusque coexistentia, seu simultas moralis, quæ secundùm significationem verborum formæ, & qualitatem actionis, per quam Sacramentum fit, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba censeantur cadere super talem materiam, & cum illa unum totale signum constituere. Sic in Baptismo requiritur talis conjunctio, ut dum minister verba profert, censeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis sufficit, quia Sacramentum est compositum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideòque more humano; & major non est sæpe possibilis moraliter: unde si exigeretur, Sacramenta sæpe irrita forent.

Porrò hæc unio diversa est pro diversitate Sacramentorum: nam requiritur major in Baptismo, ob formam exprimentem ablutionem actualem, & major in confectione Eucharistiæ, cùm forma sit demonstrativa Corporis Christi sub accidentibus panis & vini, quorum substantiam destruit.

Sacramentum verò Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum judicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen. In Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter perseverare censetur, sicut in aliis contractibus; & quia fundatur in natura contractus. Tamen quoad praxim materia & forma, quantum fieri potest, simul sunt conjungendæ.

Quæst. IV. *Quænam mutatio materiæ, vel formæ, irritat Sacramentum?*

Resp. Quævis mutatio substantialis in materia vel forma invalidat Sacramentum; quia tollit materiam, vel formam, quam Christus instituit. Accidentalis verò non irritat, quia cum tali mutatione manent materia & forma, quales Christus instituit. Sed circa hoc observanda sunt sequentia.

1. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re, secundùm communem æstimationem, & usum differt ab ea, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat, ita ut in ordine ad usus humanos, & prout sub tali nomine usurpatur, sit notabilis varietas: ut si in Baptismo adhibeatur vinum loco aquæ. Mutatio est accidentalis, quando materia est eadem re, & nomine cum ea quam Christus instituit: sed non adhibetur eodem modo quo Ecclesia adhibet, ut si in Baptismo adhibeatur sine necessitate aqua cœnosa, vel non benedicta.

2. Mutatio formæ est substantialis, quando vel non adhibentur verba vocalia, ubi essentialiter requiruntur, ut reipsa requiruntur in omnibus, excepto Matrimonio; vel si verba vocalia sic mutentur, ut non maneat sensus à Christo institutus, ac determinatus tanquam necessarius. Quævis verò formæ mutatio, qua non destruitur sensus à Christo institutus, est accidentalis.

Quænam autem materia, vel quæ verba requirantur ad essentiam Sacramenti, cognoscimus ex usu & doctrina Ecclesiæ, quæ cùm sit *columna ac firmamentum veritatis*, non potest errare in iis, quæ ad fidem, bonos mores, ad Sacramenta, & generalem disciplinam ac Dei cultum pertinent.

3. Sensus verborum in æquivocatione ab intentione proferentis pendet. Hinc hæc forma: *Ego te baptizo in nomine parentis, &c.* habet bonum sensum, si proferens per tò *parentis*, patrem intelligat, malum si matrem. Sed extra æquivocationem sensus verborum non pendet ab intentione proferentis. Hinc valebat baptismus Arianorum quamvis circa formam malè sentirent, quia illam rectè pronuntiabant. Econtra ille non baptizaret validè, qui uteretur verbis nihil significantibus, vel aliquid aliud, etsi per illa intenderet verum sensum; quia in actione publica, qualis est Baptismus, verba significant secundùm communem & usitatam acceptionem.

4. Mutatio verborum sex modis fieri potest, nimirum per additionem, vel detractio-

ctionem alicujus vocis; positionem unius vocis loco alterius; corruptionem alicujus vocis, detrahendo, vel mutando aliquam syllabam; transpositionem, & interruptionem, pronuntiando scilicèt unam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid aliud, & demùm perficiendo formæ prolationem. Quoties igitur aliquo ex modis illis ita mutantur verba, ut pereat sensus à Christo intentus, mutatur substantialiter vera forma: secùs, si hic sensus maneat. Hinc verba corruptè pronunciata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove simili vitio, non tollunt sensum substantialem, si adhuc sic proferantur, ut omnibus spectatis eumdem sensum animis audientium ingenerent, quem rectè prolata: secùs, si fiat contrarium. Sic hæc corruptio verborum ex sola ignorantia linguæ prolatorum, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, non destruit verum sensum: unde Zacharias Papa, cap. 86. de consec. dist. 4. declaravit Baptismum sic collatum sine animo introducendi errorem, valuisse, alioqui enim cenferetur non intendisse facere id, quod facit vera Ecclesia. Quisque tamen tenetur diligentiam magnam adhibere, ut formam Sacramentorum rectè, integrè, & distinctè pronunciet, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum etiam ob periculum corruptionis.

5. Interruptio destruit verum sensum, ideòque substantiam formæ, quoties tollit unitatem moralem formæ, ut si quis dicat: *Ego te baptizo*, nec nisi recitato uno Psalmo prosequatur, *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*. Secùs, si non tollat. Hinc verborum interruptio, quæ tam brevis est, ut morali judicio verba adhuc faciant unam orationem, non adimit sensum formæ, ut si baptizans, postquam dixit: *Ego te baptizo*, tussiat, vel aliis dicat, *silete*, ac deinde addat, *In nomine Patris, &c.* Qualis autem & quanta interruptio tollat unitatem moralem orationis, hoc debet æstimari secundùm judicium prudens, ex circumstantiis, modo, ac duratione interruptionis: nam res moralis, qualis est ista, ex prudenti æstimatione pendet. Illicita tamen est quævis interruptio facta sine necessitate, cùm sit contra usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramento debitam.

Quæst. V. *Quale est peccatum mutare materiam vel formam?*

Resp. 1. Mutare alterutram substantialiter est peccatum mortale. 1. Contra religionem: nam est gravis irreverentia in Christum authorem Sacramentorum, agendo contra ejus institutionem in re gravi, eamque pervertendo, nec ponendo omnia quæ voluit poni ad gratiam efficiendam; estque ipso facto irrisio quædam rei maximè sacræ. 2. Contra charitatem, voluntariè privando proximum gravi bono spirituali. 3. Contra justitiam: nam hoc ipso quòd quis ministrare vult, tacitè promittit & se obligat ad ministrandum sicuti res exigit, & in utilitatem suscipientis.

Resp. 2. Est etiam mortale alterutram mutare accidentaliter, si mutatio sit notabilis & absque necessitate, ex Conc. Trident. sess. 7. can. 13. Quia fieret contra præceptum Ecclesiæ, & usum ejus vim legis habentem, in re gravi ad religionem pertinente. Unde Missale Romanum, *de defect.* ait eum gravissimè peccaturum, qui aliquid formæ Eucharistiæ adderet, quod tamen significationem non mutaret. Imò quamvis mutatio sit in se levis, si fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi usum contrarium ritui Ecclesiæ, aut ex simili intentione schismatica; nam tunc contemnitur Ecclesia, & Spiritus Sanctus quo regitur, & cujus instinctu res illas instituit. Item si fiat cum scandalo, aut periculo errandi circa substantialia. Ita passim Doctores, qui addunt mutationem accidentalem, his seclusis, posse esse venialem ob levitatem materiæ.

Quæst. VI. *An liceat aliquando uti materia aut forma dubia, vel probabili tantùm in Sacramentis?*

Resp. 1. Extra necessitatem proximi tenemur semper sub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, vel valorem Sacramenti sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita etiam probabiliore. Ita Suarez, & alii. Quia alioquin exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis: nam valor & efficacia Sacramenti pendet à sola institutione Christi, & nullatenus ab opinione hominum quantumvis probabili, quæ immutare & supplere non potest id quod Christus voluit esse necessarium ad valorem & effectum Sacramenti. Nec ignorantia invincibilis, licèt excuset à culpa, potest defectum rei ad valorem actus requisitæ supplere. Ergo si opinio etsi probabilior, falsa sit, ut potest esse, & ni relpsa ponantur & adsint omnia quæ Christus instituit ac exigit, Sacramentum erit invalidum & sine effectu.

Quare qui utitur materia, vel forma non certa quando potest certam adhibere, peccat mortaliter. 1. Contra religionem, sine necessitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ: quod gravis est irreverentia in Christum ejus authorem, ejus nomine exercendo actionem eo modo, quo probabile est non posse habere effectum, nec rationem Sacramentalem, ideòque esse inanem. Estque per se quidam contemptus, seu irrisio rerum divinarum. 2. Contra charitatem: nam sine justa causa exponit proximum jacturæ maximi boni, quod percipitur ex Sacramento valido, cùm possit illi talem fructum certò conferre. 3. Contra justitiam, præsertim si sit Pastor: nam proximus habet jus, ut Sacramentum sibi modo, quantùm fieri potest, certo & infallibili administretur, eo ipso quòd se ad illud suscipiendum submittit; & Sacerdos hoc ipso, quòd ministrare vult, se obligat tacitè ad dandum quod petitur, Sacramentum scilicèt certò validum, alioquin alius quæreretur.

Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut Episcopalis.*

Resp. 2. Tenetur sub mortali suscipiens sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita, etsi verè probabili, in iis quæ ex parte ipsius requiruntur ad valorem, vel effectum Sacramenti. Qui aliàs exponeret Sacramentum periculo nullitatis, vel inefficaciæ, ob rationem allatam, quod est grave sacrilegium; nam sicut reddere Sacramentum nullum, aut illud effectu suo privare est gravis irreverentia in Christum: cùm Sacramentum sit moraliter actio Christi; ita & se exponere periculo id faciendi, & utrumque eodem præcepto religionis prohibetur.

Resp. 3. Tenemur in necessitate extrema proximi, illi administrare Sacramentum cum materia, vel dispositione probabili tantùm, vel etiam dubia: dum certa haberi non potest. Nam lex charitatis præcipit, ut in extrema necessitate proximi illi opitulemur meliori modo quo possumus: sed medium probabile, vel dubium melius est nullo. Nec tunc fit irreverentia Christo, vel Sacramento; quia cùm Christus illud instituerit pro hominum salute, vult ut magis provideamus securitati salutis proximi, quàm Sacramenti, dum utriusque periculum vitari nequit. Quare in tali necessitate vult, ut succurramus proximo, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, adhibendo tamen probabiliorem tutioremque materiam, quæ adhiberi potest. Et verò lex charitatis prævalet religioni.

Porrò hoc locum habet dumtaxat in Sacramentis, quæ sunt de necessitate medii, nempe Baptismo & Pœnitentia. Quia non licet Sacramentum ullum exponere periculo nullitatis, nisi cùm alioqui homo exponeretur damnationis æternæ periculo. Hinc nunquam licet adhibere materiam dubiam in Eucharistia, Ordine, &c.

Quæst. VI. *An licet supra eandem materia repetere formam?*

Resp. Non licet; nisi sit dubium rationabile de validitate formæ jam prolatæ, vel de ejus prolatione. Quia tunc frustra adhiberetur altera formæ prolatio cum irreverentia Sacramenti. Quòd si tale dubium adsit, debet forma iterari sub conditione, ne Sacramentum maneat irritum, cum illius irreverentia ac damno proximi. Dubium autem imprudens, quale solet esse in scrupulosis, non sufficit, sed contemnendum est. Mortale quippe est ex se formam Sacramenti sine necessitate super eadem materia repetere; quia hæc secunda forma est inutilis, nec sine virtuali & interpretativa irrisione sic frustra proferri potest.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

HOc nomine intelligitur idoneus effector Sacramenti. Constat solos homines ratione utentes esse ministros Sacramentorum ordinarios: nam eos solos Christus ad hoc munus designavit. Non omnes tamen homines possunt esse omnium ministri; nam laici non possunt validè efficere nisi Baptismum & Matrimonium, ut constat ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ.

Quæst. I. *An requiritur intentio faciendi Sacramentum?*

Nota. Consentiunt omnes Catholici, 1. Non requiri intentionem explicitam conferendi gratiam: quia Sacramentum agit ut causa necessaria, quæ indiget sola applicatione, non autem ut applicans cogitet de effectu. Et alioqui nullus esset Baptismus collatus ab hæretico negante gratiam per illum conferri.

2. Non

2. Non sufficere intentionem ponendi ritum externum Sacramenti quomodocumque, etiam jocosè & irrisoriè: nam hic error Lutheri à Leone X. & à Concil. Trid. damnatus est.

3. Certum esse teneri ministrum sub mortali habere internam volitionem verè faciendi Sacramentum, seu id quod facit Ecclesia, vel id quod instituit Christus, saltem confusam & implicitam: quia illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore. Sed sententia asserens talem intentionem requiri ad valorem, est tutior, imò sola tuta, & saltem probabilior, aut tam probabilis quàm negans, quæ non est tuta: nam cùm possit esse falsa, eam sequens committit se periculo faciendi Sacramentum nullum.

4. Ad valorem Sacramenti non requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quamvis sola sit vera Ecclesia Christi, sed sufficere intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, imò faciendi quod facit Ecclesia aliqua particularis, v. g. Lutherana, modò putetur vera, quamvis reipsa sit falsa. Quia tunc est intentio implicita ac virtualis faciendi, quod facit vera Ecclesia; neque error speculativus circa veram Ecclesiam, ut nec circa efficaciam & effectum aut institutionem Sacramenti, impedit hujus valorem ex parte ministri: nam hæreticus verè baptizat, & tamen non credit Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam.

Resp. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio verè & seriò faciendi Sacramentum, saltem implicita & generalis, qua minister intendat facere id quod Ecclesia moraliter facit per ritum externum, vel quod Christus instituit; nec sufficit intentio ponendi exteriùs dumtaxat ritum externum, ut aliqui dicunt.

Prob. 1. Ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Hæc omnia Sacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Ergo ex Conc. ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia; materiam scilicet & formam adhibendo per suos ministros. Sed id quod Ecclesia facit, materiam & formam adhibendo per suos ministros, est Sacramentum. Ergo ex Concilio ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio illius faciendi. Quod etiam patet ex §. sequenti, ubi dicit, quemlibet etiam paganum & hæreticum validè baptizare, *dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia*, immediatè scilicèt. Quibus verbis præter voluntatem ponendi ritum externum requirit etiam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & hæc duo inter se distinguit. Ergo intendere facere quod facit Ecclesia, non est præcisè velle ponere ritum externum; sed est velle illum ponere ut religiosum & Sacramentalem; seu ut signum institutum ad significandam & efficiendam gratiam.

Prob. 2. Ex Concil. Trident. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Sed Ecclesia per suos ministros facit Sacramentum, & non tantùm ponit ritum externum. Ergo requiritur intentio faciendi Sacramentum, seu actionem Sacramentalem.

Item Concil. Trident. per intentionem faciendi quod facit Ecclesia intelligit, quod facit Ecclesia immediatè nomine & authoritate Christi: ideòque intelligit quod facit Ecclesia per potestatem ministerialem acceptam à Christo. Sed Ecclesia per potestatem ministerialem acceptam à Christo facit significationem & efficaciam Sacramentalem, sicut per potentiam naturalem facit ritum externum. Ergo cùm Trident. Conc. definit requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligit requiri intentionem faciendi significationem & efficaciam Sacramentalem, seu ritum externum ut Sacramentum, intentionem, inquam saltem generalem & confusam.

Præterea Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. declarat pœnitentem non esse verè & coram Deo absolutum, *si sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.* Ergo ad validam absolutionem, præter intentionem seriò ponendi ritum externum, seu proferendi verba absolutionis, requirit intentionem verè absolvendi; nam hæc duo manifestè distinguit. Intentio autem verè absolvendi est intentio verè conferendi Sacramentum Pœnitentiæ. At eadem est ratio de omnibus aliis Sacramentis. Ergo in omnibus Sacramentis requiritur intentio faciendi Sacramentum. Quare Suarez tom. 3. in 3. p. S. Thomæ quæst. 64. disp. 13. sect. 2. hic ait: *Existimo contrariam sententiam non ; esse* jam

jam (post definitionem Trident. Concil.) *tutò defendi, nec sine errore?*

Prob. 3. Authoritate Summi Pontificis Alexandri VII. qui damnavit hanc propositionem: *Valet Baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Ergo sine nullitate Sacramenti non potest excludi intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia, quamvis ponatur omnis ritus externus. At si ad valorem Sacramenti, præter positionem omnis ritus externi, non requiritur intentio interna faciendi quod facit Ecclesia, hæc intentio potest positivè excludi sine nullitate Sacramenti; nam exclusio ejus quod non requiritur ad valorem Sacramenti, non potest illud irritare: cùm valeat Sacramentum sine positione & cum exclusione eorum, quæ ad ejus valorem non requiruntur. Ergo ad valorem Sacramenti Baptismi, ideòque aliorum omnium, præter positionem omnis ritus externi, requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Atqui per intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligitur intentio interna faciendi Sacramentum: nam non intelligitur intentio ponendi ritum externum, cùm in propositione damnata jam supponatur hæc intentio; siquidem agitur de ministro, *qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat*, liberè scilicet & voluntariè, proindeque habet voluntatem observandi omnem ritum externum.

Prob. 4. Ratione. Quia Christus Sacramentorum ministros instituit, non ut meros nuncios deferentes voluntatem Domini, sed ut veros ministros, qui liberè utantur potestate ministeriali sibi data. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ait Paulus, 1. Cor. 4. Atqui minister non utitur liberè potestate ministeriali, nisi velit ea uti; & non vult ea uti, nisi cum vult per illam producere effectum sibi proprium, nempe Sacramentum, quod est sanè effectus proprius potestatis ministerialis circa Sacramenta; sicut nemo vult uti potestate naturali, nisi cum vult per illam producere effectum ipsi proprium. Ergo.

Præterea confectio Sacramenti est actio moralis Sacramentalis: nam Christus sic instituit Sacramenta, ut procedant ex potestate data ministris tamquam actiones eorum morales, ita ut dicantur verè remittere peccata, absolvere, consecrare, &c. ut Joann. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et, Luc. cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* At Actio moralis Sacramentalis debet esse intenta ut talis. Ergo. (a)

Quæst. II. *Qualis debet esse intentio Ministri?*

Nota. Intentio est actus voluntatis deliberatus, quo quis aliquid intendit seu vult assequi. Sive est volitio alicujus finis. Hic per intentionem intelligitur volitio faciendi Sacramentum, ex quocumque motivo procedat. Dividitur. 1. In explicitam, seu expressam, qua aliquid in se distinctè cognitum volumus; & in implicitam, seu confusam, qua aliquid solùm confusè cognitum volumus, volendo scilicet aliquid, sub quo, vel in quo continetur. 2. In actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam.

Intentio actualis est ea, qua quis dum conficit Sacramentum, actu cogitat de Sacramentò faciendo, & simul vult illud conficere.

Intentio virtualis est voluntas formalis facien-

(a) Vide cit. opus de Synodo Diœcesana lib. VII. cap. 4. in quo perspicue exponitur discrimen, quod versatur inter Novatorum hæresim, ac orthodoxas opiniones, atque concluditur, prolatum ab Auth. nostro opinionem probabiliorem esse illam, quam cum Catherino plures Theologi tuentur, sequentibus verbis. „ Verum, utut hæc res coram Deo se habeat, nulla „ usque adhuc de ea emanavit expressa Apostolicæ „ Sedis definitio. Quamvis igitur communior sit sen„ tentia exigens in Ministro intentionem, vel actua„ lem, vel virtualem faciendi, non solum ritum ex„ ternum, sed id, quod Christus instituit, seu quod „ facit Ecclesia, & hæc, veluti tutior, sit omnino „ servanda in praxi; non est tamen Episcopi, prio„ rem opinionem reprobare, atque ad hanc posterio„ rem, etiam theorice tuendam, suos Diœcesanos adi„ gere: causas quippe majores, difficilioresque quæ„ stiones, Fidem, aut disciplinam spectantes, ad „ Apostolicam Sedem deferendas, statuit perpetua Ec„ clesiæ consuetudo, ab Innocentio III. in cap. Majo„ res de Baptismo confirmata. Quare, si constet, „ quempiam, aut baptismum contulisse, aut aliud Sa„ cramentum, ex iis, quæ iterari nequeunt, admini„ strasse, omni adhibito externo ritu, sed intentio„ ne retenta, aut cum deliberata voluntate non fa„ ciendi, quod facit Ecclesia, urgente quidem neces„ sitate, erit Sacramentum iterum sub conditione per„ ficiendum; si autem res moram patiatur, Sedis „ Apostolicæ oraculum erit exquirendum, quemadmo„ dum ad Severum Scholasticum Constantinopolita„ num faciendum scripsit Ferrandus Ecclesiæ Cartha„ ginensis Diaconus, in difficili quæstione, qua tunc „ Ecclesia fatigabatur, doctis, indoctisque in varias „ partes scissis, inquiens: *Interroga, vir prudentissi„ me, si quid veritatis cupis audire principaliter, A„ postolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat „ judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis* „ (tom. 9. Biblioth. PP. pag. 509.) quod semel mo„ nitum volumus, ut regula sit, etiam pro aliis con„ troversiis, quas mox commemorabimus.

ciendi Sacramentum præterita, vì cujus fit Sacramentum mediante una, vel multiplici actione ad illud ordinata, manante à tali intentione, licèt tunc mens de Sacramento non cogitet. Dicitur virtualis, quia ex virtute illius licèt præteritæ fit Sacramentum. Talis est intentio in sacerdote, qui ex voluntate actuali consecrandi induit se vestibus sacris, Missam inchoat, sed paulò post distrahitur: prosequitur tamen Missam, & consecrat cum distractione.

Intentio merè habitualis est intentio merè præterita, non retractata, quæ jam neque in se, neque in sua virtute, vel aliquo effectu à se relicto existit. Vel juxta aliquos est habitus ex pluribus confectionibus Sacramentorum acquisitus, tribuens voluntati facilitatem & propensionem ad similes actus in posterum exercendos: sive est inclinatio ac facilitas orta ex tali habitu.

Interpretativa est illa, quæ nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati: unde est tantùm dispositio voluntatis ad intentionem eliciendam, si ei proponeretur.

Resp. 1. Ad valorem Sacramenti non requiritur expressa & distincta intentio faciendi Sacramentum, sed sufficit confusa & implicita, qua quis intendat facere id, quod facit Ecclesia Christi, aut quod Christus instituit, aut quod vidit per parochum fieri, aut quod Christiani faciunt. Constat praxi Ecclesiæ, quæ non rebaptizat eos, qui baptizati fuere ab imperitis & rudibus, aut paganis cum debita materia ac forma, licèt illi non noverint distinctè, quid sit Baptismus, aut Sacramentum. Præterea tunc est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quam solam requirunt Conc. Florent. & Trident.

Resp. 2. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio merè habitualis. Quia 1. Talis intentio non influit in actionem Sacramentalem, nec hæc vi illius ponitur: ac proinde talis intentio se habet ad effectionem Sacramenti perinde ac si non esset. At requiritur intentio libera in se, quæ sit principium actionis Sacramentalis, & qua potestas ministerialis ad usum applicetur: nam secundùm institutionem Christi ad Sacramenti effectionem requiritur, ut actio Sacramentalis sit actio humana, & humano modo exerceatur potestas ministerialis. Et verò alioqui Sacramentum confici posset ab amente, dormiente vel ebrio.

Resp. 3. Neque etiam sufficit interpretativa. Quia hæc non est propriè intentio, sed solùm intentionis præsumptio, sive non est intentio quæ fit, sed quæ esset, si res proponeretur. At intentio quæ non est, nihil efficit, nec potest esse principium actionis moralis ac humanæ, quale est Sacramentum.

Resp. 4. Quamvis minister curare debeat, ut semper habeat intentionem actualem, ob reverentiam debitam Sacramento; tamen illa non est necessaria ad valorem Sacramenti, sed ad eum sufficit intentio virtualis. *Prob.* 1. Ex sensu & praxi Ecclesiæ, quæ ut vera approbat Sacramenta sic collata. 2. Si intentio actualis requireretur, Sacramenta sæpissimè forent irrita propter instabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, & quidem plerumque naturaliter inevitabiles. At non est credibile Christum sic instituisse Sacramenta, ut sæpissimè exponerentur nullitati, & ad illa exegisse id quod sæpe non est in potestate hominis. 3. Intentio virtualis sufficit ad faciendum validè actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliisque similibus.

Quæst. III. *An ad valorem Sacramenti requiritur intentio directa, absoluta & determinata?*

Nota. Intentio directa est ea, qua aliquid immediatè & secundùm se volumus. Talis est intentio illius, qui vult præcisè baptizare. Indirecta est, qua volumus aliquid non in se, & secundùm se immediatè, sed in ejus causa, vel in alio cum eo connexo, vel ex quo sequi prævidetur. Talis est intentio illius qui prævidens se in ebrietate baptizaturum, vult se inebriare. Absoluta est ea, qua aliquid absolutè & independenter ab ulla conditione volumus. Conditionata est, qua aliquid volumus tantùm sub aliqua conditione, & dependenter ab illâ.

Resp. 1. Requiritur intentio directa. Quia actio Sacramentalis debet esse actio moralis ac libera in se, & debet humano modo poni: non ponitur autem humano modo, nisi ponatur vi intentionis liberæ & directæ. Hinc non valet Baptismus collatus ab ebrio, vel dormiente, quamvis antea prævideret conferendum in tali statu.

Resp. 2. Intentio faciendi Sacramentum sub conditione non sufficit, nisi conditio posita sit priusquam forma applicetur materiæ, ita ut jam transierit in absolutam, vel illi æquivaleat. Quia sola intentio absoluta est efficax pro præsenti; voluntas enim conditionata, quamdiu talis est, suspensa manet, & nihil efficit. Unde si dum materiæ forma applicatur, intentio ministri non sit absolu-

ta, aut æquivaleat absolutæ, posita jam conditione, non efficit Sacramentum. Neque etiam postea efficiet; quia postea non erit ampliùs forma Sacramenti, neque materia: non potest autem fieri Sacramentum, nisi utraque adsit.

Hinc conditio de præsenti, vel præterito apposita intentioni, irritat Sacramentum, si non sit impleta, quia destruit intentionem: nam voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est, cùm non sit nisi dependenter ab illa. Non irritat si conditio jam sit posita: nam tunc voluntas fit absoluta, sive æquivalet absolutæ, cùm verè extet, nec suspensa maneat. Conditio verò de futuro, semper irritat Sacramentum; quia suspendit præsentem intentionem, facitque ut minister non habeat absolutè hìc & nunc voluntatem faciendi Sacramentum: unde hìc & nunc non facit. Sed nec postea faciet, cùm implebitur conditio; quia tunc deerunt materia & forma. Neque enim minister potest usque ad futurum eventum suspendere significationem materiæ & formæ, nec proinde efficaciam Sacramenti; cùm utraque à sola Christi institutione pendeat. Excipe Matrimonium, quod valet sub conditione de futuro, cùm ipsa ponetur, sicut alii contractus; quia est verus contractus ad naturam Sacramenti à Christo evectus.

Nota. Non licet, nisi in necessitate, conferre Sacramentum sub quavis conditione etiam de præsenti & præterito etsi posita: quia hoc est contra usum Ecclesiæ, & contra reverentiam Sacramento debitam, nam est quædam nugatio. At licet in dubio prudenti de valore Baptismi, ex cap. 2. *de Bapt.*

Resp. 3. Intentio ministri debet esse determinata ad certam materiam & personam: nam ejus intentio debet esse efficax & effectrix Sacramenti. At operationes sunt circa singularia, quæ sunt determinata.

Valet tamen Sacramentum, excepto Matrimonio, si error sit solùm speculativus circa personam, verbi gratia, si absolvas Petrum putans esse Paulum; quia ordinariè est & semper esse debet intentio conferendi Sacramentum personæ præsenti: quam proinde intentionem servare quisque censetur, nisi eam expresse excludat. Et sic tunc practicè minister intentionem applicat determinatè ei qui præsens adest. Si verò intendas præcisè absolvere Paulum excludendo alias personas, absolutio non valet, quia circa aliam personam non exercetur potestas ministerialis: cùm ejus exercitium pendeat ab intentione ministri, qui illam non exercet, nisi circa personam circa quam vult illam exercere.

Excipe Matrimonium, quia ejus valori obstat error circa personam, eò quòd obstet valori contractus, in quo Sacramentum fundatur.

Quæst. IV. ***An valeat Sacramentum, quando minister habet duas intentiones contrarias, quarum una repugnat ejus valori?***

Resp. Validum est, si debita intentio prævaleat intentioni, quæ repugnat valori Sacramenti: quia tunc sola intentio prævalens est efficax, & altera est inefficax ac mera displicentia. Secùs, si intentio contraria prævaleat, ob eandem rationem. Quòd si utraque sit æqualis, minister nihil efficit: quia æqualiter vult facere & non facere Sacramentum, ideòque non vult efficaciter illud facere. Porrò illa intentio prævalet alteri, quæ est magis absoluta, & aliam expelleret si rem intentam impediret.

Quæst. V. ***An ad valorem Sacramenti requiritur fides & sanctitas in ministro?***

Resp. Neg. Fide constat, 1. Ex Traditione, & consuetudine perpetua Ecclesiæ, præsertim Romanæ à tempore Apostolorum, quæ neminem unquam ritè ab hæretico, ideòque fide & sanctitate destituto baptizatum rebaptizavit. Hancque praxim ab Apostolis manasse constat: cùm neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii canone instituta aliquando fuerit, sed ab initio viguerit in tota Ecclesia. 2. Ex Concil. Tridentin. sess. 7. can. 4. de Baptismo. 3. Quia virtus Sacramenti est & agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum tanquam instrumentum, illud conficit; & potestas conficiendi Sacramenta est gratia gratis data quæ compossibilis est cum peccato. 4. Alioqui cùm fides, vel probitas sæpe in multis desit, sæpe Sacramenta exponerentur nullitati cum ingenti animarum damno: & sic Christus parum Ecclesiæ suæ providisset.

Hinc error ministri circa sensum formæ non expressus in forma, verbi gratia, quòd Filius non sit æqualis Patri, non impedit valorem Baptismi ab Ariano collati. Quia non mutatur formæ significatio, quæ non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu in Ecclesia recepta petitur. Præterea ex Concil. Florent. tria solùm requiruntur ad valorem Sacramenti ex parte ministri, nimirum ut adhibeat materiam & formam debitas, & habeat intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia facit.

Quæst. VI.

Quæst. VI. *An minister tenetur esse in statu gratiæ dum Sacramentum conficit vel ministrat?*

Nota. Aliud est conficere, aliud administrare Eucharistiam. Sed in aliis Sacramentis ipsa confectio est simul ministratio.

Resp. 1. Qui Sacramentum in peccato mortali conficit, vel ministrat tanquam minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus, per se loquendo peccat mortaliter. *Ita omnes.* Quia 1. Ex Tit. 1. dispensator Dei debet esse sine crimine. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiat S. Augustinus, lib. 2. contra Parmen. cap. 10. *Omnia Sacramenta, cum absint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* 3. Ex cap. ult. 15. qu. 8. ubi Nicolaus I. ait: *Mali bona administrando, se tantummodo lædunt.* Et ex cap. ult. de cohab. cleric. ubi Gregorius IX. declarat, *constare quemlibet pro mortali peccato quoad seipsum esse suspensum.* 4. Ex Rituali Romano *impurè & indignè Sacramenta ministrantes in æterna mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pæniteat. Sed si habeat copiam confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* 5. Quia talis gravem irreverentiam irrogat Christo, cujus ut ministri principalis personam gerit; & sancta indignè tractat in re gravi: ergo grave sacrilegium admittit. Item per se gravissima est indecentia ac irreverentia actionem sanctissimam, quæ est moraliter actio Christi, & collativa gratiæ sanctificantis, qua homo consors naturæ divinæ & filius Dei adoptivus efficitur, exercere in immunditia peccati & inimicitia Dei. Adde quòd sacerdos sit publicus Ecclesiæ minister à Christo institutus, & gratia ordinationis donatus, ut Sacramenta fidelibus dignè ministret: ergo ratione status & ordinis sui, ideòque ex proprio officio tenetur dignè ministrare.

Idem dicunt Vasquez, Delugo, & alii contra multos de Ministro non consecrato, v. gr. laico baptizante in necessitate. Tum quia textus allati, & Patres generatim omnes ministrantes comprehendunt, nec distinguunt inter ordinatum, & non ordinatum, solemniter & non solemniter ministrantem: tum quia est gravis irreverentia in Christum, quòd hostis ejus & mancipium diaboli agat in nomine & persona Christi, ejusque merita applicet: tum quia jure naturali & divino sancta sanctè à quolibet tractanda sunt, & quidem sub gravi in re gravi. Sacramentum autem, quod laicus in necessitate ministrat, est res eximiè sancta & speciali modo consecrata, & ad gratiam sanctificantem efficiendam instituta, estque moraliter actio Christi ut ministri principalis. Ergo tractari debet specialiter sanctè. At non tractat sanctè, sed indignè ac irreverenter, qui illud ministrat in peccato mortali.

Hinc confessor, quamvis confessiones continenter audiat, tot peccata mortalia admittit, quot homines absolvit; nam tot Sacramenta numero distincta ministrat, & absolutio singulorum est actio externa per se sufficienter consummata. Multi tamen censent talem tunc unicum mortale admittere, sed eò gravius, quo plures absolvit.

Dixi, *per se loquendo.* Quia minister per accidens excusari potest à mortali, ob repentinam & inopinatam necessitatem ita urgentem, ut non relinquas spatium eliciendæ contritionis, ut si sit periculum ne quis moriatur sine baptismo, vel sine absolutione, dum sacerdos occuparetur in eliciendo actu contritionis.

Resp. 2. Sacerdos vel Diaconus distribuens Corpus Christi in peccato mortali, peccat mortaliter. *Ita communiter.* Prob. 1. Ex textibus supra citatis. 2. Hæc dispensatio est sacrum & gravissimum ministerium, ad quod sanctè administrandum minister est specialiter consecratus, & specialem gratiam accipit. 3. Talis gravem irreverentiam admittit in Christum, sanctissimum ejus corpus dispensando, & merita communicando in statu, in quo scit se esse Christi hostem & diaboli mancipium. Igitur *mundamini qui fertis vasa Domini*, Isa. 52. Imò ipsum Dominum.

Hinc talis tot mortalia committit, quot hominibus etiam continuatè Eucharistiam distribuit; quia tot sunt objecta totalia, & tot sunt indignæ distributiones completæ & numero distinctæ. Multi tamen docent hunc unius mortalis peccati reum esse, sed eò gravioris, quò pluribus Eucharistiam distribuit. Item triplicis malitiæ mortalis in confessione aperiendæ reus est Sacerdos, qui in mortali celebrat, & seipsum communicat: scilicet indignæ confessionis, malæ ministrationis, & indignæ susceptionis, non minùs quàm si alteri indignè ministraret, & ab altero indignè susciperet, ut notat Suarez.

Quæst. VII. *An Diaconus & Subdiaconus peccant mortaliter, dum in peccato mortali propria ordinis ministeria obeunt, verbi gra-*

gratia, canendo solemniter Evangelium, vel Epistolam.

Resp. Affirmant Sylvester, Cajetanus, Toletus, & alii. *Probant.* 1. Ex cap. ult. *de temp. ordin.* ubi Gregorius IX. ait, sacerdotes & alios clericos criminosos occultos, *si non pœnituerint, monendos esse, & sub interminatione divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Ex S. Thom. in 4. dist. 24. quæst 1. art. 3. qu. 5. ibi: *Lex* (naturalis) *præcipit ut homo justè ea quæ sunt justa exequatur: & ideo quicumque homo quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, contra præceptum legis* (naturalis) *facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem in peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin illud indignè faciat. Unde patet quod mortaliter peccat.* 3. Quia eorum ministerium proximè accedit ad SS. Eucharistiam conficiendam, & ad illud specialiter deputati ac consecrati sunt. Alii tamen plures docent esse dumtaxat veniale, quia censent materiam non esse adeò gravem, ut sit grave sacrilegium; cùm illa ministeria nec sanctitatem ex opere operato conferant, nec sint moraliter actiones Christi, nec ejus nomine fiant. Irreverentia autem est major vel minor pro majore, vel minore sanctitate actionis sacræ, quæ exercetur in peccato. Ad cap. cit. respondent Gregorium nihil in specie determinasse, quàm grave peccatum sit singulos ordines exercere in mortali; ideòque ex materia subjecta æstimandum id esse, & velle solùm quòd sit peccatum grave ex genere suo, vel loqui non de singulis functionibus, sed de exercitio suorum ordinum toto & integro, quod totum sine mortali esse non poterat, quia juxta antiquos canones, qui nunc etiam aliquando observantur, ministri altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis.

Suarez verò docet, quòd si quis haberet animum hos ordines sæpe exercendi in malo statu, aut hanc haberet consuetudinem, non esset excusandus à mortali. Quia illud propositum, vel consuetudo videretur oriri ex quodam contemptu formali vel virtuali, & quia illud objectum ita sumptum videtur satis grave.

Sed quid de exercente in malo statu functiones minorum ordinum, Acolythi, Lectoris, Ostiarii, &c.

Resp. Ex communi sententia, non peccat mortaliter. Quia illæ functiones sunt remotæ à proprio actu sacrificandi, & censentur officia imperfecta respectu sacri ministerii, & nunc sæpissimè à laicis exercentur. Peccat tamen venialiter, dum in solemni ac publico ritu eas exercet, quia propriè est actus ordinis, ad quem est consecratus.

Quæst. VIII. *An peccat mortaliter minister conficiendo in peccato mortali Sacramentalia?*

Resp. Episcopus peccat mortaliter conficiendo in tali statu chrisma & oleum infirmorum. Quia istæ consecrationes, seu benedictiones fiunt à ministro ad id consecrato, & sunt gravis momenti: nam per illas fit materia Confirmationis & Extremæ-unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materiæ sic consecratæ, cum chrisma & oleum non sint materia Sacramenti, nisi ut benedicta seu consecrata. Item illis actionibus se Christi ministrum exhibet, ejusque personam immediatè sustinet: ideòque gravem injuriam infert Christo, illas actiones exercendo in statu peccati: nam ejus dignitatem ac sanctitatem graviter lædit. Conficiendo verò in mortali reliqua Sacramentalia, qualia sunt consecratio templi, benedictio Abbatis, vestium sacerdotalium, aquæ lustralis, cinerum, &c. peccat saltem venialiter, quia est aliqua indecentia ac irreverentia, si absque sanctitate obeat illa munia, quæ ordinem sacrum specialiter requirunt. Non est tamen juxta multos mortale, quia hæ actiones non conferunt immediatè & ex opere operato sanctitatem animæ, nec sunt moraliter actiones Christi, sicut Sacramenta.

Quæst. IX. *An tenetur minister ritus accidentalis in Ecclesia usitatos in Sacramentis diligenter servare?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex Concil. Trident. sess. 7. canon. 13. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* 2. Ob Ecclesiæ præceptum, & consuetudinem vim legis habentem: nam Ecclesia præscribens modum administrandi Sacramenta, illum servari jubet: aliàs nihil esset firmum & stabile in cultu divino. Et hæc obligatio ex genere suo gravis est, utpote de re ad virtutem religionis pertinente: nam illi ritus sunt actiones religiosæ ad decentem Sacramentorum administrationem, ad devotionem

nem

nem excitandam, ad sacram significationem ab Ecclesia institutæ. Unde si sine necessitate urgente aliquid omittitur, est mortale in re gravi, & veniale in levi. Est tamen semper mortale vel minimam cæremoniam omittere ex contemptu, judicando illam esse vel inanem, vel ineptam, aut aliquid simile, quia gravis fit injuria Ecclesiæ, & Spiritui sancto à quo regitur.

Quæst. X. *An grave sacrilegium committit, qui tentat conficere Sacramentum, cujus conficiendi potestate caret?*

Resp. Affirm. Quia 1. gravem irreverentiam Christo infert, volendo gerere ejus personam, & ejus nomine aliquid valdè sacrum agere, cùm non sit ab eo deputatus. 2. Facto suo falsam doctrinam profitetur. 3. Proximum in re gravi decipit.

Quæst. XI. *An liceat aliquando simulare Sacramentum?*

Resp. 1. Nunquam licet sub mortali simulare administrationem Sacramenti. *Prob.* 1. Ex cap. 7. *de celebrat. Miss.* ubi dicitur graviùs peccare qui simulat celebrationem Missæ, quàm si in statu peccati celebraret, quamvis peccaret. 2. Quia Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* 3. Gravis est irreverentia in Christum, ita abuti verbis ac rebus sacris ab eo institutis ad verum Sacramentum, & reipsa est illudere Christo, cujus personam simulator se agere exteriùs fingit. 4. Est reale mendacium in re gravissima; exercitè enim & suo facto talis dicit se nomine & persona Christi, verbi gratia, absolvere, baptizare, cùm sciat hoc non fieri.

Resp. 2. Item semper est mortale simulare susceptionem Sacramenti. Quia defectus intentionis veræ illud suscipiendi impedit effectum cujusvis Sacramenti, etiam Eucharistiæ, imò valorem sex aliorum, quæ consistunt in actione transeunte: nam ad horum valorem & Eucharistiæ effectum requiritur in adulto suscipiente vera intentio saltem habitualis suscipiendi. At est grave sacrilegium reddere irritum, vel inutile Sacramentum; est enim gravis irreverentia in Christum ejus authorem.

Hinc ad vitandum quodvis malum non licet sub mortali scienter ministrare etiam consentienti, vel recipere hostiam non consecratam pro consecrata. Quia per se malum est scienter proponere alteri puram creaturam adorandam cultu divino, & ponere per se causam idololatriæ etiam materialis. Tunc autem hostia non consecrata exponetur adorationi tum adstantium, qui committent idololatriam materialem: tum illius qui cum externa reverentia illam hostiam suscipiet, sicque scienter admittet idololatriam externam: quod est intrinsecè malum, sicuti est adolere thus coram idolo, quamvis interiùs tantùm intendas te pascere ejus odore: quia nempe tunc exhibetur illi cultus externus.

Quæst. XII. *An liceat conferre Sacramentum indigno, seu non ritè disposito ad ejus effectum?*

Resp. Qui tali scienter, vel imprudenter confert, per se loquendo peccat mortaliter. Quia 1. quilibet dispensator tenetur fideliter & prudenter dispensare juxta voluntatem domini sui, ex 1. Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ergo peccat graviter qui in re gravi dispensat infideliter & contra voluntatem domini sui: at ministrans Sacramentum indigno, aliquid gravissimum dispensat infideliter & contra voluntatem Christi id vetantis, Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.* 2. Sacramentum indignè, irreverenter & contra ejus exigentiam tractat, qui scienter illud ministrat indigno, nisi in casu speciali infrà excipiendo, in quo Christus voluit dari. Sacramenta enim exigunt non defraudari suo effectu, ideòque non suscipi ab iis, qui non possunt consequi gratiam. 3. Talis minister cooperatur receptioni sacrilegæ suscipientis: nam nulla potest esse major cooperatio ad recipiendum, quàm ipsa datio voluntaria & sine obligatione facta. Unde & agit contra obligationem proprii officii in re gravi, & juvat alium ad peccandum. Quod etiam verum est de ministro non consecrato, ut laico baptizante, quamvis minister consecratus majorem obligationem habeat. Nam qui dispensat, eo ipso tenetur fideliter ac prudenter dispensare, & aliàs cooperatur peccato alterius.

Hinc 1. tenetur minister providere, ut suscipiens habeat dispositiones ad Sacramentum licitè & utiliter suscipiendum. Neque sufficit quòd non scias esse indignum; sed debes posse prudenter saltem præsumere, quòd sit dignus: alioqui non es prudens & fidelis dispensator, & committeres te periculo ministrandi indigno, & privandi Sacramentum ejus effectu saltem primario, nempe gratia sanctificante. In illa autem diligentia & cautione adhibenda attendi debet natura cujusque Sacramenti, praxis Ecclesiæ, communę judicium proborum ac prudentum.

rum. Sic in Sacramento Pœnitentiæ requiritur accuratior notitia dispositionis; quia confessor est judex in causa Dei, qui debet examinare conscientiam pœnitentis, & ejus dignitatem, vel indignitatem, ut possit debitè ferre sententiam; & quia dispositio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Item Sacramenta, quæ statum constituunt pluribus obligationibus obnoxium, ut Baptismus, Ordo, Matrimonium, exigunt majorem probationem dispositionis.

Hinc 2. non licet dare Eucharistiam neque peccatori publico sive occultè, sive publicè petenti, nisi sufficientia dederit veræ conversionis signa, & scandalum publicum sustulerit: nam sine nova ejus infamia potest consuli reverentiæ Sacramenti. Neque peccatori occulto, sed petenti occultè, vel solùm coram iis qui ejus indignitatem norunt, cùm possit sine scandalo & ejus infamia denegari, ex Rituali Rom. idque juxta varios, etiamsi ejus indignitas ex sola confessione nota sit, modò nullus alius adsit, quia tunc nulla fit revelatio confessionis, nec ullum ei infertur gravamen, sicut si denegares ensem ei à quo scis ex confessione esse te perimendum. Sed multi id negant, quia tunc esset quædam virtualis exprobratio & commemoratio peccati: quod jure divino graviter est illicitum.

Dixi, *per se loquendo*. Nam peccatori occulto publicè petenti Eucharistia dari debet, ex praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Judæ eam dedit. Nam Christus vult ut in tali casu detur, ne infametur proximus; & quia alioqui sequerentur gravia scandala, & incommoda ac perturbationes. Unde tunc minister non cooperatur moraliter peccato alterius, quia dispensat ex obligatione, nec exterior receptio Sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, est per se mala, sed solum habet adjunctam malitiam per accidens, ex prava dispositione suscipientis, & posset esse bona, si recipiens vellet.

Porrò crimen censetur publicum, quando quis de eo juridicè convictus est; vel cùm admissum est in loco publico, ita ut nulla tergiversatione celari possit, vel cùm ejus fama ex sufficientibus indiciis orta jam pervenit ad multos, brevi ad alios perventura.

Quæst. XIII. *An liceat petere, vel recipere Sacramentum ab indigno ministro?*

Nota. Minister indignus alius est toleratus, qui licèt peccator sit, tamen neque nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus, vel suspensus, neque est notorius clerici percussor. Alius non toleratus; qui scilicet nominatim denuntiatus est excommunicatus, aut suspensus, vel est notorius clerici percussor.

Resp. 1. Non licet petere, aut accipere Sacramentum à ministro non tolerato, præter Baptismum, & juxta multos, Pœnitentiam in articulo mortis. Quia 1. Ecclesia prohibet communicationem cum non tolerato, præsertim in sacris. 2. Non licet petere ab alio id quod ipse sine peccato præstare nequit; nam hoc esset eum inducere ad peccatum. At minister non toleratus, non potest sine peccato Sacramenta ministrare, saltem extra necessitatem proximi, cùm id ei graviter Ecclesia vetet. Neque etiam licet ab alio accipere id quod non potest sine peccato dare: nam aliàs cooperareris ejus peccato; quænam enim major potest esse cooperatio dationi illicitæ, quàm acceptio, sine qua datio executione caret?

Excipe Baptismum in articulo mortis, quia minister non toleratus potest tunc illum licitè ministrare in defectum aliorum, si nempe conteratur & faciat quod in se est, ut à censuris absolvatur: & sic tunc potest ab eo licitè per se accipi, ut docet S. Augustin. lib. 6. de Bapt. cap. 5.

Resp. 2. Jure divino naturali non licet petere, nec accipere Sacramentum à ministro malo tolerato, quem moraliter constat peccaturum ministrando, si adsit alius probus. Quia 1. ex lege charitatis in Deum & proximum, quisque tenetur impedire peccatum proximi, quantum potest, saltem sine gravi suo incommodo seu damno. Ergo nisi adsit aliqua necessitas, tenetur non recipere Sacramentum ab eo qui peccaturus est conferendo. 2. Petens, vel accipiens Sacramentum à malo ministro in tali casu, dat ei sine justa causa occasionem peccandi, & moraliter cooperatur ejus peccato, cùm hoc facilè impedire posset. Et quamvis ille paratus esset ministrare, tamen hìc & nunc non peccaret, seu hanc malam voluntatem non exequeretur, nec hoc numero sacrilegium admitteret, te non petente, vel non accipiente.

Resp. 3. Per se loquendo licet petere & accipere Sacramentum à ministro tolerato, si alius probus desit, & adsit justa & gravis causa, seu aliqua necessitas, ut si instet præceptum confitendi, aut sumendi Eucharistiam quindena Paschali; si quis sit in statu peccati mortalis; nec possit, aut saltem sine gravi incommodo adiri alius minister. *Prob.* 1. Ex can. ult. 25. quæst. 8. & cap. *Vestram*,

de

de cohab. cler. 2. Ex constit. Martini V. *Ad evitandum*, in Concilio Constantiensi edita, ibi: *Indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra, praetextu cujuscumque sententiae, aut censurae Ecclesiasticae, à jure, vel ab homine generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare*. 3. Quia res honesta licitè peti & accipi potest ab eo qui potest hic & nunc eam dignè praestare, li cèt praevideatur peccaturus, modò adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, ut patet in petente mutuum ab usurario ob necessitatem. Minister autem toleratus requisitus potest conteri, & obtinere absolutionem à censura. Qui si faciat quod in se est ut eam obtineat, nec tamen obtinere possit; tunc juxta multos non peccabit, si requisitus & contritus ministret Sacramentum habenti jus illud petendi, quia tunc tenetur illud administrare, vel ex justitia, si sit pastor, vel ex charitate si petens sit in necessitate saltem gravi. Si verò malè ministret, id ejus malitiae, non petitioni imputandum est, nec charitas obligat ad impediendum cum gravi suo damno peccatum proximi, quod ipsemet potest facilè vitare.

Dixi, *per se loquendo*. Nam extra casum extremae, aut saltem gravissimae necessitatis non licet petere nec accipere Sacramentum à ministro tolerato, apertè errorem aliquem ab Ecclesia damnatum profitente, vel judicio Ecclesiae in materia fidei renitente. Nam alioqui crearentur scandalum ac periculum perversionis fidelium, & conciliaretur authoritas errori.

CAPUT III.

De dispositione necessaria in recipiente Sacramentum.

Quaest. I. *Quaenam dispositio requiritur in subjecto ad valorem Sacramenti?*

Nota 1. Subjectum Sacramenti est is, qui illud recipit, & est capax ejus effectus recipiendi. Agitur hic de solis adultis; nam in infantibus & perpetuò amentibus nihil requiritur, ut patet ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiae, secundùm quam baptizantur infantes. Et verò si necessarius esset aliquis actus propriae voluntatis, non possent salvari.

Nota 2. Certum est, Baptismum susceptum requiri ad valorem aliorum Sacramentorum: tum quia est *fundamentum & janua reliquorum*, cap. 2. *de cognat. spirit. in 6.* & ex Concil. Florentino: *Vitae spiritualis janua est, per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae*. Tum quia Concilium Nicaenum I. cap. 19. statuit ut clerici invalidè baptizati rebaptizentur, & iterum ordinentur. Idem hab tur, cap. 1. *de Presbyt. non bapt.*

Resp. 1. In adulto recipiente Sacramentum ad ejus valorem necesse est, ut non habeat voluntatem contrariam ejus receptioni, excepta Eucharistia, quae consistit in re permanente, & subsistit extra usum. Constat tum ex sensu & praxi Ecclesiae, tum ex cap. *Majores*, de Bapt. ubi Innocentius III. ait: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*. Imò requiritur positiva aliqua voluntas recipiendi Sacramentum. *Ita communiter*. Prob. 1. Ex cap. 77. *de consecr.* dist. 4. Et ex Conc. Carthag. IV. cap. 76. & Arausi. 1. cap. 12. quae ad Baptismum conferendum aegrotis voluntatem suam significare non valentibus, exigunt testimonium aliorum, quo constet eos priùs voluisse baptizari. 2. Ex praxi Ecclesiae. 3. Ex Rituali Rom. exigente ad Baptismum adulti desiderium Baptismi. Quod etiam à fortiori requiritur in aliis Sacramentis, quae non sunt tam necessaria quàm Baptismus. Ratio est Institutio Christi, qui convenienter voluit, ut nullus adultus qui rationis usum habuit, sanctitatem, vel ejus augmentum acciperet, nisi ipse consentiat in suam sanctificationem; ac proinde noluit ut Sacramenta, quae ad sanctitatem dandam, vel augendam instituit, adulto sine suo consensu valerent. Nam ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Justificatio est *sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum*. Hinc S. Thom. 3. part. quaest. 68. art. 7. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, non esset baptizandus*.

Resp. 2. In recipiente Sacramentum ad ejus valorem sufficit intentio habitualis, seu voluntas illud recipiendi praeterita, non retractata, exceptis duobus. *Prob.* 1. Ex Conciliis & Rituali supradictis, praecipientibus ut baptizetur moribundus sensibus & ratione destitutus, modò constet de praeterita ejus voluntate. 2. Ex perpetua praxi Ecclesiae, quae non reiterat Baptismum & Ordines iis, qui illa susceperunt in mortali & in haeresi, sed cum sola voluntate recipiendi, etsi praeterita.

Excipe Poenitentiam, quia actus poenitentis sunt ejus materia; & Matrimonium, quia ad

ad valorem contractus requiritur consensus saltem virtualis.

Quæst. II. *Quanam dispositio requiritur ad effectum Sacramenti?*

Nota. Effectus communis omnibus Sacramentis duplex est. Primus est gratia sanctificans, seu habitualis, major, vel minor pro dispositione subjecti; & confertur eo instanti, quo Sacramentum sumitur. Secundus sunt gratiæ actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti opportuno tempore conferuntur ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti; nisi suscipiens illis se postea indignum reddat peccatis suis, vel obicem ponat: unde vocantur Gratiæ Sacramentales. Præter hos effectus, tria, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, ideòque iterari nequeunt.

Resp. 1. Ad characterem recipiendum sufficit voluntas habitualis recipiendi Sacramentum. Nam hæc sufficit ad valorem Sacramenti respectu recipientis; & dispositio quæ sufficit ad valorem Sacramenti, sufficit quoque ad impressionem characteris.

Resp. 2. Ad gratiam sanctificantem recipiendam in quinque Sacramentis vivorum, præter intentionem habitualem requiritur status gratiæ: non autem in aliis duobus, quæ mortuorum dicuntur, nempe Baptismo & Pœnitentia, in quibus aliæ dispositiones requiruntur. Quia priora instituta sunt ad conferendum augmentum gratiæ sanctificantis, alia verò ad eam dandam: ac proinde priora per se & ex institutione sua, saltem primaria, supponunt & exigunt gratiam jam acceptam ut illam augeant, nam augetur id quod jam adest; alia verò non.

Hinc qui sibi conscius est peccati mortalis, graviter tenetur sibi gratiæ statum comparare antequam recipiat Sacramentum vivorum. Nam est grave sacrilegium ponere obicem gratiæ: cùm enim Christus instituerit Sacramenta ut essent efficacia gratiæ signa, qui illa recipit ponendo obicem gratiæ, quantùm in se est, inanem & falsam reddit eorum significationem, & abutitur institutione Christi, cui facto suo illudit.

Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis sibi perfectè contritus videatur?

Resp. Id certum est de Eucharistia: de aliis aliqui etiam affirmant, sed longè plures de jure communi negant. Quia 1. Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. docet solùm ob Eucharistiæ perceptionem præcipi confessionem, nulla facta mentione aliorum. Et sess. 24. cap. 1. solùm hortatur sponsos ut ante matrimonium confiteantur. 2. Ex Pontificali Romano: *Adulti deberent priùs peccata confiteri, & posteà confirmari; vel saltem peccata quæ admiserunt doleant.* Non est autem major obligatio in aliis. 3. Rituale Romanum dicit solùm de Sacerdote mortalis culpæ sibi conscio: *Ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat: sed si habeat copiam confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* 4. Quia non reperitur tale præceptum divinum, vel humanum saltem commune, in ordine ad alia Sacramenta suscipienda, tamen confessio videtur ex institutione Christi præponi debere Extremæ-unctioni, cùm hæc sit Pœnitentiæ complementum.

Cæterùm cùm Sacramentum Pœnitentiæ majorem certitudinem gratiæ, & meliorem dispositionem conferat, sufficiens est causa semper confessionis præmittendæ; hæcque est communis fidelium praxis: *Cùm Sacramenta administramus, aut percipimus, toties confessio prætermittenda non est*, ait Catech. Rom. part. 2. cap. 5. num. 59.

Resp. 3. Ad gratias actuales Sacramentales, quas nempe Deus singulis Sacramentis ad finem cujusque proprium assequendum innexuit, recipiendis, duo requiruntur. 1. Ut eo tempore, quo homo ea auxilia recepturus est, sit in statu gratiæ: nam hic effectus non datur, nisi ut conjunctus gratiæ sanctificanti; & qui est in peccato redditur indignus supernaturalibus donis: unde in illo statu nullum habet jus ad talia auxilia. 2. Ut iis non ponatur obex per dispositionem actualem ipsis repugnantem.

Resp. 4. Præter voluntatem recipiendi Sacramentum, & statum gratiæ, reverentia Sacramento debita exigit devotionem actualem: quæ quantò major erit, tantò uberior fructus percipitur; nam Sacramenta gratiam conferunt secundùm propriam cujusque dispositionem, ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

BAptismus est Sacramentum ad spiritualem regenerationem à Christo institutum, consistens in ablutione per aquam naturalem, & prolatione horum verborum, aut æquivalentium: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Quæst. I. *Quænam est materia Baptismi?*

Resp.

Resp. 1. Materia remota est aqua vera naturalis, seu elementaris. Fide constat. 1. Ex Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 2. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Ex Conc. Later. Florent. & Trident. sess. 7. can. 4.

Sed observa. 1. Sufficit aqua elementaris propriè dicta, quamvis rebus aliis sit tantulùm permixta, modò usum communem & æstimationem aquæ retineat. Hinc valet Baptismus in aqua fontana, pluviali, marina, sive frigida, sive calida, quamvis sit turbida, lutulenta, sulphurata, ferruginea, modò non sit corrupta. Item in aqua resoluta ex nive, grandine, aut glacie, vel ex panno madido, aut luto expressa: quia hæc sunt aqua naturalis. Imò juxta S. Thom. in lixivio. At non valet in vino lymphato, saliva, sputo, lacrymis, sudore, aliove simili humore: in cervisia, ptisana, jusculo, in liquore ex viribus defluente, aut ex herbis floribusve expresso, vel in aqua rosacea, ex S. Thoma 3. part. quæst. 66. art. 4. ad 5. Nam ista non sunt aqua propriè dicta & elementaris. Neque valet in glacie, nive, pruina, & similibus nondum resolutis: nam in hoc statu non sunt aqua naturalis & usualis, quæ scilicet etiamnum retineat aquæ usum, & possit proximè abluere corpus: alioqui non verificaretur forma: *Ego te baptizo*, hoc est, abluo. Idem dic de aqua, cujus tanta sit permixtio, ut potiùs censeatur corpus mixtum, quàm aqua.

2. In articulo mortis, quando haberi non potest materia certa, debet adhiberi qualiscumque dubia, sub hac conditione, *Si hæc materia sit sufficiens*, & ad hoc sufficit etiam tenuis probabilitas; quia in necessitate subveniendum est saluti proximi omni modo meliori quo potest. Hinc in extrema necessitate, juxta multos, baptizare teneris in aqua ex sale resoluto, in cervisia admodum tenui, &c. ita tamen ut si sic baptizatus supervixerit, rebaptizari debeat sub hac conditione, *Si non es baptizatus*.

3. Extra necessitatem non licet sub mortali baptizare nisi in aqua benedicta, quæ in fonte baptismali servatur, propter præceptum & usum Ecclesiæ, & reverentiam Sacramento debitam.

Resp. 2. Materia proxima est ablutio, seu applicatio aquæ immediatè & successivè ad corpus baptizandi. Constat 1. ex Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. 2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, & verbis formæ.

Nota. Ablutio non idem est, ac expurgatio, seu emundatio; nam hæc est effectus ablutionis, & potest esse sine illa.

Quæst. II. *Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptismi?*

Resp. 1. Sufficit qualibet ablutio, sive fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem: nam qualibet est vera ablutio. In praxi tamen servari debet modus in unaquaque Ecclesia usitatus.

Resp. 2. Necesse est illam corporis partem ablui, & tantam aquæ quantitatem adhiberi, ut ideo corpus dicatur propriè & simpliciter ablutum. Ad quod sufficit ut caput sit ablutum, ut constat ex praxi Ecclesiæ Latinæ; quia caput est præcipua corporis pars, & sensuum sedes, in qua proinde manifestatur principium vitæ animalis.

An etiam sufficiat ablutio alterius partis notabilis, ut brachii, pectoris, &c. controvertitur; & licèt communius affirment, tamen hoc non est certum. Quare graviter peccaret, qui extra casum necessitatis, non ablueret caput; nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Hinc Rituale Romanum præscribit, ut si infans in necessitate baptizetur in alio membro, postea rebaptizetur sub conditione, *Si non es baptizatus*. Multò minùs certum est sufficere quantulamcumque partem corporis ablui, quod tamen non pauci tenent: unde extra necessitatem hoc non licet, & baptismus sic in necessitate collatus iterari debet sub conditione. (a)

Resp. 3. Necesse est ut aqua immediatè tangat corpus baptizandi; quia ad veram ablutionem requiritur contactus physicus, & immediata aquæ applicatio ad id, quod ablui-

(a) In lib. VII. de Synodo Diœcesana cap. 5. quæstionem hanc fusim pertractat SS. D. N. BENED. XIV. ubi statuit Primò. „ Certum esse Infantem in matris „ utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua per„ fundi queat, baptizari non posse, nec ei quidquam „ prodesse, quod nonnulli Hæretici olim sunt arbi„ trati, si ejus loco, matris corpus abluatur, quem„ admodum *lib. 6.* contra Julianum *cap.* 14. diserte „ tradit Augustinus.
Secundò controversiam expendit „ an, reservato „ materni uteri ostio, quod puerperii initio contin„ git, validè baptizetur Infans, cujus corpusculum, „ etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihi„ lominus, saltem per siphunculum tingi possit " atque explicatis variis hac de re opinionibus; indicatisque præcipuis, quibus obnixæ sunt, argumentis concludit. „ Ultimum hujus controversiæ judi„ cium, à Sede Apostolica esse proferendum, ac tu„ tius esse, ut Episcopus illud expectet, nec quid„ quam interim suis constitutionibus inserat, quo „ implexæ istius quæstionis decisionem sibi arrogasse „ videatur. Ad Parochos verò pertinere obstetrices „ instruere, ut cum casus evenerit, in quo Infan„ tem, nulla adhuc sui parte editum, mox deceʃſu-

abluitur. Hinc non sufficit aquam applicari panniculis, nec utero materno, in quo adhuc detinetur infans, nec secundinæ, quæ est pellicula, qua subinde involuti nascuntur infantes: nam non est pars corporis, sed ejus involucrum. Imò juxta multos nullus est Baptismus, si soli capilli abluuntur; quia non sunt strictè pars corporis, & illorum ablutio non videtur sufficere, ut propter eam dici possit corpus ablutum. Igitur in praxi sub gravi curandum est, ut aqua ad cutem perveniat, & ea aquæ copia adhibeatur, ut qui baptizatur, meritò & secundùm communem hominum æstimationem censeatur ablutus.

Item ad veram ablutionem requiritur, ut partes aquæ applicentur motu successivo partibus corporis: nam aqua contenta in vase, quamvis illud tangat, non dicitur illud abluere.

Porrò *si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimùm cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur*. Rituale Romanum.

Quæst. III. *An ad valorem Baptismi requiritur trina infusio vel immersio?*

Resp. Unica sufficit. Constat, 1. Ex cap. *De trina*, de consecr. dist. 4. Et ex praxi Ecclesiæ: quæ sæpe unicam adhibuit. 2. Quia unica sufficit ad veram ablutionem. Cæterum in praxi minister tenetur servare suæ Ecclesiæ consuetudinem, & curare ut singulæ ablutiones singularum SS. Trinitatis personarum invocationi respondeant, ut Ritualia præscribunt; item ne forma totaliter perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, ne scilicet aliqua pars illius ablutionis reddatur inutilis.

Quæst. IV. *An dum Baptismus fit per immersionem, requiritur emersio ad ejus valorem?*

Resp. Non pauci affirmant: sed plures alii negant. Quia ad veram ablutionem requiritur solùm immediata & successiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali, vel aquæ supra corpus, ut fit in effusione & aspersione; vel corporis suora aquam, ut fit in immersione; sive posteà fiat emersio, sive non. Hinc inferunt validum esse Baptismum infantis; quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum baptizandi, & simul submergendi; modò formam debitam proferat antequam infans aquis suffocetur: quia tunc adsunt materia, forma, & intentio requisita ad valorem Baptismi.

Porrò certum est non licere infantem sic projicere, etiamsi aliter baptizari nequeat, & timeatur statim moriturus; quia hoc esset directè occidere innocentem: nam hæc immersio per se ac directè est occisiva infantis: ad ablutionem autem per accidens ex sola intentione mergentis dirigitur.

Nota. Idem qui profert formam, debet abluere: alioqui forma esset falsa, ideòque Baptismus nullus.

Quæst. V. *Quænam est forma Baptismi?*

Resp. 1. Hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita Concil. Florent. & Rituale Romanum addens, hæc verba uno & eodem tempore quo fit ablutio, esse pronuntianda.

Resp. 2. Ad valorem Baptismi exprimi debent ablutio actualis, seu ablutio ut actu exercita, & persona baptizandi, ita ut hæ voces *Baptizo te*, vel æquivalentes, sint de essentia formæ. Constat, 1. Ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi: *Baptizantes eos*. 2. Ex cap. 1. *de Baptismo*, ubi Alexander III. ait: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Et non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen, non est puer baptizatus*. 3. Ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. prætermissis illis, Ego te baptizo*.

Resp. 3. Necessariæ quoque sunt hæ voces, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Constat, 1. Ex Matth. cap. ultim. Bapti-

---

„ rum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si „ periculum evadat, & foras prodeat.

Tertiò. De infante agit qui aliquam sui partem ex utero emisit, ac statuit, esse baptizandum, nec iterandum deinde baptismum si caput emerserit; ad alias partes quod attinet, ita habet. „ Cum itaque „ hæc controversia hactenus indecisa remaneat, uti „ licite animadvertit Cardinalis de Rhoan in suo Rituali Argentinensi *ad tit. de Bapt.* §. 5. inquiens: „ *Utrum ratus sit Baptismus, non in capite, sed in aliqua alia corporis parte, collatus, multi non immeritò dubitant*, idcirco cavere debet Episcopus, ne „ in sua Synodo aliquid, quoad eam, decernat, sed „ id solum curabit, ut Parochi, cæterique, quorum „ interest, illud exactè exequantur, quod in Romano „ Rituali præscribitur, sicuti optime animadvertit citatus Gibertus *in consultat. Canonic. de Sacramento Baptismi, consult.* 22. ubi Synodos affert, Rituali „ Romano conformes, ejusque vestigiis inhærentes.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ verba ex sensu Ecclesiæ continent formam Baptismi. 2. Ex Patribus apud Bell. & alios. 3. Ex c. *Si revera*, de consecr. dist. 4. Ubi Pelagius Papa jubet hæreticos solummodò in nomine Christi baptizatos, iterùm baptizari in nomine Trinitatis. Et, cap. *In Synodo*, ead. ubi Zacharias Papa asserit eum, qui sine invocatione Trinitatis baptizatus est, Sacramentum regenerationis non habere. Per Trinitatem intelliguntur tres personæ distinctè invocatæ, secundùm usum Ecclesiæ & præceptum Christi, ut etiam ibidem explicatur. 4. Ex Concil. Nicæno I. can. 19. jubente Paulianistas rebaptizari, quia scilicet non baptizabantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut docet Innocentius I. Epist. 22. & ex Concil. Lateran. IV. cap. 1. ubi Sacramentum Baptismi sic explicat, nempe, *quod ad Dei invocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti consecratur in aqua*. Item ex Concil. Florent. 5. Quia cùm Baptismus sit *fidei Sacramentum*, cap. 4. *de Bapt.* debet in eo conferendo fieri expressa mentio Trinitatis, quæ est primarium objectum fidei & fundamentum salutis.

Hinc non valet Baptismus. 1. Si dicatur *In nomine Trinitatis*, *In nomine Dei unius* & *trini*, *vel*, *In nomine trium personarum Trinitatis*. Quia requiritur distincta expressio singularum personarum, & quidem secundùm eas rationes quibus constituuntur, & inter se distinguuntur, nempe secundùm proprietates Personales, seu relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ. 2. Si dicatur *In nominibus*, quia non exprimitur essentiæ unitas, cujus expressio est essentialis formæ, ut semper intellexit Ecclesia. Et verò tam necessaria est ad salutem professio unitatis Dei, quàm Trinitatis personarum; quæ necessariò exprimenda sunt.

Dubiæ autem sunt hæ formæ, *In virtute* vel *authoritate*, vel *sub invocatione Patris*, *&c.* Item *In nomine Patris*, *in nomine Filii*, *& in nomine Spiritus Sancti*; & *In nomine Genitoris*, & *Geniti*, *& Procedentis ab utroque*. Imò S. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 7. docet in aliis nominibus quàm Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non perfici Sacramentum.

Resp. 4. Non est de essentia formæ, ut exprimatur minister saltem expressè. Nam Concil. Flor. approbat hanc Græcorum formam. *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris, &c. vel baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, &c.*

Quæst. VI. *An Baptismus iterari potest?*

Resp. 1. Est de fide Baptismum validè susceptum numquam posse iterari. 1. Ex Eph. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*. 2. Ex Traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Ex Symbolo, *Confiteor unum Baptisma*. 4. Ex Concil. Florent. & ex Conci. Tridl. sess. 7. can. 11. Unde Baptismi iteratio est grave sacrilegium, tam ex parte dantis, quàm recipientis scienter, ex cap. 108. & 118. de consecr. dist. 4. Quia fit contra institutionem Christi, applicando Sacramentum subjecto incapaci; & per hoc significatur Christum esse denuò morti ac sepulturæ obnoxium, ex Hebr. 6. cum per Baptismum commoriamur & consepeliamur Christo. Rom. 6.

Resp. 2. Iterari debet Baptismus sub conditione, dum post diligentem inquisitionem dubitatur an Baptismus sit datus. Constat ex S. Leone, in c. 112. & 113. de consecr. dist. 4. & aliis canonibus, & ex cap. 2. *de Bapt.* ubi Alexander III. ait: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: Sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo, &c.* idque sive dubium sit positivum, quia scilicet sunt rationes in utramque partem probabiles: sive sit negativum, quia scilicet nulla sunt indicia ad judicandum hominem esse baptizatum, cap. *Parvulos*, de consecr. dist. 4. Ratio est, quia aliàs homo probabili periculo damnationis exponeretur ob carentiam Baptismi; & aliunde talis necessitas impedit omnem irreverentiam in Sacramentum, quod propter salutem hominum institutum est.

Idem dic si sit probabile dubium an Baptismus datus sit cum sufficienti materia, vel forma, vel intentione. Nam tunc æquè periclitatur salus hominis; & canones qui expressè loquuntur de dubio facti, intelligendi etiam sunt de dubio juris, quod est hìc æquivalenter dubium facti: qui enim dubitat an Bptismus sit datus cum legitima materia, vel forma, vel intentione, æquivalenter dubitat an sit verè datus. Unde S. Gregorius lib. 12. epist. 31. ait: *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum*.

Hinc sic rebaptizandi sunt infantes expositi, si non habeant schedulam, aut aliam notam collati Baptismi testem. Imò juxta multos, & varia Concilia, & Rituale Tul-

lense, etiamsi habeant, si re diligenter investigata, nihil certi aliunde reperiatur. Quia illa schedula, aliave nota ab ignoto, ideoque incertæ fidei authore apposita non sufficit ad certitudinem moralem, quam tamen requirunt canones ad non rebaptizandum. Hinc Concil. Carthag. V. cap. *Placuit*. dist. 4. de consecr. ait: *Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos*. Et verò charitas obligat ad suppeditandum proximo medium salutis necessarium, nisi constet jam adhibitum fuisse; alioqui ejus salus æterna morali periculo committeretur.

Dixi, *sub conditione*, ut vitetur periculum irreverentiæ, & reiterationis Baptismi verè suscepti. (a)

Quæst. VII. *An & quomodo Baptismus est necessarius?*

Resp. 1. Baptismus in re, vel in voto necessa-

(a) De forma Baptismatis, alteriusve Sacramenti characterem imprimentis, ex professo agitur in laudato Opere de Synodo lib. 7. cap. 6. ubi cum plura scitu digna, & quæ in vulgaribus Theologis plerumque desiderantur, explicata sint, omnia excerpsimus, ac Authoris quæstioni addidimus. Hanc formulam, *inquit*. „A Scholasticis esse adinventam, & in Ecclesiam invectam, plerique viri eruditi existimarunt; sed eos toto cœlo aberrasse, ait Martene *de antiquis Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 16. *num.* 10. Siquidem longe ante Scholasticos, S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, in suis statutis, circa annum 745. conditis, & *tom.* 9. Spicilegii, à Luca Dacherio editis, *cap.* 28. hæc habet. *Si de aliquibus dubium sit, utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur; his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus, Ego te baptizo*; Idemque, ac totidem fere verbis statutum legimus *Capitular. lib.* 6. *cap.* 184. apud Baluzium *tom.* 1. *pag.* 954. è quibus idem decretum excerpsit, ac suæ canonum collectioni, *sub tit.* 11. *cap.* 17. inseruit Isaac Episcopus Lingonensis, apud Harduinum *collect. Concil. tom.* 5 *col.* 447. Licet porro, ante sæculum VIII. prædictæ conditionatæ formulæ expressam mentionem in Conciliis, & Patribus non inveniamus, quemadmodum, præter laudatum Martene, observarunt Juenin. *de Sacram. dissert.* 1. *quæst.* 3. *cap.* 5. *art.* 1. & Tournely *prælect. tom.* 6. *de Sacram. in genere quæst.* 1. *art.* 6. *edit. Venet. pag.* 38. *&* 39. non recte tamen inde intulit Natalis Alexander *hist. Eccles. sæc.* IV. *cap.* 4. *art.* 52. illam non fuisse in usu; quinimmo ex antiqua, & constanti Ecclesiæ praxi oppositum colligi putamus, quod hac ratiocinatione ostendimus. Perpetuum Catholicæ Fidei dogma fuit, unicum esse Baptisma, juxta illud Apostoli *ad Ephes.* 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, quod propterea semel rite collatum, sine gravi piaculo, iterari posse, semper Ecclesia negavit, uti constat *ex can.* 47. *Apostolor.* juxta versionem Dionysii, & *can.* 1. Concilii Valentini anni 374. & *can.* 38. Concilii Carthaginiensis III. anni 397. quibus in locis temere rebaptizantes gravibus subduntur pœnis, & Ecclesiastica communione privantur. At eadem Ecclesia, quæ ita docuit, eos nihilominus, de quibus dubitabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos, præcepit, quod innumeris testimoniis comprobatur: sæculo III. disputatum fuit de Baptismo Clinicorum, num scilicet validum esset Baptisma, per aspersionem datum ægrotis, in lecto decumbentibus: consulitur Cyprianus: respondet Sanctus Doctor *epist.* 76. *ad Magnum*, validum quidem sibi illud videri; iis autem, qui dubitabant auctorem se esse, ut illud iterum conferrent: *Si aliquis existimat* (ait Cyprianus) *eos nihil consequutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sunt, sed inanes, & vacui sunt, non decipiantur, ut, si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur*. Sæculo V. à Legatis Maurorum interrogantur Patres Concilii Carthaginiensis VI. anni 401. quid agendum foret de pueris, quos an baptizati essent, nemo certo sciret; ad quod responderunt Patres *can.* 6. (*collect. Hard. tom.* 1. *col.* 987.) *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse, sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo, eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari*; eumdemque canonem renovarunt Synodus Africana anni 401. & alia Synodus Carthaginiensis sub Bonifacio Episcopo anno 525. Idem ad Rusticum Narbonensem, atque iterum ad Neonam Episcopum Ravennatem rescripsit Leo Magnus; ad hæc autem præcedentium Conciliorum, & Patrum decreta allusit Gregorius II. cum de eadem re interrogatus à Bonifacio Episcopo, *epist.* 2. *num.* 9. (*tom.* 3. *collect. Hard. col.* 1859.) respondit: *De parvulis, qui à parentibus subtracti sunt, & an baptizati, an non, ignorant, quia interrogasti: his ut baptizare debeas, secundùm Patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio exposcit*. Jam vero cum ex his, aliisque similibus testimoniis à laudato Martene prolatis, luculenter pateat, antiquum, atque ipsi Ecclesiæ coævum usum fuisse eos baptizare, de quibus dubitabatur, num, per regenerationis lavacrum ab originali culpa essent expiati, ne dicamus, Ecclesiam in eumdem incidisse Rebaptizantium errorem, quem toties detestata erat, & damnaverat, necesse est existimare, non aliter in ea dubietate Baptismum conferri voluisse, quam sub tacita, & mente concepta conditione: *Si nondum es legitime baptizatus*. Hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cœpit sæculo VIII. in ipsa Baptismi forma exprimi, & pronuntiari; quam quidem disciplinam multis jam in locis receptam, Alexander III. sæculo XII. non solum approbavit, sed ubique servandam edixit *in cap.* 2. *de Baptismo*, inquiens: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmissis. Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* eamdem sanctionem confirmavit Joannes XXII. apud Odoricum Rainaldum *ad an.* 1334. *num.* 42.

„2. Non ideo tamen, quod per præfatam conditionem, periculum evitetur rebaptizandi, qui jam semel fuerit legitime baptizatus, est illa passim, & temere adhibenda, sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens, & probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec diligenti præmissa indagatione, potuit rei veritas innotescere, quemadmodum scite perpendit Sotus *in* 4. *distinct.* 3. *quæst. unic. art.* 9. §. *Circa hanc solutionem*, ubi à sacrilegio non excusat: neque ab irregularitate ab-

ceſſarius eſt omnibus neceſſitate medii ad ſalutem, ex Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ex Traditione, ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. & ſeſſ. 7. can. 5. Infantibus verò extra martyrium neceſſarius eſt in re, cùm ſint incapaces voti, ſeu deſiderii Baptiſmi in actu charitatis perfectæ contenti.

Porrò illud eſt neceſſarium in re, quod ſecundùm ſe neceſſariò & abſolutè adhiberi debet, ita ut nihil ſit, quod ejus vicem ſuppleat. Illud eſt neceſſarium ſaltem in voto, quod neceſſariò debet adhiberi vel ſecundùm ſe, vel in ejus defectum, ſecundùm aliquid ejus vicem tenens propter ſuam eminentiam, & ejus votum vel explicitum, vel implicitum continens.

Reſp. 2. Adulti ſufficienter inſtructi tenentur jure divino ſuſcipere Baptiſmum, ſtatim atque moraliter poſſunt cum debitis diſpoſitionibus; ita ut non diu differant. Tum quia quiſque tenetur ex charitate adhibere media ad ſalutem neceſſaria; tum quia quiſque tenetur ex præcepto Chriſti ingredi Eccleſiam per Baptiſmum, qui eſt ejus janua, & fidem ſuam profiteri. Quæ præcepta per ſe obligant ad non diu differendam eorum obſervationem.

Reſp. 3. Parentes tenentur graviter Baptiſmum liberis ſuis procurare brevi poſt eorum nativitatem tempore: ita ut mortaliter peccent ſi diutiùs id differant. Quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ baptizandi parvulos brevi poſt eorum nativitatem tempore habet vim legis graviter obligantis ob materiæ gravitatem. Et ex decretis particularium Eccleſiarum ad id tenentur intra triduum, vel quatriduum, prout ab Eccleſia propria præſcribitur. Et verò in teneris infantibus ſemper eſt aliquod ſubitæ mortis periculum.

Quæſt. VIII.

„ ſolvit Sacerdotem ſub conditione rebaptizantem, quem, ſcit, domi baptizatum, & nihil eſt, quod collatum ei Baptiſma rationabiliter ſuſpectum reddat. Quare minime ſectanda ſunt exempla, quæ congeſſerunt Gobat *tom.* 1. *tract.* 2. *ſect.* 3. & Marin. *Theolog. tom.* 3. *tract.* 19. *diſcur.* 2. *ſect.* 8. *num.* 140. ubi plures ſub conditione baptizatos narrant, qui, ob merum ſcrupulum, non tam dubitabant, quàm imprudenter ſuſpicabantur, ſe non eſſe rite baptizatos, quam quidem conditionatam Sacramenti iterationem, ob conſequutos, ſeu potius apprehenſos effectus, quietis conſcientiarum, iidem Auctores videntur approbare; ſed potius aures præbendæ ſunt Eſtio in 4. *diſt.* 4. §. 15. hæc ad rem adnotanti: *Sciendum eſt non quamcumque levem in contrarium ſuſpicionem, vel ſcrupulum debere ſufficere ad hoc, ut ſub conditione quis hoc pacto baptizetur, ſed requiri dubitationem probabilem. Ea autem probabilis dubitatio eſt, quæ facta etiam diligenti indagine, diſcuti non poteſt, itaut nec moralis certitudo facti haberi queat;* Immo verius obtemperandum eſt Catechiſmo Romano, *part.* 2. *de Sacram. Baptiſm num.* 57. ubi de forma conditionata ait: *Ea Baptiſmi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter diſcuſſa, dubium relinquitur, an Baptiſmum ſuſceperint, aliter vero numquam fas eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.*

„ 3. Quæ hucuſque diximus, copioſius adhuc, & clarius à Nobis expoſita, pluribuſque Sacræ Congregationis Concilii reſponſis confirmata fuere *in noſtra Notific.* 84. ubi non ſolum ex ejuſdem ſacræ Congregationis ſententia oſtendimus, non eſſe Baptiſmum, ne ſub conditione quidem, iterandum, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris Baptiſmi validitate, ſed etiam ab irregularitate iterantibus Baptiſma inflicta ab Alexandro III. *in cap. Ex litterarum, de Apoſtatis, & iterantibus Baptiſma*, non eximi probavimus, qui, ob ſolum apprehenſum prioris Baptiſmi vitium, nullaque præmiſſa veritatis indagatione, illud denuo ſub conditione conferunt, quibus certo ſciunt jam ſemel antea fuiſſe collatum. Etenim quamquam plures Doctores iſtiuſmodi, ſub conditione rebaptizantes à gravi culpa, atque ab irregularitate abſolvant, eo quod, per adjectam conditionem, ſatis conſultum exiſtiment reverentiæ debitæ Sacramento, ad quod conficiendum, non aliter fertur intentio Miniſtri, niſi ſi rite confectum non fuerit aliud, antea adminiſtratum; hæc tamen ſententia rejicitur à Catechiſmo Romano *cit. loc.* ubi reprobantur aſſerentes, *nullum ſcelus admitti, ſi quemvis ſine delectu, cum ad unctione illa* (videlicet conditionis) *baptizent*; eidemque opinioni refragatur auctoritas S. Caroli, in cujus inſtructionibus inter Acta Eccleſiæ Mediolanentis *pag.* 4 7. hæc de forma conditionata habentur: *Qua forma utitur cum infans, aliuſve, qui Baptiſmo offertur, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, aut certo non apparet, eum baptizatum eſſe, ut de expoſitis inventiſque parvulis dubitari, atque ignorari ſæpenumero ſolet. Quod ſi, re accurate inveſtigata, exploratum habuerit, illum, forma ſervata, baptizatum eſſe, curet omnino, ne hanc ſub conditione baptizandi formam adhibeat, cum ſacrilegium committat, ſi contrafecerit, & illud impedimentum contrahat, quod ſacri Canones Irregularitatem vocant.*

„ 4. In alia itidem noſtra *Notific.* 8. hanc eamdem materiam tractantes diximus, cum Cardinali Albitio *de inconſtantia in Fide cap.* 23. *à num.* 14. *uſque ad* 16. improbandas eſſe Synodos, in quibus generatim, atque indiſtincte, iterum ſub conditione, in Eccleſia baptizari jubentur, quicumque privatim fuere ab obſtetricibus domi baptizati. De hiſce Synodis, ac Ritualibus idem decernentibus, agit Holzman *in ſua Theologia morali tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *art.* 2. qui licet eorumdem Auctores, hoc nomine excuſet, quod ſcilicet dubium illis viſum fuerit Baptiſma ab obſtetrice collatum, fatetur nihilominus, minus caute, ac nimium indefinite eos loquutos, cum debuerint potius rerum circumſtantias diſtinguere, eaſque determinare, quæ incertam reddunt validitatem collati baptiſmi, quem propterea tunc oporteat ſub conditione iterari. Enimvero ſi obſtetrices de Sacramenti materia, forma, & neceſſaria in Miniſtro intentione ſint legitime edoctæ, ſicuti Nos in *cit. Notific.* 8. eas, per Parochos ſolerter edoceri juſſimus, priuſquam ad obſtetricum officium exercendum admittantur, eæque in ſpeciali eventu, quo Baptiſma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem Parocho interrogatæ, omnia

Quæst. VIII. *Quinam est minister idoneus Baptismi?*

Resp. 1. Quilibet homo viator ratione utens potest in quovis casu validè baptizare. Constat ex Concil. gener. Later. IV. cap. *Firmiter*, definiente *Baptismum tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficere ad salutem.* Et ex Traditione & praxi Ecclesiæ, numquam rebaptizantis à quovis ritè baptizatum. Nemo tamen potest seipsum baptizare, cap. 4. *de Bapt.* Nam requiritur distinctio inter generantem & genitum spiritualiter; & Christus ministrum & subjectum Baptismi apertè distinguit his verbis, Matth. ult. *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.*

Resp. 2. Solus Sacerdos sive sit Episcopus, sive Presbyter, est ordinarius Baptismi minister: Diaconus verò tantùm extraordinarius. *Prob.* ex Concil. Flor. in Decreto de Sacram. ibi; *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Quare extra necessitatem sub mortali baptizare non licet, nisi soli Sacerdoti; & quidem juxta omnes, pastori, vel ejus delegato; quia potestas & jus admittendi ad Ecclesiam pertinent ad pastorem, qui præest illi

---

„ rite à se adhibita, testentur, quæ ad Sacramentum valide conficiendum, requiruntur, nulla sane subest probabilis ratio, cur Baptismus debeat, aut licite possit, sub conditione repeti. Scimus utique in aliis Synodis relatis à Giberto, *cit. tom.* 2. *consult. Canonicar. consult.* 16. cautum reperiri, ne plena fides habeatur solius obstetricis testimonio, nisi comprobetur assertione aliorum, qui Baptismo præsentes fuerint; Verum, quanquam, ex plurium attestatione, major profectò habeatur rei gestæ certitudo, attamen sacri Canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis, per unicum testem, præcipue si is testificetur de facto proprio, hoc est si affirmet illud fuisse à se legitime administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quo illius testimonio fidem detrahat, uti diserte decernitur *in canon.* 110. & 112. *de consecrat. dist.* 4. & *c. Nuper de testibus*, ubi interpretes omnes.

„ 5. Aliud est, cum collati Baptismi testimonium præbetur à persona incerta: Etenim, cum juxta rescriptum Imperatoris Hadriani ad Junium Rufinum Proconsulem Macedoniæ, relatum à Callistrato in l. *Testium* 3. *ff. de Testib. Testibus non Testimoniis sit credendum*, non debemus rem adeo gravem committere fidei personæ ignotæ, cujus qualitates, uti Callistratus *in cit. leg.* faciendum monet, explorare non possumus. Quare Sacra Congregatio Concilii interrogata, an iterum baptizandi essent infantes, vulgo *expositi*, ad hospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe, delati, etiam si habeant collo appensam schedulam, attestantem, eos fuisse Baptismate ablutos, die 15. Januarii 1724 respondit, esse denuo baptizandos, sub conditione, nisi certa habeatur notitia personæ, à qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis, rite eidem collati, quod Nos *in cit. nostra Notific.* 8. animadvertimus, & videre est *in Thesaur. Resolut. tom.* 2. *pag.* 412. & *tom.* 3. *pag.* 2.

„ 6. In eadem sententia fuerant Patres Concilii Provincialis Tolosani, habiti à Cardinali Francisco de Jojosa anno 1590. in cujus *part.* 2. *cap.* 2. decernitur: *Cum projectis, expositisque puerulis, licet affixa reperiatur schedula, quæ eos baptizatos esse testetur, in id tamen, an vere factum sit, Parochi diligenter inquirent: si certi nihil compererint inscripto chartula nomine, eos sub conditione baptizabunt* (*tom.* 10. *collect. Hard. col.* 1798.) Cumque instrem fidem collati Baptismatis, quam schedula incerti Auctoris faciant alia signa exposito infanti apposita, puta sal, ideo rectissime à Richardo Poor, Episcopo Sarum, cautum legitur: *Si vero pueros cum sale, vel sine sale expositos contingat inveniri, baptizentur*, sub conditione tamen, ut statim ibidem explicatur, *tom.* 2. *Concil. Britan. Henrici Spilman pag.* 143.

„ 7. Itaque si Episcopus in sua Synodo loqui velit de Sacramentorum forma conditionata, quod profecto nedum utile, sed quandoque etiam necessarium reputamus, omnia præ oculis habeat, quæ hactenus enarravimus, atque ad eorum normam congruam formet instructionem, ad quam Parochi, in illa adhibenda, se debeant conformare. Quod si diœcesi præsit, in qua sæpe contingat, baptizatos ab Hæreticis, ejurata hæresi, qua erant imbuti, in Catholicæ Ecclesiæ gremium sese recipere; & dubitetur, uti alicubi dubitatum scimus, an ii iterum sint, sub conditione, baptizandi, antequam, in re admodum sane gravi & ardua, quidquam decernat, diligenter investiget, oportet, num in illa Hæreticorum secta, de qua agitur, aliquid innovatum fuerit, circa Baptismi materiam, & formam à Christo Domino institutas; Si enim utramque ab ejusdem sectæ Pseudo Ministris rite adhiberi deprehenderit, non potest permittere, ut Baptismus ullo pacto iteretur, quin veniat in suspicionem erroris Rebaptizantium, à S. Stephano I. atque uti affirmat Augustinus (*lib.* 2. *cap.* 8. *de Baptismo contra Donatistas*) à *Concilio plenario* proscripti, sive ejusmodi Concilium fuerit Arelatense I. sive magnum Nicænum, de quo litigant Eruditi; si autem certo compererit, aut baptizandi corpus ab illis non perfundi aqua naturali, aut formam pronunciari, sine expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis, sive alia ratione, ab illa diversum, quam Christus instituit, Baptismum absolute renovari jubeat: Ob non adhibitam quippe legitimam formam, *can.* 7. Concilii Laodiceni (*tom.* 1. *collat. Hard. col.* 781.) rebaptizandos decrevit Hæreticos Montanistas, & Gregorius Magnus *lib.* 11. *indict.* 4. *epist.* 67. (*tom.* 2. *oper. col.* 1167.) scribens ad Episcopos Hiberos, universim statuit: *Hi vero Heretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur ... cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizentur, quia Baptismus non fuit, quod in errore positi in Sancta Trinitatis nomine minime susceperunt.* Hæc sapienter respexit Cardinalis de Khoan in suo Rituali Argentinensi ad *tit. de Baptismo*, cum ait, *Baptizati ab iis Hæreticis, qui rectam baptizandi formam non retinent*,

illi Ecclesiæ particulari, cui baptizatus aggregatur. Homo autem per Baptismum recipitur in Ecclesiam, & fit ejus membrum. At mortale est, jus alienum propria authoritate usurpare in re gravi, præsertim contra debitam gubernationem, ordinem, & usum Ecclesiæ.

Resp. 3. In casu necessitatis quilibet tenetur baptizare: nam quisque tenetur lege charitatis subvenire proximo necessitatem patienti, nisi alius adsit qui possit & velit subvenire. Tunc tamen si plures adsint, præferri debet Diacono Sacerdos, ille Subdiacono, hic inferioribus clericis, clericus laico, vir fœminæ, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato: nam reverentia Sacramento debita exigit ut digniores præferantur, per se loquendo. Quare mortale est, si sine causa justa non præferatur Sacerdos non Sacerdoti, fidelis non baptizato, non excommunicatus excommunicato, Diaconus non Diacono: nam tunc fit gravis irreverentia in Sacramentum. Inversio autem ordinis quoad alios, juxta multos est solùm venialis; quia irreverentia non censetur gravis.

Dixi, *per se loquendo*: quia per accidens potest hic ordo inverti: nam ex Rituali Romano mulier præferri debet viro, vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum, vel ratione honestatis ac pudoris, ut si infans ob periculum vitæ imminens sit baptizandus, antequam totaliter ex utero prodierit. *Quapropter curare debet parochus ut fideles præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servent*, ait Rituale Rom. & hæ ad id graviter tenentur ex charitate & officio, ideòque ex justitia propter pericula sæpè contingentia in partu. Porrò pater & mater prohibentur propriam prolem baptizare, nisi in articulo mortis, & deficiente alio.

Nota. Mortale est extra necessitatem baptizare sine solemnitate & extra Ecclesiam, præter filium regis aut principis. *Clement. de Bapt.* Quia Ecclesia ob honorem sacramenti, solemnitates graviter præcipit.

Quæst. IX. *An unus minister potest simul plures baptizare?*

Resp. In casu urgentis necessitatis potest, nam hoc non repugnat institutioni Christi, neque per hoc mutatur substantialiter forma

ma

„ *denuo absolute baptizari debent*; Quod si deoique diligenti præmissa perquisitione, rei veritatem certo assequi nequiverit, & dubia sibi atque incerta remaneat validitas Baptismatis, ab Hæretico Ministro suscepti, illud utique erit sub conditioue repetendum, quod *in cit. nostra Notific.* 84. declaratum diximus à Sacra Congregatione Concilii, quæ interrogata, *An, & in quibus casibus baptizati ab Hæreticis debeant sub conditione rebaptizari, si ad Fidem Catholicam convertantur*. Die 27. Martii 1683. respondit non esse rebaptizandos, *nisi adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi*.

„ 8. Rationabiliter porro Patribus Concilii Provincialis Mechliniensis anni 1607. incertum saltem, & dubium visum est Baptisma collatum ab Hæreticis Hollandiæ, finitimarumque regionum, apud quos mos invaluerat, ut uno aquam fundente, altér Sacramenti formam pronuntiaret, ac propterea juste illud iterandum decrevere, *tit. 3. cap. 6. Et quia frequens experientia docet, modernos Hæreticos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, & antiquissimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronunciante: ab Hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati similiter sub conditione baptizentur (collect. Hard. tom. 10. col. 1943.)* cujus quidem Concilii sanctionem tuto sectari possunt, & debent aliarum Ecclesiarum Præsules, à quibus sint Ecclesiæ reconciliandi Hæretici, iis in locis baptizati, ubi eumdem erroneum baptismi ritum plerumque adhiberi oon ex incerto rumore, sed ex fide dignis testimoniis acceperint, atque ideo merito suspicentur, eodem modo fuisse etiam illos baptizatos, qui in Catholicorum numerum petunt aggregari, quod eam ob causam, cum Hæreticis Angliæ faciendum, docuere Sylvius *in 3. par. quæst. 66. art. 9.* Cardinalis de Lugo *in resp. mor. lib. 1. dub. 2. num. 3.* Gobat *tract. 2. num. 392.* Laurentius Neessen *tract. 2. de Baptismo dub. 5.* Ludovicus Michon. *in casibus de Sacram. cas. 8.* & Lacroix *lib. 6. part. 1. num. 322.*

„ 9. Caveat tamen Episcopus, ne incertam & dubiam pronuntiet Baptismi validitatem, hoc tantum nomine, quod hæreticus Minister, à quo fuit collatus, cum non credat, per regenerationis lavacrum, deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout à Christo Domino est institutum: Siquidem cum in Galliis disputatum olim fuerit, an, ob prædictam rationem, rebaptizandi essent baptizati à Calvinistis, S. Pius V. ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit: Sacramenti enim validitati noo officit privatus Ministri error, cui prævalet generalis ejusdem Ministri intentio, faciendi, quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia, quemadmodum testantur Acta Concilii Ebroicensis anni 1576. ubi hæc ad rem adnotantur: *Ante decisionem Apostolicæ Sedis Romanæ, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare. Verum quoniam post habitam de hac difficultate disputationem, felic. record. Pius V. definivit, verum esse Baptisma, quo utuntur Calvinistæ, adhibentes formam & materiam à Christo institutam, cum intentione generali faciendi, quod Christus instituit, licet errarent in particulari interpretatione, & singulari intentione, ut alii fere omnes Hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis, non iterum tingendos sub conditione &c. Hinc interdicimus omnibus Curatis, & Presbyteris, sub pœna suspensionis ipso facto à Divinis, ne allatos ad se pueros, jam baptizatos à Calvinistis, audeant iterum tingere sub illa conditione.* Alia similia Synodorum statuta legi possunt apud Grancolas *in antiquo Sacramentario Ecclesiæ part. 2. pag. 153. & seqq.*

ma Ecclesiæ, dicendo scilicet: *Ego vos baptizo, &c.* quia plurale non est nisi singulare geminatum.

Quæst. X. *An idem potest à pluribus baptizari.*

Resp. Neg. Nam hoc est contra usum Ecclesiæ, imò & contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit unum esse in unoquoque baptizando ministrum. Unde non valeret baptismus, si plures dicerent: *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* Ita S. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 6.

Quæst. XI. *Quid dicendum de Patrinis?*

Resp. 1. Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, & manante ex Apostolica Traditione, debet sub mortali adhiberi in Baptismo solemni susceptor, seu patrinus, vel susceptrix, seu matrina. Unus autem tantùm sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur, ex decreto Concil. Trident. sess. 24. cap. 2.

Resp. 2. Patrini officium est, 1. Offerre baptizandum baptizanti. 2. Respondere pro baptizando, si is per se nequeat. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Levare de fonte. 5. Eum suscipere de manu baptizantis. 6. Tenetur sub mortali tum ob solemnem suam sponsionem in suscipiendo hoc officio, tum ex præcepto Ecclesiæ curare, ut baptizatus in rebus fidei, & doctrina Christiana rectè erudiatur, & christianè vivat, si alii id non præstent, ex cap. *Vos ante*, de consecr. dist. 4. Ex variis Conciliis, & Catechismo & Rituali Romano. Et ab hac cura paterna, quam debet illius gerere, dicitur patrinus, quia censetur quasi spiritualis pater suscepti. Et ideo inducta est cognatio spiritualis. Hinc S. Thom. 3. part. qu. 67. art. 8. ait: *Unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum est autem quòd ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret; sicut eo tempore & loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos: satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quòd à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundùm modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere?*

Resp. 3. Ab officio patrini excluduntur carentes rationis usu, non baptizati, hæretici, publicè criminosi aut infames, vel excommunicati, & ignorantes fidei rudimenta. Quia hi non sunt idonei ad curam gerendam baptizati circa fidem ac mores. Item monachi & abbates, can. 103. *de consecrat.* dist. 4. & generatim religiosi omnes, & sanctimoniales, ex Rituali Romano.

Graviter etiam prohibentur parentes propriam prolem suscipere, nisi in necessitate, c. 1. & 4. caus. 30. qu. 1. Nam alius debet esse pater carnalis, alius spiritualis. Et quia baptizans contrahit spiritualem cognationem cum parentibus baptizati, quæ usum matrimonii impediret. Quæ tamen non contrahitur, si id fiat in casu necessitatis.

Quæst. XII. *An potest baptizari infans nondum natus, vel monstrum?*

Resp. 1. Infans in utero materno ita conclusus, ut aqua immediatè perfundi nequeat, non est capax Baptismi, quia non potest verè ablui. Nec sufficit, si corpus matris abluatur; quia infans est persona distincta à matre, ac proinde ex abluta non potest censeri verè ablutus. Quòd si per fistulam, aut alio artificio possit aqua ad illum pertingere, juxta varios validè baptizari potest, quia talis infans est homo viator, cui debitè applicari potest materia & forma; tamen Rituale Rom. dicit generatim: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Resp. 2. Si infans nondum perfectè natus caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit rebaptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* Ita Rituale Romanum.

Resp. 3. Si monstrum habeat plura capita, & plura pectora, tunc totidem sunt animæ, & homines distincti: unde singuli seorsum sunt baptizandi. Si non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet benè distincta, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & posteà alter sub hac conditione. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c.* Si verò dubium sit an homo sit, an brutum, baptizetur sub conditione: *Si tu es homo, Ego te, &c.* Monstrum autem, quod humanam speciem nullatenus præsefert, non debet baptizari. Rituale Romanum.

Quæst. XIII. *An infidelium filii baptizari possunt, invitis parentibus?*

Resp. 1. Validè baptizari posse constat, cùm independenter à consensu parentum ad-

esse

esse possint omnia ad valorem baptismi requisita, nimirùm materia, forma, & debita intentio ministri. Non enim scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*; ait S. August. epist. 23.

Resp. 2. Filii hæreticorum & apostatarum possunt licitè baptizari invitis parentibus. Quia parentes per Baptismum fiunt Ecclesiæ subditi, ideoque cogi possunt ad servandas ejus leges, inter quas est lex deferendi in Ecclesiam liberos baptizandos. Ergo iis possunt subtrahi, ut baptizentur, & rebus fidei, cum adoleverint, instruantur. Non essent tamen subtrahendi, si ideò religio periclitaretur, dum parentes subjecti sunt principibus infidelibus; nam debet permitti minus malum, ut vitetur majus.

Resp. 3. Infantes mancipiorum possunt & debent ipsis invitis baptizari, si eorum domini christiani sint. Quia tales infantes sunt illorum, sicut ipsi parentes: unde domini habent jus illos subtrahendi parentibus, & de iis tamquam de suis pro arbitrio disponendi; ac proinde possunt curare eos baptizari, & in fide erudiri ac educari, atque ad id saltem ex charitate tenentur.

Resp. 4. Extra certum mortis periculum, non licet baptizare infantes infidelium invitis parentibus, qui principibus infidelibus subjecti sunt. Quia vel infans subtraheretur parentibus; & tunc fieret illis injuria, cùm parentes habeant jus naturale retinendi apud se, & educandi liberos nondum rationis compotes, nec propriam voluntatem habentes. Vel illis relinquetur, & tunc Baptismus manifesto periculo prophanationis, & baptizatus periculo apostasiæ exponetur; cùm constat eum in infidelitate educandum.

Si tamen vel sola mater esset christiana, infans invito patre infideli subjecto principi christiano licitè baptizaretur, ex Concil. Tolet. IV. cap. 63. Nam ipsa habet jus instituendæ prolis; & præferenda est voluntas justa injustæ in favorem prolis.

Idem quod supra dicunt Theologi cum S. Thoma contra Scotistas, etiamsi parentes infideles subjecti sint civiliter christiano principi. Quia 1. ratio allata hic etiam valet: nam hæc subjectio non adimit parentibus jus educandi & retinendi apud se liberos suos. 2. Potestas sæcularis non se extendit ad supernaturalia, qualis est susceptio Baptismi. Ecclesia verò nullam habet jurisdictionem in non baptizatos. Quare non potest principibus ullam potestatem concedere in non baptizatos, sicut potest concedere in baptizatos. 3. Ex usu constanti Ecclesiæ, quæ numquam egit apud Principes etiam religiosissimos, ut cogerent infideles sibi subjectos ad Baptismum suscipiendum, aut curarent omnes infantes subditos baptizari, ut notat S. Thomas.

Dixi *infantes*: Nam baptizandi sunt pueri rationis compotes, qui hoc petunt, cùm sint sui juris in negotio salutis. Sed tunc debent egredi è domo paterna, si aliter christiane vivere nequeant.

Resp. 5. In evidenti periculo mortis, infantes infidelium baptizari debent, etiam invitis parentibus. Quia tunc nec auferuntur à parentibus, nec Baptismus prophanationi exponitur, cùm infans paulò post sit moriturus, & aliunde urget præceptum charitatis. Sed id fiat, si potest, insciis parentibus, ad vitandam perturbationem. Idem extendit Layman ad filios infidelium perpetuò amentes, ob eamdem rationem.

Sed quid si infans reipsa batizatus sit invitis, vel insciis parentibus, & postea adolescat?

Resp. Secluso periculo religionis christianæ & scandali, abstrahendus est à parentibus, ut erudiatur in fide christiana. Quia per Baptismum Ecclesiæ acquisivit jurisdictionem in eum, ac jus ad eum christiane instituendum; & ipse contraxit obligationem addiscendæ & servandæ legis christianæ, quod præstare nequit apud parentes.

Dixi, *secluso, &c.* Quia bonum religionis, & multorum præferri debet bono privato. (*a*)

Quæst. XIV. *Quinam sunt effectus Baptismi?*

Resp.

(*a*) De Baptismo Judæorum sive infantium, sive adultorum, vide Epist. SS. D. N. BENEDICTI XIV. ad Archiepiscopum Tarsen. Vicesgerentem in Urbe, quæ impressa legitur tom. 2. Bullarii pag. 86. ex qua magis præcipua indicabimus. *Primò* „ Quod nefas „ sit Hebræorum infantes, reluctante Parentum ar- „ bitrio, baptizare. *Secundò*, si contingat, ut ab „ aliquo Christiano Hebræorum puer morti proximus „ reperiatur, rem oppido laudabilem, deoque gra- „ tam is efficiet, qui salutem puero aqua lustrali „ præbeat immortalem. *Tertiò*, si item eveniret, ut „ puer aliquis Hebræus projectus esset, atque à Pa- „ rentibus derelictus, communis sententia est, plu- „ ribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari „ oportere.

Deinde aliquas declarationes addit ad hanc regulam pertinentes, quarum prima est. „ Si Parentes de- „ sint, infantes verò alicujus Hebræi tutelæ commissi „ fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nul- „ lo modo posse, cum omnis Parentum potestas ad „ tutores pervenerit.

„ Secunda est, si Pater Christianæ Militiæ nomen

Resp. Hi: 1. Tollit omnem culpam & pœnam, si non adsit obex. 2. Confert ex opere operato gratiam sanctificantem, & virtutes infusas. 3. Ejus intuitu conferuntur suo tempore gratiæ actuales fini suo accommodatæ, nimirùm ad sanctè & christianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Dei hæredes, & cohæredes Christi. 4. Imprimit characterem indelebilem. 5. Constituit membrum Ecclesiæ, ejusque potestati subjicit. 6. Truibuit capacitatem recipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia. 7. Inducit obligationem servandi mandata Dei & Ecclesiæ, atque vitam christianam, seu consentaneam doctrinæ & exemplo Christi traducendi.

Quæst. XV. *Quænam dispositiones requiruntur in adultis ad recipiendam gratiam Baptismi?*

Resp. 1. Si adultus præter peccatum originale habeat alia actualia mortalia; ad ejus justificationem per Baptismum, ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. requiruntur hi actus. 1. Fides, qua explicitè credat existentiam unius Dei remuneratoris, mysteria Trinitatis & Incarnationis, & generatim vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, & in primis à Deo justificari impium per merita Christi: nam horum fides explicita est necessaria necessitate medii. 2. Spes justificationis & vitæ æternæ. 3. Dilectio, qua Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. 4. Propositum efficax servandi omnia mandata, & christianè vivendi. Nam adultus non potest admitti ad Dei amicitiam, nisi in eam consentiat; nec potest in illam sincerè consentire, nisi velit omnia facere quæ

,, daret, juberetque, infantem filium baptizari, eum quidem vel matre Hebræa dissentiente baptizandum esse.

,, Tertia est, quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad Christi Fidem si accedat, & infantem offerat baptizandum, tametsi Pater Hebræus reclamet, eum nihilominus aqua Baptismatis abluendum esse.

,, Quarta est, quod si pro certo habeatur, Parentum voluntatem esse infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione Parentum locum quoque habet Paternus Avus...... necessario sequitur; ut, si Avus Paternus Catholicam Fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis mortuo jam patre, mater Hebræa repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus. " Imo etiamsi pater vivat, atque dissentiat; Avum ad Fidem conversum præferendum esse concludit. Addit præterea infantes à Parentibus Hebræis oblatos, etiamsi Parentes sententiam deinceps mutent, baptizandos esse. Nunquam baptizandos, ubi periculum adsit perversionis: ac baptizatos, invitis Parentibus, quamquam illicite, rite tamen baptizatos esse, & subtrahendos esse à Parentibus, ac Christianis tradendos, ut Fidem Catholicam edoceantur.

Ad Adultos quod attinet, statuit, *primò*, Hebræum septennio completo sui compotem, & quodammodo Adultum censeri, sed hac in re. ,, Certissima regula est, *inquit*, quod si citra illam ætatem certo constat, puerum Fidei Catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quemadmodum sit professio Christianæ Legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divina baptismi nunquam ab humana dependet.

Secundò. Si de perfecto rationis usu dubitetur, monet, Sacramentum esse differendum, sed hoc qui postulat, retinendum esse, ac sic interea informandum, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

Tertiò. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unicè Ecclesiæ proprium, ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non posse.

Quartò. Si quis Baptismum accipiens præsenti voluntate careat, quam aliàs tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportere, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum.

Quintò. Si nulla sit dubitatio, planèque constet ac luce clarius, adulto Baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restare aliud, quam eumdem & hortari, & admonere, ut ritè id faciat, quod jam irritò fecit, & suscipiat absolutè, ac liberè Sacramentum; ac si obstinatè repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit nec ne, adultum tum retinendum esse, baptizandumque sub conditione. Qui verò ita baptizati sint, omnino Fidem Catholicam observare tenentur.

Sextò. Si denuncient, Hebræum seriò petiisse baptismum, aut duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus, & multo magis si adminiculis suffultus; tunc habito testium, vel testis examine, non oportere Hebræum ad Catechumenos ducere, sed Judex Catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore, ejus voluntatem extra Vicum, vel domi suæ, vel in Templo aliquo semel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clarè perspecto & cognitò, eum tuto jubeat, aut ad Vicum remitti, aut Catechumenis recenseri.

Septimò demum. Virum aut Sponsum Hebræum Christi legem amplexum jure optimo oblationem facere suæ vel Uxoris aut Sponsæ, in quam jus à legibus, & authoritatem sibi concessum habet. Facta verò hæc oblatio nec sane potest, nec omnino debet à Christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique studio, ut christiana veritas jam Viro, aut Sponso cognita, Uxori quoque, aut Sponsæ lucem afferat, ac salutem: eo vel maximè quod Romani Pontifices licet judæis vim fieri quoad Religionem severè prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quàm ut iidem aliquando è tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant: ideo semel in singulas hebdomadas iis publicè Evangelium annunciari, eosdemque jubent sacris hisce Concionibus interesse, ut apparet *in Constit.* 1. *Nicolai III. & Constit.* 106. *Gregorii XIII.*

quæ ad istam amicitiam servandam, & mutuum amorem significandum necessaria sunt. 6. Voluntas recipiendi Baptismum, 7. Pœnitentia, seu dolor de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero, ex Act. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum*. Et verò æquum est, ut qui voluntate propria Deum offendit, in ejus amicitiam non recipiatur sine peccatorum retractatione & dolore: Hæc autem pœnitentia debet esse supernaturalis, absoluta, universalis, efficax, incompossibilis cum ullo affectu ad mortale, & appretiativè summa. Non tamen requiritur perfecta contritio: nam cùm Baptismus sit institutus ad remittendum peccatum originale, & alia actualia ante ipsum commissa, non prærequirit dispositionem, quæ hunc effectum pariat: alioqui semper præsupponeret ac præexigeret effectum, ad quem conferendum institutus est.

Resp. 2. Ad justificationem adulti habentis solum originale peccatum (si hoc esse potest) iidem actus requiruntur, excepta contritione, quæ solùm potest esse de peccatis personalibus, voluntate scilicèt physicè propria commissis.

Resp. 3. Si adultus jam justificatus sit per contritionem, seu charitatem perfectam, ut recipiat augmentum gratiæ in Baptismo, requiritur voluntas Baptismum recipiendi ex motivo aliquo supernaturali; nam ad gratiam recipiendam, requiritur consensus illi accommodatus. Sed hæc voluntas sufficit, cùm jam præcesserint fides, spes, contritio & charitas.

Nota. Qui sine debitis dispositionibus, sed cum voluntate Baptismi suscipiendi baptizatur, non recipit gratiam: sed tamen Baptismus est validus, & postea reviviscit, seu efficit gratiam, sublato per contritionem perfectam, vel per Pœnitentiæ Sacramentum obice.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

I. Confirmatio est Sacramentum à Christo institutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam.

II. Ejus materia remota *est Chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedictum*. Concil. Florentin. in decret. de Sacrament. Materia proxima est unctio chrismatis in fronte per manum Episcopi facta in formam crucis; quæ chrismatis unctio est vera manus impositio. Forma autem, ex Concil. Florentino est hæc. *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

III. Minister ordinarius est solus Episcopus, ex Concil. Tridentin. sess. 3. canon. 3. & Florentin. hæc addente: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Quare simplex Sacerdos ex commissione Papæ, potest validè ac licitè confirmare.

IV. Hujus effectus sunt. 1. Augmentum gratiæ sanctificantis, & virtutum ei annexarum. 2. Auxilia quædam specialia ad fidem fortiter profitendam cum quovis periculo, & ad superandas tentationes contra illam. 3. Character.

V. Confirmationis capaces sunt omnes & soli baptizati, etiam infantes, quibus primis Ecclesiæ sæculis conferebatur. Nunc tamen in Ecclesia Latina differtur usque ad usum rationis, ad majorem reverentiam hujus Sacramenti, & majorem utilitatem suscipientis ob actualem devotionem. Expedit autem pueros tempestivè confirmari antequam innocentia baptismali excidant, modò suscepti Sacramenti non iterandi meminisse possint, ejusque excellentiam & utilitatem agnoscant.

VI. Patrinus adhiberi debet ex lege, seu consuetudine Ecclesiæ, quæ in variis canonibus exprimitur. Et quidem unus tantùm, sive vir, sive mulier, cap. *Non plures*, de consecrat. dist. 4. circa quod nihil innovavit Concil. Trident. debetque esse confirmatus, seu confirmata, cap. *In baptismate*, eod. titul.

Quæst. I. *An quilibet adultus tenetur Confirmationem recipere data opportunitate?*

Resp. Multi negant; sed Toletus & alii affirmant & probant, 1. Ex cura & sollicitudine Apostolorum, Act. 8. ut baptizatis conferretur. 2. Ex cap. *Omnes*, de consecrat. dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur*. Et ex S. Cyprian. epistol. 72. *Ungi quoque necesse est eum, qui bapti-*

ptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. 3. Ex Concil. Laodicen. canon. 48. *Quòd oporteat eos, qui baptizantur, chrisma Ecclesiæ accipere*. Ex Conc. Mediolan. IV. sub S. Carolo. *Si quis neglexerit* (ejus susceptionem) *Canonicis subjaceat disciplinis*. At negligit qui data opportunitate non suscipit, ut per se & ex contextu patet. Et ex Concil. Rhemensi ann. 1583. *Moneant parochi, Sacramentum Confirmationis non debere negligi, vel prætermitti à veris Christianis*. 4. Ex canonibus pœnitentialibus, qui trium annorum pœnitentiam imponunt parentibus, quorum negligentia filius sine Confirmatione decesserit. 5. Quia hoc Sacramentum institutum est, ut medium per se certum & ordinarium ad dandum robur, & perfectionem vitæ christianæ, & non solùm ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam, sed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, à quibus nemo adultus immunis est. Ergo Christus voluit ut ab omnibus susciperetur; & qui illud cùm potest, non suscipit, non satis consulit saluti suæ, sed illam ac auxilium divinum negligere meritò censetur: ergo peccat.

Certè apud omnes constat esse saltem culpam venialem hoc Sacramentum tunc omittere; cùm talis omissio sit irrationabilis quædam prodigalitas spiritualis. Mortale verò si omittatur sive ex contemptu, ut si quis illud, aut ejus effectum parvi faciat, vel vile, aut puerile existimet se illi subjicere: sive cum scandalo, ut si quis ita se publicè gerat, ut aliis exhibeat speciem contemptus.

Item constat Episcopum teneri sub mortali illud non raro administrare: nam cum sit pastor animarum, tenetur illis ex officio per se subministrare media, quæ Christus instituit ad earum salutem, vel perfectionem, ac spiritalem utilitatem, per ipsum suppeditanda. (*a*)

TRACTATUS
DE EUCHARISTIA.

Eucharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animæ refectionem à Christo institutum.

CAPUT PRIMUM.

De Materia & Forma Eucharistiæ.

Quæst. I. *Quænam est materia necessaria, ex qua conficitur Eucharistia?*

Resp. 1. Est panis triticeus, & vinum de vite. *Prob.* 1. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione & praxi. 2. Ex Conciliis præsertim Lateran. IV. cap. *Firmiter*. Trident. sess. 13. cap. 4. canon. 2. & Florentino, ibi: *Tertium est*

(*a*) De Confirmationis Ministro cum Ordinario, tùm Extraordinario, deque sacro Chrismate, atque ætate, in qua hujusmodi Sacramentum pueris sit conferendum. Vide *lib.* VII. de Synodo Diœcesana, in quo Cap. VII. statuitur, Primò; Dogma esse Catholicum in variis Conciliis definitum, quod Episcopus sit Ordinarius hujusce Sacramenti minister *num.* 2. Secundò: Manus impositionem olim adhibitam post baptismum ad curandos Energumenos non fuisse confirmatoriam *num.* 3. Tertiò: Dubitari amplius non posse de Romani Pontificis potestate, qua simplicibus Sacerdotibus concedere possit facultatem hujusmodi Sacramentum administrandi, *num.* 4. & 7.

In Cap. VIII. habetur, Primò: hanc facultatem semper limitatam fuisse, hac lege, ut Presbyteri Chrismate uterentur ab Episcopo confecrato; nec ullam esse necessitatem faciendi simplici Presbytero facultatem confecrandi Chrisma, quod quocumque se conferat possit is secum deferre Chrisma ab Episcopo acceptum, quodque facile etiam obtinere possit à Romano Pontifice dispensationem illius præcepti, quo prohibetur usus Chrismatis ante annum benedicti *n.* 1. & 2. Secundò: Delegationem hujusmodi esse actum potestatis, & jurisdictionis supremæ, à Christo Domino soli suo Vicario in terris commissæ, quamobrem omnibus in confesso esse, irritam nunc fore confirmationem à simplici Presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit.

In Cap. IX. decernitur, Primò: In iis locis, in quibus Chrismatio data à Sacerdotibus Græcis, non est à Sede Apostolica expresse improbata, eam pro valida esse habendam ob tacitum saltem privilegium à Sede Apostolica illis concessum, cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet connivenria, & tolerantia Romanorum Pontificum. Secundò: Hanc confirmationem irritam esse reputandam, in locis, in quibus constat Græcis, alteriusve orientalis ritus Sacerdotibus, esse ab Apostolica Sede expresse ademptam; ademptam autem fuisse Sacerdotibus Bulgaris à Nicolao I. Cypris ab Innocentio IV. Italo Græcis cùm à Clemente VIII. tum à SS. D. N. Constitutionibus 57. & 129. tom. 1. Bullarii. Tertiò: In Synodo nationali Maronitarum anno 1736. in Monte Libano coacta, sancitum esse, ne in posterum ab alio, quam ab Episcopo Confirmatio conferatur. Vide Constit. 30. *in tom.* 1. *Bullarii pag.* 74. qua prædicta Synodus confirmatur.

In Cap. X. habetur, Primò: Hoc Sacramentum validè conferri omnibus baptizatis absque ulla ætatis differentia, atque olim omnes statim post Baptisma confirmari consuevisse: nunc vero ante septennium ordinariè conferendum non esse *n.* 1. 2. & 3. Secundò: Ecclesiam Orientalem antiquum servare morem de confirmando statim post Baptisma. Tertiò: Etiam in Ecclesia latina nunc sanctè, & licitè conferri posse septennio minoribus urgente periculo vitæ, aut futuræ diuturnæ absentiæ Episcopi, vel alia necessitate, seu justa causa. Fieri vero oportere, dicitur, ab Episcopis sine ulla acceptione Personarum.

est Eucharistia Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. 3. Quia Christus instituens Eucharistiam, non aliam materiam adhibuit, Matt. 26. eamque ut necessariam præcepit his verbis, *Hoc facite, &c.* Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Præterea panis triticeus solus est, qui dicatur simpliciter panis, alii non vocantur panes nisi cum addito, nec adhibentur nisi in ejus defectum. Item vinum simpliciter est vinum de vite usuale. At ex Scriptura & Conciliis materia Eucharistiæ est panis & vinum simpliciter.

Hinc 1. Non potest validè consecrari panis confectus ex oriza, avena, hordeo, milio, &c. vel ex leguminibus, radicibus herbarum, aut fructibus arborum: item ex tritico non puro, sed mixto, v. gr. hordeo, vel avena, si quantitas tritici non sit notabiliter major: nam alias panis non esset simpliciter triticeus. Quare Missale Roman. *de defectibus*, ait: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum*. Secùs si farina alterius materiæ sit in tam parva quantitate, ut panis morali æstimatione censeatur adhuc triticeus. Reverentia tamen Sacramento debita exigit, ut panis sit ex puro tritico, & valdè albus.

Licitè verò consecrari non potest panis confectus ex grano, de quo dubitatur an sit verum triticum. Nam in Sacramentis, quæ non sunt de necessitate medii, numquam licet adhibere materiam non certam; alioqui sine necessitate urgente exponerentur nullitati. Species autem grani, de quibus præsertim aliqui dubitant an sint triticum, sunt siligo, seu secale & spelta. Nam quamvis S. Thomas senserit siliginem esse triticum, quià quandoque ex tritico in malis terris generatur, multi tamen id negant: quia quandoque etiam ex tritico nascitur avena: potestque res unius speciei propter diversas dispositiones & causas degenerare in rem alterius speciei.

Hinc 2. Non potest validè consecrari. 1. Liquor expressus ex pomis, piris, cerasis, &c. 2. Omphacium, *du verjus*, quia necdum habet naturam vini. 3. Acetum, quia non est amplius vinum, & fit ex corruptione substantiali vini. 4. Succus intra uvas maturas adhuc contentus, aut vinum in pane, vel alia simili materia contentum; quia in tali statu non habet rationem vini usualis. 5. Vinum aromatibus ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit. Secùs, si alteratio sit exigua, quamvis illicitè consecratur.

Econtra validè consecratur. 1. Mustum, seu vinum ex uvis maturis recens expressum, cùm jam habeat naturam vini, quamvis hoc sit prohibitum, quia est impurum ob admixtas fæces, ac proinde indecens. In necessitate tamen, juxta S. Thom. 3. part. qu. 74. art. 5. ad 3. licitè consecratur. 2. Vinum congelatum, sed postea resolutum, modo per gelu non fuerit corruptum. Vinum autem actu congelatum, & non resolutum est materia incerta: quare si fortè in hieme vinum in Calice congeletur, debet per ignem resolvi priusquam consecretur; sed ejus congelatio, quantùm potest, impediri debet.

Resp. 2. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut panis sit confectus ex farina triticea aqua naturali diluta, & igne cocta. Nam sic conficitur panis simpliciter dictus, & usualis, aliorumque ciborum comes, qualem Christus instituit.

Hinc non possunt validè consecrari. 1. Liba, placentæ, & similia confecta ex farina triticea mixta lacte, butyro, ovis, melle, saccharo, aliisque liquoribus ab aqua naturali specie differentibus; nisi fortè liquores isti admixti aquæ naturali, essent in exigua quantitate, ita ut aqua plurimùm prædominaretur. Illicitum tamen est consecrare panem triticeum mixtum quacumque re, grano, vel liquore, etsi in parva quantitate: quia est contra usum Ecclesiæ, & reverentiam Sacramenti postulantis materiam omnino puram. 2. Massa cruda, seu pasta; quia non est panis usualis, nec cibus hominum. Si autem farina sit diluta aqua rosacea, dubium est an sit valida materia, ut habet Missale Romanum.

Porrò ex præcepto & usu Ecclesiæ panis consecrandus apud latinos debet esse figura orbiculari & integra.

Nota. Nulla videtur posse occurrere causâ moraliter sufficiens ad conficiendam Eucharistiam, nisi in materia certa, inquit Suarez, quia huic Sacramento summa reverentia debetur; & aliunde non est necessarium necessitate medii in re ad salutem.

Quæst. II. *An panis tam azymus, quàm fermentatus est materia valida?*

Resp. Affirmat. Ex Concil. Florentin. in decreto unionis: ibi: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi*

vera

veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta sua Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Ratio est, quia uterque est panis verus, & simpliciter dictus, & sic in Scriptura vocatur; nam uterque fit ex farina triticea, aqua naturali subacta; ac puro igne coquitur, habetque proprium usum panis.

Latini tamen tenentur sub mortali consecrare azymum, Græci verò fermentatum, singuli juxta Ecclesiæ suæ ritum: nam ita præcepit Concil. Florent. citat. & utriusque Ecclesiæ consuetudo antiquissima obtinet vim legis graviter obligantis utpote de re gravi. Hinc, cap. ultim. *de celebrat.* sacerdos quidam Latinus jubetur privari in perpetuum officio & beneficio, quod in fermentato consecrasset in defectum azymi. Quare in hoc nulla dispensat necessitas, ne Viatici quidem pro infirmo consecrandi: nam ad tanti Mysterii majorem reverentiam interest modo ac ritu convenienti semper confici. Præceptum quippe divinum circa Viaticum non obligat, nisi quando id fieri potest modo convenienti & cum debitis circumstantiis.

Nota. Quamvis multi dicant sacerdotem Latinum iter agentem per Græciam licitè uti fermentato, & Græcum azymo in Occidente, in iis scilicet locis ubi non sunt Ecclesiæ sui ritus; quia ex S. Augustin. epistol. ad Januar. licet cuique facere quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit, modò non adversetur divino mandato; si tamen inter Latinos sint aliquæ Ecclesiæ Græcorum, & inter Græcos aliquæ Latinorum, in his tenetur unusquisque suæ Ecclesiæ ritum servare; quia hoc ipso quòd ibi templum habent, perinde est quoad sacrificium, ac si essent in sua patria. Nec licet Latino in Ecclesia Græcorum inter Latinos sita celebrare in fermentato; quia hoc est speciale privilegium Græcis in Ecclesia concessum.

Quæst. III. *An & quanta aqua admisceri debet?*

Resp. 1. Ex præcepto Ecclesiæ aqua elementaris ante consecrationem vino admisceri debet. Constat ex Concil. Florentin. supra citat. & Tridentin. sess. 22. cap. 7. ibi: *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cùm aqua in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo, unio repræsentatur.* Hoc præceptum sub mortali obligat, quia licèt materia sit in se levis, est tamen gravis ratione finis & significationis; nam apponitur aqua ad repræsentandam unionem populi fidelis cum suo capite Christo, atque etiam unionem humanitatis cum Verbo. Hæc tamen admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti: ita Missale Roman. & Conc. Trid. solùm dicit hanc esse præceptam ab Ecclesia.

Resp. 2. Aqua vino miscenda debet esse modicissima. Quia 1. ita Concil. Florentinum statuit, & fert usus Ecclesiæ. 2. Ut ait Concil. Tribur. Can. 19. sic melius significatur majestas Christi per vinum designata, & populi fragilitas per aquam repræsentata. 3. Hoc est tutius: nam (ut ait S. Thomas) vinum aliquando ita debile est, ut per aquam in magna quantitate, licèt minore, facilè corrumpatur. Sufficit autem una aquæ gutta sensibilis; cùm ad signum sensibile, & significationem convenientem sufficiat. Ad validam verò consecrationem necesse est ut major sit quantitas vini quàm aquæ, quia materia calicis est solùm vinum usuale. At tale non esset, si vinum aquæ non prædominaretur; & res mixta non esset potiùs vinum quàm aqua. Quare cap. 13. *de celebrat. Miss.* dicitur perniciosus abusus, quòd plus aquæ quàm vini in calicem infunditur.

Resp. 3. Hæc mixtio necessario fieri debet, 1. Tempore Missæ, & in ipso sacro calice: nam alioqui non esset cæremonia sacra, nec sacram significationem haberet. 2. Ante calicis oblationem, ob Ecclesiæ usum; unde graviter peccaret qui eam tunc omitteret. Quòd si illa mixtio ante calicis oblationem facta non fuisset, fieri debet ante calicis consecrationem, nam usque ad illam subsistit ratio & tempus præcepti ac significationis, non post, quia tunc prohibetur, & cessat tempus, ex Missal. Roman. tit. de defectib. ibi: *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam....... si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Quæst. IV. *An ut utraque hæc materia validè consecretur, debeat esse moraliter præsens consecranti?*

Resp. Affirm. Quia 1. ita fert Traditio & praxis Ecclesiæ in facto Christi fundata; Christus enim consecravit materiam præsentem,

&non

& non dedit potestatem Apostolis faciendi, nisi quod ipse fecerat. 2. Id exigit veritas formæ, quæ continet pronomen demonstrativum, *Hoc*, *hic*: nihil enim demonstrari potest ad sensum nisi sit moraliter præsens. 3. Alioqui Sacerdos posset totum panem, qui nunc in hac urbe, vel tota regione existit, consecrare.

At sufficit moralis præsentia; nam hæc sufficit ad veritatem formæ. Ad moralem autem præsentiam materiæ, ex communi hæc requiruntur. 1. Ut consecrans sciat materiam ibi esse. 2. Ut materia sensu aliquo percipi possit, non tamen necesse est, ut in se videatur, vel tangatur, à Sacerdote; sed sufficit ut in eo loco sita sit, in quo à consecrante possit sensu percipi; sive in se, sive in alio, ut in suo toto, vel proximo continente, aut vase ad illam continendam destinato. Sic hostiæ quæ latent sub aliis multis in cumulo censentur Sacerdoti præsentes: nam id censetur moraliter præsens, quod potest demonstrari humano modo ad sensum, per pronomen, *Hic*, *hoc*, independenter ab omni alio signo. 3. Ut sit propinqua, qualis debet esse res, quæ velut in usum humanum assumenda, demonstrari potest pronomine, *hic* vel *hoc*: alioqui non esset præsens more humano. Sed cùm definiri nequeat quænam absolutè requiratur propinquitas, in re incerta servari debet praxis Ecclesiæ non consecrantis nisi materiam valdè propinquam. Item materia debet esse coram Sacerdote, alioqui non posset demonstrari per ly *hoc*, strictè sumptum, per quod debet significari res præsens independenter à circumstantiis, & ab omni alio nutu & signo, *Requiritur ut materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote*, ait Missale Roman. *de defect.*

Hinc non potest validè consecrari materia licèt vicina, si sit à tergo, vel sub mappa vel post parietem, aut aliud corpus opacum, quod non habet rationem thecæ, seu vasis proximè illam continentis: nam tunc non est moraliter præsens consecranti, nec ullo sensu demonstrabilis. Econtra hostiæ in pyxide, seu ciborio clauso contentæ consecrantur, si ad eas dirigatur intentio; quia ad moralem præsentiam rei sufficit, quòd proximum ejus continens ad illam continendam destinatum, sit præsens: quemadmodum vinum in lagena clausa censetur moraliter præsens & demonstrabile ei, cui lagena est præsens; quia ratione continentis proximi contentum præsens est, & demonstratur.

Quædam circa hoc dubia sic resolvit recentior Theologus. 1. Si hostiæ non sint in ipso altari, sed alicubi prope illud, v. gr. si in credentia ex oblivione sint relictæ; probabiliter non consecrantur, quamvis Sacerdos antè habuerit intentionem eas consecrandi. Tum quia non videntur connaturaliter designari per ly *hoc*: tum quia præsumi non debet Sacerdos voluisse intentionem suam extendere ad eas contra praxim & præceptum Ecclesiæ consecrandas in eo loco, in quo non possunt sine gravi culpa consecrari.

2. Si sint positæ quidem in altari, sed alicubi extra corporale ad latus, res est dubia & maximè pendet ab intentione Sacerdotis. At si positæ sint, non quidem supra corporale, sed prope illud, v.g. à parte Evangelii inter librum & corporale, videntur consecratæ, quamvis Rubricæ præscribant ut ponantur supra corporale, sicut verè consecrantur in ciborio clauso super corporali posito, licèt Rubrica præcipiat tunc aperiri in ipsa consecratione, sicut in prima oblatione: nam possunt sufficienter demonstrari per ly *hoc*.

3. Guttæ vini, quæ calici separatim à toto adhærent extrinsecùs, non consecrantur: cùm enim consecrari licitè non possint, præsumi non debet Sacerdos intendere earum consecrationem. De iis verò quæ intrà cuppam sunt separatæ à toto, variant sententiæ: unde pro praxi expedit ut Sacerdos semel pro semper intendat non consecrare nisi id quod est præcisè continuum.

4. Sacerdos de vera hostiarum consecratione rationabiliter incertus, vel dubius, debet eas sumere post Sanguinem: vel si nimis multæ sint, rogare alium Sacerdotem, ut in suo sacro dum unum aut alteram hostiam absolutè consecrat, simul eas intendat consecrare sub conditione, si non sint consecratæ; vel id ipse die sequenti in suo sacro faciat. Quòd si dubium sit de valore consecrationis alterutrius materiæ pro sacrificio constitutæ, debent iterum verba consecrationis super illam materiam proferri sub conditione: & si dubium sit de valore materiæ, verbi gratia, quia præsumitur vinum esse acetum, vel aqua plurima vino mixta, debet certam aliam consecrare, ne sacrificium imperfectum relinquat, & post communionem sumere materiam dubiam.

Quæst. V. *An ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis?*

Resp. Affirm. Quia 1. Missale Roman. de de-

defectibus sic habet: *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio. Secùs, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet*. 2. Quia actiones sunt circa singularia determinata: ergo intentio Ministri, quæ est causa practica consecrationis, ferri debet circa materiam determinatam. 3. Cùm forma Eucharistiæ sit demonstrativa, exigit determinationem rei demonstrandæ; res enim indeterminata demonstrari nequit. Non est tamen necesse singulas hostias designari quoad numerum, sed sufficit eas designari in toto objecto quod proponitur, v. gr. ut Sacerdos intendat consecrare omnes hostias præsentes, etsi ignoret illarum numerum, vel circa illum erret, ut patet ex Rubrica cit. Imò si plures hostias habeat quam sumere statuerat, omnes consecrantur; quia omnes sunt ei moraliter præsentes, & intendit consecrare id quod præsens est. Nec error speculativus tollit intentionem absolutam consecrandi materiam præsentem, quam ut debitam censetur habere implicitè, nisi eam expressè excludat. Hinc *si putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque*. Missal. Rom.

Quæst. VI. *An quævis minutissima materia potest validè consecrari?*

Resp. Affirm. modò sit sensu perceptibilis: nam talis materia potest esse signum sensibile, & per verba consecrationis ad sensum demonstrari. At si particulæ panis, vel vini, ita sint exiguæ, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt validè consecrari. Quia non possunt demonstrari præsentes in ordine ad sensus, prout exigunt voces *hic* & *hoc*; & quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Non potest autem fieri consecratió, quin conficiatur Sacramentum.

Quæst. VII. *An potest validè consecrari materia in maxima quantitate?*

Resp. Affirm. modò sit secundùm se totam moraliter præsens consecranti. *Ita communiter*. Quia 1. Christus nullam certam quantitatem definivit, & absolutè dedit Sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum absque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Quantacumque sit materiæ quantitas præsens, designari potest per pronomen *hoc*, & verificatur forma. Non licet tamen majorem quantitatem consecrare, quàm tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset ne species putrescerent. Quòd si consecretur nimis magna quantitas cum injuria Sacramenti, erit abusus potestatis à Christo concessæ, qui non impedit substantiam Sacramenti.

Quæst. VIII. *An panis sine vino, vel vinum sine pane consecrari potest?*

Resp. 1. Non potest licitè. Quia. 1. Christus præcepit ut utraque materia consecraretur, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, 1. Cor. 11. Sic enim Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. interpretatur. 2. Eucharistiæ institutio exigit utriusque consecrationem. Nam Eucharistia ut est Sacramentum, instituta est ad modum & signum integri convivii, quod cibo & potu perficitur; & ut est Sacrificium, est incruenta ac mystica immolatio Christi, constituti modo quodam mortuo sub speciebus per consecrationem, & expressa repræsentatio Sacrificii cruenti, quod per realem separationem sanguinis à corpore in cruce peractum est. Sed ad hoc necesse est, ut ambæ materiæ consecrentur, & sub illarum speciebus Corpus & Sanguis mysticè separentur, & expressè repræsententur ut separata fuerunt in Cruce: unde ex institutione divina consecratio utriusque speciei est de Sacrificii substantia & integritate. Hoc autem Sacramentum non conficitur nisi in Sacrificio. Igitur institutio Eucharistiæ, quæ est juris divini, ac proinde jus divinum, exigit utriusque materiæ consecrationem. 2. Ecclesia id prohibet, ut patet ex ejus usu & Missali Romano, *de defect.*

Resp. 2. Validè tamen una materia sine alia consecratur. Quia 1. Christus priùs tempore per verba de præsenti consecravit unam materiam, quàm alteram: sic etiam Sacerdos consecrat, & hostiam adorandam populo proponit ante vini consecrationem. Quare si Sacerdos per impotentiam, vel malitiam non consecraret vinum; non ideò efficeret, ut species panis consecrata non esset verè consecrata. 2. Veritas & consecratio formæ, per quam consecratur una species, est absoluta, & independens ab altera forma consecratoria alterius speciei: ac proinde exigit, ut Christus sit statim sub tali specie consecrata independenter ab altera; alioqui forma esset falsa.

Quæst. IX. *Quænam est forma Eucharistiæ?*

Resp. 1. Quisque graviter tenetur proferre

totam formam quæ in canone legitur, ob usum & præceptum Ecclesiæ in re tam gravi. Forma pro consecratione panis, hæc est: *Hoc est enim corpus meum*; pro vino ista: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Verba autem essentialia formæ debent proferri assertivè, seu cum intentione affirmandi id quod significant: nam ex Patribus & Conc. Florent. Sacerdos ea profert ex persona Christi, seu ut gerens personam Christi; & debet per illa intendere consecrare ac efficere quod significant.

Resp. 2. Ad validam consecrationem certum est requiri hæc verba: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Calix Sanguinis mei*: aut illis æquivalentia, quæ significent clarè ac distinctè conversionem panis in corpus Christi, & vini in Sanguinem: verba enim non efficiunt nisi id quod significant. Horum autem sensus est: Hoc contentum sub his speciebus, est Corpus meum, est Sanguis meus.

Hinc invalida est consecratio. 1. Si pro ly *hoc*, diceretur *illud*, quia ly *illud*, non demonstrat rem præsentem. 2. Si dicatur ibi vel hic adverbialiter, quia voces illæ significant tantùm Corpus esse in pane, vel Sanguinem in vino, non autem veram conversionem panis in corpus, aut vini in Sanguinem. 3. Si pro ly *Corpus* dicatur *Caro*, quia corpus plus significat quàm caro: corpus enim est totum integrale constans non solùm ex carne, sed etiam ex ossibus, nervis, &c. 4. Si dicatur, *Hoc Corpus est meum*: nam transpositio illa mutat sensum verborum Christi: 5. Si dicatur, *Hoc est Corpus Christi*: quia hic modus loquendi longè diversus est, & hæc verba non proferuntur ex Christi persona.

Resp. 3. Hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Calix Sanguinis mei*, aut illis æquivalentia, ad validam consecrationem secundùm communem Doctorum sententiam sufficiunt; & probant, 1. Ex Patribus, qui nulla alia verba pro forma assignant. 2. Quia ista verba perfectè significant præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: verba autem formæ, utpote practica, efficiunt id, quod perfectè significant.

CAPUT II.

De præcepto Eucharistiæ, ejus effectu, & dispositione.

Quæst. I. AN *extet præceptum sumendi Eucharistiam?*

Resp. 1. Extat præceptum divinum aliquando eam sumendi. Patet ex Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*. Et ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, &c.* quod ad omnes spectat. Hoc præceptum ex communi sententia adultos obligat, 1. Pluries in vita: nam ex Conc. Trid. loc. cit. Eucharistia instituta est per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur & confortetur, & necessaria ex præcepto ut cibus: ergo non rarò ex præcepto sumenda est. Christus tamen non determinavit frequentiam sumptionum, sed reliquit determinandam ab Ecclesia, quando fidelium necessitas id exigeret. 2. Obligat in quovis probabili mortis periculo, ut in gravi morbo, instante conflictu, difficili partu, periculosa navigatione, incisione, &c. Constat tum ex consuetudine totius Ecclesiæ ministrandi Eucharistiam omnibus in periculo mortis versantibus, & eam in hunc finem sollicitè asservandi, semper & ubique observata, quæ ostendit id ex Traditione Apostolorum à Christo edoctorum manasse. Tum quia nunquam potest esse magis necessitas hujus cibi instituti ad conservandam & roborandam vitam spiritualem contra tentationes ac difficultates, quàm in periculo mortis in quo solent esse graviores, & ex qua pendet ultimò æternitas, & imminet ultima lucta cum hoste ad decidendum de salute æterna.

Pluries autem in eodem morbo viaticum dari potest, modò dies decem ab altera viatici sumptione intercesserint. Ita Rituale Parisiense.

Resp. 2. Omnes & singuli fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, tenentur singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ. Ita Concil. Trid. sess. 14. can. 9. ubi hoc negantes anathematizat. Et ex Conc. gener. Later. IV. cap. *Omnis*, de pœnit. & rem. ibi: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura*. Circa quod observanda sunt sequentia.

1. Pue-

1. Pueri tenentur ad communionem, quando habent sufficientem usum rationis ad discernendum Corpus Christi ab aliis cibis, & ad illud reverenter ac devotè sumendum sunt idonei; quod aliis citiùs, nempe circa annum 10. vel 12. aliis seriùs, scilicet circa 14. contingit; licèt pueri priùs, censeantur obligari ad confessionem, quia ad communionem plus requiritur discretionis & devotionis ac reverentiæ. Nam ita Ecclesiæ consuetudo interpretatur præcepta confessionis, & communionis pro materia subjecta; & Eucharistiæ dignitas singularis exigit maturiorem ætatem, & majorem discretionem, ut possit convenienti devotione ac reverentia sumi. Quare ætas, qua urget obligatio communionis, est intra annum 10. vel 12. & 14. ita ut nemo ultra differat, si sit sufficienter instructus, & rectè dispositus: quia saltem communiter neque ante 10. incipit, neque ultra 14. differtur plenior usus rationis requisitus. In periculo tamen mortis, puero capaci confessionis, & sufficienter instructo, dandum est Eucharistiæ viaticum: nam in eo periculo versatur, in quo non expectat tempus commodius ad Eucharistiam cum meliori dispositione recipiendam, ut præcepto divino satisfaciat; & aliunde potest reverenter sumere, & probare se sufficienter per confessionem, ne indignè sumat.

2. Per Pascha, ex Eugenio IV. Bulla *Fide digna*, & usu Ecclesiæ, intelligitur tota quindena à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè. Tamen in variis locis sive ex consuetudine, sive ex privilegio, sive ex necessitate, plus temporis conceditur.

3. Communio Paschalis fieri debet in propria Parochia, & sumenda de manu proprii Sacerdotis, vel ejus delegati. Constat ex Ritualibus & variis Synodis, & ex consuetudine vim legis habente, & ita interpretante canonem Concilii Lateranensis. Unde sacra Congregatio Cardinal. declaravit anno 1682. sæculares non satisfacere præcepto Ecclesiastico per communionem factam in Ecclesiis regularium, Sacerdotes tamen sæculares ex consuetudine satisfaciunt celebrando in Ecclesia, cui addicti sunt per suas functiones.

4. Vagabundi tenentur Eucharistiam suscipere in ea parochia, in qua eo tempore versantur, nam ibi sunt verè subditi, & non habent alium certum parochum, vel pastorem, unde ibi censentur habere domicilium eo modo quo illius sunt capaces. Ita Suarez, l. 9. instit. Soc. c. 3. ubi idem ut verius censet de peregrinis: quia reputantur tanquam incolæ illius loci, in quo tempore Paschali inveniuntur, ut declaravit Eugenius IV. & Parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos; nisi tamen ipsius Parochi interveniat licentia saltem tacita, quæ ex consuetudine innotescit.

5. Confessor potest ex justa causa communionem Paschalem pœnitentis ultra quindenam differre, ex Concil. Later. c. *Omnis* cit. imò tenetur, si judicet differendam esse absolutionem: enim verò cùm communio pendeat ab absolutione, qui potest ac debet hanc differre, potest quoque ac debet illam.

6. Huic præcepto communicandi non satisfit per communionem sacrilegam. Nam 1. Innocentius XI. oppositum damnavit. 2. Ecclesia expressit in præcepto modum excludentem communionem sacrilegam: nam, cap. *Omnis*, præcipit ut omnes suscipiant *reverenter*, ideòque non sacrilegè. Præceptum autem non servatur, nisi servetur modus præcepti in ipso præcepto expressus, cùm ipse præcipiatur. 3. Præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti divini de sumptione Eucharistiæ pia ac fructuosa, qua anima alatur & ejus vita confortetur ac augeatur, ex 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat*. Et ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, &c.*

7. Qui ante quindenam in sua parochia Eucharistiam sumpsit, tenetur iterum sub mortali eam ibi sumere intra quindenam. Nam quando per præceptum determinatur tempus, non impletur saltem integre, nisi eo tempore, sicut qui die Sabbati audivit Missam, non est immunis ab obligatione eam audiendi die sequenti. Præterea non satisfacit præcepto Eucharistiam *in Paschate suscipiendi*. *Hinc ægrotis parochialibus; etiamsi communionem extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet, ac ministrabit* (Parochus) ait Rituale Rom.

8. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur adhuc postea intra eumdem annum quamprimùm communicare. Quia hoc præceptum non est sicut præceptum jejunandi, vel audiendi Missam tali die, sed continet virtualiter duo præcepta, alterum communi-

municandi ſemel ſaltem in anno, alterum in Paſchate: ita ut Communio annua primariò propter ſe præcipiatur ad implendum præceptum divinum ſæpè in vita communicandi, nec alligetur Paſchæ ſicut Sacri auditio affixa eſt diei feſto. Quod ſatis indicant hæc verba legis Concil. Later. *ad minus in Paſcha*, & iſta Concil. Trid. *Singulis annis ſaltem in Paſchate*. Et verò Eccleſia debuit, exigente fidelium negligentia, determinare tempus obſervandi præceptum divinum communicandi pluries in vita, ideoque & obligare ad communionem poſt Paſcha eos qui in Paſchate omiſiſſent. Ergo cùm adhuc ſervari poſſit præceptum Eccleſiæ quantùm ad id quod eſt magis principale, durat obligatio toto anno, donec impleatur.

Imò juxta Suarez, Azor, Reginald. & alios, eſt obligatio continua communicandi quamprimùm moraliter fieri poteſt, poſt Paſcha, ita ut ſemper nova culpa admittatur, quoties data opportunitate non impletur. Quia tempus Paſchæ non eſt tantùm determinatum propter ſolemnitatem, & majorem congruentiam hujus temporis, ſed etiam ne diutiùs differatur communio; unde præceptum eſt affirmativum, quatenus præcipit communionem; & ſimul implicitè negativum, quatenus prohibet ejus dilationem ultra Paſcha: & probant etiam ex uſu Eccleſiæ: nam qui communionem omiſit, cenſuris & minis compellitur, ut quamprimùm communicet. Aliud eſt de auditione Sacri, quæ præcipuè præcipitur ob diem ſacrum & in illius honorem, tanquam onus affixum diei, ſic ut eo tranſacto non obliget, ut conſtat ex ſenſu & praxi Eccleſiæ. Sicut ergo cùm tributum exigitur in certum diem, eo tranſacto ſtatim ſemper ſolvi debet, ita, &c. Hinc qui toto anno non communicavit, tenetur in confeſſione dicere quoties id per annum omiſit, cum poſſet commodè communicare, nam toties peccavit.

Sed Delugo docet tunc remanere obligationem communicandi, non quidem ſtatim poſt Paſcha, ſed solùm ante finem anni: quia, inquit, cùm præceptum communicandi in Paſchate nequeat jam obſervari, nec proinde obliget; solùm manet obligatio alterius præcepti communicandi ſaltem ſemel in anno; hoc autem non obligat ad communicandum hoc menſe potiùs quàm illo, ſed ad communicandum ſemel hoc anno. Addit, cenſuram infligi solùm propter tranſgreſſionem præteritam præcepti, quod obligabat ſub cenſura infligenda à prælato, qui non vult eam exequi, niſi in eos qui ſtatim non communicaverint.

9. Qui prævidet ſe non habiturum opportunitatem communicandi in Paſchate, nec poſtea hoc anno, tenetur prævenire. Quia tenetur ſingulis annis communicare: obligatio autem quæ cadit in totum tempus impleri debet initio, ſi in decurſu, vel in fine impleri nequeat; nam urget in ea temporis parte qua poteſt impleri; ut patet in præcepto audiendi Miſſam, quam tenetur primo mane audire, qui poſtea non poterit, quia præceptum obligat pro illo die, prout impleri potuerit. Qui verò tempus prævenit, tenetur denuò communicare, ſi poſtea poſſit, in Paſchate; quia non ſatisfecit huic alteri obligationi communicandi in ipſo Paſchate, & jam poteſt ei ſatisfacere.

10. Ad veram communionem neceſſe eſt, ut Euchariſtia per os in ſtomacum trajiciatur, & in eo recipiatur: nam hoc requiritur ad veram manducationem & ſumptionem alimenti. Unde ſi quis tamdiu teneret hoſtiam in ore, ut in eo diſſolverentur ſpecies, aut ſi moreretur antequam in ſtomacum deſcendiſſet, reipſa non communicaſſet, nec reciperet gratiam.

(*a*) *Nota*. Non licet pluſquam ſemel eodem die communicare, ut conſtat ex omnium conſenſu, ex conſuetudine vim legis haben-

(*a*) Ad Euchariſtiæ adminiſtrationem, quod attinet, duo capita occurrunt in citato Opere de Synodo lib. VII. quorum in priori, quod ordine eſt nonum, de Viatico agitur, exhibendo, vel non exhibendo ei, qui poſt perceptam mane Sanctiſſimam Euchariſtiam eadem die prudenter timetur moriturus, atque recenſitis hinc inde opinionibus, ſtatuitur „ in „ tanta opinionum varietate, Doctorumque diſcre„ pantia, integrum eſſe Parocho, eam ſententiam „ amplecti, quæ ſibi magis arriſerit, quin fiat reus „ violati Statuti Synodalis, quod certè non potuit „ caſum iſtum extraordinarium reſpicere. Neque fas „ eſſe Epiſcopo, aut in Parochum animadvertere, „ qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit: aut „ quidquam de ejuſmodi controverſia, in ſua Syno„ do decernere, ne videatur ſibi arrogare partes Ju„ dicis, inter graviſſimos, hac ſuper re ſecum con„ tendentes Theologos.

In altero vero capite, quod eſt duodecimum. *Primò*. Haud leviter delinquere, *ait*. „ Qui pueros et„ iam duodennes, & perſpicacis ingenii, ſinunt ex „ hac vita migrare, ſine Viatico, hanc unam ob cau„ ſam, quia ſcilicet numquam ante, Parochorum cer„ te incuria, & oſcitantia Euchariſticum panem de„ guſtarint " atque probare quodammodo videtur Suarelii ſententiam, qui docet „ omnibus, qui ſunt „ doli capaces poſitis in vitæ diſcrimine, illud eſſe, „ ex divino præcepto porrigendum. *Secundò*. Poſſe, „ *ait*, & interdum debere Epiſcopum conſtituere, „ ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiamſi perſeverante „ eodem morbi periculo, idem ſæpius, per modum

habente, & ex cap. 3. de celebr. & cap. *Sufficit*, de consecr. dist. 1. Qui canones licèt loquantur de solo Sacerdote, tamen ab omnibus extenduntur ad laicàlem communionem, & meritò: nam faciliùs Sacerdoti ob utilitatem totius Ecclesiæ permitti potest bis celebrare. Ratio prohibitionis est reverentia tanto Sacramento debita, & ut aptiùs repræsentaretur unica Christi mors, quæ semel contigit. Hinc si quis eo die quo communicavit, incidat in periculum imminens mortis, juxta Doctores omnes, aut fere omnes, inquit Delugo, non ei licet iterum eadem die communicare: quia nunquam licet bis communicare eadem die extra Missam, nisi quando propter reverentiam Eucharistiæ necesse est ut ab aliquo consumatur. Neque tunc est necessitas secundæ communionis: talis enim satisfecit præcepto divino communicandi in fine vitæ; nam communicavit tempore proximo mortis, ac proinde moraliter censetur communicasse in periculo mortis, licèt id ignoraret. Rituale tamen Metense contrarium docet.

Quæst. II. *Quinam sunt Eucharistiæ effectus?*

Resp. Hi. Primus & principalis est nutritio & confortatio animæ, ac augmentatio in vita spirituali, nimirum gratia sanctificante & charitate, ex Joann. 6. *Caro mea verè est cibus &c.* Ex Concil. Florent. in decreto de Sacram. ibi: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando; Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Et ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: qui manducat me & ipse vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservemur.*

Hæc autem nutritio & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus uberioribus, quæ suo tempore intuitu Eucharistiæ perceptæ dantur, ad charitatem conservandam & augendam per opera meritoria; nisi tamen gratiis illis per peccata etiam venialia deliberatè vel frequenter commissa obex postea apponatur.

Secundus liberat à peccatis venialibus. Concil. Trident.

Tertius præservat à mortalibus. Concil. Trident. cap. 2. cit. per gratias scilicet actuales, quæ illius intuitu dantur ad superandas tentationes & servanda mandata cùm urgent; & mediante illa præservatione operatur perseverantiam in gratia, & per

„ Viatici, cum naturale jejunium servare nequeant, percipere cupiunt. *Tertiò*. De frequenti Communione, *monet*, ut caveat Episcopus, ne aut universim improbet, aut omnibus indiscriminatim suadeat, quotidianum ad sacram Mensam accessum." Deinde ex decreto ad litem de frequenti Communione præcidendam, jubente, ac approbante Innocentio XI. *die 12. Februarii* 1679. promulgato, hæc verba transcribit. „ In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendæ dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo à sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet... Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum Fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem, devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine, discant cœlestem Mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. *Denique concludit*. Si itaque in Synodo instituatur sermo, de frequenti, aut etiam quotidiano sanctissimæ Eucharistiæ usu, non est deviandum ab hujus decreti semita, seu si qua Parochis tradenda sit instructio, curandum est, ut hæc illi adamussim respondeat: præcipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, sinaque vita emendanda sunt solliciti: sicuti nec illis, qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem: qua de re legendi sunt Sanctus Franciscus Salesius *Philotheæ part. 2. cap. 20.* & Joannes Taulerus *serm. 4. in festo sanct. Sacramenti.*

per eam gloriæ consecutionem, juxta Joan. 8. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; si tamen homo gratiis illis non resistat.

Quartus est delectatio spiritualis, ex Concil. Flor. supr. cit. & ex Concil. Vienn. Clement. *de reliquiis*, &c. ibi; *In quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur*. Sed hæc delectatio spiritualis sæpè non est sensibilis, & impeditur per negligentiam, teporem, distractionem communicantis, vel affectum ad delectationes terrenas.

Quintus imminuit concupiscentiæ fomitem, tum augendo charitatem, nam ex S. Augustino augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; tum per gratias actuales, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiscentiæ.

Denique Eucharistia influit in gloriosam resurrectionem corporum, in quantùm Deus ad vivificanda ista corpora movetur per conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice Christi carne, ex Joann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die*.

Ex quibus patet quàm utilis & expetenda sit frequens Eucharistiæ sumptio, modò fiat cum debitis dispositionibus.

Quæst. III. *Quænam dispositiones ex parte animæ requiruntur ad Eucharistiam?*

Resp. 1. Sub mortali requiritur status gratiæ. *Prob.* 1. Ex 1. Corinth. 11. *Quicumque manducaverit indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini .... Judicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini*. Sed qui est in peccato mortali, manducat indignè. Ergo. 2. Ex Concil. Trident. sess. 13. c. 7. ibi: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè, quò magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id participandum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, &c.* 3. Quia peccator gravem injuriam ac irreverentiam admittit in Christum, eum suscipiendo in statu inimicitiæ, & peccati, quod ei infinitè displicet: & quantùm in se est, falsam reddendo significationem tanti Sacramenti, illudque effectu suo privando: nam cùm sit institutum per modum cibi & potus, ad augendam, roborandam & conservandam spiritualem vitam animæ, quæ est gratia sanctificans & charitas, illam præsupponit: nec enim cibus datur, aut prodest mortuo. Quod sacrilegium gravissimum est: nam eo gravius est sacrilegium, quo persona, vel res sacra, quæ indignè tractatur, sanctior est.

Porrò S. Franciscus Salesius, in suâ introduct. tum immunitatem ab omni peccato mortali & ab omni affectu ad quodvis veniale, tum magnum desiderium communicandi exigit ad communicandum octavo quoque die.

Resp. 2. Qui sibi conscius est peccati mortalis, per se loquendo ante communionem tenetur jure divino confiteri. Constat ex Concil. Trident. sess. 13. c. 7. in hunc sensum explicante hæc verba Apost. 1. Corinth. 11. *Probet seipsum homo*. Et can. 11. ubi ait: *declarat Sancta Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque, etiamsi se contritos existiment, habita copia confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem*.

Dixi *per se loquendo*: nam si urgeat necessitas communicandi, & desit copia confessoris, sufficit & requiritur contritio perfecta, ex eodem cap. 7. & praxi fidelium. Quia cùm finis intentus, nempe status gratiæ requisitus ad Eucharistiam, possit etiam absque confessione obtineri per contritionem perfectam, non debuit præceptum tunc confitendi ita strictè obligare, ut nulla prorsus necessitas excusaret. Hæc necessitas urgere, ex communi sententia censetur. 1. Quando morituro viaticum dare debet, & deest hostia consecrata. 2. Si Sacrificium, vel communio sine gravi infamia aut scandalo omitti nequit, ex Missali Romano de defectibus. 3. Cùm post consecrationem Sacerdos meminit peccati mortalis, ex Missali Romano. 4. Juxta multos quando Parochus die festo debet celebrare, nec potest alium substituere.

Porrò Sacerdos qui in tali necessitate celebravit non confessus, tenetur postea quamprimùm confiteri. Ita præcipit Conc. Trid. cap. 7. sic: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*. Id est, ut explicat Missale Romanum, *Cum primùm poterit, debet confiteri*. Circa quod Alexander VII. damnavit has duas Propositiones 38. *Mandatum Concil. Tridentini Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato*

mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum. 39. Illa particula (quamprimùm) intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur. Quare confiteri tenetur statim atque habuerit copiam confessoris, etiam ipso die celebrationis, si sine magno incommodo possit. Dilatio autem licèt parva quoad tempus, est magna relatè ad finem præcepti, proindeque mortalis, ob periculum celebrandi iterùm sine confessione. Copia autem confessoris censetur deesse, cùm absque gravi incommodo, seu damno adiri nequit.

Nota. Qui jam confessus est, sed inculpatè omisit mortale, tenetur illud confiteri ante communionem, si absque gravi scandalo & infamiæ periculo possit (quale dicitur esse plerumque, si jam sacræ mensæ astaret) & hæc est praxis fidelium; nam est præceptum divinum confitendi ante communionem omnia mortalia, quæ quis recordatur ex Conc. Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11. unde oppositum fuit expunctum in S. Fidei Tribunali Hispano.

Resp. 3. Requiritur, ut cum magna devotione & reverentia sumatur Eucharistia. Ita S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 10. & per se patet: nam id summa Christi majestas tanto cum amore se totum creaturæ communicantis omnino exigit. Præterea devotio actualis requiritur ad aliquos effectus secundarios recipiendos: quamvis enim, secundùm S. Thomam & communem sententiam, ad recipiendum augmentum gratiæ sanctificantis sufficiat status gratiæ, eo quòd solùm peccatum mortale sit obex gratiæ sanctificantis, quippe, quæ cum veniali consistere potest, & Sacramenta ex opere operato gratiam conferant non ponenti obicem: tamen devotio actualis necessaria est ad recipiendum dulcedinem spiritualem, fervorem, & majus augmentum gratiæ habitualis, multasque gratias actuales speciales: nam Sacramenta ad modum causæ necessariæ efficiunt plus aut minùs pro perfectiore aut imperfectiore dispositione subjecti, ex Concil. Tridenr. sess. 6. cap. 7. unde solus defectus devotionis actualis, secluso contemptu & scandalo, est grave veniale. Item ad remissionem venialium prærequiritur dispositio omnis affectus ad illa, & displicentia aliqua saltem virtualis illorum. Hinc Filiucius hæc ait: Qui ex consuetudine multa venialia committit, & sentit se gravatum eorum conscientia; & hic si sine dolore eorum accedat, videtur peccare venialiter: quia ponit obicem aliquibus effectibus, ut eorum remissioni & fervori charitatis: & quia est aliqua irreverentia.

Resp. 4. Devotio actualis, quam exigit Eucharistia, postulat ut cum fide viva, spe firma, charitate ardenti, & magna humilitate suscipiatur; atque etiam ut conjuges ab actu conjugali se abstineant saltem die communionis: quia hic actus propter delectationem carnalem mentem deprimit, distrahit, & à spiritualibus avocat; & raro ob corruptionem naturæ sine culpa veniali exercetur, præsertim ab exigente. Si tamen actus ille fiat solùm prolis gignendæ vel reddendi debiti causa, non impedit communionem, ex S. Gregor. in cap. *Vir* 33. qu. 4. Nam licèt in copula intercedat voluptas & corporalis immunditia, tamen cùm hæc accidant ob bonum finem, nec voluptas intenta sit, honestas finis hanc indecentiam compensat, & impedit ne mens tantum deprimatur ac distrahatur. Qui verò ob voluptatem copulam exigit, regulariter venialem culpam admittit contra religionem, si eo die communicet, quia voluptas in eo actu quæsita mentem absorbet, & multum deprimit ac distrahit, ineptamque orationi reddit, & sic impedit devotionem actualem. Ita communiter, ut constat ex Sanchez.

Dixi, *regulariter*. Quia possunt subesse aliquæ justæ causæ, ob quas communio tunc licita sit post elicitam de culpa contritionem, ut Jubilæus, scandalum vitandum &c.

A fortiori qui pollutionem voluntariam, vel aliud grave peccatum admisit, non debet statim, etsi contritus & absolutus, Eucharistiam sumere, nisi urgeat aliqua necessitas, & aliud confessario videatur, ut ait Missale Roman. tum ob indecentiam; tum quia talis non potest statim devotionem actualem debitam habere, propter distractionem, cogitationem turpium, recordationem delectationis obscœnæ, & infirmitatem ex peccato relictam. Imò ex quadam decentia ab Eucharistia abstinendum est ob pollutionem nocturnam involuntariam, dum mentem perturbat ac distrahit, nisi videatur à dæmone ad communionem impediendam, procurata, vel nisi adsit aliqua necessitas, vel singularis utilitas, aut scandalum ex omissione timeatur. S. Thom. 3. p. qu. 80. art. 7.

Nota. Devotio, reverentia, & gratitudo Christo debitæ, exigunt aliquod tempus poni post communionem in gratiarum actione, pia occupatione animæ cum Christo, per actus fidei, spei, charitatis, &c. & teste S. Theresia illud tempus est pretiosissimum

ac

ac faluberrimum, proinde non ita contrahendum. Non licet autem ftatim poft communionem expuere ob periculum & irreverentiam. Præterea S. Carolus, Act. p. 4. in inftruct. Euchar. monet eos qui Euchariftiam fufceperunt, *ut animi cogitationes, fenfus omnes, & linguam cohibeant; abftineantque præcipuè eo die à verbis otiofis, cogitationibus inanibus; fed in fanctis meditationibus, precibus, divinorum officiorum frequentia, Ecclefiis etiam frequentandis, aliifque pietatis officiis atque operibus verfentur .... & curent à fui intima cuftodia non alienari.*

Quæft. IV. *Quanam ex parte corporis neceffaria eft difpofitio?*

Refp. 1. Jure naturali requiritur exterior habitus, & corporis compofitio, quæ internam animi reverentiam & devotionem exhibeat: nam debetur huic Sacramento non folum interna, fed etiam externa veneratio fumma, & adoratio, cùm Chriftus mediis fpeciebus fenfibili quodam modo in eo exiftat, & tractetur. Non licet autem communicare, fi fit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam.

Porrò quoad fordes corporeas, id docet Delugo, etfi fecundùm fe non impediant à communione faltem in occulto, cùm Euchariftia fit folùm cibus animæ, cujus mundities exigitur: decentia tamen & reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut fi fordes ejufmodi facilè poffint auferri, auferantur. Item fi brevi ceffabunt, & poteft commodè differri communio, aliquando femel aut iterum differatur. Quando tamen longiùs durant vel merè occultæ funt, ut contingit in menftruo, non eft cur aliquis alimonia cœlefti privetur.

Refp. 2. Ex lege Ecclefiaftica & confuetudine conftanti vim legis habente, requiritur fub mortali jejunium naturale, confiftens in eo quòd nihil omnino per modum cibi vel potus vel medicinæ, à media nocte præcedente, ab ore in ftomachum trajiciatur. Conftat. 1. Ex fenfu & praxi Ecclefiæ. 2. Ex S. Auguftino, epift. 118. *Placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriftiani priùs dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per univerfum orbem mos ifte fervatur.* Hancque confuetudinem docet ab Apoftolis manaffe. Enimverò femper fervata fuit: nec ab ullo Concilio, vel Papa inftituta fuit: at (ut ait S. Auguft. ibid.) *Si quid tota per orbem frequentat Ecclefia quin ita faciendum fit, difputare infolentiffima infania eft.* 3. Ex cap. 5. de celebr. & ex Conc. Carthag. III. canon. 29. Tolet. VII. canon. 2. & Conftantienfi, feff. 13. ibi: *Sacrorum canonum authoritas, & Ecclefiæ approbata confuetudo fervavit & fervat, quòd hujufmodi Sacramentum non debet confici poft cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis: nifi in cafu infirmitatis, aut alterius neceffitatis, à jure, vel Ecclefia conceffo, vel admiffo.*

In hoc non datur levitas materiæ, ut conftat ex Ecclefiæ fenfu, & confuetudine, quæ eft optima legum interpres, & ex Concil. Tolet. VII. cap. 2. & Miffali Romano, de defect. ubi ait: *Si quis non jejunus poft mediam noctem, etiam poft fumptionem folius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & quantùmcumque parva quantitate, non poteft communicare, nec celebrare.* Idque tum ob reverentiam & honorem Euchariftiæ, ut cœleftis ille cibus præponatur cuilibet cibo & potui terreno, & ut fideles affuefcant difcernere inter hunc divinum cibum, & alios communes, tum ob fpiritualem fignificationem, quòd Chriftus debeat effe primus ac primarius eorum cibus, & in cordibus primò fundari. Et verò quælibet fumptio eft contra principale prohibitum: nam prohibetur communio poft fumptionem cujuflibet rei per modum cibi, vel potus, vel medicinæ.

Obferva 1. Cùm hoc præceptum fit merè pofitivum, non obligat his cafibus ab Ecclefia exprefsè vel tacitè exceptis, in quibus, vel neceffitas hominis, vel reverentia Sacramenti aliud exigit. 1. Cùm in probabili articulo mortis viaticum fumendum eft ei, qui jejunus fine gravi incommodo communicare nequit. Nec tunc differendum eft poft mediam noctem, ut ftatim æger illud jejunus recipiat; nam id non fert ufus Ecclefiæ ob nimiam difficultatem, & ob Sacramenti reverentiam; eo quippe tempore non poteft fæpè cum debito decore, comitatu, & fecuritate deferri. Non licet tamen Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum viaticum moribundo, ficut nec confecrare in fermentato, vel fine veftibus facris, aut omiffo ritu facrificii: nam confuetudo Ecclefiæ ita interpretatur præceptum divinum viatici fumendi, fcilicet ut non debeat dari nifi quando dari poteft fecundùm ritum & ordinem ab Ecclefia præfcriptum in Euchariftia conficienda & miniftranda, & modo convenienti ac in debitis circumftantiis. Et verò cùm Euchariftia non fit abfolutè neceffaria ad falutem, major habenda eft ratio reverentiæ ei debitæ, & uniformitatis fervandæ in

ritu sacrificii, quàm utilitatis privatæ proximi: nam communi necessitati Ecclesia satis providit præcipiendo Eucharistiam in sacrario asservari ad viaticum. Ob casum autem rarum lex generalis; & uniformitas in ritu omitti non debet. 2. Quando perficiendum est sacrificium, ut cùm Sacerdote post consecrationem deficiente non adest nisi Sacerdos non jejunus, qui illud absolvat. Item cùm Sacerdos advertit in calice non fuisse nisi aquam, cujus jam partem sumpsit; tunc enim debet consecrare vinum, & consecratum sumere; vel cùm post consecrationem recordatur se non esse jejunum: nam lex divina faciendi sacrificium perfectum ac integrum prævalet legi Ecclesiasticæ de jejunio. Quòd si Sacerdos ante consecrationem advertat se non esse jejunum, tenetur recedere, si potest sine gravi scandalo. 3. Quando post ablutionem relictæ sunt reliquiæ aliquæ in hac Missa consecratæ, etsi magnæ sint, dum facilè recondi nequeunt in pyxide & sacrario: nam ad idem sacrificium spectant, & sumuntur per modum unius refectionis. Non licet tamen tunc sumere partes illas alterius sacrificii, quæ sunt in ciborio ad illud expurgandum. 4. Si periculum sit, ne alioqui Eucharistia ab infidelibus prophanetur: nam lex divina obligat ad impedienda sacrilegia, cùm impediri possunt; & quod in reverentiam Eucharistiæ statutum est, non debet obligare ad non impediendam ejus prophanationem & irreverentiam.

Observa 2. Jejunio naturali, ideòque communioni, numquam obstant ea, quæ per modum salivæ, vel respirationis in stomachum decidunt: ut reliquiæ minimæ vini aut aquæ, quibus os abluitur, mixtæ copiosiori salivæ; & reliquiæ ciborum dentibus adhærentes, ac postea casu trajectæ. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem*, ait Missale Rom. Ita sanguis vel humor è capite defluens, & juxta varios culex, aut floccus nivis per respirationem attractus, non obstant jejunio naturali, nec proinde communioni: nam ista aut non sumuntur ab extrinseco, aut non sumuntur per modum cibi, vel potus, vel medicinæ. Secùs, si saccarum, glycirriza, vel quid simile, quod sensim in ore liquescit simul cum saliva in stomachum decidat, licèt ante mediam noctem sumptum fuerit: quia quod sic liquescit non deglutitur per modum salivæ, sed censetur esse id quod principaliùs trajicitur. Et tunc est continuata comestio cibi, quæ fit per continuam liquefactionem & trajectionem. Idem dic de reliquiis cibi, quæ data opera trajiciuntur, nam tunc non possunt dici per modum salivæ deglutiri, sed verè comeduntur. S. Th. 3. part. qu. 80. art. 8. ad 4. S. Antonin. ex Paludan. Ita etiam Vasquez, Delugo, &c. & Suarez dicit ut securiorem eligendam.

An autem quæ à stomacho nec alterari nec digeri possunt secundùm ullam sui partem, ut lapillus, globulus plumbeus, frustum ligni, &c. impediant communionem, si deglutiantur? alii affirmant: quia sumptio cujuslibet rei prohibetur, ut fideles intelligant cuilibet rei creatæ hunc cibum esse præponendum. Alii probabilius negant: eo quòd non habent rationem cibi, vel potus, vel medicinæ. *De his verò quæ sumuntur per modum gustationis sicut coci faciunt, qui cibum & potum supra linguam ponunt solum ad probandum, & statim projiciunt, videtur quod non impediant* (communionem;) *sicut si quis velit probare num sit aqua, vel vinum album, quod sibi ministratur. Quia non est cibus nec potus, ex quo deglutitur*, ait S. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 8. Addit neque impediri si aliquæ horum particulæ mixtæ salivæ præter intentionem descenderent, ut dictum est de reliquiis aquæ, cum os abluitur.

Observa 3. Post cibum paulò ante mediam noctem sumptum non requiritur somnus, aut cibi digestio ad communicandum. Missale Roman.

Quæst. V. *Quinam licitè possunt Eucharistiam dispensare?*

Resp. 1. Soli Sacerdoti competit potestas ordinaria dispensandi Eucharistiam, ex Conc. Trident. sess. 13. cap. 8. Nam hæc commissa est iis solis, qui possunt illam conficere, & ad quos spectant illa Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Tamen ex ejus commissione potest diaconus illam ministrare, ut constat ex praxi veteris Ecclesiæ; non autem subdiaconus, ut constat ex communi Doctorum consensu, & universali consuetudine Ecclesiæ. Et verò diaconus habet ex sua ordinatione in ordine ad hanc functionem aliquid plùs quàm alii clerici inferiores; non quòd habeat ex sua ordinatione potestatem distribuendi; sed quia consecratur peculiariter in ministrum immediatum Sacerdotis, & supremum inter ministros, atque adeo ad ministrandum & servien-

viendum Sacerdoti in rebus superioribus & dignioribus, quarum præcipua est distributio Eucharistiæ. Verùm ex usu præsenti diaconi id non possunt sine licentia Episcopi ob justam causam, nisi in necessitate dandi viaticum.

Resp. 2. Sacerdoti non licet Eucharistiam ministrare sine jurisdictione ordinaria, vel delegata, aut privilegio, quia pastorum munus proprium est pascere, quod fit per Sacramenta. Unde mortale est id facere sine jurisdictione vel facultate saltem generali & interpretativa; nam est propria auctoritate usurpare jus alienum in re gravi contra debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ. Idem dic de aliis Sacramentis. Si tamen pastor absit, vel præsens non possit dare viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente diaconus potest ac debet ministrare. Nam tunc præsumitur voluntas Episcopi, vel Papæ, cùm Eucharistia sit tunc jure divino præcepta, & maximè utilis sit, imò aliquo modo necessaria ad vires spirituales in illo periculoso agone comparandas; neque enim jurisdictio requiritur ad ministrandam Eucharistiam, tamquam aliquid pertinens ad substantiam ministrationis, sicut pertinet ad substantiam ministrationis Pœnitentiæ, sed solùm ad debitum ordinem, & modum servandum in gubernatione populi Christiani. Unde ad illud non ad hoc sufficit voluntas præsumpta. Nunc ex consuetudine & consensu tacito Episcoporum quivis Sacerdos etiam sæcularis sine ulla parochi expressa licentia, quibusvis petentibus Eucharistiam extra tempus paschale in Ecclesiis administranr.

Nota. Est mortale Eucharistiam sub utraque specie panis & vini dare, ex Concil. Constantiensi, & ex recepta consuetudine vim legis habente, & approbata à Concil. Trid. sess. 21. c. 2. Item eam distribuere sine stola, superpelliceo, vel alba, quia est contra reverentiam ei debitam, & præceptum Ecclesiæ.

Porò à sacra communione *arcendi sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publicè peccatores: nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint. Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverint repellat: non autem si publicè petant & sine scandalo ipsos præterire nequeat.* Ita Rituale Rom.

CAPUT III.

De Missæ Sacrificio.

Quæst. I. **A**N *Eucharistia est verum sacrificium?*

Resp. Affirm. Est de fide, ex Conc. Trid. sess. 22. can. 1. 2. & 3. Ratio est, quia sacrificium propriè dictum est oblatio externa substantiæ sensibilis, per ejus realem immutationem facta Deo, in testificationem supremi dominii Dei in omnes creaturas, & harum ad eum subjectionis. At hæc omnia conveniunt Eucharistiæ: nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas; & per actionem sacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis sub speciebus corruptibilibus in statu realiter diverso, & inepto ad usus naturales ac humanos Corporis & Sanguinis, atque tendente ad destructionem seu desitionem, quatenus speciebus corruptis necessariò ibi desinunt esse Corpus & Sanguis Christi. Quæ quidem mutatio realis est destructio quædam moralis sufficiens ad rationem sacrificii, & æquivalens physicæ destructioni. Atque hæc oblatio fit ex institutione Christi ad agnitionem supremi Dei in res omnes dominii, quòd nempe sit ipse author supremus rerum omnium, dominus vitæ & necis, ad cujus gloriam omnia referri debeant. Et verò cum sacrificium sit actus religionis perfectissimus, quo Deo cultus ipsi soli proprius ac debitus exhibetur, non debuit eo carere vera ac perfectissima religio.

Nota. Sacrificium Missæ est simul, 1. Latreuticum seu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi ejus dominii. 2. Eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. Propitiatorium, quatenus offertur, & valet ad remissionem peccatorum, & pœnæ eis debitæ. 4. Impetratorium, quatenus fit & valet ad impetranda à Deo beneficia.

Quæst. I. *Quinam sunt sacrificii Missæ effectus?*

Resp. 1. Ut propitiatorium, confert iis pro quibus offertur, remissionem peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & pœnam temporalem peccatis condonatis debitam, ex Conc. Trid. sess. 22. c. 2. docente: *Sacrificium istud esse verè propitiatorium.... Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et, can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium soli*

prodesse sumenti: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Producit autem immediatè remissionem pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remissis debitæ, idque plus aut minùs pro voluntate Dei; & devotioni subjecti. Remissionem verò peccatorum quoad culpam producit solum mediatè, quatenus ejus intuitu conferuntur gratiæ actuales, quibus peccator, pro quo oblatum est, excitatur & perducitur ad pœnitentiam sufficientem cum Sacramento in re vel in voto suscepto ad justificationem. Quia tamen sæpe homo iis gratiis resistit, ideo non semper hic effectus obtinetur.

Resp. 2. Ut impetratorium est, habet vim impetrandi omnia genera beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad salutem conducunt, sed secundùm dispositionem divinæ providentiæ: nam hoc sacrificium continet Christum, & ejus merita hanc vim habentia.

Observa 1. Hos effectus paris sacrificium Missæ ex opere operato: quia non conferuntur ex opere operantis; & quia Christus est non solùm victima, sed etiam offerens principalis. 2. Ut Missa specialiter profit uni potiùs quàm alteri, requiritur applicatio à Sacerdote facta. Sufficit, si ante Missam adfuerit intentio eam applicandi tali, nec fuerit retractata. Ut autem is, pro quo offertur, accipiat gratias actuales, sufficit si non habeat voluntatem contrariam. At ut recipiat remissionem pœnæ temporalis, requiritur status gratiæ, & ut peccata quorum pœna remittitur, sint ante remissa quoad culpam. 3. Ex communi sententia offerri potest pro conversione infidelium & hæreticorum, & excommunicatorum, modò non nominentur in orationibus.

Quæst. III. *An Sacerdotes tenentur aliquando celebrare?*

Resp. Omnes tenentur jure divino sub mortali. *Prob.* 1. Ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis, ut Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. testatur, Christus Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit. 2. Quia Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solùm potestatem, sed etiam munus & officium sacrificandi per se illi annexum, ex illo, Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum; ut offerat sacrificia*. At quisque munus susceptum exequi tenetur graviter in re gravi, ut in hac; & uti potestate sibi concessa in honorem Dei & utilitatem proximi: ut patet ex damnatione servi inutilis ob talentum absconditum. Matth. 25. Quare S. Thom. 3. part. qu. 82. art. 10. ait, quod Sacerdos etiamsi curam animarum non habeat, *celebrare tenetur in præcipuis festis*.

Tenentur etiam jure Ecclesiastico: nam Conc. Later. IV. c. *Dolentes*, de celebrat. inter peccata Sacerdotum recenset, quòd vix quater in anno celebrent, & addit: *Hoc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus*. Et Conc. Trid. sess. 23. cap. 14. sic statuit circa quoslibet Sacerdotes: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*. In Ecclesiis verò Cathedralibus, Collegialibus & Conventualibus quotidie celebrari Missa debet sub mortali, saltem ab aliquo, præsertim ex usu Ecclesiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

Quæst. IV. *Quando, quoties, ubi, & qua hora celebrare licet?*

Resp. 1. Quolibet die celebrare licet, excepta feria sexta majoris hebdomadæ; feria verò quinta & sabbato ejusdem Missa privata vulgò dici non potest: sed unica publica seu solemnis in singulis Ecclesiis. Ita praxis Ecclesiæ decretis Pontificum firmata. In Diœcesi tamen Tullensi plures celebrantur Missæ privatæ feria quinta, ut populus satisfaciat obligationi audiendi Sacrum eo die impositæ.

Resp. 2. Non licet nunc plures Missas eodem die dicere, præter quàm in Natali Domini, & in casu necessitatis cum licentia Episcopi, dum idem Sacerdos duas habet Parochias, ex cap. 3. *de celebrat.* & ex consuetudine vim legis habente.

Resp. 3. Secluso privilegio non licet sub mortali, ob materiæ gravitatem, celebrare nisi in loco consecrato, vel authoritate Episcopi benedicto, vel in oratorio ad divinum tantùm cultum dedicato, & per Episcopum designato. Ex Concil. Trident. sess. 22. & cap. 12. de consecrat. dist. 1. Idque confert ad reverentiam tanto mysterio debitam, & ad fidelium devotionem augendam. Excipitur casus necessitatis publicæ, dum Ecclesia est diruta, ne populus Sacro careat; vel deest, ut in castris, & in littore maris, cap. 30 ead. imò nunc in mari celebratur ex licentia Papæ.

Resp. 4. Jure communi, Missa non debet ante auroram absolvi, nec post meridiem inchoa-

choati, ex Missali Romano, & consuetudine generali. Excipitur. 1. Missa Nativitatis Domini. 2. Casus necessitatis conficiendi Eucharistiam pro Viatico. 3. Ex consuetudine, vel tacita licentia in pluribus locis hora antevertitur, vel differtur; & in hieme in gratiam opificum vel similium pluribus horis ante solis ortum celebratur. Porrò per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ excepto tempore utriusque æquinoctii durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diversis mensibus. Unde una hora & dimidia ante solis ortum sacrificare licet. Dicunt multi licere uno & altero quadrante post meridiem inchoare Missam, ex causa rationabili, v. gr. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem.

Quæst. V. *Quænam requiruntur ad celebrandum?*

Resp. Sub mortali requiruntur. 1. Lapideum altare ab Episcopo consecratum, fixum, aut portatile, tam amplum, ut hostiam & majorem partem calicis capiat, ut docet Missale Rom. Portatile amittit suam consecrationem, cùm nulla pars confracti lapidis calicem cum patena capere potest. Fixum suam perdit, tum per fractionem illam notabilem, tum etiam per separationem è loco suo sive basi, cap. 3. *de consecrat.* Disputant an reliquiæ sanctorum sint necessariæ ad consecrarionem altaris, & an si loculus, seu sigillum continens reliquias frangatur, aut auferantur reliquiæ, altare consecrationem amittat.

2. In altari tres mappæ, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictæ; superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata, quæ pro duabus habetur, ex Rubr. Missal. & ex cap. 27. dist. 2. de consecr.

3. Calix & patena consecrata ab Episcopo, vel alio ex privilegio Papæ, debent esse ex auro, aut argento, vel cogente paupertate ex stanno, cap. 44. & 45. de consecrat. dist. 1. & Missale Romanum ait: *Debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patena itidem inaurata.* Calix amittit suam consecrationem, ideòque non licet eo uti. 1. Dum cuppa Calicis fixi separatur à pede per fractionem, quia consecratio cadit in totum Calicem per modum unius indivisibiliter: secùs, si pes sit tornatilis: nam tunc consecratio cadit in solam cuppam. 2. Si interior cuppæ superficies denuò inauretur; quia aliam habet superficiem non consecratam, quæ tamen debet esse consecrata ob contactum immediatum Eucharistiæ: idem dic de patena. Neutrum tamen amittit consecrationem, etsi perdat paulatim aurum quo inauratum est, quia id quod remanet erat consecratum: neque si quis ea sacrilegè adhibuisset in usus prophanos; vel si ab aurifice resarciatur, modò nulla fiat fractio notabilis, aut mutatio superficiei interioris cuppæ, vel patenæ: nam id nullibi jus statuit.

4. Corporale lineum mundum, benedictum ab Episcopo, vel alio potestatem habente, sufficiens ad commodè continendum calicem & hostiam, cap. 46. *de consecrat.* dist. 1. Item palla similiter benedicta & linea, saltem qua parte calicem tangit; & purificatorium lineum.

5. Lumen, ex cap. ult. *de celebrat.* Ex Missali Romano, & consuetudine requiruntur duo luminaria cerea: tamen in casu necessitatis, unum, imò juxta aliquos aliud lumen ex alia materia.

6. Crucifixus exsculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum. (a)

7. Missale, nam est instrumentum necessarium; memoria enim labilis est, & non licet in actione tam sacra se exponere periculo errandi, vel omittendi aliquid.

8. Vestes benedictæ ab Episcopo, vel alio habente hoc privilegium, nempe amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula: ita ut si quid horum desit, omittenda sit Missa: quia actio, quæ debito modo fieri nequit, potiùs omittenda est, quàm indecenter exercenda. Ista amittunt suam benedictionem per lacerationem seu fractionem, & imminutionem notabilem, per quam desinunt esse apta ad usum suum: ut si albæ manica separetur, si cingulum ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum sufficiat, nam hæc manet benedicta ob retentam aptitudinem ad usum proprium. Item totum cingulum manet

(a) *Nota*. Inter Decreta Congreg. S. R. habetur „Decretum Sacræ Rituum Congregat. de anno 1737. „præcipiens. Quod in Altare, ubi est publicè expo„situm SS. Sacramentum, tempore Missæ Crux de „more collocetur, apud aliquas Ecclesias non est in „viridi observantia; & hac de causa Instructio pro „oratione Quadraginta horarum Clementis XI. Be„nedicti XIII. & Clementis XII. Summorum Ponti„ficum jussu edita, sub silentio præterit, an locan„da, an vero removenda sit hujusmodi Crux, lin„quens quemlibet in sua praxi. *S. R. C.* 2. *Septem„bris* 1741.

tea benedictum & aptum, si antequam frangatur, remedium adhibeatur connexione fortiori partium, etiamsi per nodum. Secundùm S. Antoninum & alios licet uti stola pro manipulo vel cingulo, & manipulo pro stola, si sit satis longus, quando aliter fieri nequit; quia hæc omnia sunt benedicta, & apta ad talem usum. Si priusquàm figura vestis destruatur, ad eam reficiendam assuantur paulatim aliqua, etsi ea non sint benedicta, eadem vestis moraliter benedicta manet: nam accessorium non tollit principale, sed ejus naturam sequitur; nisi tanta huic accessio fiat, ut possit penè novum censeri.

9. Minister, isque masculus, non fœmina, ex Missali Rom. & cap. 1. de cohab. cler. ibi: *Nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare.*

Hæc autem omnia requiruntur sub mortali, ob Ecclesiæ præceptum, & universalem consuetudinem vim legis habentem in re gravi, utpote pertinente ad reverentiam Eucharistiæ, & debitum modum sacrificandi, saltem si haberi possunt.

Quæst. VI. *Quænam circa Missæ celebrationem observanda sunt?*

Resp. Sequentia 1. Nihil licet addere vel detrahere iis, quæ in Missali præscripta sunt, ut vetat Concil. Trident. sess. 22. & Pius V. in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut Missa juxta ritum, modum ac normam Missalis Romani legatur, & ne quis in celebratione Missæ alias cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumat. Quod intellige, *salvis Ecclesiarum usibus:* nam quædam dioeceses habent Missale proprium, & in aliquibus diversum à Romano. Item Urbanus VIII. mandavit in omnibus & per omnia servari ab omnibus ubique rubricas Missalis Romani, ut videre est initio ejusdem Missalis. Quæ obligatio ex genere suo gravis est, cùm sit imposita in virtute sanctæ obedientiæ, & de re ad cultum divinum pertinente. Unde illam violare est mortale, vel veniale, pro quantitate, vel qualitate rei aut actionis omissæ vel mutatæ; gravis verò in canone. Sic mortalis est omissio elevationis hostiæ consecratæ, immissionis particulæ hostiæ in calicem, oblationis panis vel vini, Epistolæ vel Evangelii, &c. In additione verò levitas materiæ rarò locum habere potest, ob injuriam, quæ infertur Ecclesiæ usurpando potestatem ei propriam statuendi ea quæ ad ritum celebrandi pertinent, qui in Ecclesia uniformis esse debet; & ob periculum superstitionis ac erroris. Imò quæ de se venialia essent, ut v. gr. ex negligentia omittere *Gloria in Excelsis*, vel *Credo*, vel unum aut alterum sanctum in canone, vel aliquam cervicis inclinationem aut genuflexionem, &c. Hæc, inquam, & similia evadunt mortalia, si adsit contemptus, vel inde grave scandalum sequatur; vel si fiant ex consuetudine aut habituali ac voluntaria indevotione seu negligentia; nam tunc adest contemptus saltem interpretativus. Item mortale est aliquid vel leve omittere aut mutare ex intentione errorem vel novum ritum introducendi, ut faciunt hujus ætatis novatores, Missæ secreta alta voce proferentes, & hoc suo facto damnantes Ecclesiæ Romanæ Ritum, contra Conc. Trid. sess. 22. can. 9. ubi ait: *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; anathema sit.* Sacerdos verò qui tanta celeritate Missam celebrat, præsertim ex consuetudine, ut vix integrum horæ quadrantem in ejus celebratione impendat, num mortaliter peccet tum propter gravem irreverentiam tanto Sacrificio illatam, tum propter populi scandalum, tum etiam propter contemptum saltem interpretativum, quasi esset actio levissimi momenti, à qua ad alias graviores properandum sit.

Hæc autem omnia ut diligenter vitentur meminerit Sacerdos horum Conc. Trid. verborum, sess. 22. in Dec. de observ. & evit. in celebrat. Missæ: *Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur; quivis existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur .... Edicto & pœnis propositis caveant* (Episcopi) *ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, ne vel ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint.*

2. Pre-

2. Preces pro singulis vestibus in Missali præscriptæ nequeunt sine peccato omitti, ex communi sensu & praxi piorum; eamque omissionem esse culpam venialem, docet communis sententia. Secùs de precibus, quæ dicuntur *Præparatio ad Missam*: nam in Missali proponuntur pro opportunitate Sacerdotis recitandæ, quod præceptum non sonat.

3. Non licet celebrare tecto capite, c. 57. *de consecrat.* dist. 1. vel cum pileolo sine licentia, eaque Papæ, ex Decreto Urbani VIII. in Missali; item sine veste talari & calceis, ex Missali Rom.

4. Tenetur Sacerdos perfectè ac integrè tantum ministerium exequi; proinde diligenter præcavere omnes defectus etiam accidentales. Si tamen aliquid omissum est non ita grave, ordinariè non est supplendum iterando aliquid, vel præpostero ordine dicendo aut faciendo. Quia id ordinariè perturbationem & scandalum populi affert, & ista accidentalia ad decorem & reverentiam non juvant, dum non fiunt suo loco ac tempore, debitoque ordine. Si verò aliquis defectus substantialis circa materiam, vel formam, vel integritatem Sacrificii commissum fit, debet suppleri; quia facere Sacrificium mutilum & imperfectum est contra præceptum Christi. *Quod si valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale forma omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.* Missale Rom.

5. Numquam licet directè intendere mutilationem Sacrificii, ita ut non liceat ob metum mortis intentatæ consecrare solum panem ad communicandum infirmum, prævidendo vinum defecturum: quia talis intentio, cùm repugnet præcepto divino negativo, est intrinsecè mala. At excusant Sacerdotem qui post consecratam hostiam, ob evidens ac inopinatum & urgens mortis periculum eam consumeret, & consecratione calicis omissa fugeret: quia tunc non intendit, sed solùm permittit imperfectionem sacrificii ob extremam necessitatem. Si tamen inde scandalum, vel contemptus religionis sequeretur, teneretur sacrificium perficere cum quovis periculo.

6. Missam inchoatam abrumpere non licet sine justa causa, qualis est administratio Baptismi vel Pœnitentiæ in necessitate, concio vel promulgatio edictorum Ecclesiæ ante oblationem, &c. ut fert usus. Qui autem Missam inchoavit, tenetur sub mortali illam absolvere, cap. *Nihil*, 7. quæst. 1. & cap. *de consecr.* dist. 1. nisi excusetur ob impotentiam subito evenientem ex mentis deliquio, gravi infirmitate, &c. Sed tunc si redire & prosequi nequeat, & consecratio facta sit, alius Sacerdos debet Sacrum perficere, cap. *Illud*, 7. qu. 1. nam sacrificium non debet relinqui imperfectum. Imò tenetur Sacerdos cessare, si ante consecrationem se culpæ mortalis reum, vel censura ligatum, vel non jejunum esse recordetur, & nullum timeatur scandalum. Quòd si absque gravi scandalo cessare nequeat, elicita perfecta contritione Sacrum perficiat. Item cessare tenetur, si ante cœptum canonem Ecclesia violetur, vel excommunicatus non toleratus ex ea egredi nolit. *Quod si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa: post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* Missale Rom. *de defect.*

7. In requisitis ad Sacrificium, indecentia & immunditiis notabilis est mortalis ob gravem irreverentiam contra præceptum tum naturale & divinum, quo res sacræ decenter ac reverenter tractari debent; tum Ecclesiasticum, cap. ult. *de custod. Euchar.* Ex Concil. gener. Lateran. IV. ibi: *Præcipimus ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.* Unde ex Missali Romano vestimenta sacra *non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda ac pulchra.* Contra quod graviter peccant ii quibus incumbit horum custodia, vel obligatio ea suppeditandi, & superiores qui ista non curant.

8. Linteamina & vestimenta sacra & vela detrita, & jam ad proprium usum inepta, debent igne consumi, & eorum cineres in piscinam projici; nec licet ea in usus prophanos convertere, vel vendere, c. *Altari*, de consecr. dist. 1. Sicut nec ligna & lapides Ecclesiæ dirutæ vel altaris: nam lex generalis est: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.* Reg. 51. jur. in 6. Vasa tamen sacra igne transmutata possunt ob necessitatem pauperum vendi, & sic usibus prophanis deservire. Quæ verò usibus prophanis deservierunt, possunt in usus sacros, forma eorum mutata, converti: sic paganorum delubra in templa conversa sunt.

9. Vas in quo Eucharistia asservatur, debet esse consecratum, ex Missali Rom. præscribente ut hostiæ consecrandæ ponantur

vel

vel supra corporale, vel in vase aliquo benedicto: & ideo extat ejus benedictio specialis in Rit. Rom. cum aliis. Nam (ut ait S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3.) reverentia hujus Sacramenti à nulla re contingitur nisi consecrata. Idem dic de lunula, quæ debet esse ex auro, aut argento.

10. Sacra vasa etsi vacua, quæ Corpus & Sanguinem Christi contingunt, vel Chrismate uncta sunt, tangere non licet laicis, nec feminis etiam religiosis, sed solis ministris sacratis, cap. 41. *de consecr.* dist. 1. cap. *Sacratas*, dist. 23. Quòd si tangat sine contemptu, ex communi sententia erit solùm culpa venialis; imò nulla, si subest aliqua necessitas, vel causa honesta. Quandiu verò vasa continent Corpus, vel Sanguinem Christi, nemo sine mortali, præter Sacerdotem & Diaconum, potest ea contingere, sine absoluta necessitate, ex cap. 26. dist. 23. quia res est gravissima. Iisdem non licet corporalia & purificatoria tangere, antequam à Sacerdote, vel Diacono laventur, ex c. 40. *de consecr.* dist. 1. quia Corpus, vel Sanguinem Christi contingunt. Omnibus autem laicis licet alias vestes & pallas benedictas tangere cum debita reverentia; quia Eucharistiam immediatè non contingunt, nec sacro Chrismate unctæ sunt.

Quæst. VII. *Quænam observanda sunt circa stipendium Missarum?*

Resp. Sequentia I. Licet stipendium justum pro Missa accipere, non quidem ut pretium, quod esset simoniacum, sed in sustentationem: nam æquum est, ut qui in commodum alterius occupatus est, ab eo sustentetur, habita ratione temporis quo sic occupatur, & status occupati. Stipendium autem justum est illud, quod lege, vel consuetudine approbata constitutum est: nam licèt stipendium illud non sit verè pretium, tamen servat proportionem pretii, quatenus in ea servanda est ratio justitiæ. Sicut ergo illud est justum pretium quod est lege taxatum, vel communiter consuetudine receptum; ita etiam stipendium. Quare qui ampliùs exigit, vel accipit, tenetur restituere; cùm ille excessus non sit debitus, nec sponte ac liberaliter dari censeatur. Hinc si quis ampliùs ultrò offerat ex ignorantia justi stipendii, monendus est: si verò taxationem noverit, censetur excessum liberaliter dare.

II. Cùm datur stipendium ut celebrentur Missæ in tali numero, in tali loco, vel tempore, pro tali causa, &c. Hæc omnia ex justitia servari debent: nam dans non vult transferre dominium stipendii, nisi sub hac conditione: & alter recipiens, hoc ipso se obligat ad id omne quod petitur. Hinc peccat graviter Sacerdos si diu differat: nam interea magno spirituali fructu injustè privat eos quorum debitor est. Imò tenetur ad restitutionem, si ideo Missa non profuerit ad specialem intentionem ejus qui stipem dedit, v. gr. ad aliquem successum, cujus occasio ante celebrationem, petierit, nam defraudavit intentionem, ob quam stipendium datum est. Idcirco non ei licet plura stipendia accipere pro totidem Missis, quas prævidet non posse celebrari, nisi post longum tempus, si offerens expressè in id non consentiat. Nam alioqui sæpè contingeret illas non posse ampliùs dici propter causam ab offerente intentam, v. gr. pro infirmo, qui ante morietur, pro vincenda tentatione, pro felici exitu negotii, pro aliquo alio beneficio, quod postea obtineri non poterit.

III. Non licet anticipatè dicere Missam pro iis, qui sibi primum offerent stipendium. Nam 1. id est contra usum Ecclesiæ, & prohibitum à Sacr. Congregatione Cardinalium authoritate Pauli V. 2. Dans stipendium intendit, ut post datum Missa sibi applicetur, tum quia sæpè aliàs non potest obtineri finis intentus, ut cùm petitur in remissionem peccatorum postea committendorum: tum ut meliùs se disponat ad effectum sacrificii accipiendum. 3. Deus sicut neque punit, neque remunerat anticipatè ex his quæ prævidet futura; ita nec confert anticipatè effectum Sacramenti, aut Sacrificii.

IV. Qui stipendium majus solito pro Missis accepit, tenetur integrum dare iis, quibus Missas celebrandas committit, nec potest partem sibi retinere. Nam 1. Sine justo titulo partem illam retineret; nam non ei gratis ac liberaliter donata est, sed intentio dantis est, ut celebrans totum stipendium recipiat: cui proinde totum debetur. Nec accipiens comparavit illius stipendii dominium, nisi cum obligatione, ut vel ipsemet sacrificet, vel altari sacrificatum pro sustentationis stipendium dante largiatur. 2. Hoc sapit turpe lucrum. 3. Urbanus VIII. id expressè vetuit decreto *Cùm sæpè:* & Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

V. Non licet pro una Missa accipere plura stipendia, nec pluribus acceptis licet una

Missa satisfacere: nam qui dant stipendia, intendunt tot pro se fieri & specialius sibi applicari sacrificia, & solùm sub hac tacitè conditione dant. Ideo Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, pro missione etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Quamvis enim unius Missæ valor sit infinitus secundùm rem quam continet, nempe Christum & ejus merita, est tamen limitatus secundùm applicationem. Christi enim merita quamvis infinita, non applicantur secundùm sui infinitatem, sed finito modo, quem Deus definivit.

Imò qui stipendia diversa singula justo minora, sive ab uno, sive à pluribus accepit pro pluribus Missis, non potest illa ad justum pretium reducere, & per pauciora sacra satisfacere: nam hoc ipso quod accepta stipendia minora, censetur juri suo cedere, & reliquum condonare; tacitèque promittit se totidem Sacra dicturum. Sed gravis est obligatio servandi pacta: aliàs rueret fides in societate humana. Unde S. Congregatio authoritate Urbani VIII. sibi specialiter attributa præcepit Sacerdotibus; ut tot Missas pro pluribus stipendiis incongruis celebrent, quot pro illis præscriptæ sunt, *ita ut alioquin suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur*, in Bullario, tom. IV. pag. 88. quia nempe stipendium sub hac conditione ac onere datum & acceptum est.

VI. Qui ab aliquo stipendium accepit, non ei licet ab aliquo quidquam accipere, ut ei applicet in eadem Missa eam fructus partem, quæ ipsi Sacerdoti contingit. Nam 1. Hoc repugnat praxi Ecclesiæ, & sensui ac intentioni fidelium. 2. Hoc ipso quòd Sacri applicatio alteri debita est ex justitia, ei debiti sunt omnes fructus, quorum est capax. 3. Fructus ille nequit alteri applicari. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum* Urbani VIII.

VII. Sac. Congregatio confirmante Urbano VIII. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere*, in Bullario, tom. IV. pag. 91. Et verò aliàs acciperetur duplicatum stipendium pro una & eadem Missa: nam fructus beneficii habent rationem stipendii: Hinc Canonici & Capellani tenentur applicare fundatori soli Missas, quas ex fundatione tenentur celebrare, talis quippe fuit intentio fundatoris, etiamsi eam non expresserit. Nam hæc est praxis communis, quæ est optima fundationum sicut legum interpres; & ubi aliud non constat, præsumptio est pro fundatore: in dubio enim quisque præsumitur sibi optimè consulere voluisse. (a)

VIII. Sacra Congregatio apud Fagnanum declaravit eum, qui accepit stipendium ad celebrandam Missam pro mortuo, & aliud stipendium ad celebrandum pro alio, v. gr. in-

(a) His, quæ de Sacrificio Missæ ab Auth. sunt exposita, addenda nonnulla sunt, quæ à SS. D. N. BENEDICTO XIV. vel definita sunt, vel clarius explicata.

Const. 21. incip. *Quanta cura* tom. 1. Bullarii *pag.* 56. sub pœna censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, prohibentur mercimonia super eleemosyna Missarum, hoc est, qui eleemosynas colligunt in iis locis, in quibus stipendia, sive eleemosynæ pro Missis sunt pretii majoris, Missas vero celebrare curant in locis, in quibus pro minori pretio celebrari soleant: si Laici sint, excommunicationem; si verò Clerici, vel Sacerdotes suspensionem à solo Romano Pontifice absolvendam incurrant.

In lib. V. de Synodo Diœcesana cap. VIII. *num.* 9. legitur quod Patres Concilii Toletani, ad coercendam Sacerdotum avaritiam, anno 1324. vetuerunt, ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Missa, ex pacto exigeret, sed eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte offerretur. Et, *num.* 10. quod Episcopi ut Tridentino Concilio obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemosynarum exactiones impediant, debent in sua quisque diœcesi, Missarum stipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat.

Cap. autem IX. *num.* 2. Porro si ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus, Sacerdos celebraturus exigat, non solùm peccat contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit: quibus additur, quod ex decreto Sac. Congreg. Concilii, etiam Regulares taxæ stare debent ab Episcop. constitutæ. Vide duo citata capita, & cap. 10. in quibus plura tractantur eruditè.

Vide item lib. VII. cap. 60. 64. & 70: in quibus inter alia docetur, Primò. Non esse permittendum ut quisquam Missam celebret capite cooperto, ne coma quidem fictitia, *cap.* 60 *num.* 1. Secundò. Missæ Parochiali diebus festis interesse olim fideles debuisse; nunc vero cuique integrum esse Missam audire quocumque die in quacumque Ecclesia, atque ita satisfieri præcepto, dummodo non in Cappella, aut Oratorio privato audiatur cap. 64. à *num.* 3. *ad* 12. Tertiò. Missas, pro quibus celebrandis in determinata Ecclesia, oblatæ sint eleemosynæ, posse ex indulto Episcopi in alia Ecclesia celebrari, si nequeant in illa. cap. 70. *num.* 4.

infirmo, non satisfacere unica Missa utrique obligationi, applicando fructum satisfactorium mortuo, & impetratorium infirmo. Et verò cùm Missa pro aliquo celebrari debet, ei totus fructus, cujus est capax, applicari debet. Fructus autem impetratorius prodest mortuis: nam poenæ peccatis debitæ remitti possunt, non solùm per modum, seu viam satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis.

IX. Obligatus ad celebrandum in tali Ecclesia, vel altari peccat mortaliter, si sine justa & gravi causa alibi celebret: quia in re gravi defraudat fundatorem, vel dantem stipendium. *Necesse est ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur*, ait S. Gregorius epist. 20. l. 9. Quòd si Capellanus impediatur à celebrando per paucos dies, juxta multos non tenetur supplere per alium, vel compensare: quia non præsumitur hanc fuisse mentem fundatoris, cùm nequidem famulis ob eam causam stipendium minui soleat. Secùs, si pluribus diebus sit impeditus.

X. Beneficiatus non potest propria authoritate imminuere numerum Missarum olim constitutum, etiamsi ob imminutionem redituum, vel valoris pecuniæ non accipiatur stipendium sufficiens. Sed recurrendum est ad Episcopum, ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. imo ad Papam, ex decreto Urbani VIII. ubi illud viget.

Quæst. VIII. *Quænam observanda circa Ecclesiæ pollutionem, reconciliationem & execrationem?*

Resp. 1. Est mortale celebrare Missam, vel officia divina, vel mortuum sepelire in Ecclesia polluta nec reconciliata, vel interdicta, vel exsecrata: quia est contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente. Nulla tamen ideò contrahitur censura, vel irregularitas, cùm nulla sit in jure expressa. Hinc si sacerdote celebrante Ecclesia notoriè polluatur, tenetur intermittere Missam, si nondum canonem inchoavit: nam hoc inchoato debet perfici Missa. Ita Missale Rom. Jam enim posita est proxima præparatio ad consecrationem.

Resp. 2. Ecclesia polluitur, seu violatur, ita ut indigeat reconciliatione. 1. Per injuriosam humani sanguinis effusionem, quæ vox copiam sanguinis indicat, cap. ult. *de consecr. Eccl.* & cap. un. eod. tit. in 6.

2. Per homicidium voluntarium & injuriosum, licèt factum sine effuso sanguine, ut per venenum, strangulationem, &c. cap. 4. *de consecrat.* & can. 19. de consecr. dist. 1. Unde non polluitur Ecclesia ob inculpabilem occisionem, ut si fiat ab homine mentecapto. Requiritur autem ut vulnus sit receptum in Ecclesia: unde si quis extra percussus, ad eam confugiat, ibique moriatur, vel sanguinem plurimum effundat, non polluitur. At polluitur si vulnere ibi accepto, saucius foras exeat, & extra Ecclesiam moriatur, vel sanguinem effundat, vel si vulneretur in Ecclesia ab existente extra eam jactu lapidis, vel explosione catapultæ.

3. Per qualemcumque humani seminis effusionem voluntariam, cap. ult. *de consecrat. Eccles.* & cap. 20. *de consecrat.* dist. 1. Etiam secundùm omnes per actum conjugalem: *nam* verba legis generalia sunt; & *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

4. Per sepulturam excommunicati non tolerati, cap. 7. *de consecrat. Eccles.* Secundùm multos non polluitur ob sepulturam hæretici notorii, in locis scilicet ubi hæretici Catholicis permixti tolerantur, si non sit nominatim denuntiatus, quamvis illicita sit, ex cap. 2. *de hæret.* in 6.

5. Per sepulturam infidelis non baptizati, cap. 27. & 28. *de consecr.* dist. 1. & proinde infantis non baptizati, contra aliquos hoc de infante negantes: quamvis omnes fateantur esse mortale illos ibi sepelire, & inde cadavera illa si possit, extrahenda esse: nam est vere infidelis non baptizatus.

Obs. 1. Nomine Ecclesiæ quoad hunc effectum non intelliguntur oratoria in domibus privatis etsi ab Episcopo designata ad celebrandum: nam jura loquuntur solùm de Ecclesiis. At secundùm varios intelliguntur loca publica, ut eremitoria aliqua, hospitalia, & similia, quæ nec consecrata nec benedicta sunt, sed deputata ab Episcopo ad hoc ut in iis publicè celebretur, in quibus nequeunt corpora infidelium sepeliri; quia hæc loca comprehenduntur nomine Ecclesiæ, cum ita communiter appellentur. At quælibet Ecclesia, etsi nec consecrata nec benedicta, secundùm illos polluitur, ex cap. ult. *de consecr. Eccl.* & cap. 10. *de immunit. &c.*

2. Coemeterium benedictum polluitur iisdem modis, quibus Ecclesia, ita ut mortale sit in eo sepelire; & eodem modo reconciliatur.

3. Uterque locus non indiget reconciliatione, quæ est actus publicus, nisi factum publicè constet, & notorium sit; ita ut nulla tergiversatione celari possit: nec sufficit quod per duos, vel tres testes probari queat.

4. Etsi isti actu sint occulti, sunt tamen re-

vera sacrilegia, utpote ab Ecclesia prohibiti ob reverentiam loco sacro debitam. Et verò si illi actus postea fiant notorii; Ecclesia eget reconciliatione: ergo ante notorietatem jam erant sacrilegi & contra prohibitionem Ecclesiæ; non enim tales incipiunt esse, dum publici fiunt. *Ita communiter*.

5. Ecclesia non censetur polluta, si aliquid ex dictis contigerit supra Ecclesiæ fornicem vel tectum, vel in cameris adhærentibus, in turri, vel subterraneo specu, qui non fit ad sepulturam, vel secundùm multos in sacristia. Quia hæc non pertinent ad Ecclesiæ corpus, nec cultui divino deputantur: ac proinde tunc non committitur sacrilegium. Secùs de capellis, quia sunt partes Ecclesiæ, & ad sacrificium destinatæ sunt.

6. Polluta Ecclesia polluuntur simul altaria, imò & cœmeterium, si sit ei contiguum. Quia accessorium sequitur conditionem principalis, ex reg. 42. jur. in 6. Secùs, si ab ea remotum fuerit. At polluto cœmeterio, non ideo polluitur Ecclesia: nam minus non trahit ad se majus, nec accessorium principale, cap. un. *de consecr. Eccles. vel alt. in 6.*

Resp. 3. Ecclesiæ pollutio tollitur ejusdem reconciliatione. Si fuerit tantùm benedicta, potest reconciliari cum aqua benedicta communi per simplicem sacerdotem ex licentia Episcopi. Si consecrata sit, reconciliari potest à solo Episcopo, cap. 9. *de consecr. Eccl.* idque ritu in Pontificali præscripto.

Porrò non reconciliatur præcisè per celebrationem Missæ, etiam bona fide factam: *ita Delugo, Azor, Layman, & alii*. Tum quia per illam Ecclesia non consecratur. Tum quia consecratio & reconciliatio, cùm sint jure canonico institutæ, debent fieri per ritus à canonibus præscriptos; at nullus canon ista per celebrationem Missæ perfici statuit.

Resp. 4. Ecclesia exsecratur, seu amittit suam consecrationem, ita ut denuò consecrari debeat, si parietes Ecclesiæ secundùm majorem partem destruantur, aut corruant; vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur, ex can. 20. *de consecr.* dist. 1. juncto cap. *Ligneis*, de consecrat. Secus, si parietes paulatim & successivè destruantur ac reficiantur; quia semper manere censetur idem numero templum: modò tamen pars, quæ additur, non sit major, quia id quod majus est censetur ad se trahere quod minus est. Neque si tectum solùm corruat, quia consecratio est potissimùm in parietibus, & exterioribus crustis, ubi linitio & cruces fiunt, ex cit. *juribus*. Porrò exsecrata Ecclesia, non ideo exsecrantur altaria, nec vicissim.

TRACTATUS DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

POEnitentia sumitur vel pro virtute, vel pro Sacramento. Sumpta pro virtute est virtus inclinans peccatorem ad dolorem ac detestationem de peccato commisso, quatenus est offensa Dei, & ad efficax propositum vitandi peccatum, & satisfaciendi justitiæ divinæ. Est aliqua justitiæ commutativæ species: nam qui per suum peccatum injuriam Deo intulit, debet eam per satisfactionem compensare, si non ad æqualitatem, cujus est incapax, saltem quantum potest & Deus exigit. Actus virtutis Pœnitentiæ sunt contritio & satisfactio, de quibus infrà.

Pœnitentia sumpta pro Sacramento, ut hic sumitur, est Sacramentum à Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis. Esse necessariam necessitate medii in re vel in voto; constat ex Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* & ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. ibi: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.*

CAPUT PRIMUM.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

DUplex est, remota & proxima. Materia remota & circa quam destruendam versatur, sunt omnia peccata post Baptismum admissa. Materia proxima & ex qua componitur, sunt actus pœnitentis, nempe contritio perfecta, vel imperfecta, confessio, & satisfactio: quæ partes materiales dicuntur, ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* Differt tamen satisfactio actualis ab aliis, quòd sit tantùm pars integralis. Nam datur absolutio, & hoc Sacramentum conficitur & confert gratiam justificantem ante satisfactionem impletam: at nulla res potest esse sine tota sua essentia. Contri-

tritio verò, & confessio sunt partes essentiales. Satisfaciendi tamen propositum necessariò requiritur in contritione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Contritione.

Quæst. I. Quid est Contritio, & quotuplex? *Resp.* 1. Contritio genericè sumpta est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. Ut autem valeat ad remissionem mortalium, sive intra, sive extra Sacramentum necessariò debet esse interna, supernaturalis, universalis, efficax, & appretiativè summa.

Resp. 2. Dividitur in perfectam & imperfectam. Contritio perfecta est ea quæ concipitur ex actu, seu motivo charitatis perfectæ: unde est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, propter Deum super omnia dilectum propter se, hoc est, propter infinitam amabilitatem suam. Imperfecta, quæ attritio dicitur, est ea quæ ex alio motivo supernaturali quàm charitatis concipitur, ut ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Conc. Trid. *suprà*. Quare differunt specie, cùm habeant diversa motiva. Differunt etiam ex parte effectus: nam perfecta Deo reconciliat extra Sacramentum cum ejus voto, non imperfecta: quoad cætera conveniunt.

Quæst. II. *An contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum, per modum scilicet dispositionis ultimæ, licèt non sine voto Sacramenti?*

Resp. Affirmat. *Prob.* 1. Ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. Vita vivet.* 2. Ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. *Docet etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priùs quàm hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sive Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.* 3. Quia S. Pius V. & Gregorius XIII. damnavit hanc Baji propositionem: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

Imò quilibet actus charitatis perfectæ, quem contritio perfecta includit, & qui dicitur contritio virtualis, absolutè sufficit extra Sacramentum ad justificationem, sine dolore & proposito formali, ut constat 1. Ex Script. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*, Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, &c.*

2. Ex Patribus id passim asserentibus.

3. Quia damnatæ sunt hæ Baji propositiones. 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 70. *Homo existens in peccato mortali, potest habere veram charitatem.*

4. Quia perfecta Dei dilectio est perfecta conversio ad Deum. Tamen actus charitatis perfectæ non reconciliat hominem Deo sine voto contritionis & Sacramenti, quod in illo virtualiter & implicitè includitur, nec sine obligatione eliciendi postea contritionem formalem de iisdem mortalibus jam remissis, & eadem confitendi.

Quæst. III. *An contritio est necessaria?*

Resp. 1. Contritio formalis, vel virtualis sufficiens ad remissionem peccati mortalis est necessaria necessitate medii ad salutem. *Prob.* 1. Ex Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et, Act. 3. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 1. & cap. 4. Ratio est, quia sine illa, etiam inculpatè omissa, obtineri nequit remissio peccati mortalis, nec proinde salus. Contritio autem sufficiens ad remissionem mortalium est contritio perfecta, vel attritio ex amore Dei inchoato, seu imperfecto cum Sacramento, ut infrà dicam.

Dixi, *vel virtualis*. Quia actus charitatis perfectæ sufficit ad justificationem, etiam sine dolore formali, & esse potest in eo qui non cogitat de peccatis; estque pœnitentia virtualis, quia efficaciter ad contritionem movet eum, qui de peccatis cogitat, & habet vim reconciliandi cum Deo extra Sacramenta.

Resp. 2. Contritio formalis est etiam necessaria necessitate præcepti. Nam. 1. extat præceptum speciale divinum eliciendi contritionem formalem; ut constat ex Matth. 4. & Act. 2. *Pœnitentiam agite.* 2. Omnia media ad salutem necessaria, directè & ratione sui à Deo præcipiuntur: sed contritio formalis est medium à Deo constitutum ut necessarium ad reconciliationem cum eo, ut docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* 3. Ratione sui præcepta est lege cujusdam Justitiæ ad Deum, ex qua tenemur, quantum in nobis

bis est, resarcire injuriam Deo illatam, modo ex natura rei convenienti, & à Deo institüto, qualis est dolor & propositum efficax. Hinc peccator, qui elicuit actum charitatis perfectæ, tenetur adhuc contritionem formalem elicere; & omissio contritionis præceptæ est speciale peccatum contra virtutem Pœnitentiæ.

Observa. Contritio, quæ necessaria est necessitate tum medii, tum præcepti, debet reconciliare peccatorem cum Deo: ac proinde est Contritio perfecta extra Sacramentum, & saltem attritio conjuncta cum amore Dei imperfecto seu amore spei, & Sacramento. Nam contritio non exigitur nisi ad placandum Deum, ad divinam injuriam, quantum fieri potest, compensandam, & ad reconciliandum hominem cum Deo.

Quæst. IV. *Quandonam præceptum contritionis obligat?*

Resp. Tenemur jure divino & naturali ad non differendam saltem notabiliter contritionem sufficientem ad justificationem post mortale admissum, ita ut notabilis ejus dilatio sit novum peccatum mortale. *Prob*. 1. Ex Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Item Christus, Matth. 24. & 25. Marc. 13. Luc. 21. jubet nos semper vigilare & paratos esse ad mortem. Sed hoc præceptum violat qui notabili tempore manet in statu peccati; nam non vigilat, nec paratus est. 2. Ex Patribus, qui passim longam Pœnitentiæ dilationem graviter increpant. 3. Notabilis dilatio contritionis, quæ à Deo statuta est ad satisfaciendum ejus offensæ, ejusque amicitiam recipiendam, est graviter injuriosa Deo; nam est violatio juris divini exigentis reparationem injuriæ, Deo illatæ sine notabili mora. Idem quippe jus obligans ad compensationem injuriæ simul obligat ad illam non differendam saltem notabiliter, ut patet in injuriis humanis. Præterea tempore notabili non curare de reconciliatione cum Deo ineunda, & permanere voluntariè in inimicitia Dei, dum ab eo sollicitaris ad redeundum in gratiam, est secundùm æstimationem prudentum virtualiter amicitiam divinam contemnere. 4. Gravis est inordinatio voluntariè notabili tempore sejungi, & habitualiter averti à fine ultimo, ut rem magis ex morali quodam judicio quàm ex subtili disquisitione expendenti facilè patebit. 5. Per talem dilationem peccator exponit se periculo labendi in novum peccatum: nam ex communi Patrum & Doctorum doctrina, homo non potest diu in peccato mortali versari, quin iterum in novum mortale incidat. *Peccatum quod Pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit*, ait S. Gregorius, l. 23. mor. c. 9. Hinc illud, Eccli. 3. *Peccator adjiciet ad peccandum*. Et verò (ut ait Delugo) hæc est voluntatis natura, ut quisque operetur juxta id quod amat & intendit, nec diu eligere possit media difficilia ad finem alium, quem minùs amat.

Quare notabilis dilatio contritionis est peccatum mortale contra virtutem Pœnitentiæ, & contra charitatem, vetantem contemptum quemlibet divinæ amicitiæ. Quænam autem dilatio notabilis censeatur, ut sufficiat ad mortale, ex morali judicio æstimandum est, opportunitate, periculis, tentationibus, & aliis circumstantiis spectatis.

Cæterum secundùm omnes contritionis præceptum obligat per se in quovis probabili periculo mortis: quia cùm post mortem observari nequeat, homo se committeret periculo illud non observandi. Per accidens verò obligat quoties quis Sacramentum aliquod vult ministrare, vel suscipere, quia ex virtute religionis tenetur sanctâ sanctè tractare, & proinde sibi comparare statum gratiæ. Item quando necessaria judicatur ad superandam tentationem, vel avertendam calamitatem publicam.

Resp. 2. Quisque tenetur lege naturali divina elicere contritionem perfectam in articulo mortis. Ita communiùs. Quia recta ratio dictat in negotio salutis æternæ, eo tempore quo exacto defectus fit irreparabilis, adhibendam esse viam tutiorem, & omnem securitatem moraliter possibilem, qualis est omni adulto contritio perfecta. Nam nemo certò scit se immunem esse ab omni mortali, nec se liberandum esse per contritionem imperfectam cum Sacramento: quia potest tibi deesse baptismus, sine quo nemo est capax alterius Sacramenti; posset confessarius non esse ritè ordinatus, caruisse intentione necessaria, &c. Nec satis est elicere amorem Dei perfectum dum occurrunt animo peccata; nam tunc ex præcepto elici debet contritio formalis, ut dixi.

Quæst. V. *An ad remissionem venialium, etiam in justo, requiratur aliqua pœnitentia seu displicentia, ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis?*

Responsio. Affirm. Ita communiter cum S. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 1. *Prob*. 1. ex Script. quæ asserit indistinctè & generaliter con-

contritionem esse necessariam ad remissionem peccatorum. 2. ex S. Augustin. epist. 48. *Nec quemquam putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Et, serm. 1. in Ps. 58. *Iniquitas omnis parva magnave sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante: nam & quem pœnitet, punit seipsum ..... Non potest impunitum relinqui peccatum.* 3. Sapientiæ & justitiæ divinæ plane convenit, ut omnis Dei offensa propria voluntate admissa, sine retractatione ac displicentia saltem virtuali non remittatur. Ergo rectè creditur Deus, qui connaturalem rerum exigentiam ac convenientiam semper servat, statuisse ut peccata etiam venialia non condonarentur sine aliquia eorum Pœnitentia saltem virtuali; quæ consistit in actu supernaturali virtutis alicujus, vi cujus displiceret illud peccatum, si memoriæ occurreret.

Quæst. VI. *Quanam contritio requiritur & sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ?*

Resp. 1. Ad valorem & effectum Sacramenti requiritur contritio formalis, interna, supernaturalis, universalis respectu mortalium, efficax, & appretiativè summa. Itaque debet esse. 1. Formalis, qualis generatim descripta est, nempe quæ sit animi dolor ac detestatio formalis de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero, ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. Nam contritio est pars necessaria Sacramenti, ex can. 4. Item saltem in praxi requiritur, præter dolorem, etiam propositum formale & expressum; nam non est certum sufficere virtuale: imò Concil. Florentinum explicando contritionem requisitam, expressè commemorat dolorem & propositum, & illa tanquam duo requirit. Et à Concilio Tridentino contritio definitur, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* At definitur per partes essentiales, alioqui dolor & detestatio non essent etiam partes essentiales: nam Conc. tam requirit simpliciter propositum, & particula *cum* significat conjunctionem &c. Hinc non sufficit perfecta dilectio, quia non est contritio formalis, sed solùm virtualis.

2. Interna, ex Joel. 2. *Scindite corda vestra:* nam est animi dolor; alioqui non esset contritio, sed merum simulacrum contritionis, quo Deus, qui intuetur cor, decipi non potest. At non necesse est, ut contritio sit sensibilis: nam ex Concil. Trident. est animi dolor. Animus autem mentem & voluntatem, non appetitum sensitivum significat. Sæpè tamen sensibilis est, quia sæpè ex ea oritur motus appetitus sensitivi.

3. Supernaturalis, hoc est, facta ex motivo supernaturali per auxilium gratiæ. Ex Concil. Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine praveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et verò dispositio debet esse proportionata formæ, & ejusdem ordinis cum illa: forma autem, nempe gratia sanctificans, est supernaturalis; ergo contritio, quæ est dispositio ad illam, debet quoque esse supernaturalis. Quare peccator humilibus ac crebris precibus contritionis gratiam à Deo per Christi merita petat his verbis, Jerem. 31. *Converte me & convertar: quia tu Dominus Deus meus.*

4. Universalis, ita ut dolor se extendat ad omnia mortalia admissa, & adsit propositum omnia omnino mortalia in posterum vitandi, propter motivum omnibus etiam oblitis commune, ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet.* Nam unum mortale non potest remitti sine omnibus aliis, cùm per quodlibet avertamur à Deo, & nullum remittatur sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est incompossibilis cum omni mortali. Ergo ut contritio valeat ad remissionem mortalium, debet valere ad remissionem omnium. Non potest autem valere ad remissionem omnium mortalium, nisi virtualiter saltem & implicitè ad omnia se extendat, per rationem omnibus communem, ut patet. Hinc Conc. gener. Lateran. II. cap. 22. ait: *Falsam pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus de uno solo pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de uno ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est, (Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus) scilicet quantum ad vitam æternam; sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantùm maneat, æternæ vitæ januam non intrabit, &c.*

5. Efficax & absoluta, ita ut excludat omnem affectum ad quodvis mortale; & contineat propositum firmum servandi omnia mandata, & adhibendi omnia media ad fugam peccati, & mandatorum observationem necessaria, cujusmodi sunt destructio causarum pec-

peccati; fuga occasionis proximæ, cupiditatum ac sensuum mortificatio, oratio crebra, &c. Nam Concil. Trid. sess. 12. cap. 4. requirit propositum non peccandi de cætero, hoc est, nunquam peccandi, ideòque semper servandi omnia mandata saltem graviter obligantia. Præterea vera Pœnitentia, seu contritio est vera conversio cordis ad Deum, quæ non potest esse sine odio efficaci peccati, & amore efficaci justitiæ, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. *Declarat S. Synodus hanc contritionem* (necessariam quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum) *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud*, Ezech. 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum*. Certè contritio, quæ cor novum & spiritum novum facere debet, est maximè efficax.

Ad efficaciam contritionis pertinet etiam voluntas faciendi quidquid Deus requirit ad destructionem peccati, nempe confitendi, satisfaciendi, &c.

6. Appretiativè summa, ita ut homo oderit ac detestetur peccatum supra omnia alia mala, sitque paratus omni bono carere, & quodvis malum pati, potiùs quàm peccare mortaliter, & Dei amicitiam rebus omnibus præferat. Nam contritio necessaria ad justificationem, est conversio ad Deum ex toto corde, totalitate appretiationis, juxta illud, Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Et, Deut. 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ*. Enim verò sicut Deus est summum bonum, ideòque supra omnia diligendus: ita peccatum, quod est Dei offensa, & ejus amicitia ac possessione privat hominem, est summum malum, ideòque summè detestandum ac vitandum.

7. Ut sit cum spe veniæ conjuncta. *Vide* Concil. Trident.

Porrò contritio debet esse talis reipsa & non solùm opinione. Nam, ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Sed pars Sacramenti, realis & veri, debet esse vera & realis, & non tantùm existimata; nostra enim existimatio nihil ponit in re. Cùm ergo res esse nequeat sine omnibus suis partibus essentialibus veris, nec etiam Pœnitentiæ Sacramentum potest esse sine aliqua contritione vera, qualis à Deo requiritur.

Resp. 2. Ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur insuper ut talis contritio includat aliquem Dei amorem, non tamen qui extra Sacramentum justificet. *Prob.* 1. Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. ubi agens de dispositionibus ad justificationem in Baptismo requisitis, sic ait: *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet*. Quantò magis talis amor requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ex Concil. Trident. est laboriosus Baptismus? 2. Authoritate Cleri Gallicani, ann. 1700. ita docentis. *Et quidem de dilectione Dei sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo imprimis ex S. Synodo Tridentina, monenda & docenda esse ducimus: Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Neque verò satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet*. 3. Quia ex Script. Patribus, & Concil. Trident. ad justificationem omnem adulti requiritur vera conversio ad Deum: vera autem conversio ad Deum includit aliquem Dei amorem. 4. Homo per peccatum mortale avertitur à Deo & convertitur ad creaturam, ponendo in ea suam beatitudinem seu suum finem ultimum. Ergo ut se ad Deum verè convertat, & peccati remissionem obtineat, debet non solùm averti à creatura, sed etiam converti ad Deum, ipsum super omnia amando, saltem ut suum summum bonum, & suam beatitudinem. Præterea homo non potest esse ita dispositus, ut nullum bonum appetat & amet, in quo ultimò conquiescat & suam beatitudinem ponat. Ergo si jam non amat, nec expetit bonum creatum, in quo ultimò conquiescat & beatitudinem suam

peccat[illegible]ò monendi sunt pœnitentes, ut cont[illegible]m confessioni semper præmittant: tum [illegible] alioqui periculum esset ne ante absolutionem non eliceretur: tum quia secundùm aliquos confessio manare debet ex contritione, ut sit accusatio dolorosa, aliàs futura mera peccatorum historica narratio; & ut reddat contritionem sensibilem. Unde monent pœnitentem qui sine contritione confessus fuisset, debere post contritionem elicitam dicere: Ego me accuso de peccatis declaratis; vel confessario quærenti an non se iterum accuset de peccatis illis, respondere, Ita. Nam ubi agitur de Sacramentorum valore, tenemur sequi partem tutiorem, quamvis esset minùs probabilis. Ob hanc rationem in praxi elici debet contritio ex intentione confessionis, vel absolutionis; & qui nihil cogitans de confessione contritionem elicuit, debet aliam denuò elicere. Quia est tutius, & probabile est id requirit, ut aliqui docent: tum quia pars debet referri ad compartem, & illi moraliter uniri, ut totum cum illa constituat: tum quia contritio sine relatione ad Sacramentum non esset actio Sacramentalis. Et quamvis fortè contrarium, quod docet Delugo, esset probabilius, tamen non est omnino certum.

Nota. In praxi requiritur nova contritio, quoties datur nova absolutio: quia appositum non est omnino certum, & nova forma exigit novam materiam proximam. Quære si quis statim post absolutionem recordans mortale, illud addat, debet ante novam absolutionem renovare contritionem.

Resp. 4. Attritio concepta ex metu gehennæ includens amorem Dei appretiativè summum, etsi non perfectum, cum spe veniæ, sufficit absolutè ad justificationem in Sacramento impetrandam, si habeat alias conditiones suprà requisitas.

Prob. Quia non requiritur contritio charitate perfecta, quæ semper justificat extra Sacramentum: nam si requireretur, Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum, nunquam peccatores reconciliaret; imò nec reconciliare posset, sed semper reconciliatos exigeret; cùm contritio perfecta semper reconciliet. At absurdum est, quòd Sacramentum in re *pro fidelibus Deo reconciliandis à Christo institutum*, qualis est Pœnitentia, ex Conc. Trid. sess. 14. can. 1. nunquam reconciliare possit, sed semper exigat & supponat jam reconciliatos. Nam absurdum est instituere medium ad aliquem finem obtinendum, quod semper necessario præsupponat jam consecutionem finis. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum nisi vivorum.

Cæterum quoad praxim, pœnitentes semper adducendi sunt ad eliciendam contritionem perfectam: tum quia est actus Deo gratior & pœnitenti utilior, & qui supplebit defectus qui possent esse ex parte ministri, vel sui, ut si non esset verè baptizatus: tum quia actus charitatis sæpissimè in vita ex præcepto eliciendus est.

Quæst. VII. *An est mortale confiteri sola venialia sine contritione formali & efficaci saltem de aliquo?*

Resp. Affirm. *Ita communiter*. Quia tunc redditur forma nulla, & Sacramentum nullum ac sine effectu, defectu materiæ essentialis. Contritio enim vera & efficax est pars materialis & essentialis Sacramenti. Est autem grave sacrilegium reddere voluntariè Sacramentum nullum & sine effectu; & gravis irreverentia facere ut verba Christi ab eo instituta & ejus nomine debitè prolata, qualia sunt verba formæ, applicentur frustra & quasi irrisoriè. Non est tamen mortale non habere contritionem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur, modò habeatur de aliquo: quia id non est necesse ad valorem & effectum Sacramenti, cùm unum veniale possit remitti sine alio, & gratia sanctificans possit subsistere cum venialibus. Nec tunc gravis irreverentia infertur Sacramento, cùm aliunde ponatur materia valida; quamvis sit aliqua irreverentia & mendacium confiteri aliquod veniale, de quo non doleas: nam, ut ait Suarez, confitens peccatum, hoc ipso exercitè dicit se dolere de eo, & velle ab eo absolvi.

ARTICULUS II.

De Confessione.

NOta. Confessio Sacramentalis est propriorum peccatorum accusatio, facta Sacerdoti legitimo judici, ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam. Ejus dotes sexdecim recensentur his versibus:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Quæst. I. *An jure divino præcepta sit confessio Sacramentalis omnium & singulorum mortalium post baptismum commissorum?*

Resp. Affirm. Fide constat, 1. Ex Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis Christus confert Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus judiciariam potestatem remittendi peccata, & illa retinendi, exercendam rectè & prudenter. At hæc potestas non potest rectè & prudenter exerceri, nisi audita priùs causa per confessionem; nec possent peccata retineri absolutè, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio. Unde præceptum divinum confessionis includitur in ipsa Sacramenti institutione. 2. Ex perpetua traditione. 3. Ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. *Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, &c.* Immo confessio illa est necessaria necessitate medii in re vel in voto, quatenus est pars Sacramenti sic necessarii.

Quæst. II. *Quandonam hoc præceptum obligat?*

Resp. Obligat per se, 1. In quovis mortis periculo, ut gravi morbo, difficili partu, navigatione periculosa, instante conflictu, &c. Concil. Mediol. V. sub S. Carolo. Nam alioqui homo se committeret periculo nunquam servandi tale præceptum. Præterea in mortis periculo adhiberi debent media omnia ad salutem necessaria, qualis est confessio post lapsum in mortalem culpam. 2. Etiam sæpè per vitam extra mortis periculum: tum quia peccator per se & independenter à mortis periculo tenetur ad Pœnitentiam secundùm leges à Deo institutas: tum quia Sacramentum Pœnitentiæ à Deo institutum est non solùm ad remittendum peccata commissa; sed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Christus voluit ut peccatores illud sæpiùs in vita reciperent. Præterea qui præcipit aliquid, nec determinat tempus, vult illud non differri nimis diu, nec expectari tempus extremum.

Obligat verò per accidens, seu ratione alterius præcepti. 1. Quoties Eucharistia sumenda est. 2. Quando est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, vel ad vitanda nova peccata.

Sed an obligat statim post mortale admissum, data videlicet prima opportunitate?

Resp. Plurimi negant, quia Ecclesia, quæ determinavit præceptum divinum confitendi, obligat tantùm ad confessionem annuam; & aliàs obligando tantùm ad semel per annum confitendum; dedisset occa[illegible] transgrediendi præceptum divinum. [illegible] volunt posse expectari tempus comm[illegible]nis paschalis. *Differre confessionem usque ad hoc tempus* (Paschæ) *per se loquendo licitum est: sed per accidens potest fieri illicitum, putà si immineat aliquis articulus, in quo confessio requiratur,* ait S. Thom. quodlib. 1. art. 11. & Sylvius id confirmat: quia, inquit, catechumeni non tenentur ad statim suscipiendum baptismum. Imò Ecclesia olim vetuit ne unquam adulti extra casum necessitatis urgentis baptizarentur, nisi in vigilia Paschæ, vel Pentecostes.

Alii cum S. Bonav. in 4. dist. 17. qu. 2. art. 2. docent hoc præceptum obligare quando opportunè potest impleri moraliter loquendo, & major opportunitas temporis, loci, & Sacerdotis ad confitendum expectari prudenter non potest. 1. Quia præcepta affirmativa, quæ per se sæpè obligant in vita, obligant saltem pro temporibus ex prudenti judicio determinandis. At obligatio præcepti confitendi determinatur prudenter ad tempus, quo opportunè impleri potest, & major opportunitas expectari nequit. 2. Pœnitentiæ Sacramentum est remedium ad peccata tollenda & præcavenda à Christo institutum ac præceptum. Prudentia autem dictat remedia, quæ aliquando necessaria sunt, adhibenda esse tum cùm adhiberi opportuniùs nequeunt. Dicunt autem Ecclesiam non intendisse determinare adæquatè omne tempus, quo præceptum divinum obligat per se, nec dare licentiam differendi, sed solùm prohibere negligentiam & dilationem ultra annum, & ideò addidisse in suo præcepto, *saltem* semel in anno: sicut etiam cùm prohibet ne quis ultra annum in excommunicatione maneat, non dat licentiam in illa toto anno permanendi.

Quæst. III. *An ex præcepto divino teneamur confiteri mortalium numerum, species, & circumstantias?*

Nota. Circumstantia moralis est affectio, seu conditio actus humani, ad ejus bonitatem vel malitiam conducens. Circumstantiæ septem recensentur hoc versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Aliæ mutant speciem, hoc est, dant actui novam speciem peccati: ut si percutiatur clericus, circumstantia personæ addit injustitiæ peccato malitiam sacrilegii, ob oppositionem cum religione. Huc etiam pertinent circumstantiæ, quæ efficiunt peccatum mortale

tale, qu[illegible]agui fieret veniale, ut circumstan[illegible] patris in contumelia, quæ in aliu[illegible]ta conferretur levis culpa; item quantitas materiæ. Nam mortale & veniale sunt diversæ speciei Theologicæ, etiamsi sint ejusdem speciei moralis, ut grave & leve furtum. Aliæ verò non mutant speciem, sed peccatum intra eandem speciem notabiliter aggravant, vel minuunt, ut major, vel minor quantitas mortalis, duratio, intentio, &c. Aliæ demum multiplicant peccatum intra eandem speciem, ut numerus personarum, quas læseris, &c.

Porrò circumstantia mutat speciem, cùm propter illam actus habet disconvenientiam cum natura rationali & lege divina notabiliter diversam, vel oppositionem cum diversis specie præceptis, aut virtutibus, vel modum oppositionis cum eadem virtute notabiliter diversum.

Resp. 1. Pœnitens jure divino tenetur confiteri distinctè omnia & singula mortalia, quoad numerum, species, & circumstantias peccati speciem mutantes, prout sunt in conscientia. Fide constat ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant .... anathema sit.*

Dixi *species*. Nam ex loco cit. omnia & singula mortalia exprimi debent. Tò *omnia* indicat species, & tò *singula* numerum. Item circumstantiæ speciem mutantes declarandæ sunt; ergo à fortiori ipsæ species, propter quas illæ declarari debent. Ratio est, quia peccatum aperiendum est ob malitiam; ergo distinctæ specie malitiæ, etiam distinctè declarari debent.

Nota. Qui non potest determinate præcisè numerum suorum peccatorum, tenetur exprimere eorum numerum cum aliqua latitudine verisimiliore, dicendo, v. gr. Commisi hoc peccatum decies, plus, minùs. Quòd si propter lapsuum multitudinem nequidem possit sic numerum exprimere, interrogandus est ex quo tempore talem consuetudinem habuerit, & quoties circiter per diem, vel hebdomadam, vel mensem consueverit talem culpam admittere; ut sic, quantùm fieri potest, numerus peccatorum confessario innotescat: an non etiam aliquo tempore frequentiùs, alio rariùs illam commiserit. Qui verò aliquandiu in aliqua mala voluntate, v. gr. hominem occidendi remansit, tenetur exprimere quantùm moraliter fieri potest, numerum actuum intra illud tempus iteratorum; nec satisfacit dicendo: habitualiter perseveravi per mensem in voluntate occidendi, fornicandi. Quare confessor ab eo quærere debet, an & quoties singulis diebus, hebdomadis, malam illam voluntatem iterarit, & quæsierit modum illam exequendi.

Resp. 2. Numerus personarum, quæ sunt objectum peccati, & quantitas materiæ, debent in confessione exprimi. Quia sunt aliquid se tenens ex parte objecti peccati, & ad illud pertinens, & constituens actum in suo esse individuali: ideòque aperiri debet ut cognoscatur substantia actus individua: nec peccatum potest sufficienter exprimi, non expresso toto objecto. Imò numerus personarum multiplicat numerum peccatorum. Hinc declarandus est numerus personarum, quas uno actu oderis, uno actu læseris, aut occideris, vel quibus uno facto, aut dicto scandalum præbueris, vel de quibus, aut coram quibus uno sermone detraxeris, &c.

Resp. 3. Pœnitens tenetur etiam declarare circumstantias, quæ intra eandem speciem aggravant notabiliter peccatum, seu malitiam mortalem illi addunt. Suarez, Sanchez, & alii communiùs. *Prob.* 1. Ex cap. *Consideret*, de pœnit. dist. 1. & ex Catechismo Romano, & ex S. Carolo, in Instruct. Confess. 2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem, ut constat ex multis Pœnitentialibus, Ritualibus tum antiquis, tum recentioribus. Non reservantur autem, nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis. 3. Quia rationes, quas affert Conc. Trid. sess. 14. c. 5. pro obligatione confitendi circumstantias speciem mutantes, nimirum *quòd sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere:* valent etiam pro circumstantiis aggravantibus; unde Concil. Trid. implicitè & virtualiter docet illas aperiri debere. Nam sine his neque peccatum integrè exponitur, nec innotescit Sacerdoti, cùm supprimatur malitia mortalis, quam illæ addunt, & per quam peccatum fit virtualiter ac æquivalenter duplex numero, vel triplex. Neque etiam Sacerdos potest sine illis rectè censere de peccatorum gravitate, nec pœnam

nam proportionatam imponere, cùm non cognoscat gravitatem malitiæ mortalem, quam peccatum habet ex circumstantia, ob quam est multò majori pœna dignum; & quæ notabiliter variat judicium confessoris. Igitur rectitudo & æquitas judicii illius à Christo requisita, circumstantiæ aggravantis confessionem exigit. 4. Ex Conc. Trid. can. 7. omnia & singula mortalia etiam intra eamdem speciem declaranda sunt. At circumstantiæ mortaliter aggravantes sunt multa peccata virtualiter & æquivalenter, sive actus cum sua circumstantia mortaliter aggravante est multiplex virtualiter peccatum intra eamdem speciem: nam circumstantia mortaliter aggravans, addit actui gradum malitiæ mortalis. In moribus autem multiplicitas virtualis & physica perinde se habent.

Ratio autem horum à priori est voluntas Christi instituentis hoc peccatorum remedium per modum judicii primariò reconciliativi ac sanativi, & secundariò punitivi, cujus rectum exercitium ejusmodi confessionem exigit.

Dices. Si hoc ita esset, Conc. Trid. id definisset expressè. *Resp.* Neg. Quia Concilium voluit solùm damnare expressè errores hæreticorum, contra quos ejus doctrina est accurata. Sed in illorum damnatione multa docuit, ex quibus colligitur quid sit sentiendum circa quæstiones inter catholicos controversas, licèt eas expressè definire noluerit.

Nota. Pœnitens debet etiam declarare circumstantias necessarias ad cognoscendum suum statum, suam dispositionem & necessitatem spiritualem, ut si sit implicatus consuetudine peccandi, vel in occasione peccati versetur. Nam hæc cognitio necessaria est confessario, medico ejus spirituali, ut remedia apta suggerat.

Resp. 4. Pœnitens tenetur etiam declarare circumstantias notabiliter minuentes gravitatem peccati, sive efficiant ne peccatum sit mortale, sive ne mortale habeat novam malitiam mortalem: quia alioqui confessor deciperetur in re gravi, & non posset rectè judicare de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ.

Nota. Peccata debent sic aperiri, ut confessor ea intelligat: nam ex Conc. Trid. Deus jubet peccata declarari eo modo, quo Sacerdos possit de iis rectè judicare, & satisfactionem convenientem, ac remedia opportuna præscribere. Et sic præcipitur confessio, quæ à Sacerdote distinctè intelligatur: aliàs inanis esset. Quare si intelligas confessorem ob distractionem, vel surdi[illegible] vel quamlibet aliam causam, non pe[illegible] aliqua peccata prout illa nosti, teneris [illegible] repetere. Quòd si nescias quænam sint illa, debes confessionem totam repetere, cùm de singulis prudenter possis dubitare.

Quæst. IV. *An actus externus exprimi debeat?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex communi sensu Doctorum, & praxi fidelium. 2. Actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum, & unum peccatum totale, & reipsa prohibetur per legem. Christus autem voluit explicari totum peccatum, completum in genere moris. 3. Sine confessione actus externi, non satis declaratur actus externi efficacia, intentio, extensio, duratio, nec proinde tota ejus gravitas innotescit. 4. Nisi declaretur actus externus, Sacerdos non potest, ut par est, fungi officio suo. Nam non satis cognosceret statum pœnitentis, quæ remedia danda, quæ satisfactiones, vel obligationes imponendæ essent: actus enim externus obnoxius est censuris, irregularitati, & variis obligationibus, quibus immunis est actus merè internus. 5. Actus externus scandalum parit, non internus. 6. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Quæst. V. *An exprimi debeat effectus malus, qui ex actu externo secutus est?*

Resp. Affirm. Quia talis effectus sequitur ex actu externo liberè posito, & meritò imputatur ad culpam ei, qui causam liberè posuit, & in qua fuit prævisus, vel prævideri potuit. Præterea pertinet quodammodo ad objectum peccati, estque liber & malus à libertate & malitia voluntatis à qua procedit. Adde quod ejus declaratio sæpè necessaria est, ut confessor cognoscat statum pœnitentis, & an contraxerit aliquam censuram, vel irregularitatem, vel obligationem restituendi, &c. Hinc qui propinavit alteri venenum, ex quo mors secuta est, tenetur declarare mortem inde secutam esse.

Quæst. VI. *An pœnitens aliquando tenetur detegere in confessione complicem?*

Nota. Constat id non licere, si pœnitens possit aliter peccatum suum sufficienter exprimere; vel sine gravi incommodo possit adire confessarium cui complex sit ignotus; vel peccatum aliàs sit ritè confessus; & tunc faciat confessionem generalem: quia in his

cas-

casibus [redacted] causa proximum infamaret, quod [redacted] licet. Quare confessor tenetur [redacted] pœnitentem, quem animadvertit ad id paratum esse, & arguere cùm revelat peccatum alterius sine justa causa. Item pœnitens debet per aliquod tempus, si commode potest, differre confessionem, ut habeat alium confessarium, cui complex sit ignotus, nisi urgeat præceptum confitendi, vel communicandi. Non tamen tenetur differre per longum tempus, præsertim si sit in peccato mortali, vel si omissio cum aliqua nota foret, vel interruptio communionis ei gravis esset: quæ dilatio ex prudenti judicio definienda est.

Resp. Pœnitens tenetur manifestare complicem, seu socium criminis, dum aliter non potest peccati proprii speciem, vel gravitatem mortalem aperire, nec potest differre commodè confessionem, nec adire confessarium, cui complex ignotus sit. Ita S. Bernard. de forma honestæ vitæ, SS. Thom. Bonav. & Antonin. Suarez, Vasquez, & alii. Quia 1. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. Christus integram peccatorum confessionem secundùm suas species, & totam suam gravitatem mortalem universaliter præcepit. Ergo ad eam tenetur pœnitens, non obstante infamia sive propria, sive alterius, quæ per se apud eundem confessorem sequitur ex confessione necessaria: nam qui vult aliquid, illud vult etiam non obstante incommodo, quod per se ex eo sequitur, vel ei conjunctum est. Et verò pœnitens ad integritatem illam tenetur cum propria infamia: ergo & cum infamia alterius, cùm ejus peccati declaratio necessaria est ad integrè proprium confitendum; nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem ut seipsum infamet, quam ad obligandum ut alterius crimen aperiat; aliquando enim possum patefacere crimen alienum ad vitandum aliquod malum meum temporale injustum, licet ideò non obligare ad crimen meum detegendum.

Ratio propter quam ex Concil. Trid. cit. Christus præcepit integram peccatorum confessionem, scilicet ut Sacerdos possit prudenter judicare, punire, curare, &c. non minus probat integritatem confessionis fieri debere cum notitia complicis ad hos fines necessaria, quàm cum propria infamia pœnitentis. Præterea inter christianos complex suo facto tacitè renunciat juri quod habet ad servandam famam, sciens necessitatem confitendi peccata.

Hinc pœnitens qui cum unica sorore sua nota confessario commisit incestum, tenetur confiteri incestum in tali gradu.

In eadem hypothesi pœnitens tenetur detegere personam, quæ fuit objectum peccati, licèt inculpabiliter, ex quo tamen in illa redundat aliqua infamia apud confessarium, ut si quis sorori quamvis omnino invitæ & reluctanti stuprum intulisset. Nam hic eadem ratio valet; præceptum enim integritatis confessionis obligat pœnitentem ad detegendum defectum aliquem occultum proprium infamem, licèt inculpabilem, si id necessarium sit ad exprimendum sufficienter suum peccatum, ut si occultò illegitimus sit, & sine dispensatione susceperit Ordines.

Observa. Licet etiam patefacere complicem, quando hoc necesse est, ut media idonea suggerantur pœnitenti, quibus à proxima occasione peccati liberetur, vel ut pœnitens doceatur, qua ratione satisfacere possit obligationi justitiæ, aut charitatis, qua tenetur avertere grave malum imminens communitati, vel complici, vel alicui tertio. Quia tunc subest rationabilis causa detegendi; & quia alteri aperire peccatum occultum proximi extra confessionem notum, non est malum, nisi dum fit sine justa ac rationabili causa, vel ex intentione illum infamandi. (a)

Quæst. VII.

(a) De Sacramento Pœnitentiæ, quod est ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N. BENEDICTI XIV. constitutiones. Prior, quæ incipit *Suprema omnium Ecclesiarum*, extat in Vol. 1. Bullarii pag. 535. altera cujus initium est, *Ubi primum* habetur Vol. 2. pag. 54. utramque exposuit, & commentariis illustravit V. Cl. Ludovicus Antonius Muratori. Ex quo & regulas Confessariis præscriptas, & nonnulla, quæ clare Pontificias Constitutiones declarant, excerpsimus, atque Authori, qui hac in re ob nimiam brevitatem est obscurus, addidimus.

I. Inquirere nomen Pœnitenti non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates, & circumstancias, quæ personam illius detegant sine ulla rationabili causa. Rectè respondit quadam mulier de suo nomine interrogata: nomen meum peccatum non est. Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet pœnitentibus nomen Complicis revelare: ejus enim est peccata sua, non aliena, accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ Proximi sine ulla necessitate detrahit. Num tu æquo animo ferres, si quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo præsta erga alios id, quod ab aliis erga te præstitum cupis.

III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen, & ignorantia, Complicis nomen in confessione detegit, ut rudibus è vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen est, ut in posterum abstineat.

IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte Com-

Quæst. VII. *An peccata dubia debeant aperiri in confessione?*

Resp. Affirm. Si dubium sit cum fundamento, sive dubites an mortaliter peccaveris, sive an confessus fueris peccatum, quod certò scis esse mortale. Ita Suarez, Sanchez, Delugo, Valent. &c. Et videtur communis sententia. *Prob.* 1. Ex sensu & praxi fidelium, cujus initium dignosci nequit: quare ab ipsis Apostolis à Christo, vel Spiritu Sancto edoctis manavit. 2. Ex ipsa natura Sacramenti per modum Tribunalis instituti, in quo cùm Christus constituerit Sacerdotes tanquam Vicarios Dei pro remissione peccatorum obtinenda, voluit ut ea omnia peccata ad eos deferrentur, pro quibus præcepta erat contritio perfecta, qualia sunt non solùm mortalia certa, sed etiam dubia. 3. Non confitendo illa, exponis te periculo non confitendi omnia mortalia, contra præceptum divinum. 4. Possessio stat pro lege confitendi, à qua Conc. Trid. sola venialia excipit. 5. Ex Conc. Trid. peccata, quæ sunt in conscientia debent declarari: at dubia ut dubia sunt in conscientiâ, & remitti debent saltem ut dubia, & proinde cognosci ut talia. Confirmatur ex S. Thom. quæst. 6. supplementi artic. 4. ad 3. ubi ait: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confit*[redacted]*atione manente. Quia qui aliquid c*[redacted]*vel omittit, in quo dubitabat esse* [redacted]*rtale, peccat mortaliter, discrimini* [redacted] *committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri: non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere lepram & lepram.*

Porrò lex confessionis non est odiosa, sed favorabilis, cùm sit à Christo instituta ad salutem animarum, & ad peccata commissa delenda, ac futura præcavenda.

Hinc 1. Qui certò judicat se peccasse mortaliter, sed dubitat an peccatum illud confessus fuerit, tenetur illud confiteri: quia non potest prudenter judicare se certæ obligationi confitendi integrè satisfecisse.

Hinc 2. Qui scit se commisisse peccatum aliquod, sed dubitat sit ne mortale an veniale, tenetur hoc peccatum confiteri: Nam non potest prudenter judicare, se non peccasse mortaliter: ac proinde omittens confessionem illius peccati, exponeret se periculo non faciendi confessionem integram.

Hinc 3. Qui post diligens examen dubitat an aliquod peccatum, quod scit esse mortale, admiserit, tenetur illud confiteri. Nam is

plicem in confessione revelat, nullum incurrit peccatum. Justus exempli causa titulus est, ut petatur consilium ad disrumpendam pravam aliquam consuetudinem, ad consulendum famæ propriæ, cui minatur insultum Complex, si à peccando desistatur, atque aliæ hujusmodi causæ. Potior est enim tutela conscientiæ, & famæ nostræ, quàm alterius.

V. Nomen Complicis sibi sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum, sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps disputatio est, an oblata sponte à pœnitente licentia revelandi Complicis, ea uti Confessarius possit ad correctionem ejusdem Complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot heic diversi casus occurrere possunt, in quibus tam prudenter quàm imprudenter ejusmodi licentia uti Confessarius potest, ut certa statui heic regula nequeat. Sed infra hac de re sermo recurret.

VII. Ad integritatem confessionis licite potest, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de Complice, quum videlicet occurrere possit circumstantia aggravans, & speciem peccati mutans. Neque enim exempli causa sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

VIII. Confessarius in hoc casu interrogans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret à pœnitente, per quæ sibi persona Complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito satis pœnitens fecit aperiendo circumstantiam peccati, & dum cætera rite concurrant, absolvendus est. Ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere pœnitens tenetur; imo ex complurium Theologorum sententia peccaret, si revelaret, ob præceptum non infamandi proximum.

IX. Ubi ex necessitate integritatis confessionis pœnitens animadvertit, fieri non posse, quin Confessarius Complicem cogniturus sit; puta si res fuit cum sorore, aut uxore fratris: tunc ex sententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad querendum, & adeundum alium Confessarium, cui ignotus sit Complex. Verum graves alii Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero præceptum.

X. Accidere interdum potest, ut adigendus sit pœnitens ad revelandum Complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera Populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia aut per se, aut per ipsum pœnitentem remedia conquirat. Nisi revelare velit pœnitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiæ, quàm charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privatæ alicui personæ imminere potest, non loquor; nam ferè semper suppressis Complicum nominibus, consilium præbere potest Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere à pœnitentibus nomina Complicum absque justa necessitate velit. Gravius etiam delinquit, si ob negatam reve-

is non potest [illegible]icare prudenter se non admisisse t[illegible]tum; ac proinde si illud non confiteatur, exponit se imprudenter periculo non faciendi confessionem integram. Item is non vult sufficienter & quantùm est in se satisfacere obligationi confitendi omnia mortalia.

Observa. 1. Peccata dubia declaranda sunt ut dubia, sicut certa ut certa. 2. Qui mortale ut dubium confessus est, si postea certò norit illud à se commissum esse, tenetur iterum illud confiteri ut certum; quia ex institutione Christi pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri prout sunt in ejus conscientia, & eo modo, quo Sacerdos rectè censere possit de eorum gravitate, & pœna convenienti imponenda. E contra qui peccatum ut dubium confessus est, quod postea cognoscit se non commisisse, non tenetur in sequenti confessione id aperire: quia carentia peccati non est materia confessionis. 3. Qui non habet peccata nisi dubia, tenetur confiteri peccatum aliquod certum, saltem veniale, licèt anteà remissum, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Quæst. VIII. *An peccata mortalia ex oblivione, vel ob justam aliam causam omissa, debeant declarari in sequenti confessione?*

Resp. Affirm. Quia 1. ita est generalis fidelium persuasio, & praxis. 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. can. 7. necessarium est jure divino confiteri omnia & singula mortalia post baptismum commissa, quorum memoria habeatur. 3. Ex S. Thom. in 4. dist. 21. qu. 2. art. 2. ad 1. quodlibet mortale debet subjici sententiæ Sacerdotis, ut pro eo imponat satisfactionem convenientem. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem. *Peccata in confessione omis-*

---

lationem absolvere pœnitentem recuset. Non enim licet infamiam proximi ex legibus Detractionis investigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla constringitur pœnitens; imo, si præcisa necessitate revelaret, ex multorum sententia reum se peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem Complicis exigeret, ut per operam suam correptio, & correctio illius præstaretur. Nam Confessarii munus tantummodo est curare vulnera pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina sua sibi revelare nolunt; imo cavere debet à corripiendo ob scandala, quæ inde facile consequerentur.

Quod attinet ad primam Constitutionem: In primis, *inquit*, animadvertendum est quod heic damnatur omnis Confessariorum curiositas, quæ necessaria, aut utilis non sit pœnitentibus. Hoc est, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen & habitationem Complicis, & præcipuè puniendus dicitur, qui minis, & negata absolutione notitiam hanc exculpere conetur. Itaque perversa, & perniciosa decernitur Confessariorum illorum praxis, *qui à Pœnitentibus, socii hujusmodi, seu Complicis nomen exquirunt; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conantur, sed quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigunt, atque compellunt; imo etiam Complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigunt designari.* Quibus verbis praxis eorum proscribitur, qui nullum justum titulum habentes Complicum nomina scrutantur, & indebitæ curiositatis reus se statuunt. Neque enim Sapientissimus Pontifex damnationem ad eos casus extendit, in quibus aut integritas confessionis, aut publica necessitas, aut pœnitentis ipsius conscientia exigit, ut pœnitens Complicem revelet. Quod quum accidit, ipsum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere potest ad revelandum, omisso tamen nomine, & loco habitationis, si fieri potest. At quandoquidem nonnulli causam hanc interrogandi de Complice præferebant, videlicet ut ipsum postea corriperent, atque in ejus utilitatem hujusmodi revelatione uterentur: casum hunc præcipue disertis verbis se damnare Pontifex profitetur, ita ut in posterum, quamvis etiam non palliata, sed in bonum finem excogitata ex causa adhiberetur, nulli Confessario liceat inquirere nomina Complicum. Sunt verba Decreti: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procuranda Complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant.* Quod sane decretum, quam justum sit, & Disciplinæ Ecclesiasticæ conforme, nemo non intelligit. E quando enim sine necessitate infamiam alterius occultam prodere fas est? Imo aut incaute, aut malitiose detectam resarcire, si per nos commode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere pœnitentes, ut sua quidem, non vero aliena crimina confiteantur: quid est quod ipsi postea sibi potestatem usurpent extorquendi à pœnitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiunt, recta intentione exquirimus, atque ut Complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi est obligatio corripiendi, nisi quos confessio reos in sacro Tribunali statuit. Contra tibi obligatio est servandi sub sigillo, quæ tibi in confessione revelantur, sive pœnitentis sint, sive aliorum. Præterea indebitis hisce interrogationibus pœnitentes à Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id, quod ipsi à detegendo abhorrent, neque ulla obligatione detegendi tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis, quotiescumque ob negatam Complicis revelationem pœnitenti absolutionem negas. Dum suo munere functus fuerit pœnitens, & peccata sua detestatus, eadem plene fuerit confessus cum proposito non peccandi, neque agitur de recidivis, de occasione proxima, aut de pœnitentibus diu in cœno gravium peccatorum volutatis; id juris ad absolutionem pœnitens acquisivit, ut sine gravi injuria, & contemptu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eandem non possit. Ad hæc quisquis ex notitia Complicis in confessione habita, quamquam licentia pœnitentis confisus, Complicem Corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est, indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus inlatum apud confessarium. In querelas igitur is facile erumpit, & sigillum Sacramentale fractum suspicetur, & Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamet: quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quando graviores tragœdias excitabit Complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licen-

omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Item qui tantùm confusè, & genericè mortalia peccata confessus est, eo quòd distinctum eorum numerum & speciem non recordaretur, tenetur postea in sequenti confessione, si recordetur, eorum numerum distinctum & speciem confiteri. Quia est præceptum divinum confitendi distinctè omnia & singula mortalia quoad numerum & speciem, quod is nondum observavit.

Quæst. IX. *An qui aliquam circumstantiam in confessione aperiendam oblitus est, teneatur postea confiteri iterum peccatum, ad quod illa circumstantia pertinet?*

Resp. Affirm. Si tota malitia hujus circumstantiæ nequeat exprimi sine declaratione peccati; quia tunc hujus declaratio per se necessaria est ad circumstantiam aperiendam.

Quæst. X. *Quanam integritas ad valorem & effectum Sacramenti re*[redacted]

Nota. Duplex distinguitur [redacted]nis integritas, materialis, & formalis. Confessio materialiter integra, est accusatio omnium omnino mortalium commissorum quoad numerum, species, & circumstantias declarandas. Confessio formaliter integra est accusatio eorum dumtaxat mortalium, quæ pœnitens potest & debet declarare in iis circumstantiis, in quibus versatur.

Resp. 1. Per se loquendo integritas confessionis ad valorem Sacramenti requisita exigit, ut quantùm moraliter fieri potest, declarentur. 1. Omnia peccata mortalia tam occulta & interna, quàm externa & publica, etiamsi aliunde essent nota confessario: neque enim notitia confessarii, sed confessio pœnitentis est pars Sacramenti. 2. Eorum numerus. 3. Omnes species morales. 4. Omnes

---

tiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, & zeli sine scientia facinus heic habes. Denique tametsi sine dolo malo, & in bonum tantummodo finem Complicis nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem: ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum à concupiscentia in transversum agatur, & in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit; satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus, minime ad Sacramentum necessariis, & tam facile scandala, & perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: *Nec fieri potuit, quin ea de causa & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint.*

In alterius verò Const. comment. iterum, *ait*, configitur quæcumque perversa Confessariorum curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare Complicem; eosque à Sacra Inquisitione puniendos S. Sedes decernit: *Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tanquam ad licitam, vel alis quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.* Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientiæ pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat; quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tunc bonus Confessarius (imprudenter fortasse) exquirat Complicis nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex inquiens: *Quod si Confessarii de Complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum reddant: tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere ad locorum ordinarios in sua cujuscumque diœcesi omnino spectabit.* Rectissime hæc: nam ea, quæ errorem, aut suspicionem erroris contra Dogmata Fidei, aut opiniones scandalosas, & perniciosas à Sede Apostolica damnatas, minime continent, ab Inquisitionis jurisdictione remota sunt. Æquissimus verò Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria jurisdictione Episcoporum, quam tamen læsam ab Inquisitore Generali iidem, ut supra vidimus, expostulabant.

Itaque si quis cognoverit, quemquam è Confessariis deliquisse modis in Pontificio Brevi expressis, obligatur ad illum denunciandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc solum quum circumstantiæ occurrunt, quæ indicent, aut justæ suspicioni locum præbeant, Confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quæ intrinsece illicita sit, nisi fortè legitima aliqua causa interrogandi, de qua supra egimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda sit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confessarius Sacramentalem absolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. *Verumtamen*, subdit Pontifex, *ab hujusmodi onere justis de causis eximi volumus, & eximimus personam ipsam Pœnitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens, à Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse: tunc eum, & ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia tenetur;*

nes circumstantiæ, tum quæ speciem mutant, tum quæ solùm addunt malitiam mortalem ejusdem speciei. 5. Ipsi actus externi, & effectus mali ac damna inde secuta. 6. Peccatum complicis, & persona quæ fuit objectum peccati, dum aliter proprium peccatum sufficienter exponi nequit. 7. Omnia mortalia dubia. *Prob.* Quia, ut probavi, horum omnium declaratio præcepta est à Christo, qui instituit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii reconciliativi & punitivi, in quo videlicet non solùm reus absolvatur, sed etiam convenienter puniatur, & contra relapsum præmuniatur. Talis autem judicii rectitudo & æquitas exigit cognitionem adæquatam causæ, quantùm moraliter haberi potest.

Hinc qui sine justa causa aliquod mortale, vel circumstantiam necessariam scienter celat, facit confessionem nullam & sacrilegam, ex Concil. Trident. cap. 5. ibi: *Qui scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quare non solùm illud mortale sacrilegium, sed etiam omnia alia mortalia quæ confessus est, tenetur iterum sigillatim confiteri: nam ex præcepto Christi omnia peccata subjici debent validæ absolutioni.

Resp. 2. Integritas materialis non requiritur absolutè, quia sæpè est impossibilis cognitio omnium omnino mortalium, etiam post diligens examen. At ex Concil. Trid. cap. 5. *Impium est, confessionem, quæ præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam conscientiarum appellare.*

Resp. 3. Absolutè sufficit integritas formalis. Quia confessio formaliter tantùm integra, est ea in qua ex gravi justa causa, vel oblivione inculpabili omittuntur aliqua peccata. At talis confessio sufficit; nam secundùm Doctores omnes, variæ sunt causæ excusantes à confessione omnium mortalium, quæ generatim ad impotentiam physicam & moralem revocantur: quia Christus noluit, ut Sacramentum Pœnitentiæ institutum in gratiam fidelium lapsorum, & ut medium ad justificationem necessarium, foret illis non solùm absolutè, sed etiam moraliter impossibile, ob damnum aliquod valde grave confessioni extrinsecum.

Hinc à confessione integra materialiter excusantur, 1. Qui ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili aliquod mortale omittunt. 2. Muti, si per gestus, scripturam, vel alia signa nequeant omnia declarare. 3. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur; tunc enim auditis aliquot, absolvendi sunt. 4. Cùm in naufragii periculo imminenti, vel instante pugna, nequeunt omnes integrè confiteri; tunc sufficit confessio confusa, quia omnes simul significant se peccasse, dolere de peccatis, & velle absolvi. Imò tunc poterunt simul absolvi, si necesse sit, per hanc formulam: *Ego vos absolvo ab omnibus censuris & peccatis.* Si tamen unusquisque potest saltem aliquod peccatum in particulari confiteri privatim, ad id tenetur. 5. Ii, quorum idioma nonnisi ex parte intelligi potest à confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel juxta aliquos urgeat præceptum annuæ confessionis. 6. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis. 7. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno confessioni extrinseco, temporali, vel spirituali, sive proprio, sive etiam alieno: nam lex charitatis obligat ad diligendum proximum sicut nos ipsos, & proinde ad vitandum ejus damnum; ut si prudenter timeas ne confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum, vel ex tua confessione sumat occasionem peccandi, vel graviter nocendi proximo. Sed tunc requiritur justa causa confitendi hic & nunc tali confessario, ut præceptum confitendi, vel necessitas celebrandi ad vitandum grave scandalum, aut infamiam; alioqui adeundus est alius confessor, vel differenda confessio, si commodè differri queat. Item si infirmi vires periclitentur in accuratiori peccatorum declaratione; vel si integra confessio laborantis morbo valdè contagioso à longè audiri nequit, nec prope sine periculo maximo mortis confessoris, tunc audito uno, aut altero peccato potest absolvi. At magnus populi concursus, die indulgentiæ, vel festivitatis magnæ ut Paschatis, per se præcisè non excusat ab integritate confessionis: quia tunc non adest sufficiens necessitas dimidiandæ confessionis; & maximi inde abusus ac magna incommoda orientur. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v. gr. potest contingere in die alicujus magnæ festivitatis, aut indulgentiæ.*

Porrò semper remanet obligatio confitendi peccata omissa, sublato impedimento.

Dixi, *Confessioni extrinseco.* Nam incommodum confessioni velut intrinsecum, seu

seu natum sequi ex ipsa confessione, ut confusio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud confessarium, non excusat: alias nullum esset præceptum confessionis, nec per se obligaret.

Resp. 4. Ad valorem Sacramenti requiritur confessionis integritas respectu ejusdem Sacerdotis & ejusdem absolutionis: ita ut omnia mortalia, quæ sunt in conscientia, necessariò declaranda sint eidem Sacerdoti, & in ordine ad eamdem absolutionem. Est de fide, & constat. *Prob.* 1. Ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nunc cernitur, & cujus initium cùm ignoretur, nec ostendi possit, ab ipsius Christi præcepto repetendum est. 2. Ex Concil. Later. IV. c. *omnis*. 3. Ex Concil. Florent. in Decreto docentibus omnia peccata eidem Sacerdoti declaranda esse; & in hoc jus divinum dumtaxat explicant. 4. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. declarante confessionem in qua pœnitens aliquod peccatum Sacerdoti reticet, esse nullam: *qui scienter*, inquit, *aliquid reticent nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*. Non dicit Sacerdotes. Ratio est voluntas Christi, qui omnia peccata subjecit judiciali sententiæ Sacerdotis. Sententiæ autem æquitas ac rectitudo exigit cognitionem adæquatam causæ, in quam fertur. Unde cum sententia absolutionis feratur in omnia peccata mortalia (nam unum sine alio remitti nequit) prærequirit, quantum fieri potest, cognitionem omnium mortalium.

Quæst. XI. *An pœnitens tenetur diligens examen præmittere confessioni?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. dicente præcipi confessionem omnium mortalium. *Quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent .... & à pœnitentibus exigi, ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerit*. 2. Qui præcipit actum, simul præcipit, etiam media ad illum necessaria. At diligens examen est necessarium ad confitenda omnia peccata. Ea autem diligentia adhiberi debet, *quam in rebus gravissimis ponere solemus*, ait Catechism. Rom. &. & quæ moraliter sufficiat ad cognoscenda peccata commissa, consideratis capacitate, & memoria pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultima valida confessione transacti, multitudine & qualitate negotiorum, obligationum, occasionum, & consuetudine peccandi, aliisque circumstantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, sed in al[illegible]revius, in aliis longius.

Quæst. XII. *Quandonam iterari debeat Confessio?*

Resp. Quoties fuit nulla, sive culpabiliter, sive inculpabiliter; sive ex parte pœnitentis defectu doloris, vel propositi sufficientis & integritatis formalis, vel ob notabilem negligentiam in excutienda conscientia, nisi confessor eam suppleverit: sive ex parte confessarii defectu potestatis aut intentionis requisitæ. Quia in his casibus Sacramentum fuit nullum, & sic peccata non fuerunt per illud remissa. Omnia autem peccata mortalia debent subjici potestati clavium, & remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, ideòque per confessionem, & contritionem debitam, & absolutionem validam. Idem dic, si dubium sit an confessio irrita fuerit; nam præcepto certo non satisfit per dubiam executionem, & in dubio pars tutior eligi debet.

Sed an is qui fecit confessionem aliquam invalidam, tenetur cum illa omnes subsequentes iterare?

Resp. Tenetur, si eas fecit cum conscientia confessionis invalidæ, quia revera sunt omnes invalidæ, ob defectum essentialem. At si post unam confessionem invalidam, postea fecit alias cum debita dispositione, & bona fide procedens, præcedentis defectus nullam habens memoriam; non tenetur, inquit Sylvius, has repetere, sed solùm illam, vel illas, quas fecit cum conscientia defectus: quia illæ aliæ fuerunt validæ, cùm habuerint omnia necessaria ad bonam confessionem.

Quæst. XIII. *An est mortale mentiri in confessione?*

Resp. 1. Mortale sacrilegium est omne mendacium in materia confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget se commisisse mortale nondum legitimè confessum, vel circumstantiam necessariam: vel si neget aliquid aliud grave, quod interrogatus à confessario tenetur aperire, qualis est peccandi consuetudo, dispositio præsens, &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam administrationem pertinente, decipit judicem suum, & medicum à Christo institutum, ut secundùm cognitionem per confessionem partam, & pœnas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dic, si contra conscientiam falsò asserat se commisisse mortale: quia judicem

dicem suum in re gravi ad judicem Sacramentalem pertinente & necessaria decipit, & per illam additionem in re gravi ejus judicium pervertit. Secùs, si verum putat.

Item mortaliter peccat, qui in confessione generali falsò asserit se jam peccata aliqua mortalia confessum fuisse. Quia in re gravi & necessaria decipit confessarium, qui putat mortalia illa jam declarata & remissa fuisse, nec jam esse materiam necessariam Sacramenti; unde non potest prudenter pœnam convenientem pro illis statuere: nam non eadem pœna pro peccatis mortalibus nondum sacramentaliter remissis, quæ pro peccatis sic jam remissis, imponi debet.

Resp. 2. Mendacium in materia non necessaria, hoc est, quæ non sit sub mortali declaranda, ut sunt peccata venialia, vel mortalia jam legitimè confessa & remissa, quorum cognitio non est necessaria ad rectè administrandum Sacramentum, est ex communi sententia solùm veniale. Quia tunc non decipitur graviter judex in ordine ad debitum judicium, cùm materia non sit necessaria, nec spectet ad substantiam judicii necessarii. Est tamen veniale gravius ob irreverentiam Sacramenti. Esset autem mortale, si aliunde non daretur materia valida Sacramenti; nam tunc irrita redderetur absolutio.

Quæst. XIV. *An peccata venialia sint materia sufficiens confessionis, licet non necessaria?*

Resp. Affirm. Ita Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. *Venialia quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Nam Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi generatim omnia peccata, quæ remitti possunt Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Porrò extra casum necessitatis non sunt confitenda venialia tantùm in genere, sed debet aliquod addi in specie, v. gr. aliquod mendacium, tum quia est contra praxim fidelium: tum quia accusatio & judicium per se loquendo fieri debent circa materiam in specie determinatam. Ita Suarez, & alii communiùs.

Quæst. XV. *An quævis peccata jam remissa per absolutionem, sint semper materia sufficiens novæ confessionis?*

Resp. Affirm. *Communis & certa sententia est*, inquit Suarez: Prob. 1. Ex extravag. Benedicti XI. de privil. Ubi ait eadem peccata iteratò confiteri salubre esse. 2. Quia peccata jam remissa possunt esse materia contritionis & confessionis, atque possunt adhuc temitti remissione priorem confirmante per novam gratiam: & Christus remittendi potestatem non restrinxit ad unum actum remissionis, propter majorem utilitatem animarum. 3. Ex piorum ac doctorum hominum usu Ecclesiæ noto, nec reprehenso; quæ probatio valet: nam hanc adhibet Concil. Trid. supr. cit. ad probandum valorem confessionis venialium.

Nota. Confessor dubitans an ea quæ pœnitens confitetur, sint peccata etiam venialia, non potest eum absolvere. Quia non licet applicare formam materiæ dubiæ; alioqui exponeretur Sacramentum periculo nullitatis: solà autem peccata sunt materia remota pœnitentiæ. Quare ut detur materia certa, curare debet ut pœnitens confiteatur peccatum certum jam aliàs remissum, & illud in contritione includat.

Quæst. XVI. *An Confessio necessariò fieri debeat voce?*

Resp. 1. Id non est de essentia Sacramenti, sed confessio potest validè fieri nutibus, gestibus, vel scripto, si desit facultas loquendi. Constat, 1. Ex praxi Ecclesiæ, quæ mutos, & moribundos vocis usu destitutos, per nutus vel alia signa confitentes absolvit. Et ex Rituali Romano docente moribundum vocis usu destitutum absolvendum esse. 2. Quia Christus solùm præcepit confessionem, qua peccata declarentur Sacerdoti ut judici; quod sufficienter fieri potest per nutus, vel scripturam.

Resp. 2. Non licet absque necessitate aliter quàm voce confiteri. Constat, 1. Ex communi Theologorum consensu. 2. Ex consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente, & obligante graviter; utpote de re spectante ad convenientem modum perficiendi Sacramentum: nam verba sunt aliis signis longè aptiora ad significandum, & ex S. Augustino tenent in significando principatum. 3. Ex Concil. Florentino, requirente confessionem oris; & ex Benedicto XI. in extrav. *Inter cunctas*, de privileg. ibi: *Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confessio exigitur.* Et verò alia signa non sunt inducta, nisi in supplementum verborum vocalium. *Ex institutione Ecclesiæ tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur, non solùm propter hoc, ut ore confitens magis erubescat, & qui ore peccavit, ore purgetur; sed etiam quia semper in omnibus Sacra-*

Sacramentis accipitur id, cujus est communior usus. Unde & in manifestatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communiùs & expressiùs suos conceptus significare consueverunt. Ita S. Thomas, quodlibet. 1. qu. 6. art. 1.

Resp. 3. Qui voce non potest, tenetur aliis signis, etiam scripto confiteri, etiam extra mortis periculum. Quia præceptum confitendi obligat saltem, cùm sine gravi damno confessioni extrinseco observari potest. Sed hic modus confitendi nullum damnum, saltem grave affert. Neque scriptura est per se instrumentum publicationi obnoxium, & potest statim comburi, vel lacerari.

Quæst. XVII. *An excusetur à confessione, qui confiteri nequit nisi per interpretem?*

Nota. Ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. neque est necessarium jure divino, ut confessio publicè fiat, sed valet confessio secreta & auricularis: neque à Christo prohibitus est modus publicè confitendi. Unde ex communi sententia valet confessio sive secreto, sive publicè fiat, nam ad valorem Sacramenti solùm requiritur accusatio peccatorum facta Sacerdoti ut judici: hæc autem potest esse utroque hoc modo.

Resp. Multi docent neminem ex vi præcepti confessionis obligari ad confitendum per interpretem, licèt rectè possit, eo quòd Christus nos non obligarit ad declaranda peccata, nisi soli Sacerdoti absolutionis ministro; nec ex Concil. Trident. sess. 14. c. 5. Christus præcepit ut peccata declararentur publicè, id est, coram aliis. Præterea Concil. Lateran. IV. præcipit solùm ut pœnitens omnia sua solus peccata confiteatur Sacerdoti.

Tamen S. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. quæst. 3. postquam dixit: *In eo qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quàm possit*; ait generatim; *Quando non possumus uno modo, debemus secundùm quod possumus confiteri*. Certè ad id tenemur saltem ex præcepto charitatis propriæ, si alioqui diu abstinendum esset à confessione. Quia tunc periculum esset diu permanendi in peccato, cùm difficile sit, nec ita frequens habere contritionem perfectam; hæcque obligatio maximè urget in periculo mortis, ubi tenemur omnia media tutiora adhibere ad salutem consequendam, non pauci autem dicunt sufficere tunc confiteri per interpretem aliquod dumtaxat peccatum, accusando se de cæteris in generali: nam integra peccatorum confessio præcepta est, dum moraliter fieri potest soli Sacerdoti. Sed Delugo docet præceptum divinum obligare ad confitendum in articulo mortis omnia mortalia per interpretem, eo quòd manifestatio peccati apud duos sigillo obstrictos non sit detrimentum ita grave, ut propter illud præceptum divinum confitendi omnia mortalia prorsus omittatur, & non tantùm differatur. Neque talis confessio potest censeri publica, sicut neque est publica confessio, qua idem peccatum reservatum manifestatur superiori & inferiori. Additque ob eandem rationem nos teneri in articulo mortis confiteri omnia mortalia, etiamsi sciremus Sacerdotem aliquod revelaturum alteri, si nullum aliud malum timeatur, nisi mera notitia peccati manens in uno alio, qui tali notitia in nullius præjudicium possit uti. Et hoc puto servandum in praxi.

Quæst. XVIII. *An confessio sacerdoti præsenti necessariò fieri debeat?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex usu totius Ecclesiæ. 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. Christus eos, qui se post baptismum crimine aliquo contaminarunt, *ante hoc Tribunal* (Sacramenti Pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluit*. Ergo ex institutione Christi ad validam absolutionem requiritur, ut pœnitens coram sacerdote judice sistatur, & personaliter compareat. 3. Ex decreto Clementis VIII. dato ann. 1602. quo hanc propositionem, scilicet, *licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit.* Quod intelligendum est non solùm conjunctim, nempe quoad confessionem & absolutionem simul, sed etiam divisim, nempe quoad alterutram, ut postea declaravit ipse Clemens, & Paulus V. 4. Quia debita hujus Sacramenti administratio per se loquendo id exigit. Nam ut Sacerdos pœnitentem absolvat per se loquendo, debet habere moralem certitudinem de integritate confessionis, & debita dispositione ac contritione pœnitentis. Hanc autem certitudinem habere moraliter non potest, nisi pœnitentem confitentem audiat. Dico, per se loquendo, quia per accidens, nempe in articulo mortis, confessio facta sacerdoti absenti est licita & valida, quando aliter fieri non potest. Nam sacerdos potest & debet absol-

solvere moribundum sensibus destitutum, qui ipso absente absolutionem petiit.

Quæst. XIX. *Quanam observanda sunt circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis?*

Resp. Sequentia. 1. Hoc præceptum obligat omnes fideles adultos ad confitendum saltem semel in anno ex Conc. gener. Lateran. IV. cap. 21. ibi: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Idque sub mortali, ut patet tum ex gravitate materiæ, tum ex pœna adjuncta: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.* Nomine proprii sacerdotis intelligitur quidem Parochus, sed sine exclusione Episcoporum, & sacerdotum ab iis delegatorum. Nam Episcopi eandem & longè majorem jurisdictionem habent in parochianos; suntque pastores ipsorum parochorum. Quare hic canon intelligitur salvo jure Episcoporum.

2. Præcipitur confessio valida, Sacramentalis, & apta ad reconciliationem cum Deo, ideòque per absolutionem validam terminata. Nam ex Conc. Trid. cap. 5. Ecclesia id præcepit, ut præceptum divinum confessionis saltem semel in anno impleretur; ac proinde non aliam confessionem præcipit, quàm Deus; at Deus præcipit confessionem validam, ac dolorosam, quam sequatur absolutio. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

3. Qui toto anno confessionem omisit, tenetur confiteri prima die anni sequentis, si potest, aut prima data opportunitate, & continuè, donec impleverit: alioqui peccat deinceps, & toties quidem, quoties potest commodè confiteri, & omittit. Nam Ecclesia absolutè præcipit confessionem annuam primariò propter se, prohibetque ejus dilationem ultra annuam: ita ut annus designetur non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem jure divino impositam, & ut terminus ultra quem non differatur confessio, & ultra quem remaneat obligatio; ut patet ex his verbis Conc. Trid. *Saltem semel in anno:* lex enim Ecclesiæ lata fuit, ut fideles non nimiùm differrent observationem præcepti divini. Ergo qui elapso anno statim non confitetur, violat præceptum, & continuò tenetur confiteri, perinde ac qui non solvit censum annuum, solvere continuè tenetur transacto anno.

Item ex vi hujus præcepti tenentur fideles anticipare confessionem in quavis parte anni, si prævideant fore ut omissa illa occasione nequeant postea toto illo anno confiteri, v. g. ex longa navigatione, vel peregrinatione per terras infidelium. Quia hoc præceptum non terminatur ad finem anni, sed obligat ad confitendum saltem semel in anno: quæ obligatio currit toto anno, ideòque in illo complenda. At si homo positus in illa occasione non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, seu obligationem annuam.

4. Quamvis hoc præcepto certum anni tempus confitendi non statuatur, tamen consuetudo invaluit confitendi intra Quadragesimam, vel quindenam Paschalem, approbata à Conc. Trid. Quare juxta multos annus pro servando hoc præcepto computatur ab una quindena Paschali ad aliam; & ita fert fidelium praxis; & reipsa solùm eo tempore pastores confessionem à fidelibus exigere solent.

5. Pœna interdicti à Conc. Later. statuta in omittente annuam confessionem, vel Paschalem communionem, est solùm sententiæ ferendæ, uti verba indicant. Quare ad eam imponendam requiritur authoritas Ordinarii, cùm parochi careant jurisdictione in foro externo.

Sed an tenentur hoc præcepto, qui solius culpæ venialis sibi conscii sunt?

Resp. Multi negant: quia 1. Conc. Later. & Trid. præcipiunt confessionem omnium peccatorum: ergo non loquuntur de venialibus. 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Ecclesia solùm statuit, ut divinum præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus observaretur: at præceptum divinum non obligat ad confitendum venialia, ex eod. cap.

Affirmant Richard. Alensis, S. Bonaventura, Sylvest. Fagnan. & aliqui recentiores: quia alioqui minæ interdicti per canonem intentatæ inutiles forent; nam fideles causarentur se sibi non esse conscios mortalium: unde ut præceptum divinum ab omnibus religiosè servaretur, Ecclesia præcepit, ut omnes & singuli, licèt sibi solorum venialium conscii, semel in anno confiterentur.

S. Thomas hanc opinionem ita amplectitur, ut oppositam non rejiciat: nam, in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. ad 3. sic ait: *Dicendum quòd ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur, vel potest dici secundum quosdam, quòd ex decretali prædicta non obligantur*



tur nisi illi qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit, quia debet omnia peccata confiteri; quod de venialibus intelligi non potest .... & hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum, ut se Sacerdoti repraesentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.

ARTICULUS III.

De Satisfactione.

Quaest. I. **A**N *& qualem satisfactionem imponere tenetur Confessarius?*

Nota 1. Satisfactio hic sumitur pro voluntaria sui ipsius punitione, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam. Duplex est, nempe Sacramentalis, de qua hic agitur; & non Sacramentalis, quae fit non solùm piis ac laboriosi operibus spontè susceptis; sed etiam malis ac aerumnis hujus vitae à Deo inflictis, & patienter toleratis, ut docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 9.

Nota 2. Satisfactio Sacramentalis est poenitentia, seu actio una, vel multiplex bona & poenalis, à sacerdote judice legitimo imposita ad puniendam ac reparandam injuriam Deo illatam, vel etiam ad praecavendam futuram. Cùm autem homini carnali & ad malum propenso opus quodlibet bonum sit poenale, utpote ejus naturae corruptae contrarium: ideò omnis actus virtutis etiam merè internus, in satisfactionem imponi potest. Satisfactio Sacramentalis alia est vindicativa, quae datur praecisè ad praeterita peccata vindicanda; & alia medicinalis, quae datur praecipuè ad praecavenda futura in posterum. Saepè autem eadem actio utrumque praestare potest.

Porrò cùm satisfactio à confessario imposita, sit pars integralis Sacramenti, & in ea operetur vis clavium, *amplius valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus.* S. Thom. quodlib. 3, quaest. 13. ob uberiorem meritorum Christi applicationem, Item plus, aut minus poenae temporalis ex opere operato remittit, prout gravior, vel levior est, & majore, vel minore devotione peragitur.

Resp. 1. Confessarius tenetur satisfactionem imponere poenitenti valenti illam exequi. Constat, 1. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 8. & ex Traditione ac perpetua praxi Ecclesiae. 2. Quia satisfactio est pars integralis Sacramenti, ex Conc. Trid. cap. 4. At minister quantùm potest tenetur procurare integritatem Sacramenti. 3. Ut judex: aequitatem servare debet: unde cùm judicet inter Deum & hominem, sicut debet absolvere hominem rectè dispositum, ita curare debet, ut homo satisfaciat Deo; & ut medicus tenetur curare vulnera poenitentis. Quare gravis est obligatio satisfactionem aliquam imponendi pro mortali; imò etiam juxta multos pro solis venialibus, aut mortalibus jam aliàs confessis; quia gravis videtur irreverentia Sacramentum voluntariè privare sua integritate, seu parte integrali.

Dixi *valenti*, &c. Nam absolutio sine impositione poenitentiae danda est moribundo, qui inter confitendum sensuum usu & cognitione privatur, ut constat ex praxi Ecclesiae.

Resp. 2. Confessarius tenetur imponere satisfactiones convenientes & salutares, tum vindicativas, tum medicinales, proportionatas numero ac gravitati peccatorum, & poenitentis facultati ac dispositioni. Constat ex Patribus & multis Conciliis, & praesertim ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. ibi: *Debent sacerdotes quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novae vitae custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio est, quia confessarius à Christo institutus est, tum ut judex non solum solvens, sed etiam ligans seu vindicans servata aequitate, ut ibi docet Conc. Trid. ac proinde debet servare aequitatem in poenis praescribendis: tum ut medicus, qui poenitentis morbos ac vulnera curet, & morborum causas tollat, ut constat ex Patribus, Conciliis variis, ac praesertim ex Conc. gener. Later. IV. c. *Omnis*, ubi ait: *Sacerdos sit discretus & cautus ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale illi debeat praebere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum.* Hinc patet hanc obligationem esse ex genere suo

gra-

gravem, cùm ad integritatem Sacramenti officium confessarii, & pœnitentis emendationem ac profectum, ad divinæ offensæ reparationem pertineat.

Observa 1. Salutares & convenientes satisfactiones, quas justitia divina exigit, generatim sunt ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. illæ, quæ *magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent, cautioresque ac vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt ... & quibus, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.*

2. Satisfactiones medicinales convenientes sunt eæ, quæ peccatorum causas ac radices resecant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi removent, vitia curant, & pœnitentis emendationem ac profectum pariunt. Tales sunt actus virtutum interni, & externi vitiis pœnitentis oppositi: contraria enim contrariis curantur. Quare Rituale Rom. ait: *Contrarias peccatis pænitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia, &c.* Item crebra oratio, sed præsertim matutina & serotina quotidiana: examen quotidianum conscientiæ, auditio quotidiana Missæ, meditationes, præsertim passionis Christi & extremorum; lectiones librorum spiritualium, auditio concionum; frequens confessio, cura singularis vitium capitale emendandi; fuga otii, occasionum peccandi, voluptatum, & delectationum inutilium; utilis collocatio temporis suo statui congruens, & ordo actionum cujusque diei suis obligationibus accommodatus; sensuum & cupiditatum mortificatio: crebri actus fidei, spei, charitatis, contritionis, & aliarum virtutum vitiis & pravis cupiditatibus contrariarum, cogitatio præsentiæ Dei omnia ubique & semper inspicientis, devotio singularis erga B. Virginem, quæ consistat tum in ejus invocatione, tum in imitatione mirabilium ejus virtutum; confessio generalis annua, secessus per aliquot dies ad vacandum exercitiis spiritualibus secundùm rationem à S. Ignatio traditam, &c. Mensura autem satisfactionum medicinalium est necessitas & infirmitas pœnitentis; nec unquam imminui debent, cùm satisfactiones illæ sint remedia ad peccatorum fugam, pœnitentis emendationem ac profectum necessaria: unde in his integritatem & severitatem adhibere debet confessarius, ait Suarez. Quare confessarius naturam & causam, seu radicem ac motivum peccatorum pœnitentis priùs investiget & inquirat, ut remedia eorum emendationi apta apponat.

3. Satisfactiones vindicativæ seu pœnales, ut sint salutares & convenientes, debent esse proportionatæ non solùm multitudini & gravitati peccatorum, sed etiam facultati, conditioni & dispositionibus pœnitentis; ita ut in iis imponendis habeatur ratio ejus infirmitatis, valetudinis, laboris, status, officiorum, paupertatis, & prout prudentia & charitas suggerent. Neque enim salutares sunt pœnitentiæ tam graves ac diuturnæ, ut spectata pœnitentis fragilitate, periculum sit ne eas omittat; nam tunc in ejus exitium verterentur: in hoc autem Sacramento magis intenditur emendatio & salus pœnitentis, quàm satisfactio pro pœna. Si ergo expediat ad bonum spirituale pœnitentis, potest imponi levior pœna quàm mereatur, idque tandem cedit in majorem Dei gloriam, qui vult præcipuè curationem pœnitentis. Quare S. Antonin. 3. part. tit. 16. c. 21. ait: *Debet confessarius dare talem pænitentiam, quam credat verisimiliter illum implere: ne ipsam violando, deterius ei contingat.* Et S. Carolus, in instruct. confess. monet non debere imponi tam gravem ac diuturnam satisfactionem, ut pœnitens ei obsequi recuset, aut acceptatam integrè non impleat; nec ordinariè injungenda esse jejunia iis, qui vitæ subsidia labore manuum parant. Confessarius igitur pœnitentem *interroget an possit pænitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam pro sua prudentia immutet, aut minuat*, ait Rituale Parisiense. Tunc autem monendus est leviorem pœnitentiam imponi quàm mereantur ejus peccata, ut ipse moveatur vel ad majorem petendam, vel ad alias ultrò sumendas, cùm melius dispositus erit.

Porrò mensuram pœnæ ex judicio Ecclesiæ peccatis debitæ indicant canones pœnitentiales, quos proinde scire debet sacerdos. Nam licèt pœnæ per illos statutæ, spectata facultate & infirmitate pœnitentis, minuendæ sint, tamen sæpè pœnitentibus proponendæ sunt, quo magis criminum gravitatem cognoscant, indeque fiant ad pœnitentiam acceptandam promptiores. Ita S. Carolus in instruct. confess.

4. Satisfactio ante absolutionem imponenda

da eit, tum ut exploretur debita poenitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos poenitentiæ: tum quia ordo judicii & justitiæ vindicativæ postulat, ut prius poenitens satisfactionem spondeat & acceptet, quàm absolvatur. Si tamen fortè sacerdos absolutionem præmisisset, tenetur eam postea injungere.

Sed an confessarius debet habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, dum imponit satisfactionem?

Respondet Sylvius satis esse sic audire, & intelligere omnia quando dicuntur, ut in satisfactione injungenda sufficienter meminerit status poenitentis; ad eam competenter injungendam. Et verò sæpè impossibile est saltem moraliter, ut confessarius distinctè singula tunc meminerit.

Quæst. II. *Quænam opera in pœnitentiam imponenda sunt?*

Resp. Ex Patribus, ex Conc. Florent. & Trid. sess. 6. c. 14. tria sunt præcipua ad quæ cætera revocantur, nempe jejunia, eleemosynæ, orationes: nam hæc sunt satisfactiones poenales simul & medicinales. Per jejunium intelligitur omnis corporis afflictio, & voluptatum sensuum etiam licitarum privatio, nam species ibi ponitur pro genere; per eleemosynam omne opus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Missæ & concionum, susceptio Sacramentorum, examen conscientiæ, oblatio actionum suarum Deo facta ad ejus gloriam, actus fidei, spei, charitatis, contritionis.

Quæst. III. *An imponi possint opera aliunde præcepta?*

Resp. Non possunt sola licitè imponi, si poenitens possit alia præstare. *Prob.* Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. *Satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* At opera jam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset poenitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Ideirco restitutio injuriæ, & damni compensatio, fuga occasionis peccandi non sunt satisfactiones vindicativæ.

Porrò confessarius censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantia colligi queat; nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat jejunium, poenitens non satisfacit jejunando uno die, quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto tenetur.

Quæst. IV. *An imponi debet pœnitentia publica?*

Resp. 1. *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant*, ait Rituale Rom. Nam esset improportionata, & contra usum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa poenitentis.

Resp. 2. Imponenda est poenitentia publica pro peccatis publicis. Ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. *Apostolus monet publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, sua emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Nec tunc (inquit S. Thom.) confessarius, sed poenitens ipse satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & inducitur tantùm ad id quod ex se facere debet ad scandalum tollendum.

Sine tamen Episcopi consilio & authoritate imponi non debet poenitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut standi ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso, &c. Sed quivis confessarius potest & debet injungere satisfactiones quæ sine solemnitate peragantur coram iis, qui scandalum passi sunt, dum aliter tolli nequit, & jubere ut retractent sermones contra fidem, bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis qui audierunt, &c. Nam scandalum necessariò tolli debet.

Quæst. V. *An confessarius potest in pœnitentiam medicinalem imponere pœnitenti aliquid, ex quo oriatur suspicio vel etiam notitia peccati pœnitentis?*

Resp. Suarez, disp. 33. sect. 7. si medium illud sit necessarium ad vitandum relapsum, posse sacerdotem illud præcipere poenitenti, v. g. ut dimittat tale officium, vel hanc domum, aut aliquid simile; & ipsum poenitentem teneri obedire: quòd si doluerit, dimittendum sine absolutione. Quo in casu nulla est sigilli fractio; quia si aliquid fit, totum est ex consensu & voluntate poenitentis. Neque

que est gravamen aut onus contra sigillum quòd ille consensus per præceptum vel per comminationem negandi absolutionem extorqueatur; quia supposita vera necessitate, illud præceptum non tam imponitur à confessario, quàm declaratur pœnitenti obligatio, quam in seipso habet; & ideo comminatio illa justa est, imò & necessaria, quia non potest aliter confessarius debito modo fungi suo munere. Ita Suarez. Neque tunc est revelatio confessionis; sed ipsemet pœnitens, ut suæ obligationi satisfaciat, seipsum voluntariè prodit.

Quæst. VI. *An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis.*

Resp. Affirm. Quia tunc non applicatur aliis satisfactio secundum valorem quem habet ex opere operato, sed secundum eum quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipse charitatis, quo quis applicat aliis satisfactionem sui operis, habet vim satisfactivam: hanc enim habet omne opus meritorium.

Quæst. VII. *An pœnitens tenetur acceptare & implere pœnitentiam rationabilem injunctam?*

Resp. Affirm. 1. Quia Sacerdos habet potestatem judicialem non solum solvendi, sed etiam ligandi seu obligandi per impositionem pœnitentiæ, ex Concil. Trident. cap. 8. cit. Imo habet obligationem imponendi convenientem satisfactionem, ut ostendi. At talis potestas & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in reo talem satisfactionem injunctam acceptandi & exequendi: hæc enim sunt correlativa, & alioqui Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. Ex Concil. Later. cap. *Omnis*, ibi: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* 3. Quilibet subditus tenetur obedire judici & superiori justam sententiam ferenti. At Sacerdos, cui pœnitens per confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut superior & judex; & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine ac authoritate ligat, sicut absolvit. 4. Ex Conc. Trid. sess. 14. canon. 4. satisfactio est pars Sacramenti, nempe integralis, & à Deo requiritur ad plenam ac perfectam peccatorum remissionem. Pœnitens autem tenetur servare integritatem Sacramenti, præsertim cùm ad illud concurrat. Quare hæc obligatio ex genere suo gravis est, cum ejus materia pertineat ad religionem & justitiam divinam.

Nec excusatur pœnitens eo quòd velit alium adire: nam non licet pœnitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis justum judicium, cui se jam subjecit. Pœnitens quidem ante confessionem poterat alteri confiteri, sed facta confessione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, ejusque authoritate ligat: *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*, ait Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 8.

Hinc mortaliter peccat, qui pœnitentiam pro mortali impositam, vel notabilem ejus partem culpabiliter omittit: nam qui tenetur aliquid præstare, ad id obligatur per se sub mortali, si res gravis sit. Quòd si sit levis, & imposita pro solis venialibus, vel mortalibus jam aliàs confessis, secundùm multos est dumtaxat veniale illam omittere secluso contemptu & scandalo: quia completio integralis partis per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiæ. Aliqui tamen putant esse mortale: quia gravis irreverentia Sacramento infertur, illud privando tota sua integritate & complemento non accidentali. Et quàmvis hæc materia secundùm se sit levis, tamen gravis censetur respectu Sacramenti, cùm sit ejus tota pars integralis. Delugo fatetur esse mortale omittere satisfactionem pro solis venialibus impositam, si hæc gravis sit, verbi gratia, jejunium, quia obligatio eam implendi oritur à potestate judicis, & res præcepta est gravis, & capax præcepti gravis.

Imò si confessarius leviorem pœnitentiam imposuisset, pœnitens tenetur supplere: nam lege divina tenemur satisfacere Deo in hac vita etiam pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita, ut constat, 1. Ex Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu*. Per jejunium intelligitur omne opus pœnale. Item, ex Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, Et, Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentia*. Quæ duo ex Concil. Trid. sess. 6. c. 14. non solùm contritionem & vitæ emendationem significant, sed etiam, *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, aliaque pia spiritualis vitæ exercitia, pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in Baptismo dimittitur*. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Hieronymus, in cap. 2. Jerem. *Peccata gravia gravioribus tormentis indigent*. 3. Ex præcepto naturali & divino virtutis pœnitentiæ tenemur, quantum possumus,

mus, Deo plenè satisfacere in hac vita pro injuriis ipsi illatis. Nam ipsa ratio dictat, Deo non minus quàm hominibus plenè satisfaciendum esse, quàm primùm fieri potest moraliter. Hæcque obligatio gravis est pro mortalibus.

Porrò ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 9. satisfacimus Deo non solùm piis ac laboriosis operibus à Sacerdote injunctis, vel spontè susceptis, sed etiam malis ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Dixi *rationabilem*. Nam si clavis erret, ut ajunt, hoc est, si imponatur satisfactio irrationabilis ob nimiam gravitatem & diuturnitatem, potest pœnitens illam recusare, & alium confessarium adire.

Quæst. VIII. *Quandonam pœnitens tenetur implere pœnitentiam?*

Resp. Tenetur tempore à confessario præscripto: nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen satisfactionis ad paucos dies, etsi sine necessitate, potest esse tantùm venialis, nisi ad finem injunctæ pœnitentiæ magni referat illam impletam esse tempore præfinito, v. g. ad superandas tentationes urgentes. Quòd si confessarius nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem implere quàm primùm commodè potest; itaut peccet mortaliter, si illam ex gravi negligentia diu differat. Nam integritas Sacramenti, & ratio debiti, justæ satisfactionis, ac medicinæ & rationabilis intentio confessarii executionem celerem exigunt.

Qui autem pœnitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea quam primùm potest persolvere. Nam dilatio solutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem onere illud solvendi; & intentio confessarii est, ut satisfactio absolutè fiat; tempus verò præfinitur solùm ad non differendam solutionem.

Quæst. IX. *Quomodo, & in quo statu impleri debet satisfactio?*

Resp. 1. Satisfactio impleri debet ex motivo pio ac supernaturali, & sine affectu ad mortale. Quia satisfactio Sacramentalis est pars integralis Sacramenti, & actus virtutis pœnitentiæ præceptus ad compensationem quamdam injuriæ divinæ: ergo debet esse actio moraliter bona, supernaturalis, elicita saltem ex motivo placandi Deum, ejusque injuriam compensandi. Quæ voluntas est incompossibilis cum affectu ad mortale.

Resp. 2. Qui pœnitentiam in peccato mortali exequitur, peccat saltem venialiter. Quia Sacramenti partem indignè suscipit; & ponit obicem effectui, nempe remissioni pœnæ temporalis, quæ est effectus secundarius, pendens à primario, nempe gratia sanctificante. Tamen ex communiori sententia talis non tenetur postea satisfactionem repetere, eo quòd substantiam præcepti impleverit; & quia in Ecclesia veteri sæpe exigebatur saltem magna ex parte executio satisfactionis ante absolutionem, ac proinde ante remissionem peccatorum saltem ordinariè: nam perfecta contritio satis est infrequens. Imò juxta multos, sicut pœnitentiæ ante absolutionem implendæ jussu confessarii, reatum pœnæ temporalis tollunt: cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit; ita pœnæ post absolutionem peragendæ, etiamsi in peccato postea supervenieute impletæ fuerint, tamen sublato per justificationem obice suum effectum assequentur.

Quæst. X. *An pœnitentia à confessore imposita potest in aliam mutari?*

Resp. 1. Non potest a pœnitente propria authoritate mutari etiam in aliud opus melius: tum quia nulla satisfactio potest esse Sacramentalis, nisi imponatur a ministro Sacramenti: tum quia reus non potest mutare sententiam judicis, nec subditus opus præscriptum à superiore. Item ab alio Sacerdote mutari nequit, si fuerit conveniens, nec nimis acerba: cùm imposita sit, clave non errante, per actum potestatis ligandi.

Resp. 2. Ob justam causam mutari potest in aliam convenientem. 1. Ab ipso confessario, qui illam imposuit: nam hoc sæpe potest expedire ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur; & tunc non erit necesse repetere priorem confessionem, si tempus à quo facta est, sit adeo breve, ut moraliter censeatur idem judicium, & Sacerdos adhuc recordetur statum pœnitentis, sed hoc fieri debet in alia confessione: quia est actus judicialis, & usus clavium, qui non nisi in Sacramento exercetur. Quòd si confessarius non recordetur ampliùs peccatorum, pro quibus priorem pœnitentiam imposuit, requiritur nova eorum confessio: quia impositio alterius pœnitentiæ est actus jurisdictionis, qui fit à judice ut Judex est: ergo debet procedere cum notitia causæ.

2. Id etiam potest quivis alius confessarius, si satisfactiones impositæ sint irrationabiles, & contra prudentiæ regulas, & minimè convenientes. Quia Sacerdos non habet potestatem tales injungendi, nec proinde ad eas obligandi pœnitentem: ideòque mu-

mutari possunt ab alio, qui in eodem tribunali idem potest ac prior judex cui succedit. Sed tunc necesse est, ut apud ipsum fiat nova confessio peccatorum, pro quibus imposita est pœnitentia: quia pœnitentiæ commutatio est impositio pœnitentiæ loco prioris, ideòque actus judicii Sacramentalis; alioqui pœnitentia mutata non esset Sacramentalis. At ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. tale judicium non potest nisi causa distinctè cognita, & in sacro tribunali rectè exerceri: neque enim Sacerdos habet potestatem ligandi, seu imponendi satisfactionem Sacramentalem, nisi prout exercet judicium & potestatem clavium, præcedente legitima accusatione sibi facta. Hinc confessarius pœnitentiam ab alio impositam commutare nequit sine novâ peccatorum absolutione: nam non potest exercere judicium Sacramentale, quin totum Sacramentum conficiat, unde etiam ex parte pœnitentis requiritur nova contritio. Cæterùm ne prius Sacramentum sua integritate privetur, relinquendum est aliquid ex priore pœnitentia præstandum.

Quæst. XI. *An pœnitentia potest per alium persolvi?*

Resp. Neg. Quia 1. Satisfactio imponitur pœnitenti per ipsum, non per alium persolvenda. Nam ipsemet reus debet pœnam debitam subire; & cùm culpa sit personalis, personalis quoque debetur pro ea satisfactio. 2. Ex Concil. Trident. materia & partes Sacramenti sunt tres actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio: ergo satisfactio, quæ est pars materialis Sacramenti, debet esse actus ipsius pœnitentis, non alterius; sicut nec contritio, vel confessio alterius potest esse materia in hoc Sacramento. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Quæst. XII. *An necesse est ex præcepto seu institutione Christi, ut satisfactio ante absolutionem semper impleatur?*

Resp. Neg. *Prob.* 1. Ex usu nunc in Ecclesia a pluribus sæculis recepto, Ecclesia autem præsens, non minùs quàm antiqua à Spiritu Sancto regitur; nec unquam errare potest in rebus ad fidem, mores, disciplinam generalem, & administrationem Sacramentorum pertinentibus, juxta illud, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ex usu antiquæ Ecclesiæ, in qua pœnitentes ante pœnitentiam impletam absolvebantur, ut quando imminebat persecutio, aut aliud mortis periculum. 3. Ex Sixto IV. qui, ut falsam & erroneam damnavit hanc Petri de Osma propositionem: *Non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere.* Et ex Alexandro VIII. qui tres has propositiones damnavit. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Ratio est, quia satisfactio est tantùm pars integralis & complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Pars autem integralis non debet necessariò præmitti essentiali ejusdem rei; & sine illa stat tota essentia compositi, ut patet in physicis, sic dentes non nascuntur infantibus, nisi aliquot post ortum mensibus, à fortiori in rebus moralibus.

Sed num aliquando potest confessor obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam sive ex parte, sive ex toto ante absolutionem?

Resp. Affirm. Nam nec Christus, nec Ecclesia id prohibuerunt, quando prudentia dictat id expedire. Imò ad id obligari debet pœnitens, quando est periculum ne absolutione accepta pœnitentiam omittat; vel si hoc necessarium sit, aut valde expediat curationi pœnitentis, vel si Sacerdos nequeat aliter judicare de dispositione pœnitentis. Ita Suarez, & Dolugo, qui disp. 14. sect. 10. sic ait: *Ex communi doctrina Theologorum potest aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante absolutionem, per modum medicinæ, quando judicat id necessarium, vel utile pœnitenti, ex eo quòd soleat facilè promittere pœnitentias, vel ut confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines.*

APPENDIX.

Referuntur præcipui Canones Pœnitentiales secundùm ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & libris pœnitentiariis collecti in instruct. Sancti Caroli.

Circa I. Decalogi Præceptum.

Qui à fide defecerit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quinque

quive cantationes diabolicas fecerit, pænitens erit annis septem.

Respiciens furta in astrolabio, pænitens erit annis duobus.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pænitens erit duos annos.

Qui magos consuluerit, in pænitentia erit annis quinque.

Circa II. Præceptum.

Quicumque sciens perjuraverit, 40. dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pæniteat, & numquam sit sine pænitentia; & numquam in testimonium recipiatur, & post hac communionem percipiat.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pænitentiam ages annos decem.

Si quis Deum vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die, sine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulis item illis septem diebus Dominicis tres aut duos, aut unum pauperum pascat, si potest: alioquin alia pænitentia afficiatur. Recusans Ecclesiæ ingressu interdicatur, in obitu Ecclesiastica careat sepultura.

Qui votum simplex violaverit, pæniteat tribus annis.

Circa III. Præceptum.

Qui opus aliquod servile die dominico, festove fecerit, pænitentiam ages tres dies in pane & aqua.

Si quis jejunia à sancta Ecclesia indicta violaverit, pænitentiam ages dies viginti in pane & aqua.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pænitentiam ages dies septem.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, at præterea à carne abstineat.

Circa IV. Præceptum.

Qui parentibus maledixerit, 40. dies pænitens sit in pane & aqua.

Qui parentes injuria affecerit tres annos.
Qui percusserit annos septem.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, in Monasterio omnibus diebus vitæ suæ pænitentiam ages.

Si quis Episcopi, aut ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pænitentiam ages dies 40. in pane & aqua.

Circa V. Præceptum.

Qui presbyterum occiderit, pæniteat 12. annis.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat à carne & vino, dum vixerit: jejunet secunda, & quarta, & sexta feria.

Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu communionem recipiet.

Qui homicidii author fuit, ob consilium quod dedit, pænitentiam ages 40 dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, pænitentiam ages annos tres; si nolens quadragesimas tres.

Qui nolens filium oppresserit, pænitentiam ages dies 40. in pane & aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pænitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadragesimas in anno observabit.

Qui sceleris occultandi causa filium necarit, pænitentiam ages annos decem.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pænitentiam ages annos tres.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pænitentiam ages uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit nec nocuerit; tridui pænitentiam ages in pane & aqua.

Circa VI. Præceptum.

Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pænitens erit tres annos.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pænitentiam ages 20. dies.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit pænitens erit 40. dies.

Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pænitentiam ages.

Qui incestum fecerit (non ita enormen) *pænitens erit 12. annis.*

Qui monialem violaverit, pænitens sit annis decem.

Si qua mulier cerusa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pænitentiam ages annos tres.

Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, & peregrinando 12. annis pœniteat, & postea Monasterium intret tota vita sua moraturus ibidem.

Pro adulterio septennii & decennii pœnitentia imponitur; Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

Circa VII. Præceptum.

Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit annos septem.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies 20. in pane & aqua.

Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

Circa VIII. Præceptum.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Falsarius in pane & aqua pœnitentiam agat, quandiu vivit.

Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Circa IX. & X. Præceptum.

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si presbyter quinque: si diaconus vel monachus tres: si clericus aut laicus, annos duos.

CAPUT II.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu Absolutione.

I. Circa modum absolvendi sic habet Rituale Romanum authoritate Pauli V. editum: *Cùm pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei priùs & ab eo accepta pœnitentia salutari, primò dicit.*

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Deinde dextera versùs pœnitentem elevata dicit.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantùm possum, & tu indiges. Deinde, Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Monet omittendam esse vocem, *suspensionis*, si pœnitens sit laicus, & addit in confessionibus frequentioribus & brevioribus, omitti posse *Misereatur, &c.* & satis esse dicere, *Dominus noster Jesus Christus, &c.* ut suprà usque ad illud *Passio Domini, &c.* Urgente verò gravi aliqua necessitate in periculo mortis, breviter dici posse, *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, &c.*

II. Forma absolutionis consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Quare preces & verba quæ hanc formam antecedunt & subsequuntur, non sunt de illius essentia, ut constat ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. Item quamvis omnia verba ista ex præcepto exprimi debeant, tamen aliqua non sunt de essentia formæ, ut ista, *Ego, tuis, Amen.* Sed circa alia dissentiunt Theologi, nam alii ad totam essentiam assignant hæc duo, *Absolvo te*, quæ saltem secundùm omnes requiruntur: quia necessaria sunt ad significandum effectum primarium Sacramenti, nempe absolutionem. Absolutio autem est sententia judicialis, quæ necessariò ad reum dirigitur; & sic pronomen *te* exprimi debet. Alii insuper exigunt voces, *à peccatis*. Imò aliqui, pauci illi quidem, addunt etiam. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed falso principio nixi, nempe quia putant formam Sacramenti esse deprecativam.

III. Absolutio data sub conditione de præsenti, vel de præterito, valet si illa sit præsens, vel impleta: quia tunc Sacramentum, & effectus non suspenditur. Sed sic collata sine necessitate, graviter est illicita; est enim contra reverentiam Sacramenti, & usum Ecclesiæ. Item illicitè apponitur conditio, quæ necessariò præsupponi debet, ut si dicas: *Ego te absolvo, si habeas veram contritionem*, vel *voluntatem restituendi, si habeo potestatem absolvendi, &c.* Quia conditio, quæ sem-

ſemper neceſſaria eſt, & ex natura Sacramenti præſupponi debet, inutiliter ac otiosè, ideòque contra reverentiam Sacramento debitam apponitur. Si autem dubitetur utrùm pœnitens adhuc vivat, vel an Sacerdos verba abſolutionis protulerit, ſecundùm multos danda eſt abſolutio ſub hac conditione: *Si tu es capax*, vel *ſi non es abſolutus*, *Ego te abſolvo*, *&c.* ut fit in Baptiſmo.

Abſolutio autem data ſub conditione de futuro, eſt nulla. Quia tunc intentio abſolvendi, & abſolutio non exiſtit abſolutè, ſed ſuſpenditur: ac proinde nihil efficit: nam non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere Sacramentum & ejus effectum, cùm ſacramenta producant id quod ſignificant, & ſignificant gratiam præſentem dari. Hinc non valet abſolutio ſic data; *Si reſtitueris*, *ſi pœnitentiam impleveris*, *Abſolvo te*.

IV. Invalida eſt abſolutio data abſenti; ut conſtat. 1. Ex praxi Eccleſiæ, in qua numquam moribundis abſentibus datur, etſi ſine ea morituris. 2. Ex forma abſolutionis, quæ ſubjectum per ly *te*, deſignat præſens, ideòque falſa eſſet, ſi foret abſens, & quæ forma neceſſariò verbis vocalibus conſtat: nemo autem ad abſentem utitur verbis vocalibus.

V. Mortale eſt abſolvere aliquem à peccatis, antequam ſit abſolutus ab excommunicatione contracta: nam Eccleſia graviter prohibet ne excommunicatus ullum Sacramentum recipiat. Quare is non eſt verè abſolutus ob carentiam contritionis, & ſacrilegium mortale, quod admittit recipiendo Sacramentum contra prohibitionem Eccleſiæ.

VI. Ad repetendam abſolutionem requiritur nova confeſſio: nam ſuper eadem confeſſione non poteſt abſque ſacrilegio repeti abſolutio; quia caderet ſuper materiam nullam, ideòque irrita eſſet. Poteſt tamen repeti ſuper diverſa confeſſione etiam eorumdem peccatorum: quia confeſſio eſt materia proxima; peccata autem remota: unde abſolutio cadet ſuper novam materiam proximam.

CAPUT III.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

De poteſtate requiſita in Miniſtro Pœnitentiæ.

Quæſt. I. AN *requiritur juriſdictio ad abſolvendum?*

Nota. Juriſdictio generatim eſt poteſtas regendi, ſeu ferendi ſententiam in ſubditos. Duplex eſt, nempe in foro interno & externo. Juriſdictio in foro interno ſeu pœnitentiæ, de qua hìc agitur, eſt poteſtas abſolvendi, ligandi, & obligandi ſubditos confeſſos in tribunali pœnitentiæ ſacramentalis. Juriſdictio in foro externo eſt poteſtas ferendi leges ac cenſuras, imponendi pœnas Eccleſiaſticas etiam publicas, vel ab iis diſpenſandi ac liberandi, & regendi ſubditos per hæc omnia, & quoad politiam externam. Utraque juriſdictio ſubdividitur in ordinariam & delegatam. Juriſdictio in foro interno ordinaria eſt ea, quæ alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum, qualem habet Papa in omnes fideles, Epiſcopi in ſuos diœceſanos, parochi in ſuos parochianos, ſuperiores religioſorum in ſuos ſubditos.

Delegata eſt ea, quæ committitur ſacerdoti ab eo, qui habet ordinariam. Et acquiritur per expreſſam, vel tacitam conceſſionem: nam delegatio eſt unus ex actibus juriſdictionis ordinariæ. Ad conſenſum autem tacitum requiritur ſcientia ejus, quod agitur: unde non eſt tacita conceſſio ſine notitia prælati.

Nota. Juriſdictio delegata non expirat per delegantis mortem, aut demiſſionem, ſi ſine ulla temporis limitatione ab illo data fuit, nec revocata ab eo, vel illius ſucceſſore aut ſuperiore. Nam delegatio eſt gratia facta confeſſario, cui ſtatim acquiritur: at gratia facta non expirat per mortem concedentis; nam gratia, ſeu beneficium ſuperioris debet eſſe manſurum. *Reg. jur. 16. in 6.*

Nota 3. Qui habet poteſtatem delegatam, non poteſt eam ſubdelegare, niſi hoc ei ſpecialiter conceſſum ſit: quo caſu, non ſuo, ſed delegantis nomine cenſetur ſubdelegare. Quia delegatus eam ſolam poteſtatem habet quæ ei conceditur: at conceditur ei ſolum quoad ſuam perſonam poteſtas exercendi juriſdictionem, non item alteri committendi, niſi aliud exprimatur; nam hæ duæ facultates diverſæ ſunt & diſtinctæ.

Reſp. Ad abſolvendum, præter poteſtatem ſacerdotalem requiritur juriſdictio. Conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem:*

Ratio

Ratio est, quia absolutio est sententia judiciaria, ad cujus valorem requiritur jurisdictio in eo qui judicat, & subjectio in eo qui judicatur.

Quæst. II. *An aliquando Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis in sacerdote?*

Resp. Affirm. modò hæc duo simul adsint. 1. Titulus coloratus, hoc est, titulus habens speciem veri tituli, cùm tamen reipsa nullus sit: qualis est collatio beneficii parochialis, sed invalida propter occultum aliquem defectum, v. gr. propter occultam simoniam. Error communis, itaut communiter ac publicè quis existimetur verum habere titulum & jurisdictionem: si enim ex errore unius aut alterius tantum putaretur sacerdos habere jurisdictionem, quam non habet, invalida esset absolutio: quia tunc non est sufficiens ratio, ob quam Ecclesia censeatur conferre jurisdictionem; cùm hoc non sit necessarium ob bonum commune, quod non exigit, ut Ecclesia prospiciat quibusvis casibus privatæ singulorum ignorantiæ.

Ecclesia autem supplet illum occultum defectum, concedendo extraordinariè sacerdoti jurisdictionem transeunter pro singulis actibus: eo quod bonum commune id exigat ad impedienda multa gravia damna ac scandala, quæ ex invaliditate actuum orirentur. Argumento ex *L. Barbarius*, §. *de offic. prætor.* Talis tamen minister peccat graviter, quia usurpat jurisdictionem, quam scit se antecedenter non habere, & hoc est ei graviter prohibitum.

Quæst. III. *An præter potestatem ordinis & jurisdictionis requiritur approbatio in confessario tam regulari, quàm sæculari non habente beneficium, cui animarum cura sit annexa?*

Resp. Affirm. Nam ita statuit Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. *Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegio & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.*

Circa quod decretum observanda sunt sequentia.

1. Approbatio est consensus & facultas Episcopi, ut confessarii munus exerceat is, quem ad id idoneum judicat. Sensus autem decreti Conc. Trid. est, quod sine illa approbatione nullus possit non solùm licitè, sed etiam validè audire confessiones, ut expressè declaravit Sac. Congregat. Cardinalium, & constat ex sensu ac praxi Ecclesiæ, atque ex scopo Concilii, & ex his ejus verbis: *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari.* Nam *Tò posse* simpliciter & absolutè ibi dictum intelligitur tum validè, tum licitè: & qui non reputatur idoneus simpliciter ad administrandum Sacramentum, is sanè non potest illud validè administrare. Porò Ecclesia id potuit statuere: quia cùm jurisdictio ad valorem absolutionis necessaria tribuatur ab Ecclesia, potuit illa hanc conditionem apponere, ut necessariam ad jurisdictionem accipiendam, & validè exercendam: ita ut sine approbatione sacerdos non curatus sit incapax jurisdictionis recipiendæ vel exercendæ, adeoque absolvendi validè.

2. Hoc habet vim etiam in Gallia: nam hoc statutum in Gallia receptum & promulgatum fuit, ut constat ex multis Conciliis particularibus, & ex comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1625. 1635. 1645. Præterea hæc propositio: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii authoritate privilegia regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præter quam in decisionibus fidei*: ab Alexandro VII. anno 1659. damnata fuit ut falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & schisma inducens, Conc. Trident. & Sedi Apostolicæ injuriosa: Idem declaravit Clemens X. constit. *Superna.*

3. Non sufficit approbatio petita, & injustè denegata: quia Concil. Trid. requirit ut obtineatur; & injusta recusatio approbationis non est approbatio. Nec jam amplius valent privilegia in contrarium allegata, cùm Concil. Tridenr. & Summi Pontifices derogaverint privilegiis quibuscumque huic decreto contrariis. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Et istam: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

4. Decretum Concil. Tridentini restringitur ad Confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, non religiosorum. Quare ad audiendas confessiones religiosorum non requiritur Episcopi approbatio; sed illi possunt con-

confiteri iisdem; quibus ante Conc. Trid. per sua statuta, vel jus commune poterant; cùm Conc. circa illos nihil innovet. Nunc tamen ad audiendas confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum, requiritur Episcopi diœcesani approbatio, ex const. Gregor. XV. *Inscrutabili*, & const. 7. Clement. X.

Porrò religiosi unius ordinis non possunt audire confessiones religiosorum alterius ordinis sine facultate superiorum ipsius pœnitentis; quia Papa concessione sua generali jurisdictionis in omnes fideles non intendit derogare statutis religionum, ex quibus varii religiosi non possunt confiteri, nisi confessariis à suis superioribus designatis. Quare religiosi à domo sua absentes intelligant ex superioribus suis, vel ex statutis religionis suæ, vel ex recepta consuetudine, quibusnam confiteri possint. Quòd si circa hoc nec superior, nec religio aliquid statuerit, censetur permittere ut confiteantur cuilibet sacerdoti approbato, si non habeant socium sui ordinis sacerdotem.

5. Requiritur approbatio Episcopi loci, in quo audiuntur confessiones, ita ut approbatus in una diœcesi, non possit in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi diœcesani. Constat ex Ecclesiæ praxi quæ est optima legum interpres; ex numero plurali quo utitur Concil. Trident. ut significet in diversis diœcesibus diversas requiri Episcoporum approbationes, ex Clemente X. constitut. *Superna*, & ex Alexandro VII. qui oppositum damnavit anno 1659. Enim verò approbatio est actus jurisdictionis: at actus auctoritatis, & jurisdictionis non excedit sphæram authoritatis & jurisdictionis, nec proinde limites diœcesis.

6. Hoc decretum non spectat habentes beneficium annexam habens curam animarum: nam censentur approbati hocipso quod tale beneficium eis confertur. Sed parochus resignato suo beneficio jam neminem validè absolvere potest sine approbatione: quia jam non habet parochiale beneficium.

Quæst. IV. *An sufficit jurisdictio, vel approbatio sub ratihabitione futura, vel præsumpta, seu interpretativa, cum nempe judicatur concedenda si peteretur?*

Resp. Neg. Quia ex Concil. Trident. ad valorem absolutionis requiritur jurisdictio & approbatio actu & absolutè existens & jam obtenta, ad quam requiritur consensus actualis signo aliquo externo declaratus. Et verò jurisdictio & approbatio requiruntur ad substantiam ac valorem absolutionis: at nulla res existit, nisi actu existant omnia quæ ad ejus substantiam pertinent. Neque hìc valet ista regula juris, in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Nam hæc regula solùm habet locum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest: at valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim sacramentorum pendere nequit ab actione de futuro.

Quæst. V. *An sufficit jurisdictio & approbatio probabilis tantùm?*

Resp. Non sufficit ad licitè absolvendum, sed requiritur certa. Quia extra casum necessitatis non licet administrare sacramentum cum opinione tantùm probabili eorum, quæ ad ejus valorem requiruntur: alioqui sacramentum periculo nullitatis sine necessitate exponeretur, quod est grave sacrilegium. Imò neque sufficit ad validè absolvendum, si jurisdictio, vel approbatio reipsa non existat: nam tunc deest aliquid ad valorem absolutionis requisitum. Nec tunc Ecclesia supplet hunc defectum, sed solùm dum titulus est coloratus, & error communis.

Quæst. VI. *An confessor regularis approbatus in una diœcesi, potest absolvere in ea subditos alterius diœcesis, pro qua non est approbatus?*

Resp. Potest, etiam à casibus ibi reservatis, sed non reservatis in diœcesi in qua est approbatus, nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim migrasse. Ita declaravit Clemens X. constitut. *Superna*, his verbis. *Posse autem regularem confessorem in ea diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi ibidem confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*. Idem dicunt de Sacerdote sæculari approbato ob tacitum Episcoporum consensum communi consuetudine confirmatum.

Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes, &c. possunt absolvi à confessariis loci ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex consuetudine tacitè à superioribus approbata, sunt veluti subditi Episcopi loci in quo versantur quantùm ad sacramenta, excepto ordine. Quòd si casus non sit reservatus in diœcesi pœnitentis, sed solùm in diœcesi confessarii, hic non potest illum absolvere: nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi à tali peccato. Præterea reus debet judicari secundùm leges & con-

consuetudines loci in quo judicatur. Idque totum constat etiam ex recepta consuetudine.

Quæst. VII. *An parochus potest subditos audire, & absolvere in aliqua diœcesi, in qua non est approbatus?*

Resp. Ex communi sententia, potest etiam licitè, modò id fiat absque scandalo. Quia habet ordinariam in proprium subditum jurisdictionem, ab approbatione non pendentem: jurisdictio autem in foro pœnitentiæ, cùm sit voluntaria, non contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest extra proprium territorium.

Quæst. VIII. *An sæcularis vel regularis approbatus generaliter in una diœcesi, potest validè absolvere in alia diœcesi subditum diœcesis, in qua est approbatus?*

Resp. Neg. Ita Clemens X. constit. *Superna*, ubi decernit, *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Nam jurisdictio delegata pendet in sui exercitio ab approbatione Episcopi loci, in quo audiuntur confessiones.

Quæst. IX. *An parochus extra parochiam suam potest validè absolvere subditos alterius parochiæ, cum facultate proprii talium parochi?*

Resp. Non potest sine licentia Episcopi expressa, vel tacita. Nam parochus unius parœciæ non fit parochus subditorum alterius parœciæ per delegationem proprii illorum parochi; & parochorum jurisdictio pendet ab Episcopo, qui potest iis auferre potestatem delegandi eos, quos judicat minùs aptos audiendis quorumlibet confessionibus. Licentia autem expressa est, cùm scripto, vel verbis conceditur: tacita verò, cùm Episcopus non contradicit consuetudini, quam scit vigere circa auditionem ejusmodi confessionum.

Quæst. X. *An generaliter approbatus ad audiendas confessiones sæcularium, censetur approbatus pro audiendis confessionibus monialium, sive ordinario, sive regularibus subjectarum, si non fuerint nominatim exceptæ?*

Resp. Neg. Nam ita fert usus, & ita declaravit Clemens X constit. *Superna*, his verbis: *& generaliter approbatos ab Episcopo ad audiendas personarum sæcularium confessiones nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minimè audire posse confessiones monialium alterius monasterii. Iidem confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Quæst. XI. *An regulares egent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones suorum famulorum sæcularium?*

Resp. Clemens X. constit. cit. declaravit: *In monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam prælatos regulares, quàm confessores regularium, eorumdem monasteriorum seu collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Quæst. XII. *An Episcopus potest validè limitare approbationem quoad tempus, locum & personas?*

Resp. Affirm. Constat. 1. Ex praxi quotidiana. 2. Alexander VII. ann. 1659. in causa Andegavensis Episcopi, & regularium, ut falsam & erroneam damnavit hanc propositionem: *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* 3. Quia habens approbationem etsi injustè restrictam ad tempus, locum, vel personas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis personis: unde non potest validè absolvere in tali loco, tempore, & tales personas, pro quibus non est approbatus. At sine approbatione actu existente invalida est absolutio.

Quando autem ad tempus limitatum data fuit approbatio, cessat statim per se exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus præscriptum ab eo, à cujus voluntate pendet. Hinc nova opus est.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *In ministro pœnitentiæ requiritur etiam approbatio ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari sine causa.*

Quæst. XIII. *An sacerdos non approbatus potest absolvere à venialibus?*

Resp. Non potest saltem licitè, ex decreto Innocentii XI. edito anno 1679. *Non permit-*

mittant (Episcopi) *ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo, aut ordinario. Si confessarii etiam regulares, aut quicumque alii secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum & ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam regulares, etiam Societatis Jesu.* Imò neque etiam validè posse videtur, quia sacerdos vi ordinationis non habet jurisdictionem, neque subditos etiam solorum venialium reos. Nemo autem potest absolvere à peccatis sine jurisdictione ordinaria, vel delegata, ex Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 7. cùm absolutio sit actus judicialis, qui non potest exerceri nisi in subditos; & jurisdictio delegata validè exerceri nequit sine approbatione. (*a*)

ARTICULUS II.

De casibus reservatis.

Casuum seu peccatorum reservatio, est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis. Ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. Et can. 11. Constat à Papa pro tota Ecclesia, & ab Episcopis pro sua Diœcesi reservari posse peccata, à quibus alii non possint valide absolvere sine potestate ab illis delegata. Ratio est, quia ad validè absolvendum requiritur jurisdictio, quæ cum sit penes dispositionem Ecclesiæ, potest ab ea restringi, negari, & subtrahi.

Quæst. I. *Quænam requiruntur, ut peccatum censeatur reservatum?*

Resp.

(*a*) In fine hujus articuli indicandæ essent duæ Constit. quarum altera, quæ tom. 1. Bullarii est ordine 20. edita fuit Kalendis Junii 1741. altera vero, quæ in eodem vol. est 120. data fuit 6. Idus Februarii 1745. quibus Confessarii absolvere prohibentur socios proprii criminis in iis, quæ sunt contra sextum Decalogi præceptum. At quod hujusmodi quæstio in Authore desideretur, & luculenter tractata sit in cap. 14. lib. VII. de Synodo Diœcesana, integram transcripsimus, atque huic articulo adjecimus.

„ Ut jam, post dispositionem requisitam in pœnitente, aliquid de Confessarii jurisdictione, quod ad propositum pertineat, dicamus, unum animadversione dignum censemus. Quamvis sacramentum Pœnitentiæ sit à Christo Domino institutum per modum judicii, & nemo esse queat Judex in causa propria; nihilominus communiter existimant Theologi, duce D. Thoma, sola spectata natura Sacramenti, posse Confessarium sui criminis socium, à secum perpetrato peccato, cujuscumque speciei illud sit, in foro Sacramentali absolvere. Siquidem tunc, non de propria, sed de aliena culpa judicium profert; neque, seclusa legum prohibitione, repugnat, ut quis Judicis personam assumens, de commisso ab altero delicto sententiam dicat, licet ejusdem delicti ipse, tanquam privatus particeps fuerit. Ita D. Thomas *in supplem. part. 3. quæst. 20. art. 1. ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod in tali casu nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere, nec illa debet, ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia; si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim Augustinus dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est, secundum congruitatem, non secundum necessitatem Sacramenti.* An vero non solum valide, sed etiam licite id fiat, non consentiunt Auctores. Aliquam certe labem in ea confessione D. Thomam agnovisse, ex citatis ejusdem verbis palam est; & S. Petrus Damiani *opusc.* 7. *cap.* 7. adeo vehementer in eamdem confessionem invehitur, ut certe videatur, illam non solum illicitam reputare, sed tanquam irritam rejicere: Ait enim: *Legis præceptum est, ut cum quis lepra perfunditur, Sacerdotibus ostendatur: tunc autem non Sacerdotibus: sed lepr. potius ostenditur, cum immundus immundo peractum communem nequitiam confitetur. Sed cum confessio utique manifestatio sit; quid, obsecro, manifestat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto confessio illa dicenda est, cui nihil à confitente manifestatur, nisi quod jampridem ab audiente cognoscitur? Et qui sociali vinculo peracta iniquitatis adstringitur, qua lege, quo jure, alterum poterit ligare, vel solvere? Frustra enim alium quis solvere nititur, qui & ipse vinculis irretitur.* His, ex Theologis Moralibus assentitur Stephanus Fagundez *in secundum præceptum Ecclesiæ libr.* 4 *cap.* 3. *num* 35. ubi gravis culpæ reum facit Sacerdotem, excipientem confessionem suæ concubinæ. Ac ex adverso Silvester *in Summ. p.* 1. *V. Confessio* 1. *num.* 17. Joannes Sanchez *disp.* 16 *select. num.* 16. Theophilus Raynaudus *tom.* 16. *in opere, cui titulus* Heteroclita spiritualia, *pag.* 128. La Croix *tom* 2. *p.* 207. aliique affirmant, confessionem factam Complici, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confessarii, culpa vacare, modo uterque à perpetrato crimine abhorreat, & longe absit periculum novi consensus in illud.

„ 2. Et tamen in multis Synodis, decretum est, nedum illicitam, sed inanem pariter, nullam, atque irritam fore absolutionem, datam à Sacerdote socio sui criminis, adversus sextum Decalogi præceptum: ita quippe statutum legimus in Synodo Leodiensi anno 1662. *pag.* 74 in Veliterna sub Cardinali Cybo anno 1698. *pagin.* 36. in Synodo Fulginatensi, sub Episcopo Baptistello anno 1722. *pag.* 75. in Bononiensi, sub Cardinali Jacobo Boncompagno *lib.* 2. *cap.* 6. in Anconitana sub Cardinali Massejo anno 1738. *pagin.* 61. atque in Synodo Lucana, quam refert Roncaglia, *in sua morali Theolog. tom.* 2. *tract.* 19. *cap.* 3. Numquid igitur prædicti Episcopi peccarunt contra regulam, quam hucusque inculcavimus, & elucidavimus, nihil in Synodo decernendi de rebus dubiis, atque inter Theologos controversis, materiam præcipue Sacramentorum respicientibus?

„ 3. Nihil illos peccasse ex eorumdem statutis deprehendimus: illi siquidem non deciderunt quæstionem, an Confessarius, generali cæteroquin jurisdictione instructus, valide, & licite pœnitentem absolvat, à crimine secum perpetrato; sed eumdem privarunt jurisdictione seu facultate absolvendi sui socium, seu complicem in peccato impudicitiæ; Quam vero sapienter & juste id præ-

Resp. Ex praxi Ecclesiæ tria requiruntur. 1. Ut sit mortale, nam venialia non reservantur, cùm non sint materia confessionis. 2. Ut sit externum: nam licèt peccata merè interna possint absolutè reservari, cùm ad ea remittenda requiratur jurisdictio, quæ potest à Prælatis Ecclesiæ restringi & denegari; tamen reipsa sola externa communiter reservantur: quia hæc reservatio ordinariè sufficit ad bonum regimen animarum. Ut autem peccatum externum censeatur reservatum, non sufficit quod habeat mortalem malitiam ex actu interno; sed insuper requiritur ut ipsa actio externa habeat malitiæ gravitatem. Nam reservatio præcipuè cadit in actum externum malum, ac proinde requirit actum externum mortaliter malum ex objecto. Et sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se gravem malitiam. Hinc si furtum in loco sacro esset reservatum, & aliquis aliquid leve haud sufficiens ad mortale surripuisset ex voluntate aliquid notabile surripiendi si occurrisset, tale furtum esset mortale, reservatum non esset. 3. Ut peccatum sit consummatum, nisi aliud in statuto exprimatur. Quia reservatio, cùm sit quid odiosum seu onerosum, est strictæ interpretationis. Hinc reservata fornicatione, vel homicidio, non reservatur voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, nisi fuerit copula carnalis; nec percussio gravis ex animo occidendi, nisi sequatur mors. Dixi, *nisi aliud exprimatur*. Nam aliquando reservantur etiam actus non consummati, sic sola provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio expressè reservantur, etiamsi non sequatur conflictus.

Sunt qui docent peccata impuberum non esse reservata, nisi exprimantur: quia in ipsis non reperitur necessitas episcopalis correctionis. Hoc tamen pendet ab Episcoporum arbitrio: quare eorum intentio ab ipsis exquirenda est: nam cùm impuberes possint esse subjecti censuris, quidni, & reservationi? Porrò contrahitur reservatio etiam invin-

,, stiterint, ex iis fas est judicare, quæ Doctores de hac re agentes mature ponderarunt. Atque, ut ea prætermittamus, quæ a S. Petro Damiani, & D. Thoma nuper audivimus, Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap 38. num. 3.*, illata mentione confessionis, de qua agimus, gravia mala describit, atque exaggerat, quæ ex ea proveniunt, præcipue cum Confessarius, in Sacramentali foro, feminam audit, cum qua non semel tantum, & diu antea peccavit, sed in turpi contubernio perseverat. Verjuys *tom. 9. art. 5.*, affirmat, longa experientia compertum, ejusmodi confessiones plerumque sacrilegas esse, novisque peccatis fœdatas; Theophilus Raynaudus, quamvis *cit. loc* eamdem confessionem in se licitam dixerit, periculosam tamen fatetur; & Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom. 4. cap. 5. art. 9 reg. 67.*, hæc ad rem adnotavit: *Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipsos hujusmodi crimen deponunt, sinceram illius pœnitentiam agant. Vix contingit, ut criminosi illi Sacerdotes salutaria dent consilia, & convenientem satisfactionis modum præscribant; & si peccata sint impudicitiæ, periculum est, ne nova cum pœnitenti, cum Sacerdotis in ipsa confessione peccati nascatur occasio.* Quare S. Carolus Borromæus, in sordidis hisce maculis illud fœdatur Sacramentum, quo Christi sanguine perfundimur, ut à peccatorum lepra mundemur, in sua Synodo Diœcesana xi. (*Act. Eccles. Mediol. part. 2. pag. 409.*) Confessariis generatim, atque universim facultatem interdixit, sui cujuscumque criminis socium, seu quoquomodo participem, absolvendi: *Confessarius, (inquit) qui cujuscumque criminis, etiam minimi socius, particepsve ullo modo fuit, munere interdictum sit confessionis eorum audiendæ, quos illius socios habuerit. Nec vero absolutio, si quam impertierit, ullius roboris sit, sed irrita plane, ac rescissa, nullaque omnino, tamquam ab eo impertita, qui jurisdictionis, & facultatis expers est. Et vero si quis Confessarius culpæ socius, particepsve aliquid contra ejus fuerit, excommunicationis sententiam statim incurrat; cujus vinculo irretitus, ab alio Sacerdote, nisi à nobis, absolvi non possit.*

,, 4. Quamquam autem hæc sanctissimi Præsulis statuta, etiam generatim, uti sonant, sint summopere commendanda, & quilibet Antistitum sancte queat eorumdem vestigiis insistere, negari tamen haud potest, majorem quamdam, & graviorem inhonestatem in eo adesse, ut Sacerdos illius personæ confessionem excipiat, cum qua impudicitiæ scelus admisit, ac proinde statim ac Nos ad Petri Cathedram evecti, totius Dominici gregis curam suscepimus, universali lege ediximus, ne ullus Confessarius, *extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam*, ut legi potest in nostris Apostolicis litteris datis Kalendis Junii 1741. quæ extant in nostrarum Constitutionum *volum. 1. Constitut. 20.* Ut porro conscientiarum tranquillitati consuleremus, in aliis similibus litteris datis die 8 Februarii 1745. quæ habentur *in eodem volum. Constitut. 120.* declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde esse, nullum adesse Sacerdotem, præter illum, cum quo pœnitens inhoneste peccavit, aut eum tantum adesse, quem idem pœnitens, constitutus in mortis articulo eligere nequit, sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum statu, non prohiberi, diximus, Sacerdotem, suæ impudicitiæ complicem absolvere; eumdem tamen simul monuimus, ne prædictas infamiæ, aut scandali pericula sibi confingant, quæ revera absint: quinimmo volumus, ut ea, cum potest, antevertat, & removeat, secus enim pœnas non effugiet, in nostra prima Constitutione, inobedientibus inflictas.

Quænam verò sint hujusmodi pœnæ, vide Constit. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ, ad calcem hujus Tractatus appositam.

invincibiliter ignorata; nam non est propriè pœna, nec contumaciam requirit, ut censura.

Quæst. II. *An peccata dubia censentur reservata?*

Resp. Negant plurimi in dubio facti. Quia reservatio cùm sit odiosa, debet restringi ad casus certos; non extendi ad dubios. Ideoque reservata ebrietate, intelligi debet ebrietas certa, quæ sola est ebrietas simpliciter & absolutè. Hinc qui admisit peccatum ex suo genere reservatum, sed dubitat an cum advertentia vel consensu sufficienti ad mortale, non incurrit in reservationem.

At in dubio juris, cùm nempè dubitatur an peccatum mortale pœnitentis sit reservatum, confessarius non potest ab eo absolvere, nisi superior expresserit se nolle in tali dubio reservare. Nam hoc ipso quòd constat peccatum esse materiam reservationis, sed dubitatur an superior illud reservarit, tunc dubium est de potestate ab eo absolvendi: non licet autem absolvere cum potestate dubia. Adde quod Clemens VIII. prohibuerit omnibus confessariis etiam privilegiatis in Italia degentibus, *ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, ab ullo ex casibus clarè vel dubiè in Bulla* In Cœna Domini *lege solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis vel reservandis absolvat.*

Quæst. III. *Quinam absolvere possunt à reservatis?*

Resp. 1. Ipse reservans, vel ejus successor, aut superior in hoc foro erga eosdem subditos, & quivis alius, qui ab illis hanc facultatem obtinuit. Nam reservans reservando retinuit pro se jurisdictionem, & successor habet eandem cum illo potestatem: superior verò potest id omne, quod potest inferior.

Resp. 2. Ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. Episcopi possunt suos subditos in foro conscientiæ absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, occultis, nec ad forum contentiosum deductis. Possunt etiam ab aliis quando subditi propter legitimum impedimentum non possunt Papam adire, ex c. 6. *de sentent. excomm.* ne videlicet ex dilatione absolutionis periculum immineat animarum.

Resp. 3. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, & excommunicatus saltem toleratus, potest quoslibet in articulo mortis absolvere à quibusvis peccatis & censuris, in defectum sacerdotis approbati. Constat ex praxi Ecclesiæ, & ex Rituali Romano, quod sic habet: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.* Nam tunc Ecclesia hanc potestatem omnibus Sacerdotibus, saltem toleratis censetur concedere, & revera concedit, ne pereant animæ, defectu absolutionis validæ tunc præsertim adeò necessariæ.

Dixi in defectum, &c. Nam si facile haberi possit sacerdos approbatus, alter non poterit absolvere, ut docet S. Carolus in instruct. confess. quia hæc potestas concessa est ob necessitatem moribundi; nec est periculum, dum facile absolvi potest à Sacerdote approbato, & habente jurisdictionem expeditam. Quare Rituale Romanum præter periculum mortis ad hoc requirit defectum Sacerdotis approbati.

Porrò omnes sacerdotes approbati tunc æque possunt de omnibus mortalibus absolvere, & sic per se loquendo quoad valorem absolutionis nullus est inter illos ordo servandus; quia in articulo mortis nulla est reservatio, ut docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. his verbis: *Piè admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Circa hoc observanda sunt sequentia:

1. Multi docent posse tunc moribundum absolvi à sacerdote excommunicato non tolerato, & hæretico, in defectum alterius: quia Conc. Trid. dicit *omnes sacerdotes posse.* Sed hoc negant alii cum Fagnano, qui, in cap. *Non est vobis*, de sponsal. testatur S. Congregationem Cardinalium Conc. Trident. interpretum, inter quos caput fuit Card. Moronus, qui paulo ante fuerat Legatus Apostolicus in Concilio, cujus proinde mentem probè norat, declarasse verba Concilii restringi ad sacerdotes in unitate Ecclesiæ viventes, & habiles ac capaces jurisdictionis exercendæ, quales non sunt excommunicati non tolerati, & hæretici ac schismatici notorii. Et verò, inquit, in Ecclesia Dei non fuit semper custoditum, ut præcisi ab unitate Ecclesiæ possint absolvere in casu necessitatis; cùm imò potiùs certum sit, ex communi sententia eorum, qui ante Concilium scripserunt, non potuisse. Toletus docet hæreticos & schismaticos, supple notorios, id non posse secundùm communem sententiam: quia Ecclesia noluit eis dare jurisdictionem ob periculum perversionis fidelium, sed putat alios posse.

2. Per

2. Per articulum mortis hic intelligitur grave ac morale mortis periculum. Nam ista ex usu Ecclesiæ in hac materia pro eodem usurpantur, ut constat ex Rit. Roman. Quia pia mater Ecclesia non censetur velle quemquam exponi periculo probabili damnationis. Et in articulo stricto mortis quando jam vita desperata est, sæpè, imò ferè semper fieri nequit confessio.

3. Absolutus à peccatis reservatis non tenetur postea, si convaluerit, adire superiorem, vel ejus delegatum. Quia, cùm in illo articulo nulla sit reservatio, quivis sacerdos habet tunc potestatem à quibuslibet peccatis etiam alioqui reservatis absolvendi directè, & sine onere illa confitendi superiori. Secus de censuris.

Quæst. IV. *An regulares privilegiati habentes potestatem absolvendi à casibus Papæ reservatis, possunt ideò absolvere à casibus Episcopo reservatis, sine facultate Episcopi?*

Resp. Neg. Ita expresè declaravit Clemens X. constit. *Superna*. Et Alexander VII. oppositum damnavit.

Quæst. V. *An sacerdos approbatus carens potestate absolvendi à reservatis, potest aliquando directè absolvere à non reservatis, & indirectè à reservatis?*

Resp. Circa hoc duplex est sententia. Prima quæ est communis, docet id posse in duobus casibus. 1. Si pœnitens inculpatè oblitus est aliquod reservatum, vel si bona fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti esse reservatum. Quia alioqui si illud in perpetuum oblivisceretur, vel semper uteretur eodem confessario, nunquam accepturus esset absolutionem extra articulum mortis; & sic posset perire occasione reservationis, cùm multi moriantur sine absolutione accepta in articulo mortis. Unde meritò censetur Ecclesia tunc dare potestatem absolvendi directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, cum onere postea reservata confitendi Sacerdoti habenti potestatem in illa. Quam sententiam S. Carolus tenendam proponit in sua diœcesi, in qua proinde dat hanc potestatem. Volunt autem alios Episcopos censeri eandem potestatem concedere hoc ipso quòd non contradicunt sententiæ communi id afferenti, quam ignorare nequeunt. 2. Si Sacerdos habens reservata, nequeat omittere celebrationem Sacri sine gravi scandalo, nec adsit Confessor habens potestatem in reservata. Quia cùm quilibet sibi peccati mortalis conscius teneatur confessionem præmittere communioni; credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc à peccatis absolvi nequeat, directè quidem à non reservatis, & indirectè à reservatis: malleque eum cum incerta contritione non confessum celebrare, quàm confessionem communioni præmittere. Tunc autem docent necessariam esse confessionem peccatorum omnium etiam reservatorum: quia scilicet sine illa status pœnitentis nequit sufficienter innotescere confessario, ut satisfactionem debitam imponat, & opportuna remedia suggerat. Item remanere obligationem peccata reservata iterum confitendi alteri confessario habenti potestatem in illa.

Secunda sententia negat in ullo casu extra mortis periculum posse. Quia peccata non reservata remitti nequeunt sine reservatis: nam unum mortale sine alio remitti non potest. At in nullo casu extra mortis articulum peccatum reservatum potest per confessarium carentem potestate in reservata remitti etiam indirectè. Quia 1. Conc. Trid. sess. 14. c. 7. ait, Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis. 2. Si confessor carens potestate in reservata posset in aliquo casu extra articulum mortis indirectè ab illis absolvere, potest à fortiori in articulo mortis; & ita absque ratione Conc. Tridentinum declarat nullam esse reservationem in articulo mortis, ne quis occasione illius pereat: manente enim reservatione etiam pro articulo mortis, poterit adhuc pœnitens absolvi ab omnibus peccatis à quovis Sacerdote, directè quidem à non reservatis, & indirectè à reservatis, atque ita reservatio nulli poterit esse occasio pereundi. Unde ulteriùs satius erit reservationem manere, quàm tolli pro articulo mortis; sic enim meliùs prospicitur vigori disciplinæ sine periculo salutis animarum. 3. Cùm adest peccatum reservatum, tota causa ad superiorem judicem devolvitur: ergo nihil in ea potest inferior.

Jam verò fatentur pœnitentem, qui reservatum aliquod peccatum in perpetuum oblitus est, numquam accepturum absolutionem peccatorum à Sacerdote carente potestate in reservata; posse tamen in articulo mortis à quocumque absolvi; quia tunc cessat omnis reservatio. Non ideò tamen timendum esse ejus saluti, quia si bona fide faciat quod in se est cum auxilio gratiæ, benignitas divina ei prospiciet, aut procurando ei confessarium habentem potestatem in reservata, aut ei impertiendo gratiam contritionis & charitatis perfectæ. Dicunt autem Sa-

Sacerdotem, qui in necessitate celebrandi nequit confiteri, nisi carenti potestate circa reservata, censeri non habere copiam confessoris; ideòque teneri tunc elicere solùm contritionem perfectam, & postea confiteri habenti potestatem absolvendi à reservatis.

Porrò consentiunt omnes inferiorem non posse licitè, sine necessitate cogente, absolvere à non reservatis, remittendo pœnitentem ad superiorem pro reservatis. Quia integritas est de jure divino, & non debet prætermitti sine cogente necessitate.

Quæst. VI. *An si quis confessus habenti potestatem circa reservata, omiserit ex oblivione inculpabili peccatum aliquod reservatum, hoc ipso sublata sit reservatio peccati illius, ita ut possit posteà directè ab eo absolvi, per quemvis confessarium approbatum?*

Resp. Cùm non sit certum tunc reservationem tolli, in praxi debet pœnitens peccatum reservatum oblivione omissum confiteri habenti potestatem in reservata, ut ab eo directè seu secundùm se absolvatur. Idque videtur exigere finis reservationis, qui est, ut conveniens medicina, & satisfactio à superiore vel ejus delegato pro tali peccato imponatur. Excipe si tempore Jubilæi omnia præstitisset, quæ illud ad consequendum præscribuntur: nam tunc Papa Jubilæi gratia tollit omnem reservationem respectu illorum, qui volunt illud lucrari, & verè contriti ac validè confessi sunt.

Quæst. VII. *An si quis reservata cum aliis integrè confessus habenti potestatem in illa, ab eo absolvatur, licèt invalidè quoad remissionem peccatorum ob suam indispositionem, tamen liberatur à reservatione, ita ut absolvi possit à quovis approbato?*

Resp. Neg. Etiamsi confiteatur superiori ordinario. Quia superior intra Sacramentum non intendit absolvere à reservatis, nisi per absolutionem Sacramentalem, quæ cum sit nulla, nihil efficit. Quòd si confiteatur habenti potestatem tantùm delegatam, adhuc certius est tunc non tolli reservationem. Quia delegatus non potest reservationem tollere, nisi intra Sacramentum, ac proinde per solam absolutionem Sacramentalem validam, non enim potest illam tollere dando pœnitenti facultatem confitendi reservata Sacerdoti carenti potestate circa illa: quia hoc faciendo subdelegaret: at delegatus nequit subdelegare.

Quæst. VIII. *An superior potest audire sola reservata, & absolvere ab illis pœnitentem eum remittendo ad alium ut absolvatur à non reservatis?*

Resp. Neg. Quia confessio omnium mortalium, quæ pœnitens potest hic & nunc confiteri, est præcepta jure divino ad absolutionem, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Ergo non est in potestate superioris ut dimidietur. Quòd si ei non vacat omnia audire, potest auditis solis reservatis remittere pœnitentem ad inferiorem de omnibus ab eo absolvendum, & taxare si velit pro iis pœnitentiam, & præscribere remedia adhibenda. Quo casu non absolvit propriè, sed tollit reservationem. Valeret tamen talis absolutio à solis reservatis, si pœnitens sit rectè dispositus & in bona fide. Quia tunc adsunt materia & forma Sacramenti, & aliunde defectus integritatis confessionis non est culpabilis ex parte pœnitentis, ut suppono. Ergo tunc nihil deest ad veritatem & effectum Sacramenti. (a)

AR-

(a) Recensentur casus Romano Pontifici reservati, quorum index in Authore desideratur.

Casus 20. Reservati in Bulla Cœnæ Domini.

1. Hæretici cujuscumque sectæ, eorumdem receptatores, fautores, defensores, eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes scienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes: & schimatici.

2. Appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis, ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, cursarii, ac latrunculi maritimi discurrentes mare Romani Pontificis, præcipuè à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defensores.

4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa surripientes.

5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes, præterquàm in casibus à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis.

6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.

7. Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per sanctæ Sedis sententiam expressè, & nominatim declaratos. Vel ad Christianæ Reipub. aut Catholicæ Religionis statum pertinentia in ejusdem damnum illis annunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera lædentes, vel sine jurisdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

11. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ

ARTICULUS III.

De Obligationibus Confessarii.

EJus dotes comprehenduntur his versibus:

Sit probus, & fortis confessor, sitque peritus,

Discretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.

De quibus consule libros de officiis confessarii, & præsertim S. Carolum, de instruct. confessarii, Loart, Fornarium, &c.

Quæst. I. *Quænam scientia requiritur in confessario?*

Nota. Agitur hìc de scientia requisita ex parte confessarii ad licitam absolutionem. Ad validam autem requiritur secundùm omnes, teste Suarez, ut sciat absolutionem proferre, & cognoscere regulariter moralem actum, saltem sub communi ratione peccati mortalis aut venialis, secundùm generalem eorum rationem ac distinctionem. Quia sine tali scientia homo non potest humano modo exercere hoc judicium. Sed addit Suarez ignorantiam horum rarissimam esse, & fere impossibilem in eo qui ratione utitur, & in Ecclesia versatur, vultque confessiones audire.

Resp. 1. Generatim, cùm triplex sit confessoris munus, judicis, medici, & doctoris animarum, tenetur sub mortali scire ea quæ ad hæc munera rectè obeunda requiruntur. Nam qui tenetur graviter ad finem, tenetur etiam graviter ad media necessaria. Confessor autem tenetur graviter munus suum, utpote gravissimum, & in quo agitur de offensa Dei vindicanda, de reconciliandis Deo peccatoribus, de justificatione ac salute hominum procuranda, de curandis animæ morbis, & vitiis emendandis, rectè exequi. Ergo tenetur etiam sub gravi scientiam ad id necessariam habere. *Imprimis* (inquit Rituale Roman.) *meminerit confessarius, se judicis, pariter & medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul & misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter inter Deum & homines, honori divino, & animarum saluti consulat.*

Quare juxta omnes mortaliter peccat qui sine debita scientia munus audiendi confessiones, etiam ex sola charitate, vel obedientia suscipit. Nam jure divino naturali quisque tenetur habere scientiam muneris, quod suscipit exercendum, præsertim erga alios.

Præterea talis se exponit periculo evidenti malè fungendi tanto munere, cum injuria Sacramenti, & damno proximi ac detrimento animarum. *Si quis autem ignorat, ignorabitur,* 1. Cor. 14. Neque enim obedientia, aut Episcopi approbatio etsi bona fide per examen facta, excusat: quia non dat scientiam ex natura rei debitam, nec supplet ejus defectum. Neque ignorantia eum excusare potest: quia nemo debet suscipere & exercere officium, cujus nequit omnia munia rectè obire: aliàs se exponit periculo errandi, & malè obeundi cum damno aliorum.

Va

Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis spoliantes, per se, vel per alios, eos qui pro negotiis suis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, vel Judices super dictis causis deputatos.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, ad laicam potestatem.

14. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quique illorum, & Delegatorum judicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præstantes auxilium.

17. Usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequestrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices, & quilibet ministri, aut executores sæculares, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ immediatè, vel mediatè subjecta, & illiùs jurisdictionem usurpantes.

Hi casus sunt desumpti ex ipsa Bulla Cœnæ, ut in *Bullario tom. 4. & 6.*

Alii sex casus extra Urbem, & intra Italiam Summo Pontifici reservati.

1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa confugientes ad Ecclesias.

2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem.

3. Injectio manus violentæ in Clericum.

4. Provocatio, & pugna in duello.

5. Simonia realis scienter contracta.

6 Confidentia beneficialis.

His accedunt casus à SS. D. N. BENEDICTO XIV. Romano Pontifici reservati, quos nos ex ipsius Constitut. propriis in locis indicavimus.

Va vobis, duces caci. Matth. 23. *Nulla ars doceri præsumitur, nisi inventa prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate; quoniam ars est artium regimen animarum*, ait S. Greg. pastor. cur. part. 1. cap. 1.

Hinc etiam qui ignarum confessarium scienter eligit, peccat mortaliter, cùm cooperetur ejus peccato, & malæ administrationi Sacramenti: ideòque ejus confessio est invalida. *Cacus si caco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Matth. 5.

Resp. 2. Confessor, ut apud omnes & ex dictis constat, tenetur scire. 1. Ea omnia quæ ad valorem, substantiam, integritatem & effectum hujus Sacramenti, ejusque licitam administrationem, tam ex parte sui, quàm ex parte pœnitentis requiruntur. 2. Præcepta Dei & Ecclesiæ, obligationes communes, & proprias statuum, varias peccatorum species, multiplicationem numericam, circumstantias, quæ mutant speciem, vel notabiliter aggravant, & principia discernendi inter mortalia & venialia: imò quænam sunt peccata mortalia, & venialia in singulis præceptis, saltem communi & ordinario modo. Item quinam sunt actus invalidi, & solùm illiciti: *Oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicari: judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat*, cap. 1. dist. 6. *de pænitent*. Alioqui non posset esse debita judicii æquitas. 3. Casus reservatos, censuras & excommunicationes quæ vigent, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, causas restitutionis, radices & occasiones peccatorum, remedia peccatis vitandis & vitiis emendandis apta, & satisfactiones salutares ac convenientes. 4. *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare*, ait Cœlest. Papa, cap. *Nulli* dist. 38. Non tamen tenetur tam perfectam istorum omnium notitiam habere, ut possit semper ex tempore & per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit ut id possit in communiter accidentibus, & sciat communia, & de difficilioribus sciat saltem dubitare; intelligatque principia decisionum generalia, & legendo, aut peritiores consulendo investigare possit quid facto opus sit. Neque etiam tenetur de singulis peccatis, quæ declarantur, positivè judicare esse mortalia vel non, hoc enim in multis difficile est, & controversum; sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, & de illis judicet secundùm principia communia certa, & remedium idoneum apponat, ne iterentur peccata quæ dubitat esse mortalia. Uno verbo confessor debet habere scientiam Theologiæ moralis, saltem mediocrem & competentem.

Porrò major scientia requiritur pro uno loco, quàm pro alio, pro urbe mercatoria, aulica, &c. quàm pro pago; major pro audiendis viris, judicibus, hominibus forensibus, aliisque habentibus casus magis implicatos, quàm pro feminis, pueris: &c. Hinc confessarii, qui quoslibet pœnitentes audire sunt parati, majore quàm alii scientia pollere debent.

Ex dictis rectè colligit Filliucius, peccare mortaliter non solùm confessarium, qui prædicta scientia caret, sed etiam superiorem qui ei tribuit facultatem confessiones audiendi, atque etiam ipsum pœnitentem qui scienter eligit confessorem ignorantem respectu ipsius, cùm consentiant & cooperentur peccato confessarii: ideoque talem pœnitentem esse indispositum, & teneri confessiones iterare. Confessio tamen bona fide facta Sacerdoti ignaro, est valida; quia ex parte pœnitentis intervenit integra confessio & debita dispositio, & ex parte Sacerdotis intervenit aliqua cognitio & perceptio illius quæ licèt non sit accurata, tamen sufficit, ut cognoscat illam esse sufficientem materiam hujus Sacramenti. Ita Suarez.

Quæst. II. *An & quomodo tenetur confessor pœnitentem examinare?*

Resp. Tenetur examinare de specie, numero, circumstantiis peccatorum, eorumque causis, habitu & occasionibus proximis, quoties rationabiliter præsumit ista non sufficienter declarari, vel de hoc dubitat. Item debet interrogare an sciat res fidei, præcepta Dei & Ecclesiæ: & status sui obligationes quoties dubitat an pœnitens ista calleat; demùm scrutari dispositiones & conscientiam pœnitentis, *quasi medicus vulnus, & judex causas*, ait S. Thom. in 4. dist. 19. *Prob.* 1. Ex Concil. Later. gener. IV. cap. 21. *Sacerdos autem sit discretus & cautus; diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati*. 2. Ut minister Sacramenti tenetur curare, ut integritas materiæ Sacramenti à Christo requisita ponatur, quantum moraliter potest; & ut judex ac medicus, tenetur sibi comparare cognitionem necessariam ad ferendum rectum ac integrum judicium de peccatis & statu pœnitentis, ad il-

lum

lum cum Deo reconciliandum, ad imponendam satisfactionem peccatis & ejus facultati congruentem, & ad præscribenda remedia curationi ac emendationi pœnitentis apta. Et verò judex non potest licitè proferre sententiam, nisi priùs plenè cognoscat totum statum causæ, & personæ quam debet absolvere. Hæc autem inquisitio debet esse discreta & moderata, ne fit vana, curiosa, periculosa, reddatque Sacramentum nimis grave & odiosum, pro quo.

Observa 1. Non omnes eodem modo interrogandi sunt, sed modo cuique accommodato. Sic cæteris paribus magis examinandi sunt minùs periti, quàm periti ac timorati; item qui rarò confitentur, quàm qui frequentiùs.

2. Sæpè necesse est interrogare pœnitentes de statu, officio, tempore ultimæ confessionis, de omissione obligationum iis propriarum, de consuetudine, occasione, & causis ac motivis peccatorum, de impletione pœnitentiæ injunctæ. Non sunt autem interrogandi, nisi de peccatis quæ potuerunt verisimiliter ab illis committi: ideò priùs intelligat confessor ætatem, sexum, conditionem, statum, munus pœnitentis, & prudenter ac moderatè cum interroget de peccatis, quæ à personis talis ætatis, sexus, conditionis, status, professionis admitti solent. De nomine non percontetur, nec inutilia quærat umquam, nec sibi narrari patiatur.

3. Debet curare ut pœnitens in confessione generali exprimat quænam mortalia necdum confessus sit: nam aliàs nec posset discernere materiam necessariam ab alia, nec imponere, ut tenetur, satisfactionem proportionatam ac debitam pro illis, pro quibus nondum imposita est; sed daret justo leviorem, falsò putans jam pro illis debitam injunctam fuisse.

4. Cautio magna adhiberi debet in inquisitione de peccatis luxuriæ, ne scandalizetur pœnitens; & mala quæ ignorat doceatur cum periculo ea deinde patrandi. Quare quærendum est generaliter num menti irrepserit turpis aliqua cogitatio, num opere vel voluntate aliquid contra castitatem admiserit, num circa aliquid conscientia ipsum exstimulet? Si affirmet, ulteriùs interrogetur, à generalibus gradatim descendendo ad particularia: secùs, si neget.

5. Confessarius confitentem non objurget, nisi finita confessione; neque interpellet, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere. Ita Rituale Roman. addens: *Audita confessione, perpendens peccatorum magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac meliùs instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Postremò salutarem & convenientem satisfactionem, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, & ætatis, & item dispositionis pœnitentium; videatque ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, &c.*

Quare confessarius debet habere in promptu varia motiva ex Scriptura præsertim, & Patribus deprompta, ad excitandum in pœnitentibus peccatorum dolorem ac odium efficax, vitæ christianæ propositum, & amorem Dei, secundùm pœnitentium dispositiones, proposita peccati fœditate, gravitate pœnarum æternarum & præsertim Dei bonitate, magnitudine, ac amabilitate infinita, &c. & pœnitentes ad perfectam contritionem eliciendam verbis efficacibus adducat.

Sed an pœnitens confessario interroganti tenetur aperire pravam consuetudinem, malos habitus, cupiditates, tentationes, occasiones peccati, dispositiones, obligationes proprias, statum, conditionem, munus?

Resp. Affirm. Ita communiter. Quia confessarius, cum sit judex & medicus, habet jus cognoscendi, & inquirendi ea omnia, quorum notitia necessaria est ad rectè judicandum de peccatis, statu, morbis, necessitate, ac dispositione pœnitentis; & ad præscribenda remedia ejus emendationi ac curationi apta, qualis est prædictorum & similium notitia. Ac proinde pœnitens tenetur ad ista sincerè & clarè respondere; nullum enim esset jus in confessario interrogandi, si non esset in pœnitente obligatio ad interrogata respondendi. Et verò confessarius est judex proferens sententiam non solùm circa illa peccata, quæ audit, sed etiam circa personam, quam dum sacramentaliter absolvit, judicat illam debere reconciliari cum Deo, & quantùm ex se est, reconciliat: ad hoc autem oportet ut cognoscat plenè totum statum conscientiæ pœnitentis, ad videndum an sit aliquid quod obstet ejusmodi reconciliationi. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Quæst. III. *An confessarius tenetur admonere pœnitentem de ejus erroribus, & eum docere?*

Resp. 1. Si error seu ignorantia sit vincibilis & culpabilis, tenetur confessarius eum docere id quod culpabiliter ignorat. Quia quamdiu talis ignorantia perseverat, pœnitens est indispositus, cùm ipsa sit peccatum & causa peccati. Confessor autem ut doctor tenetur erudire pœnitentem, & ut medicus tollere causam & occasionem peccandi, veritatem docendo. Idque etiamsi tunc non speretur fructus; quia ea admonitio proderit, ut pœnitens edoctus cognoscat malum statum in quo est, & fortè aliquando resipiscet, & exstimulabit conscientia. Item tenetur corrigere errorem, qui est pœnitenti perniciosus, & causa peccandi, putà si putet esse illicitum, quod ei reipsa licitum est.

Resp. 2. Si error, vel ignorantia sit inculpabilis ac invincibilis, docendus est pœnitens. Si ex eo sequatur aliquod grave malum vel scandalum publicum, etiamsi inde timeatur malum pœnitentis: nam malum privatum permitti debet, ut vitetur publicum. 3. Si error vergat in damnum injustum proximi. Quòd si pœnitens restituere, aut abstinere à contractu aut opere injusto nolit, non debet absolvi: quia est indispositus, cum nolit obligationem sibi notam exequi, vel nolit intelligere ut bene agat. Si pœnitens dubitet de suo errore, vel interroget Confessarium: nam tunc taciturnitas esset tacita erroris approbatio & confirmaret pœnitentem in errore. 4. Si ex errore sequatur malum occultum inculpatè ignotum, ut si putat matrimonium suum esse validum, & tale publicè habeatur, quod tamen invalidum est ob impedimentum occultum notum ipsi Confessario; modò monitio profutura videatur, nec ex ea scandalum timeatur. Quia Confessor est Dei minister, & judex, doctor, ac medicus pœnitentis. Ergo tenetur curare, ut leges serventur, instruere pœnitentem, & impedire peccatum etiam materiale, dum nullum majus malum timetur: nam error per se quoddam malum est, & plerumque alia mala invehit. Si tamen probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave scandalum, & damnum innocentibus, putà liberis; differenda est monitio, donec hoc periculum sit sublatum, & petenda dispensatio, ex c. 6. *de consang. & affinit.* ubi Innocentius III. consultus de matrimonio invalido contracto, respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.* Nam cùm Dei offensio per ignorantiam invincibilem vitetur, illud materiale malum rectè permittitur ad impedienda graviora mala.

Quæst. IV. *An confessor potest se conformare sententiæ pœnitentis minùs probabili, & minus tutæ contra propriam probabiliorem & tutiorem?*

Resp. Neg. Quia confessarius in tribunali pœnitentiæ est superior, doctor & judex, pœnitens verò inferior & reus. Ac proinde confessarius debet judicare secundùm propriam sententiam prudentem, & conscientiam, non ad arbitrium rei, quem tunc docere debet. Præterea non licet sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam. Quare pœnitens volens eam in praxi sequi, est indispositus. Potest tamen absolvi pœnitens eruditus volens sequi opinionem suam, quam bona fide post diligentem veritatis inquisitionem putat esse multò probabiliorem, si confessarius sciat multis aliis talem videri, nec sit evidens esse minùs probabilem. Quia pœnitenti licet agere secundùm conscientiam prudenter formatam; ideòque tunc censetur bene dispositus.

Quæst. V. *An & quibus Confessor tenetur denegare, vel differre absolutionem?*

Resp. 1. Tenetur denegare iis omnibus, quos cognoscit carere contritione ac dispositione debita; alioqui grave sacrilegium admitteret: nam ex communi sententia faceret sacramentum nullum, dando absolutionem invalidam & inutilem defectu materiæ debitæ. Et secundùm Scotistas, faceret sacramentum inutile: utpote destitutum effectu suo, ob defectum dispositionis necessariò requisitæ ad illum. Quare Rituale Rom. ait: *Videat diligenter sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio: ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, &c.* Igitur secundùm hoc principium certum, & doctrinam Patrum, Canonum, & S. Caroli, in instruct. confessar. absolutio denegari debet.

1. Iis qui nolent rem alienam restituere, debita solvere, vel honorem aut famam læsam, aut quodlibet aliud damnum illatum resar-

resarcire, cùm possunt, aut dare operam ut facultatem istam præstandi, si non habeant, comparent.

2. Qui non curant tollere habitum peccandi, ut si non adhibeant remedia necessaria à confessario aliàs præscripta, vel aliunde cognita. Nam carent proposito efficaci emendationis, quod exigit destructionem causarum peccati: nulla autem proprior est habitu.

3. Qui uti renuunt remediis, quæ à confessario judicantur necessaria ad emendationem, vel impositas pœnas meritas, & eorum facultati accommodatas persolvere nolunt.

4. Qui retinent voluntatem duellum data occasione offerendi vel acceptandi, aut aliud peccatum mortale admittendi.

5. Qui inimicitias & odia deponere, injuriam acceptam condonare, vel reconciliari nolunt, offensorem sincerè propter Deum non amant, nec parati sunt pro illo orare, ei benevolentiæ signa communia exhibere, & in necessitate subvenire. *Falsa fit pœnitentia, si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat*, ait Concil. gener. Lateran. II. can. 22.

6. Qui nolunt corrigere luxum & sumptus superfluos in cibo, potu, vestitu, ornatu, conviviis, famulatu, &c. qui ad mortale pertingant: ut si propter illos contrahantur debita, quæ solvi nequeant, si stipendia famulorum aut operariorum, vel alia debita non solvantur, si eleemosynæ debitæ omittantur, &c. vel si inde scandalum oriatur.

7. Qui occasionem proximam peccandi deserere nolunt. Unde Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimo directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Hinc S. Carolus, in instruct. cit. monet non esse absolvendos eos, qui vitam in otio agunt, vel malorum consortium, aut cauponam frequentant, vel choreas (vulgo, *Bal*) adeunt, nisi habeant firmum propositum ab his deinceps abstinendi. Idem dic de comœdiis amatoriis, & aliis spectaculis periculosis.

8. Ii qui occasionem peccandi aliis præbent, nisi efficaciter desistere statuerint, quales sunt qui componunt, imprimunt, dant, vel vendunt libros amatorios, vel contra fidem, aut bonos mores; qui domum aleatoribus præbent; qui comœdias periculosas exhibent; item feminæ, quæ pectus nudum gestant: nec excusantur ob consuetudinem: nam (ut ait S. Antoninus) *Valde turpis & impudicus est talis usus; & ideo non servandus. Non sequeris turbam ad faciendum malum*, Exod. 23. &c. Item qui comœdias periculosas exhibent, *de Theatricis, placuit eos, quamdiu agunt, à communione separari*, ait Concil. Arelatense II. ann. 452. can. 20. Ergo tamdiu absolvi non debent &c.

9. Qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, artibus, commerciis aut contractibus illicitis, aut à quovis alio opere malo. Ratio horum omnium est, quia ejusmodi homines carent proposito efficaci servandi omnia mandata, & vitandi peccatum mortale, ejusque occasiones proximas, ideòque contritione.

10. Qui ignorant res necessarias ad salutem necessitate medii, ut mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, beatitudinem æternam justis perseverantibus rependendam, pœnas æternas peccatoribus paratas. Nam sine horum fide explicita nemo adultus justificari potest. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; etiamsi per ignorantiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini*. Hinc nequeunt valdè absolvi, nisi priùs ista didicerint. Idem dic de actu contritionis, cùm sit de necessitate Sacramenti.

Qui autem ignorant ea, quæ sunt solùm necessaria necessitate præcepti, ut aliqua alia fidei dogmata, vel mandata aliqua Dei aut Ecclesiæ, vel obligationes sui status ac conditionis proprias, debent hæc doceri ante absolutionem, si pauca horum ignorent, quæ brevi tempore discere queant: sin minùs differenda est absolutio, donec ea omnia didicerint si jam moniti neglexerunt discere, quia sunt in habitu negligentiæ culpabilis, cum teneantur graviter ista scire; & tamdiu actu peccant, quamdiu ea non ediscunt, cùm possunt. Nec confessarius potest prudenter credere eos hanc obligationem posteà impleturos, eo quòd id promittant, cùm jam fidem datam fefellerint. Quòd si nondum fuerint moniti, poterunt, si nihil aliud impediat, absolvi, præmissa instructione de his saltem rebus, quæ sunt de necessitate medii & sacramenti; & imposita obligatione aliàs quamprimum ediscendi. Ita S. Carolus, in instruct. confessar. addens neque absolvi debere patres & matres familias, qui liberos suos aut domesticos horum notitia imbuere per

per se vel per alios non curant; vel non invigilant, ut iidem Dei & Ecclesiæ præcepta observent, aut (quod pejus est) eorum observationem impediunt; vel retinent domesticos, qui sunt aliis scandalo, nec se emendant. Si tamen spondeant ista se præstituros, & nondum de iis moniti fuerint, poterunt absolvi: secùs, si jam moniti omiserunt, donec emendationem operibus probaverint.

Resp. 2. Extra articulum mortis, confessarius tenetur generatim differre absolutionem iis, quorum dubia ei apparet contritio ac dispositio debita, & quos non potest prudenter judicare habere debitum dolorem, ac propositum efficax ac universale non peccandi, donec adsint sufficientia conversionis veræ ac contritionis debitæ signa. Nam alioqui sine necessitate & temere exponeret sacramentum periculo nullitatis, & privationis effectus, applicando formam materiæ dubiæ nec moraliter certæ, & subjecto dubiè disposito; & sic committeret grave sacrilegium. Nam vera contritio ex communi sententia, est materia proxima & per se essentialis sacramenti; & ex Scotistis est saltem dispositio necessaria ad ejus effectum. *Confessor* (inquit Suarez, disp. 32. sect. 2.) *tenetur justitiam & religionem in ejus administratione servare; quia & judicium & actionem sacram exercet. Cui muneri ut satisfaciat, unum ex præcipuis est, ut dispositionem conscientiæ pœnitentis sufficienter agnoscat. Est enim præcipuum hujus materiæ fundamentum, non posse confessorem licitè pœnitentem absolvere, nisi ille sit bene dispositus ad absolutionem suscipiendam. Primò, quia non potest ipse absolvere, nisi quem Christus etiam absolvit, gerit enim vices Christi, & quæ ipse solvit in terris debent soluta manere & in cœlis: aliàs clavis errabit, & minister illa abutetur, & peccabit. Secundò, quia tenentur ministri Sacramentorum non dare illa indignis. Tertiò, quia est judex, & tenetur justum judicium facere. Ex quo fit, prinsquam absolvat, necesse esse, ut prudenter judicet pœnitentem esse dispositum: quia aliàs se exponeret periculo errandi, & sine sufficienti cognitione operaretur.* Præterea confessarius debet esse dispensator fidelis ac prudens applicationis meritorum Christi, & Sacramentum gratiæ collativum prudenter & sanctè administrare. Ergo citra necessitatem seu articulum mortis, non ei licet administrare hoc Sacramentum cum materia, vel dispositione, quæ prudenter judicari nequeat vera, ac sufficiens ad valorem & effectum Sacramenti. Contritio autem dubia, aut quæ non est probabilius vera quam falsa, non potest prudenter judicari vera ac sufficiens. Et quamvis pœnitenti credi debeat in iis de quibus se accusat, cùm confessarius nequeat ejus peccata, nisi ex ipso cognoscere; non sufficit tamen testimonium pœnitentis asserentis se esse contritum, dum aliunde adest ratio dubitandi de veritate ejus contritionis, & debitæ dispositionis; nam ipse & seipsum & confessarium decipere potest, ut notat S. Gregorius pastor. cur. 1. part. cap. 9. ibi: *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, & de mundi autem gloria non amare quod amat.* Et, in 1. Reg. cap. 6. ait: *In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor bona, voluntas bona. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia?* Quare S. Carolus, in instruct. confessar. quas Clerus Gallicanus præcipit ut ab omnibus sacerdotibus accuratè servarentur, ait: *Absolutio, donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licèt se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos confessarius probabiliter judicabit.*

Resp. 3. Extra periculum mortis, juxta principia tradita, & doctrinam S. Caroli, in instruct. Confessar. tenetur confessarius speciatim differre absolutionem, præsertim.

I. Implicatis consuetudine peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati sunt eam emendare, licèt emendationem promittant; donec vitiosum habitum sic vicerint; ut periculum proximum seu probabile peccandi sublatum sit. Quia 1. vera conversio consuetudinarii est valde rara ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri solet, ut constat ex Patribus & experientia: ergo priùs operibus probari debet ut possit prudenter credi. Prava consuetudo est occasio proxima peccandi, & eo pejor quod interna est. 3. Dilatio absolutionis est medium moraliter necessarium ad pravi habitus emendationem, cùm experientia constet eum sine dilatione illa communiter non emendari. Confessarius autem ut medicus spiritualis tenetur adhibere remedia ad pœnitentis emendationem apta & moraliter necessaria. 4. Gratia sacramentalis exponeretur morali periculo proximæ destructionis, cum graviori damno pœnitentis: nam dum durat malus habitus, homo est in periculo proximo statim & sæpe peccandi, cùm habitus ille propensionem maximam, & necessitatem moralem peccandi

di pariat. Confessarius autem ut minister sacramenti, citra necessitatem non debet conferre gratiam, quam prudenter judicat brevi amittendam, nisi eam differat; & ut medicus debet curare ut sanitas quam offert, non tam citò amittatur, sed sit moraliter saltem stabilis: imprudenter enim ageret medicus, qui statim daret remedium; quod prudenter judicaret allaturum sanitatem, brevi eam majore damno amittendam si statim detur, cùm moraliter stabilem afferre, & morbum curare possit, si differatur. *Quod facile sanatur, non multùm cavetur: ex difficultate autem sanationum erit diligentior custodia recepta sanitatis*, ait S. August. in Psal. 6. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

II. Recidivis, seu iis qui post plures confessiones pluries relapsi sunt in eadem peccata. Tum quia qui pluries fidem datam fefellerunt, non possunt nisi ex operibus prudenter judicari habere verum & efficax propositum: tum quia recidivorum poenitentiæ semper à Patribus existimatæ sunt saltem valdè suspectæ & dubiæ. Quarè S. Isidorus, in c. 11. *de poenit.* dist. 3. ait: *irrisor est, non poenitens, qui adhuc agit, quod poenitet.* At (ut docet Delugo disp. 14. sect. 10.) *certum est, quando dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, de quo non satis constat, debere differri absolutionem.* Præterea recidivi sine absolutionis dilatione emendari non solent, ideoque dilatio est remedium ipsis moraliter necessarium. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, ait Bellarmin. serm. 8. de adventu. Rituale Tullense excipit eos, qui relapsi sunt rarò, & solùm ex vi tentationis, vel occasionis urgentis non quæsitæ, nec prævisæ.

III. Iis, qui aliena retinent, vel injuriam in fama, honore, vel aliis bonis intulere, donec satisfecerint si possunt, quamvis promittant se statim satisfacturos, si jam semel admoniti id omiserunt. Ita S. Carolus, in instruct. Confessar. & Conc. Mediol. I. Item, iis, qui commercia illicita, vel artes prohibitas, aut occasionem peccandi voluntariam non dimisere, donec deseruerint: & generatim iis qui obligationem aliquam gravem & urgentem non impleverunt ex negligentia, donec impleverint, si jam semel aut bis moniti fuerint, vel id promiserint. Quia propositum quod nunc faciunt, non potest prudenter judicari magis efficax esse quàm priùs factum. Et aliàs relinquerentur in probabili periculo peccandi ut antea; cujus probabilitatem facit fidei priùs datæ violatio, & difficultas ista præstandi. Imò si res restituenda gravissimi sit momenti, non debet ordinariè absolvi poenitens donec restituerit, si potest, quamvis antea monitus non fuerit: nam alioqui relinqueretur in gravi periculo non restituendi, ob difficultatem talis restitutionis, & propensionem magnam differendi.

IV. Qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec se ei reconciliaverint; vel etiamsi inveteratæ non sint, contra fidem datam nondum redierunt cum eo in gratiam, nec publica dederunt signa reconciliationis, ad tollendum publicæ inimicitiæ scandalum; vel qui primi proximum offenderunt, & nolunt primi eum adire, & ei satisfacere, ut tenentur.

V. Qui publicum scandalum dederunt, donec illud sustulerint; ut docet Rituale Rom. Quare is cujus peccata publica fuerunt, non est absolvendus antequam publicè appareat emendatus: aliàs absolutio esset scandalosa.

VI. Adolescentibus, qui vitam otiosam agunt, vel studia notabiliter negligere solent, donec emendati appareant. Idem dic de omnibus, qui munus suum graviter negligere consueverunt.

VII. Qui in examinanda conscientia graviter negligentes fuerint, donec meliùs examinarint, & se ad contritionem meliùs excitarint. S. Carolus. Nam talis negligentia indicat defectum debitæ contritionis, ad quam obtinendam indigent tempore aliquo, precibus, & aliis mediis. Si tamen diligentiam bona fide adhibuerint, sed non sufficientem, charitas postulat ut confessarius interrogando hunc defectum suppleat, & poenitentem adjuvet ac disponat ad veram contritionem, præsertim si sint rustici & rudes, qui imprimis adjuvandi sunt: nam de iis præsumitur, licèt millies se examinent, non fore magis paratos, quàm si ab ipso confessario breviter examinentur.

VIII. Versantibus in peccati occasione proxima, ut infra dicam.

Nota 1. Poenitens non debet ordinariè remitti ultra 15. dies. Nam æger non debet à medico diu derelinqui, sed sæpiùs adjuvari; & aliàs periculum esset, ne poenitens animo

ca-

cadat, ac desperet. Quòd si post tale tempus nondum sufficienter dispositus inveniatur, adhuc remittetur cum solatio, hortatione, & suggestione mediorum magis efficacium, donec talis judicetur.

Nota 2. Consuetudinariis & recidivis præscribenda sunt remedia suæ emendationi apta: qualia sunt oratio quotidiana matutina ac serotina, crebra opera misericordiæ, auditio Missæ, opera virtutum vitiis ac propensionibus pravis contrariarum, sui demissio ac diffidentia, fiducia in Deum, frequens confessio apud eumdem confessarium pium & prudentem, meditatio motivorum vitandi peccatum, lectio piorum librorum, celeris repulsio pravæ cogitationis, aut motionis; aliqua punitio quoties tale peccatum committitur, ut jejunium, largitio eleemosynæ, aliqua oratio, &c. examen conscientiæ quotidianum, & præsertim particulare, hoc modo: Manè eliciatur propositum vitandi tale peccatum, & Deo offeratur cum petitione gratiæ. Quoties commissum fuerit illud peccatum, statim eliciatur contritio cum aliqua punitione, & saltem serò examinetur conscientia de illo. Quòd si fuerit commissum; eliciatur contritio, fiatque alia satisfactio: sin minùs, Deo gratiæ agantur.

Quæst. IV. *Quomodo confessarius se gerere debet erga eos qui versantur in occasione proxima peccati?*

Nota 1. Occasio peccati est id omne, quod ad peccatum allicit, sive ex natura sua, sive ex parte pœnitentis fragilis. Dividitur in proximam & remotam. Proxima est ea quæ affert morale, seu probabile periculum peccandi, sive est ea in qua quis verisimiliter est peccaturus. Remota, quæ non affert tale periculum. Remotam non tenemur fugere, alioqui deberemus omnes de mundo exire; ex 1. Cor. 5. *Quoniam creatura Dei in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Sap. 14.

Nota 2. Occasio proxima peccati duplex est, nempe per se, & per accidens. Occasio proxima per se est ea, quæ per se sic est apta inducere homines in peccatum mortale, ut spectata communi hominum fragilitate ac corruptione multi in ea verisimiliter peccaturi sint; ut quia in ea multi sæpè peccant: cujusmodi sunt cum ea persona habitare, cum qua soleas peccare; familiaritas inter adolescentes & puellas, aspectus minùs pudici, &c. Occasio proxima per accidens, quæ non habet vim inducendi communiter homines in peccatum, sed tantùm aliquos ratione specialis illorum fragilitatis & dispositionis, ita ut prudenter timeatur ne in ea peccent.

Nota 3. Utraque occasio proxima peccati subdividitur in voluntariam, & involuntariam. Voluntaria est ea, quæ deseri potest etiam sine gravissimo incommodo. Involuntaria seu necessaria, est ea quæ vel physicè, vel moraliter deseri non potest. Et sic alia est involuntaria seu necessaria physicè, quæ nullo modo pendet à voluntate, ut deseratur; ut si quis in carcere aut triremi vinctus sit cum flagitioso; & alia involuntaria, seu necessaria moraliter quæ deseri nequit, sine peccato, vel damno temporali gravissimo; ut militia respectu militis in ea frequenter peccantis, cui abeundi facultas recusatur; non enim potest deserere militiam invito duce, cui ex justitia obstrictus est; vel munus seu officium, quod quidem sine peccato dimitti potest, sed non sine damno gravissimo, v. gr. jactura sui status, vel bonorum, vel famæ.

Resp. 1. Confessarius non potest licitè nec validè absolvere pœnitentem, qui non vult statim removere & fugere occasionem proximam etiam per accidens, si possit licitè & sine gravi suo damno. Ita omnes cum S. Carolo. Quia talis caret proposito efficaci non ampliùs peccandi, & servandi mandata omnia: nam hoc propositum includit voluntatem destruendi & fugiendi causas ac pericula peccati. Imò talis actu peccat mortaliter; nam secundùm omnes quisque tenetur sub mortali removere & vitare occasionem proximam, seu probabile periculum peccandi mortaliter cùm potest. Quia 1. Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed qui non removet, nec fugit probabile periculum peccandi cùm potest, illud amat seu eligit. 2. Qui non removet nec fugit probabile periculum peccandi, cum potest mortaliter, is vult saltem virtualiter, implicitè & interpretativè ipsum peccatum. 3. Præceptum prohibens peccatum, simul vetat velle id, quod proximè ac moraliter conjunctum est cum peccato, & id ex quo verisimiliter judicatur secuturum peccatum: nam præceptum debet esse efficax per se. Ergo qui non vitat, cùm potest, probabile periculum peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum. Quare, ut ait *Delugo*, in moralibus se exponere periculo peccandi, & peccare, sunt idem. 4. Dei amicitiam, & animæ salutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum

riculum probabile non vitat cùm potest, sed voluntariè subit. 5. Innocentius XI. damnavit has propositiones. 61. *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est quærere directè causam proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Et Alexander VII. damnavit istam: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* 6. Ex S. Greg. homil. 24. in Evang. *Quæ ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.*

Porrò ut quis teneatur vitare occasionem peccandi, non necesse est ut in ea frequenter peccaverit; sed sufficit ut verisimiliter in ea sit peccaturus. Nam peccat qui se probabili seu verisimili periculo peccandi exponit. Unde S. Carolus, in Instruct. confessar. occasiones vitandas dicit: *esse ea facta, quæ etiamsi per se liceant, tamen probabiliter timetur ne is qui confitetur, in eadem ipsa quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in iis remaneat.* Et Tolet. l. 3. cap. 18. ait: *Probabiles occasiones peccandi sunt omnino extirpandæ.* Enimverò ut effectus malus censeatur indirectè & interpretativè voluntarius in causa, necesse non est ut ex ea frequenter sequatur: sed satis est, quòd cognoscatur vel cognosci possit & debeat secuturus verisimiliter, ut constat ex cap. ult. *de injur.* ubi Gregorius IX. docet imputari damnum ei, qui fecit aliquid, ex quo probabiliter illud sequi posse scire potuit ac debuit. *Nec ignorantia*, inquit, *te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Resp. 2. Si pœnitens promittit se quamprimùm relicturum talem occasionem, ei differri debet absolutio extra periculum mortis, donec eam deseruerit, si jam monitus non dimiserit, vel si diu in ea permanserit & peccaverit, vel si occasio illa urgens sit & multùm ad peccatum alliciat; nisi confessarius prudenter judicet se posse fidem adhibere pœnitenti. Nam pœnitentis infirmitas & instabilitas adjuvanda est absolutionis dilatione, quâ sæpe pœnitentes magis moventur, quàm aliis motivis; & aliàs relinqueretur in periculo eam non deserendi. Ita S. Carolus, in instruct. confessar. ibi: *Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus aut similibus, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam, v. gr. aleret, non debet sine dubio confessarius absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis verò occasionibus, quales sunt aleæ vacatio, aspectus minùs pudici, colloquia, &c. non absolvatur, nisi eas dimittere pœnitens polliceatur. Quòd si jam aliàs id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit.* Deinde sic monet confessarium: *Oportet enim severiorem esse rigidioremque circa eas actiones & exercitia, quæ reipsa inutilia sunt, dant tamen propensionem ad malum, & sæpe ac facilè pertrahunt ad diversa peccata. Hujusmodi sunt choreis interesse, cum blasphemis versari sæpiùs; aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quæ consuetudinem afferunt peccandi mortaliter. Nam absolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet pœnitens, spondeatque ab iis abstinere diligenter. Si tamen confessarius prudenter judicet se posse fidem adhibere pœnitenti promittenti eorum fugam, semel iterumque poterit absolutionem indulgere, ea tamen semper lege, ut si in iis diutiùs immoretur, eam postea differat, donec certis & evidentibus indiciis constet illum ab his occasionibus esse segregatum.*

Resp. 3. Si pœnitens versetur in occasione proxima, quam non potest omnino, aut saltem sine peccato dimittere, quamvis appareat contritus, ei ordinariè differenda est absolutio, donec sublatum sit periculum proximum seu probabile in ea peccandi, atque ita occasio ex proxima facta sit remota. Nam sine absolutionis dilatione pœnitentes in tali occasione à relapsu efficaciter averti non solent, & alias exponerentur periculo amittendi brevi gratiam sacramentalem. Interea autem præscribenda sunt media contra relapsum idonea, quæ tollant proximitatem occasionis seu periculi peccandi, vel detrahendo objecto vim proximam alliciendi ad peccatum, vel apponendo impedimentum casualitatis ejus. Ut si famulus, v. g. qui non potest ab hero facultatem abeundi obtinere, peccaret sæpe cum ancillis, debet ei præscribi, ut quantùm fieri potest, nunquam solus cum illa versetur, colloquatur, nec in eam oculos figat, nulla ei amicitiæ signa det; ut se bonis cogitationibus armet, oret, &c.

Resp. 4. Si pœnitens versetur in occasione proxima etiam per accidens, quæ deseri nequeat sine gravissimo damno temporali; ei ordi-

ordinariè differenda est absolutio, præscriptis mediis contra relapsum aptis, donec emendatus appareat, & occasio illa desierit esse respectu illius periculum proximum peccandi, si remediis adhibitis putetur non peccaturus. Priùs itaque tentanda est emendatio absolutionis dilatione, qua pœnitentes efficaciter moveri solent ad præscripta remedia diligenter adhibenda. Ita S. Carolus in instruct. Confess. addens: *Si verò absolutionem differre non possit, quin pœnitentem exponat gravi infamia periculo; tum si contrarium certis quibusdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quæ ad illius emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos; tunc aptiora præscribet & utiliora: puta ut solus cum sola numquam conveniat; imponat & preces, & corporis macerationem aliquam, & in primis frequentem confessionis usum, similiaque exercitia, quæ si in se recipiat, tunc debebit eum confessarius absolvere.*

Quòd si mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet, ut antea, tunc per negationem absolutionis cogendus erit pœnitens ad deserendam illam occasionem cum quantocumque damno temporali. Ita S. Carolus, ibid. Nam tunc ipse pœnitens tenetur sub mortali eam dimittere, etiam cum bonorum, famæ, & status jactura, juxta illud Christi præceptum tunc urgens: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te, &c.* Idest, res charissimæ & utilissimæ dimittendæ sunt ad vitandam occasionem proximam peccati. Et verò peccatorem tam fragilem, & remedia adversus relapsum præscripta sæpiùs frustra expertum, velle adhuc permanere in tali occasione, est moraliter illum velle peccare: qui enim vult aliquid cum peccato moraliter conjunctum, etsi solùm respectivè, ad se ipsum, censetur velle ipsum peccatum. Unde Concil. general. Lateran. II. can. 22. *Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.* Igitur tunc dimitti debet officium, munus, ars, mercatura, &c. si perseveret esse occasio peccandi.

Quæst. VII. *An Confessarius tenetur absolvere eum, quem prudenter judicat esse contritum, & rectè dispositum?*

Resp. Tenetur, nisi aliundè sit justa causa differendi absolutionem. Nam nisi adsit aliunde talis causa, pœnitens verè contritus & integrè confessus habet jus ad absolutionem. Idque exigit ratio judicii justi reconciliativi, & æquitas, ac pactum implicitum inter confessorem & pœnitentem; debet enim judex audita causa judicare, & absolvere reum absolutione dignum, nisi adsit justa causa differendi. Præterea sine justa causa exponeretur pœnitens periculo remanendi in statu peccati mortalis, cùm incertum sit an elicuerit perfectam contritionem; & sic subiret periculum jacturæ operum meritoriorum.

Dixi, *Nisi sit aliunde justa causa, &c.* Nam si confessarius ex speciali pœnitentis infirmitate, & circumstantiis occasionum quas vitare nequit, vel aliunde prudenter timeat, ne brevi relabatur, vel ne non satisfaciat alicui obligationi urgenti, nisi dilatione absolutionis efficaciùs à relapso avertatur, exciteturque ad citiùs satisfaciendum suis obligationibus, potest & debet differre absolutionem. Confessarius quippe ut minister Sacramenti, debet non solùm validè illud administrare, sed etiam providere ut gratia per illud collata conservetur, nec statim amittatur; & ut medicus tenetur adhibere media ad sanitatem stabilem procurandam ac conservandam apta. Nec pœnitens est tunc rationabiliter invitus, cùm id cedat in ejus bonum, & absolutio ei statim non expediat. Ita *Delugo*, disp. 14. sect. 10. ubi docet veram & communem sententiam esse, quòd possit esse causa rationabilis aliquando differendi absolutionem absque consensu pœnitentis; licèt aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositum: nam *licèt*, inquit, *pœnitens legitimè dispositus, confessione facta, habeat jus ad absolutionem, non tamen habet jus ad hoc, ut statim proferatur sententia: potest enim judex arbitrari quomodo & quando debeat utiliùs proferri sententia... Ergo quando meritò times pœnitentem nunc absolutum facilè relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsa difficultate & dilatione absolutionis meliùs agnoscat gravitatem peccati & necessitatem emendationis: poteris differre absolutionem, ut pœnitens admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantùm aliàs subiret .... Ratio à priori est, quia confessarius est non solùm judex, sed etiam medicus. Unde sicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium judicis punientis, ut debeat simul exercere officium medici*

dici

dici curantis, atque adeo procurare quòd impositio pœnitentiæ sit in utilitatem & medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes: sic in proferenda absolutione, licèt principaliter exerceat munus judicis absolventis pœnitentem dispositum, debet tamen simul procurare ut medicus, in ipsa absolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo absolvendo, qui magis cedat in utilitatem & remedium ægroti: ad utrumque enim habet jus confessarius, nec potest prohiberi à pœnitente, ne in ipsa absolutione utrumque exerceat. Et addit sententiæ huic communi adstipulari experientiam multorum pœnitentium, qui hoc remedio brevi tempore solent curari.

Non tamen diu differri debet absolutio contrito. Nam hoc esset contra finem Sacramenti, quippe quod institutum est non solùm ad remissionem peccatorum commissorum, sed etiam ad futurorum vitationem per gratias actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti dantur in hunc finem.

Quæst. VIII. *Quomodo confessarius debet se gerere erga moribundos?*

Resp. 1. Si moribundus usu rationis & sensuum prædítus sit, debet Sacerdos curare, ut integrè, quantùm potest moraliter, confiteatur, & verè conteratur; ut eliciat actus fidei, spei & charitatis perfectè, qui tunc obligant; ut satisfaciat suis omnibus obligationibus, præsertim justitiæ & charitatis erga proximum, &c. & ad hæc omnia excitare atque adjuvare. Item debet dare illi pœnitentiam, quam tunc implere facilè possit, ut actus patientiæ; & indicere aliam peccatis proportionatam, quam implere teneatur si convaluerit, ut docet Rituale Romanum.

Resp. 2. Quivis moribundus, qui absente Sacerdote absolutionem petiit, vel signa doloris aut voluntatis confitendi dedit, & postea adveniente Sacerdote omni sensuum usu destituitur, debet absolvi. Constat, 1. Ex praxi Ecclesiæ. 2. Ex Concilio Carthagin. IV. canon. 76. & Arausi. I. canon. 12. & ex Rituali Romano authoritate Pauli V. edito, & ab eo toti Ecclesiæ proposito, tamquam continente *sinceros Ecclesiæ Catholicæ ritus*, quod sic habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* 3. Quia voluntas confitendi exteriùs significata, est confessio, seu accusatio sui generica & sensibilis, quæ in extrema necessitate sufficit. Nam qui significat se velle confiteri, vel petit confessarium, hoc ipso exteriùs confitetur se esse peccatorem, & velle absolvi, idcòque etiam præsumitur esse contritus. Signum autem doloris, quod in periculo mortis editur, censeri debet ad Sacramentalem absolutionem directum, cùm in tali statu fideles optimum animæ suæ remedium exoptare soleant; ideòque etiam voluntatem confitendi implicitè significat. Ratio est voluntas Christi, qui noluit hoc Sacramentum ad salutem necessarium, sæpè impossibile esse tum, cùm est maximè necessarium, scilicet in articulo mortis.

Sed pro praxi Sacerdos à tali moribundo conetur elicere aliquod peccatum in specie, & signum doloris. Quòd si id fieri nequit, curet ut in moribundi præsentia aliquis testetur eum dedisse signa doloris, vel desiderii confitendi. Quòd si neque hoc fieri possit, tenetur illum absolvere, si ab aliquo ante adventum suum audierit eum dedisse signum doloris, aut petiisse confessorem; nam dum non agitur de damno tertii, creditur uni testi. Nec obstant Concilia & Rituale Roman. utentia numero plurali, quia intelligi debent in sensu distributivo, non collectivo: sic cùm dicunt animam defuncti posse juvari aliorum fidelium suffragiis, sensus est distributivus, quòd singulorum suffragiis possit juvari.

Idem dic si testis hoc tantùm scierit relatione alterius. Nam notitia mediata notitia est, & sufficit ad alios effectus, in quibus major certitudo requiritur, v. gr. in Baptismo. Item quamvis signa illa moribundi dubia sint, ut si visus sit tundere pectus, oculos ad cœlum tollere, aliquam imaginem devotè respicere, absolvendus est; nam ista censeri debent relata ad absolutionem Sacramentalem, cùm quilibet in articulo mortis censeatur optimum animæ suæ remedium optare. Præterea in extrema necessitate proximi tenemur ei subvenire meliori modo, quo fieri potest. Et cùm Sacramentum sit ad salutem hominum institutum, satius est illud exponere periculo nullitatis, quàm hominem periculo æternæ damnationis; nec hoc est contra ejus reverentiam, sed secundùm ejus finem, si prout potest, conferatur in extremo periculo salutis.

Resp. 3. Magna controversia est, an absolvi possit moribundus omni sensuum & rationis

tionis usus destitutus, qui nulla signa externa doloris, vel desiderii confitendi dedit coram aliquo.

Plurimi docent eum non posse validè absolvi, nec proinde etiam licitè, quamvis constet ipsum christianè vixisse. Quia 1. S. Leo, Concilia Carthag. & Arauf. citat. & Rituale Roman. dum statuunt moribundum absolvendum esse, expressè addunt hanc conditionem; Si aliqua signa poenitentiæ dederit. Ergo eo ipso significant non esse absolvendum deficiente tali signo. 2. Nullum est Sacramentum Poenitentiæ sine confessione Sacramentali, cùm hæc confessio sit ejus pars essentialis: sed in hac hypothesi nulla est confessio Sacramentalis: Ergo. *Probant min.* Confessio Sacramentalis est sensibilis accusatio peccati admissi, ordinata ad absolutionem Sacerdotis. Nam hoc Sacramentum est judicium sensibile, quod proinde includere debet accusationem externam ac sensibilem, quæ reddat sensibilem dolorem internum; & materia Sacramenti debet esse sensibilis, cùm Sacramentum sit quoddam totum sensibile. At in hac hypotesi deest accusatio sensibilis & ordinata ad absolutionem: neque enim vita priùs christianè transacta, est moribundo hic & nunc accusatio sui ad absolutionem ordinata post peccatum commissum. Requiritur autem ex parte poenitentis post peccatum commissum aliqua voluntas sensibiliter manifestata, qua se accuset, vel certè imploret officium judicis; alioqui proferretur sententia sine ullo processu. Dico, *Post peccatum*. Nam ridiculum esset, quòd quis hodie se vellet accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur vi hujus accusationis.

Alii verò non pauci, & tota Facultas Lovaniensis, teste Havermanno, contendunt talem moribundum absolvi posse sub conditione, ideòque debere, modò christianè vixerit, vel post peccatum poenitentiæ agendæ tempus habuerit: si enim in ipso actu criminis, v. gr. in ebrietate, vel duello sensuum usu privetur, facilè concedunt non esse absolvendum, cùm constet esse indispositum. *Probant*, 1. ex S. Augustino, l. 1. de adulter. conjug. cap. 28. ubi ait: *Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati, & intrà se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerint detineri? .... Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finienda vita periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Sed priores respondent S. Doctorem supponere moribundum petiisse priùs poenitentiam, sicut catechumenos baptismum, unde eum vocat poenitentem; & catechumenos dedisse aliquod doloris signum, v. gr. nutu, percussione pectoris, &c. Alioqui frustra dixisset: *Si intra se pœnitentes jacuerint*; nam si nullum poenitentiæ signum præbuerint; unde intrà se poenitentes esse noscemus?

2. *Probant* ex Sacerdotali Romano Venetiis, anno 1560. excuso, ubi dicitur talem moribundum esse absolvendum, *si bene vivebat, & frequentabat confessionem & communionem*. Item ex statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis, & ex memoriali confessorum edito Bononiæ jussu Archiepiscopi Bononiensis, qui postea factus Summus Pontifex Gregorius XV. opinionem non mutavit, sed eam in suo quondam Archiepiscopatu in praxim redigi permisit. *Probant* 3. Quia quoties est materia dubia, vel probabiliter præsumpta in moribundo sensibus destituto, hic potest absolvi saltem sub conditione: nam tunc nulla irrogatur irreverentia Sacramento, ob necessitatem proximi. At in tali moribundo reperitur talis materia, nempe contritio & confessio generica ac confusa: probabiliter ex aliquo signo externo præsumpta, vel dubia. Nam vita christianè acta, est signum externum probabile, vel saltem dubium doloris & voluntatis confitendi saltem paulò ante privationem usus sensuum elicitæ, & ad absolutionem sufficienter directum in tali necessitate; cùm enim fidelis quisque ideò christianè vivat, ut piè ac christianè moriatur, implicitè saltem vitam suam christianam dirigit ad suscipienda in mortis articulo Sacramenta. Item vita christianè transacta est ratio præsumendi istum moribundum revera dedisse in hoc morbo aliquod signum externum doloris in ordine ad absolutionem, v. gr. pectus tutudisse, oculos in cœlum sustulisse, Deum orasse, &c. imò etiamnum internam contritionem ac voluntatem confitendi elicere, & conari manifestare omnibus quibus potest signis externis, omnibus videlicet motibus corporis sui, aut certè con-

contrarium non constat. Unde inferunt tunc haberi signum externum contritionis, & voluntatis confitendi saltem probabiliter præsumptum, aut dubium, ideòque sufficiens ad absolutionem conditionatam in tali necessitate.

Jam verò si talis potest absolvi, eum absolvere tenetur Sacerdos. Nam quisque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo subvenire meliori modo quo potest afferendo saltem opem dubiam, quæ melior est nulla, si certam afferre nequit.

Ad id quod objicitur, nempe duo Concilia suprà citata, & Rituale Romanum exigere signum aliquod pœnitentiæ, respondent ea loqui de eo quod certum erat, & haberi debet quantum fieri potest. Præterea in hoc casu præsumitur signum externum pœnitentiæ.

Circa hoc Rituale Tullense hæc ait: Donec Ecclesia de hac difficultate deciderit, poterunt confessarii sequi in praxi id quod favorabilius est saluti ejusmodi moribundorum, & eos absolvere, si semper christianè vixerint.

Quæst. IX. *Ad quid tenetur confessarius propter defectum in Sacramento admissum?*

Resp. Si invalidè absolvit pœnitentem à censuris vel peccatis reservatis, tenetur saltem si commodè potest, illum monere, ut sibi quærat remedium ab alio; vel obtenta à superiore facultate illum absolvendi, pœnitentem præsentem post iteratam contritionem absolvere. Si verò pœnitentem induxit in aliquem errorem, ex quo sequitur violatio præcepti alicujus, dicendo non extare tale præceptum, tenetur monere pœnitentem: alioqui esset causa cur is præceptum violaret; & quisque tenetur tollere causam mali, quam posuit etiam inculpatè. Item si ex omissione monitionis, & silentio confessarii, moveatur pœnitens ad credendum licitum id quod est illicitum, tenetur confessarius postea eum monere: quia quisque tenetur curare ne alii ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant, & ne moveantur ad violandum etiam materialiter præcepta. *Delugo.* Et quia reparari debet omissio periculosa rei ex officio debitæ. Non potest autem confessarius pœnitentem monere extra tribunal pœnitentiæ sine ejus facultate expressa.

Quæst. X. *Ad quid tenetur confessarius propter defectum circa restitutionem?*

Resp. 1. Si sine tua culpa deobligasti pœnitentem à restitutione ad quam tenebatur, vel obligasti ad quam non tenebatur, teneris ex justitia errorem dedocere. Nam quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum: alioqui cognito errore tenetur de damno: proximus enim jus habet ne damnum à quoquam quovis modo patiatur.

Resp. 2. Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia considerandi; dixisti pœnitenti eum non teneri ad restitutionem, ad quam reipsa tenetur, teneris errorem dedocere. Quòd si non dedoces, vel si pœnitens interea factus est impotens ad restituendum, qui alioqui restituisset, teneris ipse restituere illi tertio. Nam violasti jus quod ille habebat ne impedires restitutionem ei debitam, & consilio tuo es causa efficax ejus damni. Si verò pœnitens possit adhuc restituere, sufficit quòd eum moneas de ejus obligatione: nam tua monitione sufficienter tollis causam damni inferendi quam posueras: unde si pœnitens non restituat ex malitia, id tibi imputari nequit, cùm jam non sis causa damni.

Resp. 3. Si ex ignorantia vel negligentia culpabili omisisti solùm admonere pœnitentem de obligatione restituendi, teneris eum postea admonere. Sed juxta multos non teneris ipse restituere, si pœnitens sit interea factus impotens ad restituendum; imò etiamsi non moneas eum de restitutione facienda, saltem nisi ex officio habeas curam animarum. Quia confessarius præcisè ut confessarius, non tenetur ex justitia impedire damnum ejus cui debetur restitutio; ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, sed tantùm contra bonum spirituale pœnitentis: confessarius enim nullam justitiæ obligationem, nec officium habet in ordine ad creditorem, sed tantùm in ordine ad pœnitentem; nec tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum; sed solùm spirituale bonum pœnitentis; nec est hujus caput politicum, sicut prælatus respectu suorum subditorum. Omittens autem, aut tacens non tenetur de damno non impedito, nisi ei cujus damnum tenetur ex justitia impedire. Itaque hac in re non est par ratio confessarii, & judicis prophani; nam hic tenetur ex officio bonum illorum spectante servare jus omnium tamquam persona publica constituta ad procurandum bonum temporale, & jus aliorum: confessarius autem obligatur soli pœnitenti in foro pœnitentiæ: quia hoc forum ac judicium privatum est, & institutum in bonum pœnitentis.

Dixi,

Dixi, saltem nisi ex officio habeas curam animarum, ut sunt Episcopi & Parochi, quos teneri tunc ad restitutionem valde probabile esse censet Lessius. Quia cùm isti sint superiores, ex officio tenentur regere subditos, & pro modo suæ gubernationis impedire ne aliis damnum inferant, ac proinde tenentur curare, si commodè possint, ut restitutionem faciant. Ejusdem enim rationis est damnum inferre, & illatum nolle resarcire.

Resp. 4. Si pœnitentem culpabiliter, hoc est, ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel gravi negligentia considerandi, obligasti ad restitutionem, ad quam non tenebatur, teneris ex justitia errorem retractare. Quòd si jam restituit, teneris damnum illud ipsi resarcire. Nam illius fuisti causa efficax & injusta tuo falso consilio, ex cap. ultim. *de injur.* Item teneris pœnitenti de damno, si tua omissione culpabili fuisti causa cur ipse restitueret id ad quod non tenebatur: nam tale damnum oritur ex omissione monitionis ei ex officio erga eum, ideòque ex justitia debitæ.

Quæst. XI. *An Sacerdotes non habentes curam animarum teneantur audire confessiones, si sint idonei & approbati?*

Resp. 1. Tenentur ex charitate sub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confessiones cujuslibet existentis in extrema necessitate salutis, qui scilicet salvari nequeat sine opera confessoris. Nam quisque tenetur ex charitate salutem æternam proximi præferre vitæ suæ corporali; tenetur enim vitæ suæ corporali præferre salutem propriam, ergo salutem proximi, quem sicut seipsum diligere tenetur.

Resp. 2. Tenentur etiam ex charitate sub mortali audire confessiones hominum in gravi necessitate spirituali existentium, ut in periculo mortis, si alius desit, & id possint saltem sine gravi damno & vitæ periculo. Nam charitas obligat ad succurrendum proximo in gravi necessitate, cùm id fieri potest saltem sine gravi incommodo & damno. Imò *Suarez*, hìc, disput. 32. sect. 1. docet quemlibet Sacerdotem teneri ex charitate audire confessiones etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, si vita spiritualis, seu salus proximi periclitetur, & non sit alius qui subveniat: nam licèt in rigore possit proximus per contritionem perfectam salvari, tamen magno morali periculo exponitur, quando sine alio medio relinquitur.

Certè secundùm communem sententiam, in necessitate gravi spirituali communitatis, ut si peste grassante ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter absque confessione, Sacerdos privatus tenetur sub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confessiones, si alii non subveniant. Quia gravis necessitas spiritualis communitatis, licèt non extrema, est per se gravissimum malum, cui meritò succurri debet cum jactura vitæ privati; & quia vix fieri potest ut talis necessitas non sit conjuncta cum necessitate extrema aliquorum. *Delugo*.

Resp. 3. Extra necessitatem gravem tenentur, quando facilè possunt, & utilitas proximi magna id exigit. Ex 1. Petr. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Nam sine culpa non possunt ex negligentia inutilem reddere potestatem absolvendi, in utilitatem proximi acceptam.

CAPUT IV.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum illud est religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quæ ex confessione Sacramentali cognita sunt.

Quæst. I. *Quæ & quanta est obligatio Sigilli Confessionis?*

Resp. 1. Secretum confessionis obligat, 1. Jure naturali, quo generatim tenemur non revelare secretum commissum, & promissum etiam implicitè, præsertim cum damno aut infamia alterius. In confessione autem intercedit tacita pactio inter confessorem & pœnitentem: nam hic peccata sua declarat sub conditione tacita secreti, quod confessarius tacitè spondet hoc ipso quod audit confessionem. 2. Lege divina speciali positiva, imò & naturali, supposita institutione confessionis Sacramentalis, quam ex natura rei consequitur, ne scilicet revelatione secreti confessio reddatur onerosa, & odiosa, & sic ab illa homines avertantur. 3. Lege Ecclesiastica vetante revelationem sigilli sub gravissimis pœnis, lata in Concil. general. Lateran. IV. cap. 21. ibi: *Caveat omninò ne verbo vel signo vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœni-*

ventiam in arctum monasterium detrudendum.

Hinc in violatione sigilli reperitur malitia injustitiæ erga pœnitentem, & sacrilegii ob irreverentiam in sacramentum; quæ malitia sacrilegii semper est ex se mortalis, nec potest esse venialis ex levitate materiæ: ita ut sit mortale vel unum veniale in particulari revelare. Nam minima infractio sigilli graviter injuriosa est Sacramento, cùm illud reddat odiosum, & avertat à confessione; & revelatio venialis culpæ à confessione venialium deterreret.

Resp. 2. Hæc obligatio tanta est, ut nullo prorsus casu, vel ad tormenta quælibet & mortem vitandam liceat secretum confessionis revelare, sine expresso consensu pœnitentis, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quia Christus dum hoc sacramentum instituit, & pœnitentes obligavit ad confitendum omnia mortalia, simul obligavit confessarium ad confessionis secretum numquam violandum quavis de causa. Nam si liceret aliquo casu detegere cognita ex confessione, confessio fieret odiosa, & ab ea homines averterentur: quod est maximum malum commune, gravius damno vitæ, cùm confessio sit medium salutis non solùm utilissimum, sed etiam necessarium. Semper enim pœnitens timeret, ne occurreret ille casus, vel ne confessarius eam necessitatem apprehenderet, & revelaret ejus peccatum, præsertim cum multi hac licentia ex imprudentia facilè abuti possunt. Hinc, cap. *de pœnit.* dist. 6. dicitur nefas esse aliquid revelare etiam pro aliquo scandalo vitando. Quare obligatio servandi secretum confessionis longè major est & arctior, quàm obligatio secreti naturalis, quod aliquando aperiri debet, dum ejus revelatio necessaria est ad impediendum malum innocentis, vel reipublicæ.

Dixi, 1. *Sine consensu pœnitentis.* Nam eo sponte dato, licet justa de causa uti notitia in confessione acquisita. Quia cùm obligatio sigilli sit in favorem pœnitentis, potest is juri suo cedere, & dare facultatem revelandi aliquid in confessione declaratum: potestque per alium facere quod potest per se ipsum. Et aliquando ad id tenetur, v. g. ad avertendum damnum reipub. vel tertii: ac proinde si eam deneget, non debet absolvi, cùm sit indispositus.

Dixi, 2. *Expressè.* Nam non sufficit consensus præsumptus, vel interpretativus, ut cùm confessarius judicat pœnitentem facultatem concessurum, si peteretur. Quia si non requireretur expressus consensus, confessio redderetur valde odiosa & onerosa, sæpe enim multi confessarii ex imprudentia putarent ejusmodi revelationem esse gratam pœnitenti, cùm tamen valde displiceret; sicque merirò timerent pœnitentes ne aliquo casu ex simili præsumptione peccata sua proderentur. Unde graviter peccat confessarius contra sigillum, si plura peccata aut pluribus aperiat, quàm pœnitens expressè consensit; vel si facultatem illam injuria aut fraude ab eo extorquet, falsò ei persuadendo illum teneri hanc concedere, aut quid simile. Item non sufficit quòd teneatur concedere, si reipsa non concedat; nam nihilominus redderetur confessio odiosa.

Quæst. II. *Quænam sigilli secreto continentur?*

Resp. Ea omnia, quæ per confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tum mortalia tum venialia, tum interna & occulta, quàm externa & publica, eorumque circumstantiæ: item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas, & ignorantia pœnitentis; defectus natalium, peccatum complicis, materia ac objectum peccati; persona, quæ est objectum, causa, circumstantia, vel occasio peccati, aut aliter; item quæcumque à pœnitente dicta sunt ad pleniorem peccatorum, conscientiæ ac dispositionis suæ manifestationem, sive reipsa, sive ex falsa ejus opinione ad eam manifestationem pertineant, vel utilia sint, etiamsi ad alios spectent, & alia quælibet, quæ pœnitens non vult ut detegantur. Ratio est, quia revelatio quorumvis istorum redderet confessionem odiosam, cùm molestiam, vel infamiam vel dedecus inferre nata sit pœnitenti; præsertim cum multi nesciant discernere quæ possunt ac debeant dici, aut omitti in confessione. Imò juxta Conink & alios, pœnitentis defectus, quos confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest, cadunt sub sigillum, ita ut illud violet, si dicat pœnitentem esse scrupulosum, impertinentiis & næniis tempus conterere, esse morosum, & his similia. Nam hoc aptum est reddere confessionem odiosam; ideòque in praxi vitandum.

Quæst. III. *Quomodo violatur sigillum Confessionis?*

Resp. Dupliciter. 1. Directè, revelando expresè aliquid ex sola confessione cognitum. 2. Indirectè aliquid dicendo aut facien-do,

do, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum pœnitentis aut aliorum, aut quævis per confessionem cognita, ex quibus pœnitenti aut aliis pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen sequi posset; etiamsi audiens id aliundè sciat. Quæ omnia reddunt confessionem odiosam.

Hinc secretum confessionis violat. 1. Qui dicit de aliquo etiam mortuo, quòd commiserit aliquod mortale, vel plura venialia, vel tale veniale in particulari, v. gr. mendacium. Non tamen qui dicit præcisè, Petrum sibi confessum esse aliquid veniale indeterminatè; nam hoc ex ipso actu confessionis patet: qui enim confitetur, hoc ipso attestatur se aliquod saltem veniale admisisse. Sed ne hoc quidem dicendum est ob periculum scandali. Dixi, *Etiam mortuo*. Nam revelatio cognitorum ex confessione, etiam post mortem pœnitentis redderet confessionem valdè onerosam ac odiosam; cùm homines sint valde solliciti, ne etiam post mortem infamentur.

2. Qui unum, præ aliis quos audivit, laudans dicit eum sola venialia admisisse: nam inde alii facilè in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

3. Qui dicto vel facto peccatum pœnitentis aliis etsi jam aliunde scientibus manifestat.

4. Qui dicit aliquod grave peccatum committi in tali Monasterio, vel capitulo. Nam hoc parit infamiam communitati, redditque confessionem odiosam. Item qui dicit in loco illo, præsertim angusto, ubi confessiones audivit, esse multos fures, adulteros, luxuriosos, aut injustos, &c. vel in tali loco talia & talia committi solere, præsertim si hoc aliunde non constet, nec sit publicum. Nam hoc infamiam loci, seu communitatis parit, quæ in singulos redundat.

5. Qui auditis paucorum confessionibus, dicit se tale peccatum audivisse, non nominata persona. Jam enim singuli ex illa relatione aliquid suspicionis contra se patiuntur; vel qui peccata per confessionem cognita ita narrant, ut audientes possint aliquo modo conjicere vel suspicari quinam ea commiserint.

6. Qui dicit se non absolvisse talem, remisisse ad tale tempus, vel ei dedisse talem pœnitentiam, ex qua colligatur peccatum mortale saltem in genere; vel qui de Titio fure notorio dicit eum sua furta contritione magna sibi confessum esse.

7. Duo confessarii, qui inter se colloquuntur de peccatis pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

8. Qui alta voce, vel alio modo à circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem: nam hoc ipso indicat gravitatem materiæ quam audit.

9. Utendo notitia per confessionem parta sine licentia, & cum gravamine pœnitentis, vel cum ejus licentia, sed extorta, nec sponte data. Porrò potest violari sigillum non solùm verbis, sed etiam factis & aliis signis, ut constat ex Conc. Later. citato.

Nota 1. Quamvis non violet sigillum, qui præcisè refert peccata in confessione audita, personam & locum nullo modo designando, sic ut audientes, ne leviter quidem suspicari possint quinam ea commiserint: tamen rectè monent non esse dicendum: *Hæc peccata audivi in confessione*. Quia audientes, præsertim laici, facilè scandalizantur, suspicantes violari sigillum; & quandoque periculum est, ne ex imprudentia lædatur sigillum, & deveniatur in suspicionem personæ. Imò hoc prohibitum esse à Conc. Later. c. *Omnis*, nisi in necessitate petendi consilii, docet Fagnanus. Quia Concilium solùm permittit de peccato audito, absque ulla expressione personæ, & cautè consulere sub hac conditione, *Si prudentiori consilio indiguerit*, ergo extra hanc indigentiam id non licet.

Nota 2. Quamvis liceat confessario loqui de rebus quas aliunde novit, quia nihil cadit sub sigillum, nisi quod cognitum est ex sacramentali confessione, & ut ex ea cognitum sive immediatè, sive mediatè; violat tamen sigillum, si aliquid ampliùs vel certiùs affirmet quàm extra confessionem novit.

Nota 3. In consilio captando omittendæ sunt circumstantiæ loci, temporis & aliæ inutiles, ne facilè innotescat pœnitens. Quòd si sine periculo revelationis consilium peti nequeat, tunc non licet petere sine venia expressa pœnitentis.

Quæst. IV. *An licet confessario loqui cum ipso pœnitente de auditis in confessione?*

Resp. Non licet extra confessionem absque ejus expressa licentia, quam pœnitens tenetur dare, cùm id necesse est ad supplendum aliquem defectum, vel errorem dedocendum. Ita S. Carolus in instruct. confessar. Quia aliàs hoc molestam & odiosam redderet confessionem: nam pudorem injicit, & exprobrationem quamdam continere solet. At id omne quod confessionem odiosam ac molestam reddere potest, est graviter à Christo prohibitum.

Hanc

Hanc licentiam censeri dari à pœnitente docet Delugo, quando ipse interrogat, vel loquitur cum confessario; de aliquo quod dixit in confessione. Imò si statim post impositam satisfactionem ac datam absolutionem confessarius judicet aliquid addendum circa dicta in confessione, potest id facere quamdiu pœnitens est in confessionario. Quia id spectat ad complementum judicii sacramentalis, quod adhuc censetur durare, & cujus actus sunt absolvere, punire, consulere, monere, corrigere, ligare, & similia; & quia moraliter non censetur extra confessionem quod in continenti dicitur in confessionario. Item potest sequentibus confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admisso, de negligentia se emendandi, de frequentia relapsuum, &c. & uti notitia per priores confessiones parta ad specialia monita ac fortiora remedia suggerenda. Quia loquitur in eodem foro sacramentali, in quo sacerdos ad bene curandum pœnitentem debet considerare etiam peccata præterita, quæ indicant passionem vehementem, vel consuetudinem, vel aliquid aliud consideratione dignum, ad meliùs cognoscendum statum pœnitentis: idque pertinet ad officium judicis, ac medici, quod tunc exercet. Et tunc agit ut Dei vicarius, ac proinde potest uti notitia, quam ut talis habet.

Quòd si pœnitens extra tribunal facultatem loquendi de re necessaria ad confessionem pertinente deneget confessario, juxta multos non licet eum monere. Nam tunc confessarius revera loqueretur extra confessionem, cùm judicium jam moraliter finitum sit. At est regula generalis, quòd confessarius de confessione sine licentia pœnitentis loqui non potest extra confessionem. Et verò si sigillum non obligaret ad non loquendum cum pœnitente, in eo casu, non esset necessitas petendi licentiam; nam licentia pœnitentis non requiritur, nisi propter sigillum, quam tamen necessitatem petitionis nemo negat. Quare licentia negata tacere debet confessarius, & jam satisfecit suo muneri.

Quæst. V. *An licet extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita?*

Resp. 1. Licet uti cum licentia expressa pœnitentis sponte ab ipso in ipsius vel alterius utilitatem data. Quia ratio sigilli est ne confessio reddatur odiosa: at tunc non potest inde confessio reddi odiosa, cum quisque sciat suam sibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi licentiam, & eam pro arbitrio limitandi. Et tunc pœnitens ponit conditionem, qua posita præceptum divinum non obligat: nam solùm erat præceptum non revelandi nec utendi notitia illa sine licentia expressa pœnitentis. Tenetur autem pœnitens permittere usum istius notitiæ quoties necessarius est ad bonum commune, ad tollendam occasionem peccati, ad avertendum grave damnum spirituale vel temporale alicujus privati, & alia, quæ justitia vel charitas exigit: alioqui absolutione indignus est.

Resp. 2. Nunquam licet sine expressa licentia uti tali notitia cum quavis directa aut indirecta revelatione cognitorum in confessione, & ex qua oriri possit suspicio usus talis notitiæ. Quia qualibet revelatio etiam indirecta sine expressa venia pœnitentis est violatio secreti confessionis, & reddit confessionem odiosam, & onerosam.

Resp. 3. Neque licet sine expressa licentia, uti tali notitia, cum qualicumque pœnitentis gravamine etiam temporali, etsi aliunde non injusto, & seclusa quacumque revelatione; quamvis multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. *Prob.* 1. Ex decreto à Sac. Congregatione generalis Inquisitionis authoritate Innocentii XI. edito, & Romæ affixo, anno 1682. quo prohibetur hæc propositio, & ejus praxis; *Scientia ex confessione acquisita uti licet; modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quò multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione sive limitatione, præsenti decreto prohibent, &c.* 2. Clemens VIII. & Urban. VIII. prohibuerunt regularibus, ne hac notitia utantur ad exteriorem gubernationem. 3. Quia ille omnis usus notitiæ per confessionem partæ illicitus est: qui si cognosceretur à pœnitente esse licitus, redderet illi confessionem odiosam; nam talis usus à Sacramento avertit, & Christus vetuit ne unquam redderetur odiosum. At si pœnitens sciret licere confessario, ipsis non advertentibus, uti notitia confessionis ad aliquid ipsis grave ac molestum, redderetur illis confessio odiosa, & semper id timerent. Et verò si non licet uti notitia cum gravami-

ne aliquo pœnitentis advertentis talem usum; nec etiam licet, quamvis id non advertat: si enim antecedenter pœnitens sciret, posse confessorem uti occultè illa notitia contra pœnitentem, hic avocaretur non minùs, sed potius magis, à confessione peccati, quàm si sciret eum posse tale quid facere advertente ipso pœnitente. Nam magis lædunt illa quorum causas scimus, quibus faciliùs possumus adhibere remedium per causam contrariam, ut notat Delugo.

Nec obstat quòd tum nulla esset revelatio confessionis. Quia sigillum obligat confessorem non solùm ad non revelandum peccatum pœnitentis, sed etiam ad vitandum id omne extra confessionem, quod eam redderet odiosam & difficilem pœnitentibus, & ad continendam taliter notitiam illam, ut numquam possit adhiberi contra ipsum pœnitentem expresè non consentientem. Sic peccat contra sigillum, qui cum pœnitente loquitur de peccato ejus, licèt nihil prorsus revelet. Ratio enim & obligatio sigilli est, ne confessio difficilior, gravior ac molestior reddatur, & sic odiosa fiat, & homines ab ea deterreantur. Unde scientia ex confessione parta perinde se habet ac si non esset, in ordine ad omnem usum, qui confessionem difficiliorem, seu molestiorem redderet.

Hinc non licet confessario pœnitentem secretò punire, malè habere, &c. Item Rituale Tullense monet, ne parochus deneget testimonium bonæ vitæ, & probitatis ei cujus vita exterius est rectè instituta, sed quem confessione scit esse improbum; vel benedictionem nuptialem iis quos ex sola confessione scit contraxisse impedimentum dirimens ob crimen; ne moneat parentes ut diligenter invigilent filiæ, cujus libidinem ex sola confessione novit; ne amoveat vicarium, ludimagistrum, &c. à suo munere ob crimina ex sola confessione nota.

Resp. 4. Ex communi sententia, licitus est usus notitiæ ex confessione acquisitæ, qui fit sine ullo pœnitentis gravamine, & sine qualicumque revelatione tum directa, tum indirecta cognitum in confessione, nec potest reddere confessionem difficiliorem & odiosam. Quia Christus illum solum usum prohibuit, qui redderet confessionem magis onerosam ac difficilem pœnitenti, & ab illa fideles averteret, cùm obligatio sigilli à Christo imposita sit ne confessio redderetur magis gravis ac molesta pœnitentibus, quàm per se sit.

Hinc licet confessario sæpius orare pro pœnitente, consulere libros, imò & doctores super peccatis in confessione auditis, emendare suam negligentiam, vel nimiam severitatem, quam ex confessione intelligit aliis nocere, &c. modò non detur occasio suspicandi pœnitenti, vel aliis. Item licet fugere locum, ubi insidias sibi parari, & abstinere à sacrificio, in quo necandum se veneno didicit ex confessione, modò præter pœnitentem nemo advertere possit id fieri ex usu notitiæ per confessionem partæ. Quia hoc non potest ullum gravamen afferre pœnitenti, nec reddere Sacramentum odiosum, nec revelare confessionem. Secùs, si alter inde colligat pœnitentem ista declarasse, ac ideo ei succenseat, & noceat.

Resp. 5. Confessarius cum licentia expressa pœnitentis debet uti notitia peccati complicis vel alterius, ex sola confessione parta, quando necesse est ad impediendum grave damnum spirituale, vel etiam temporale injustum pœnitentis vel ipsius complicis, vel aliorum, ita ut nequeat impediri, nisi confessarius moneat prudenter ipsum reum, vel superiorem tamquam patrem. Nam tunc nec violatur sigillum, nec fit injuria complici, & tenemur ex charitate impedire malum proximi, cùm sine peccato & gravi incommodo possumus. Sed tunc confessarius hortetur pœnitentem, ut extra confessionem alienum peccatum ei aperiat, ut tantò liberiùs peccati notitia uti possit, & dicere correpto se illud extra sacramentum accepisse, ne illud ei odiosum fiat.

Porrò ne confessarius facilè pœnitenti alios accusanti, præsertim fœminæ credat, nec onus monendi in se suscipiat sine necessitate. Nam sæpe vel ex malitia, vel ex errore innocentes accusantur.

Quæst. VI. *Quid respondere debet confessarius, dum interrogatur de cognitis in confessione?*

Resp. 1. Confessarius de his interrogatus etiam à judice, debet secundùm aliquos dicere quæstionem esse injustam & sacrilegam, ad quam nefas sit respondere. Sed quia id plerumque non sufficit ad tollendam omnem suspicionem, alii docent eum debere simpliciter affirmare, etiam cum juramento si opus sit, se nescire pœnitentem tale scelus commisisse. Nec tunc utitur æquivocatione, aut restrictione, nec mentitur; quia respondet in sensu interrogationis, inquit Delugo: interrogatio enim est, aut debet esse, an sciat peccatum ea scientia quæ humani convictus legibus subjiciatur, & deservire possit

ad

ad illud dicendum, de qua scientia interrogant homines, & de illa intelligi potest responsio. *Homo* (inquit S. Thom. in 4. dist. 21. qu. 3. art. 1. ad 3.) *non adducitur in testimonium nisi ut homo: & ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantùm ut Deus*; id est, ut Dei vices specialiter agens. Et S. Antonin. 3. part. tit. 17. c. 22. ait: *Si non potest alio modo declinare iniquum judicium, potest respondere: Nihil inde scio; quia subintelligitur, ut homo; & nihil scio etiam per confessionem, quod intelligitur tibi revelandum*. Alii dicunt istam responsionem, *Nescio*, in talibus circumstantiis apud prudentes nihil aliud significare, quàm me nihil scire quod subjiciatur humani convictus legibus. Nam notitia rerum ea confessione sacramentali hausta, non est scientia naturalis ordinis, quam quis habeat ut homo, & quæ pertineat ad usum humani convictus ac societatis, quæ inter homines per mutuum sermonem fovetur; quare humanæ societatis legibus nullatenus subjicitur. Malitia autem propria mendacii in eo potissimum posita est, quòd per illud peccetur contra leges humanæ, seu rationalis societatis.

Si autem judex quærat num confessionem Petri audieris; respondere debes te audivisse. At si quærat num tale peccatum confessus fuerit, respondere debes, secundùm aliquos, istam interrogationem esse injustam, impiam, & responso indignam: secundùm alios te nihil tale audivisse, scilicet auditione eorum quæ liceat revelare, velut hominem.

Resp. 2. Confessarius interrogatus an pœnitentem absolverit, respondere debet se officio functum esse; non autem absolvisse: alioqui enim id affirmans de uno & non de altero, indicaret denegatam absolutionem; & sic indirectè revelaret pœnitentis indispositionem, aut peccatum reservatum: Quare eadem debet esse responsio pro omnibus pœnitentibus quos absolvit & quos non absolvit. Hinc dum danda sunt testimonia confessionis auditæ, debet Confessarius testari solùm se audivisse confessionem talis.

Porrò etsi regulariter ita respondendum sit, non potest tamen damnari confessarius, qui dicit se aliquem absolvisse, quando nullum est periculum pro aliis, quia hoc nullo modo est contra sigillum, nec potest reddere confessionem odiosam. Quòd si sacerdos vocetur in jus à pœnitente, ut rationem reddat denegatæ absolutionis, testari debet se nullum in hac exigenda ratione superiorem agnoscere præter Deum.

Antoine Theol. Moral.

Quæst. VII. *Ex qua confessione contrahitur obligatio sigilli?*

Resp. Contrahitur ex omni & sola confessione sacramentali. Confessio autem censetur sacramentalis in ordine ad inducendam obligationem sigilli, quæ ex intentione se accusandi secundùm institutionem Christi, in ordine ad absolutionem aliquando obtinendam fit ei, qui bona fide creditur judex legitimus, etiamsi non sequatur vera absolutio quavis de causa. Hoc enim necessarium est ad securitatem Sacramenti.

Hinc sigillum obligat, 1. Etiamsi confessio facta sit laico, vel sacerdoti non approbato, quem pœnitens bona fide putat esse sacerdotem & legitimum judicem. Nam defectus hujus obligationis cederet in detrimentum confessionis validæ, quæ inde minùs secura redderetur, propter periculum ne quis malitiosè fingat se sacerdotem approbatum, aut se esse putet, cùm non sit. 2. Etiamsi sacerdos non habeat intentionem conficiendi Sacramentum & absolvendi. Alioqui pœnitentes possent facilè decipi, & metus hujus deceptionis multos deterreret à confessione, obesset que securitati Sacramenti. 3. Etiamsi pœnitens confiteatur sine contritione & voluntate recipiendi absolutionem; sed tamen cum intentione se sacerdoti tamquam Dei ministro subjiciendi, & accusandi, vel ut ab eo aliquo modo adjuvetur, & dirigatur in ordine ad id quod deesse judicat, ut possit absolutionem aliquando obtinere. Nam ex communi sententia, talis confessio quoad effectum inducendi sigillum, est sacramentalis, licèt non sufficiat ad valorem Sacramenti.

Eeontra non contrahitur obligatio sigilli ex confessione, quæ fit solùm ex intentione irridendi, decipiendi, vel inducendi confessarium in peccatum; aut si extra tribunal quis dicat se, id quod narraturus est, committere sigillo confessionis. Quia obligatio sigilli est annexa soli confessioni institutæ à Christo vel ei cujus revelatio in confessionis à Christo institutæ detrimentum cederet.

Hinc oritur solùm obligatio secreti naturalis ex eo quòd aliquis committens secretum sacerdoti, dicat se illud ei committere sub secreto confessionis, & sacerdos sic admittat. Ita S. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. ad 2. Nam secretum confessionis religiosum, soli confessioni proprium est. Addit Sylvius, hanc admissionem non carere irreverentia Sacramenti: cùm nullum arcanum possit secreto confessionis æquiparari.

Quæst. VIII. *Quinam contrahunt obligationem sigilli?*

Resp. Ii omnes, qui immediatè, vel mediatè, licitè, vel illicitè, habent ex confessione sacramentali notitiam rei cadentis sub sigillum. Nam ii omnes tenentur secreta servare ea, quorum revelatio redderet confessionem onerosam ac odiosam, & ab ea homines deterreret. At si homines scirent aliquos tales posse aliqua ex confessione cognita revelare, aversarentur confessionem, & ab ea averterentur. Præterea *cùm quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo*, reg. jur. 39. in 6. & res cum onere suo transit ad quoscumque pervenit. Igitur securitas ac reverentia Sacramento debita exigit, ut quævis notitia per confessionem solam quovis modo parta numquam possit communicari fine expressa licentia pœnitentis, ne sacramentum reddatur difficilius & odiosum.

Hinc obligatione sigilli tenentur, 1. Ipse confessarius etiam fictus, sed per errorem legitimus existimatus: nam confessio tunc ex intentione pœnitentis est sacramentalis. 2. Ii omnes, qui peccatum pœnitentis, dum confitetur, audierunt, sive culpabiliter, propiùs accedendo animo audiendi (quod est mortale ob injuriam gravem illatam Sacramento & pœnitenti,) sivè inculpatè & præter voluntatem. 3. Superior, à quo extra sacramentum petitur facultas absolvendi à casu reservato. 4. Interpres, ut organum medium, per quod facta est confessio. 5. Qui per examen disponit alium ad confessionem, & qui consulitur an & quomodo hoc vel illud teneatur confiteri, quamvis alteri fiat confessio. 6. Is qui consulitur à confessario, etiam cum licentia pœnitentis; alioqui valde odiosum & grave esset pœnitentibus concedere facultatem consulendi alium, (ut sæpe necessarium est ad bonum pœnitentis, & rectam Sacramenti administrationem,) si ille alius non obligaretur sigillo. Item is, cui confessarius pœnitentem manifestavit ex consensu pęnitentis. 7. Ii omnes, qui aliquid didicerunt etiam mediatè ab ipso confessario, aut quovis alio ad sigillum obligato. 8. Qui peccata pœnitentis in charta descripta legit, dum pœnitens ex scripto confitetur: is enim se habet, ut ille qui furtim audit confitentem. Qui autem ante, vel post & extra confessionem chartam peccata continentem reperit, peccat graviter si legat, & secundùm multos obligatur sigillo: quia peccata in charta scripta ordinantur ad confessionem sacramentalem ritè perficiendam; idque ut favorabilius Sacramento tenendum est.

Quæst. IX. *An pœnitens etiam obligatur sigillo respectu confessarii?*

Resp. Neg. Quia obligatio sigilli est solùm in favorem pœnitentis, ut securè ac confidenter peccata sua & conscientiam aperiat, sicut tenetur secundùm institutionem Christi: non autem in favorem confessarii, qui non tenetur ex institutione Christi peccata sua pœnitenti aperire; & sic non eget obligatione sigilli circa ea, quæ debet dicere pœnitenti.

Pœnitens tamen habet obligationem secreti naturalis circa ea quæ revelare nequit sine injusto damno confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem; *propter quod peccant*, inquit Gerson in Regul. moral. regul. 134. *Si non excusat eos ignorantia, illi qui pœnitentias suas, & ea quæ sacerdos eis dixit, passim dicunt, & qui etiam super hoc inquirunt, quoniam talia per indirectum causant aliquando irrisionem sacerdotis, aut confessi culpam.* At si confessarius aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in damnum commune, vel privatum, ut si hæresim doceat, si solicitet ad turpia, vel si existat aliud grave periculum ruinæ spiritualis, sive confessarii, sive alterius, pœnitens tenetur ex lege charitatis ista denuntiare Prælato, si aliter malum certo impedire nequit. Imò Gregorius XV. Bulla 34. præcipit pœnitentibus ut denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis confessarios, qui personas quascumque, *ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive antea, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Mandatque omnibus confessariis, ut pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis modo supra dicto sollicitatos, de obligatione eos denuntiandi. Unde ad hoc tenentur omnes ubi hoc decretum viget; imò & alii, si aliàs isti nefarii confessarii prævidenturnon emendandi; nam tunc lex charitatis erga illos & alios seducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, si non adsit alia via efficax.

A P-

APPENDIX.

De Sollicitatione.

„ IN Tractatu de Pœnitentia nihil Auth. „ habet de pœnis, quibus Confessarii sub- „ jiciuntur, qui pœnitentes ad inhonesta, & „ turpia sollicitaverint, deque obligatione „ pœnitentium, qua tenentur Confessarios „ sollicitantes denunciare Inquisitoribus, vel „ Ordinariis, sive eorumdem Vicariis. Qua- „ mobrem, cum editæ hac de re à Romanis „ Pontificibus Constitutiones, à SS. D. N. „ BENEDICTO XIV. confirmatæ, & am- „ pliatæ sint, Const. quæ incipit, *Sacramen-* „ *tum Pœnitentiæ*, vol. 1. Bullar. pag. 50. „ cumque hæc Constitutio regula esse debeat „ Confessariis in hujusmodi materia, inte- „ gram referemus. Quo autem clarior res „ sit, & ut facilius Sacerdotes, quæ sunt ibi „ constituta, memoriæ mandare, iisque uti „ valeant, ad dignoscendum, quibus in casi- „ bus Confessarii sollicitationis sint rei, ac „ pœnitentes ad denunciandum obligentur, „ Notas eidem Constitutioni subjiciemus, „ particulas singulas distinctè exponemus, „ atque ad particulares casus applicabimus.

CONSTITUTIO.

BENEDICTUS EPISCOPUS, &c.

„ SAcramentum Pœnitentiæ; quam secun- „ dam, post naufragium deperditæ gra- „ tiæ, tabulam Sancti Patres aptè nuncu- „ parunt, Nos licèt immerentes ad univer- „ si Dominici Gregis curam superna dispo- „ sitione vocati, omne studium, & Pasto- „ ralem sollicitudinem adhibere tenemur, „ ne quod post amissam Baptismi innocen- „ tiam datum est divina benignitate perfu- „ gium, per Dæmonum fraudem, & homi- „ num Dei beneficiis perversè utentium ma- „ litiam, naufragis, ac miseris peccatoribus „ luctuosum evadat exitium; & quod in sa- „ lutem, & curationem Animarum, à Deo, „ qui dives est in misericordia, institutum „ est execrabili scelestorum quorumdam Sa- „ cerdotum improbitate, in earum perni- „ ciem, atque interitum vertatur.

„ §. 1. Dudum quidem à fel. record. Gre- „ gorio Papa XV. Prædecessore Nostro per „ suas litteras in forma Brevium sub datum „ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus „ sui anno secundo, sapienter provisum fuit „ contra quoscumque Sacerdotes audiendis „ confessionibus deputatos, ad turpia, & „ inhonesta solicitantes; & deinceps suece- „ sivis temporibus, ad earum literarum in- „ terpretationem, ac declarationem, plura „ subinde à Congregatione Venerabilium „ Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ Cardinalium adversus hæreticam „ pravitatem generalium Inquisitorum sub „ die xi. mensis Februarii Anno Domini „ MDCLXI. prodierunt Decreta, & à rec. „ mem. Alexandro PP. VII. pariter Præde- „ cessore Nostro in Congregatione Genera- „ li Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitio- „ nis die xxiv. Septembr. MDCLXV. co- „ ram eo habita, inter alias ab Evangeli- „ ca veritate, & Sanctorum Patrum doctri- „ na alienas, & dissonas propositiones, „ sexta videlicet, & septima, huc revocan- „ dæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; „ Nos itaque maturè perpendentes quanti „ momenti sit ad æternam animarum salu- „ tem ea ubique exactè observari, & quanti „ ad infirmas oves curandas, & decorem „ Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, inter- „ sit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sa- „ cramento nefariè abutentes, Pœnitenti- „ bus pro curatione vulnus, pro pane lapi- „ dem, pro pisce serpentem, pro medicina „ venenum porrigant, sed animo secum re- „ colentes, se à Christo Domino Præsides, „ & Judices animarum constitutos, ea sancti- „ tate, quæ sublimitati, ac dignitati mune- „ ris convenit, tam venerandum Sacramen- „ tum administrent: Motu proprio, & ex „ certa scientia, ac matura deliberatione „ Nostra, præfatas litteras hujusmodi, ac „ omnia, & singula decreta prædicta ad il- „ larum interpretationem, & declaratio- „ nem emanata, Apostolica Authoritate te- „ nore præsentium approbamus, & confir- „ mamus, illisque omnibus, & singulis in- „ violabilis Apostolicæ firmitatis robus adji- „ cimus; Atque etiam, quatenùs opus sit, „ denuò committimus, & mandamus omni- „ bus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, „ & Locorum Ordinariis omnium Regno- „ rum, Provinciarum, Civitatum, Domi- „ niorum, & Locorum universi Orbis Chri- „ stiani, in suis respectivè Diœcesibus, ut „ diligenter, omnique humano respectu post- „ posito, inquirant, & procedant contra „ omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæcu- „ lares, quàm Regulares quomodolibet ex- „ emptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè „ subjectos, quorumcumque Ordinum, In- „ stitutorum, Societatum, & Congregatio- „ num, & cujuscumque Dignitatis, & Præ-

„ eminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediatè post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, & turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severè animadvertant, per condignas pœnas, juxtà memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodò præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

„ §. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulò monere, juxtà occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

„ §. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat.

„ §. 4. Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longè submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dœmonis potiùs, quàm Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ potestatis plenitudine

„ in-

„ interdicimus, & prohibemus, ne aliquis „ eorum extra casum extremæ necessitatis, „ nimirùm in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, „ qui confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, „ contra sextum Decalogi Præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea „ illi ipso jure quacumque auctoritate, & „ jurisdictione ad qualemcumque personam „ ab hujusmodi culpa absolvendam; adeò „ quidem, ut absolutio, siquam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit; quam ei „ per præsentes has nostras adimere intendimus; Et nihilominùs, si quis Confessarius secùs facere ausus fuerit, majoris „ quoque excommunicationis pœnam, à „ qua absolvendi potestatem Nobis solis, „ Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

„ §. 5. Declarantes etiam, & decernentes, „ quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad „ hunc effectum, & in hoc casu, nullus „ Confessarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, „ ut præfertur, careat, & absolvendi facultate à Nobis privatus existat, habendus „ sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & „ Ordinationibus Apostolicis, præsertim, „ quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & „ Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, „ & Literis Apostolicis sub quibuscumque „ tenoribus, & formis, ac cum quibusvis „ clausulis, & decretis, etiam motu proprio „ aut aliàs quomodolibet concessis, etiam „ iteratis vicibus approbatis, & innovatis. „ Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, „ cæterisque contrariis quibuscumque.

„ §. 6. Volumus demum, ac præcipimus, „ ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quàm futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam „ prædictam constitutionem Gregorii Prædecessoris, quàm præsenrem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè observari curent, moneantque eos in Domino, „ atque hortentur, ut Sacrum Ministerium „ ipsorum fidei commissum summa animi „ innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei; Memores prætérea sint, se locum tenere, ac vices obite Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum „ Sanctum semetipsum obtulit immaculatum „ Deo, ut emundaret conscientiam nostram „ ab operibus mortuis, ad serviendum Deo „ viventi: Sedulò igitur studeanr diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cœlum claudatur; ne „ deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne „ prodigi Filii egentes, & saucii, ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum „ improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

„ §. 7. Ut autem præsentes Literæ ad „ omnium notitiam faciliùs deveniant, & „ nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla „ ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis „ in Monte Citatorio, ac in Acie Campi „ Flore de Urbe, ut moris est, affigi, & „ publicari, sicque publicatas, & affixas, „ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, „ perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominarim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, „ etiam impressis, manu alicujus Notarii „ publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ „ munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio, quàm extrà illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, „ si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, „ san-

„ sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere: vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno I.

NOTÆ.

„ 1. In hac Const. num. 1. approbantur, & confirmantur, cum aliorum Romanorum Pontificum *litera*, tum etiam *omnia & singula decreta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata*.

„ 2. Confessarios, pœnitentes ad inhonesta sollicitantes Inquisitoribus Hæreticæ pravitatis, tanquam hæreseos suspectos denunciandos esse, statuere Paulus IV. 16. Aprilis 1661. Pius IV. 6. Aprilis 1564. Clem. VIII. 3. Decembris 1592. & Paulus V. 1608. Horum vero Pontificum Cost. quæ pro Regnis duntaxat Hispaniæ, Portugalliæ, & Algarbiorum editæ fuerunt, Gregorius XV. ea quæ incipit *universi Dominici Gregis*, ad fideles omnes extendit, atque ampliavit; quippe constituit denunciate quoque oportere sacerdotes, qui, sive in Confessionali, sive in loco ad Confessiones audiendas destinato, confessionem simulantes, ad inhonesta sollicitaverint, sive inhonestos sermones habuerint, vel turpia tractaverint; præcepitque, ut Confessarii, pœnitentes de denunciandi ita delinquentes Sacerdotes obligatione, monerent.

„ 3. Supremæ Inquisitionis decreta quod attinet, P. Laurentius Cozza in dubiis selectis circa sollicitationem, refert, quæ sequuntur. Pag. 29. *Paulum V. sub die 19. Novembris 1612. declarasse, quod etiam ex vi Constitutionis Pii IV. comprehenderentur sollicitantes masculos: & ita rescripsisse Cardinalem Mellinum ann. 1613. sub die 28. Februarii ad Petrum Castillo Inquisitorem Generalem Lusitaniæ*. Pag. 40. In Cong. Generali Supremæ Inquisitionis die 11. Februarii 1661. declaratam fuisse improbabilem opinionem, quæ asserit, denunciandum non esse confessarium, qui chartam ad venerem provocantem mulieri domi legendam tradiderit. Pag. 62. In eadem Congregatione improbatam fuisse opinionem, quæ ab onere denunciandi, pœnitentem eximit, *si cum Confessario convenerit in simulatione Confessionis, ut liberius de rebus inhonestis tractarent*. Pag. 65. ex decreto ejusdem Congr. 25. Julii 1624. mulierem, quæ sollicitanti Sacerdoti consenserit, non teneri in denunciatione ad consensum suum aperiendum, teneri tamen ad denunciandum, etiamsi ipsa prius sollicitaverit, & ad consensum ipsa traxerit Confessar. Pag. 32. die 21. Februarii 1661. improbatam fuisse opinionem illorum, qui contendebant, non esse denunciandos Sacerdotes, qui propter alterius sollicitationem abjuraverint. Pag. 174. decisum fuisse 17. Novembris 1624. *Confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandos seipsos*. Iis addimus sequens Pauli V. decretum 10. Julii 1614. *In Generali Cong. S. R. Inq. habita in Palatio Apostolico coram SS. D. N. D. Paulo divina providentia Papa V. &c. facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali, extra occasionem* Confessionis, de rebus inhonestis: *SS. decrevit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio*; & aliud cotam Alexandro VII. 8. Julii 1660. quo decernitur, *teneri* pœnitentem ad denunciandum, *etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit*.

„ 4. Hæ sunt propositiones ab Alexandro VII. 24. Septembris 1665. damnatæ. 1. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus*. 2. *Modus evadendi obligationis denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi*.

„ 5. Atque hæc sunt, ex quibus certæ, tutæque regulæ sunt deducendæ, quibus indicatur, qui denunciandi sint, quas ob causas, quando, & qua ratione denunciare oporteat. Esto itaque

„ Prima Regula. *Denunciandi sunt omnes & singuli Sacerdotes sive absolvendi jurisdictione, & authoritate polleant, sive careant*.

„ Hujusmodi regula expresse legitur n. 1. & 2. Constitutionis. Quamobrem dubitari amplius non potest, quin simplex Sacerdos, is scilicet, qui ad valide ab-

„ sol-

„ solvendum jurisdictione careat, denunciandus sit, si confessionem simulando, „ vel praetextu, aut occasione confessionis, „ modo infra explicando, sollicitaverit, vel „ inhonesta atque turpia tractaverit. Sed, „ quum nihil, sive in hac, sive in aliorum „ Pontificum Constitutionibus, vel Supremae „ Inquisitionis Decretis, statuatur, de denunciandis vel Clericis, vel Laicis, qui „ sollicitandi causa confessionem simulaverint, vel confessionis praetextu sollicitaverint, non videtur probanda, quae Gipsio „ tribuitur opinio, qui, ut refert Cozza „ pag. 153. Clericos etiam laicosque denunciandos esse contendebat, harumce legum virtute. Nam si juxta reg. 15. juris, „ *odia restringi, & favores convenit ampliari*, atque juxta reg. 49. *In poenis benignior est interpretatio facienda*, manifestum est, „ poenis subjiciendos non esse qui in lege „ non designantur, sed excludi videntur. „ In iis ergo constitutionibus, cum soli Sacerdotes nominentur, ac denunciationis „ poenis subdantur, Clerici, Laicique praesumuntur exclusi. At, si ii Missam celebrarent, & sacramentalem confessionem „ audirent, ob alias Const. Inquisitorum judicio, ac poenis gravissimis supponuntur, „ atque hanc ob rem denunciandi essent; „ ut debitas poenas subirent.

„ Secunda. *Qui aliquem poenitentem quacumque persona illa sit, sive pro se ipso, sive pro alia persona sollicitaverint.*

„ Habes hic clare definitum. Primo, denunciandum esse Confessarium sive sollicitaverit feminam sive masculum; ut liquet, tum ex supra relato supremae Inquisitionis Decret. tum etiam ex Const. verbis, nam *τὸ* aliquem poenitentem, quaecumque Persona sit, innuit vel masculum, „ vel feminam. Deinde denunciandum quoque esse, qui non pro se, se pro alia persona poenitentem incitaverit, seu ad turpia provocaverit, ut in Const. num. 2. „ expressum est.

„ Tertia. *In actu sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post.*

„ Qui eo temporis spatio ad turpia provocet, quod inter confessionis initium, „ & absolutionem intercedit, is sollicitare „ dicitur in actu confessionis. At quid sit „ sollicitare vel immediate ante, aut immediate post confessionem, non convenit inter Authores, ut videre est apud Cozzam „ dub. 21. pag. 95. Communior autem opinio, quae, meo judicio, vera est, atque „ fini legis omnino consentanea, asserit vocabulum istud *immediatè*, non pro physico, sed pro morali significatu esse usurpandum, scilicet, non pro momento, quod „ nullo interjecto medio, vel praecedit, vel „ subsequitur confessionem, sed, pro brevi „ illo temporis spatio, in quo si quidpiam „ fiat, attentis circumstantiis, secundùm „ communem loquendi modum, ac prudentum judicium, sive immediate ante, vel „ immediate post confessionem, factum dicatur. Quare, qui mulierem petentem confessionem, sive ad confessionem paratam, „ & quam paulo post ad confessionem accessuram noverit, ad inhonesta incitaret, „ is immediate ante confessionem sollicitare „ diceretur, licet breve temporis intervallum provocantem actionem, confessionemque intercederet. Atque eandem ob causam, immediate post confessionem sollicitare diceretur, qui vel illicò post absolutionem, vel in Ecclesia, cum primum è „ confessionali egreditur, mulierem ad turpia provocaret, sive chartam ei traderet ad „ venerem incitantem, domi legendam. Imò „ communior opinio est, hac quoque lege „ comprehendi, qui poenitentem deinceps „ sequatur, eamque, vel in itinere aut domi „ sollicitet. Is enim secundum prudentum „ judicium statim post confessionem sollicitasse diceretur; quia cum primum potuit, „ praeconceptum in confessione de sollicitando desiderium, executioni demandavit. „ Sed indicati casus clarius comprehenduntur regula, quam subjicimus.

„ Quarta. *Vel occasione, aut praetextu confessionis.*

„ Occasio, & praetextus duo hic exprimunt, quae sunt invicem distincta, atque „ omnino diversa. Nam confessionis occasione sollicitare, est ex confessione provocandi motivum sumere: praetextu vero „ confessionis sollicitat, qui confessionem „ praetexit, sive fingit, ac simulat, ut liberius vel inhonesta tractet, vel ad venerem „ incitet. Occasione confessionis tribus modis Confessarius sollicitare posse videtur, „ Primo, Dum ex expressa aut tacita confessionis petitione sollicitandi motivum sumit. Tum enim medicinam petenti, venenum, atque panem expectanti, scorpionem „ porrigit, juxta Const. allegorias; atque veneratione, demissione animi, confidentia, „ aliisque poenitentis affectibus erga Sacramentum ac Christi Ministrum abutitur; „ quo facilius ad inhonesta incitet. Adeoque „ denun-

„ denunciandus est. Secundò, ex confessione „ ipsa, hoc est, dum intelligendo, quæ cum „ aliis egit, vel facere optavit, aut ad venerem proclivitatem &c. occasionem nanciscitur, vel verbis, vel signis ad inhonesta „ provocandi. Tertiò demum, quum notitia „ utitur, quam ex confessione habuit, ad incitandum, & facilius movendum ad assensum. Ab hac enim notitia motum ad sollicitandum, manifestum est, ex ipsa confessione incitandi occasionem desumere. „ Sed, ut pœnitens hanc ob causam denunciare teneatur; habeat necesse est, certa indicia, quibus prudenter judicare possit, ex hujusmodi scientia sollicitandi motivum accepisse: nam si indicia hujusmodi desint, præsumi potest aliis ex causis motum fuisse ad sollicitandum. Suppetunt verò pœnitenti hujusmodi indicia, si Confessarius brevi post Confessionem tempore, pœnitentem sollicitet veluti personam quæ facile acquiescere soleat, vel natura sua ad hujusmodi actus propensa sit, &, si aut generalibus verbis, aut nutibus in sollicitando utatur, quibus indicare videatur, se scire, vel quid cum aliis egerit, vel quam alias ad hæc propensa fuerit, aut quidpiam iis similia, quod ex confessione noverit.

„ Quinta. *Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali.*

„ Hac regula ii designantur, qui denunciandi sint ratione loci, in quo ad inhonesta aliquem provocent. Scilicet ii, qui in loco destinato ad sacri Pœnitentiæ ministerii exercitium, & ad absolvendos fideles à peccatis, etiam extra quamcumque confessionis occasionem, & simulationem, ad turpia sollicitant, vel inhonesta tractant. Constat id, primum, ex Decreto Supremæ Inquisit. sub Paulo V. quod una cum aliis à SS. D. N. BENEDICTO XIV. approbatum, & confirmatum fuit; deinde ex eo, quod finis legis videatur hujusmodi pœnis Sacerdotes subjicere, quia in loco, ex quo fideles salutionem à culpis, ac animæ salutem quærunt, novis culpis ligare, atque in perditionem, & æternam mortem ducere student.

„ Sexta. *Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem.*

„ Tria locorum genera distinguuntur, in quibus confessiones audiri solent. *Primus*, inquit Felix Potest. tom. 3. p. 3. cap. ix. *est confessionale ordinarium quod confici solet ex ligno habens laminam ferream cum parvis foraminibus, quodque in Ecclesia collocatur.* Atque hujusmodi est, quod in superiori regula indicatur. *Secundus est locus quicumque ab illo distinctus, ubi confessiones audiuntur: tales sunt in domibus Religiosis Cellulæ quædam in primo claustro, aut in Sacristia*, atque hujusmodi confessionis locum designari, ait verbis illis: *sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato.* At si in hujusmodi cellulis confessionale, ut supra dictum est, constructum adsit, quod *formam habeat tribunalis ordinarii sacramentalis judicii*, tunc ad locum prioris generis pertinebit; ac sollicitans sola loci circumstantia inspecta denunciandus erit. Tertius locus est quem Confessarius ad confessionem audiendam, pro suo arbitrio eligit. *Ita potest esse in Ecclesia, in foro, in domo, in agro, ubique:* atque hunc solum designant illa verba, *ad confessiones audiendas electo.*

„ Qui in prioris generis loco sollicitant, sunt juxta quintam regulam denunciandi; qui verò in locis secundi, & tertii generis, quæ loca destinata, aut electa dicuntur ad confessionem, sollicitaverint, tum tantum sunt denunciandi, cum vel confessiones audiunt, aut audire simulant. Hinc Confessarius è confessionali provocans mulierem, vel ante sedentem, vel transeuntem, vel rem aliquam indifferentem secum tractantem, aut cum ea inhonestos ibi sermones habens, denunciandus esset; non vero, si extra occasionem confessionis, vel ejusdem simulationis, in loco secundi, & tertii generis, eadem, vel similia ageret.

„ Septima. *Ad inhonesta, & turpia, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, tunc aut postea legendum tentaverint.*

„ Quamquam omnia peccata inhonesta sunt & turpia, quod in unoquoque finis honestus desideretur, ac turpitudo illa insit, quæ deformitate ad regulam morum continetur; tamen juxta communem loquendi modum, cum inhonesta, & turpia dicimus, venereos actus indicamus. Atque hoc sensu inhonesta, & turpia in Pontificiis Constitutionibus usurpantur, ut, cum Theologi omnes fatentur; tum etiam constat ex eo, quod hujusmodi peccata legibus pœnisque illis statuendis motivum dederint, atque demum ex ipsa Inquisitionis praxi. Igitur harumce legum virtute, denunciandi non sunt, ad furtum, vel alia

„ faci-

„ facinora, pœnitentes provocantes. At „ ob Sacramenti abusum, atque hæreseos „ suspicionem, ii quoque, legibus in hæreseos suspectos, latis, Inquisitorum judicio subjiciuntur; quamobrem authores „ bene multi denunciandos esse tuentur, licet non denunciantes pœnas in hac Const. „ stabilitas non subeant.

„ Aliis constitutionis particulis indicatur, „ denunciandos esse; qui provocant, incitant, sive alliciunt, verbis, aut signis &c. „ quæ, vel ex se, aut ex loci consuetudine, „ sive ad venereum conciliandum amorem, „ sive ad venereos actus, inducant. *Signa sunt*, inquit Felix Potest. cap. 4. *oscula, tactus impudici etiam sui ipsius Confessarii, tactus manus pœnitentis sine causa, missio osculi manibus, studiosa compressio pedis, aut oculi, & similia signa amatoria, quibus amantes uti soleant ad invitandum, aut alliciendum aliquam personam ad sui amorem. Quod est verum, etiamsi sollicitatio fiat per signa venialiter inhonesta, nempe leviter indicativa amoris lascivi, quia licet tales actus sint ex se leves, ex circumstantia tamen Sacramenti, cum qua sunt conjuncti, sunt graves, & mortales.*

„ Octava. *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.*

„ Quemadmodum superioribus verbis eos „ denunciandos esse præcipitur, qui, vel in „ actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, „ aut immediate post, sive in Confessionali „ extra occasionem Confessionis, vel alio in „ loco Confessionem simulando, sollicitare, „ & provocare tentaverint; ita, hac regula, „ denunciandos esse præscribitur, qui in iisdem circumstantiis, cum Pœnitentibus, „ sive cum iis quibuscum Confessionem simulaverint, illicitos, & inhonestos sermones aut tractatus habuerint. Ex quo apparet, non solum eos denunciare oportere, „ qui illicitis, inhonestisque sermonibus, „ ac tractatibus ad turpia sollicitaverint, seu „ provocare tentaverint; sed etiam illos, qui „ vel turpia verba proferant, vel illicitos, „ aut castitati contrarios sermones habeant, „ sive de rebus tractent, quæ, vel turpes sint, „ aut pudori, honestatique adversentur, licet hujusmodi verbis aut tractatibus, nec „ sollicitare seu provocare contendant, nec „ ex parte pœnitentis sollicitatio, & provocatio sequatur ulla. Rem ita ostendit „ Potest. cit. tom. 3. cap. 11. *sub his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione; nam hæc clausula est distincta à priori*, sollicitare, vel provocare tentaverint: *& additur disjunctiva*, aut, *quod non esset verum, imo clausula hæc esset superflua, si solum comprehenderet sermones inhonestos cum provocatione.*

„ Nona. *Denunciare oportet, etiamsi sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit.*

„ Quum mutua sollicitatio sit, sive à „ pœnitente incipiat, sive à Confessario, „ ut est manifestum; ex hac regula clare „ deducitur, falsam, & improbatam omnino esse ab Apostolica Sede illorum opinionem, qui denunciandum non esse „ tuentur, Confessarium, sollicitanti fœminæ consentientem.

„ Decima. *Sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit.*

„ Horum verborum sensus, atque regulæ „ hujusmodi usus ex supra dictis abunde patet. Hic vero in memoriam revocandum „ est supremæ Inq. decretum nota 2. indicatum, quo decernitur pœnitentem teneri „ ad denunciandum, non vero ad aperiendum præstitum sollicitationi consensum; „ ac decretum aliud ejusdem Congregationis „ sub die 27. Januarii 1613. *ubi decretum fuisse volunt nonnulli*, inquit Cozza p. 91. *quod Confessarius, qui mulierem pœnitentem ante ejus pedes signo crucis munitam, sollicitat, dicens ei, nolle suam confessionem audire pro tunc, ut commodius sollicitet, sit denunciandus.*

„ Undecima. *Vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.*

„ Non solùm hìc illorum proscribitur opinio, qui contendunt post triennium denunciandi obligationem cessare; sed innuitur „ etiam tandiu in pœnitente denunciandi „ onus manere, quoad usque satisfecerit. „ Imo, & eos quoque denunciare debere, „ qui, vel ob ignorationem legis de denunciandis sollicitantibus, vel, quod non illico ob simplicitatem, sollicitantis verba, „ aut nutus intellexerint, nonnisi post longum tempus agnoscunt, aut teneri ad denunciandum, vel sollicitatos fuisse.

„ Duodecima. *Aut sollicitatio à Confessario, non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit.*

„ Regula ex iis, quæ supra sunt explicata, clara est. Addimus autem hæc alia „ verba, quæ in Gregoriana Constitutione „ habentur: *qui ad inhonesta, sive inter se,*

„ *sive*

„ *sive cum aliis perpetranda sollicitaverint*, „ ut confessarii intelligant, denunciandos „ esse sollicitantes cum pro se ipsis, tum „ pro aliis personis, tum etiam per alias „ personas.

„ Iis præmissis, monentur Confessarii, „ ut, *caveant diligenter, ne pœnitentibus*, „ *quos noverint jam ab aliis sollicitatos, Sa*„*cramentalem Confessionem impertiant, nisi* „ *prius denuntiationem prædictam ad effectum* „ *perducentes, delinquentem indicaverint com*„*petenti Judici, vel saltem se, cum primum* „ *poterunt, delaturos spondeant, ac promit*„*tant*.

„ Ex iis manifestum est, omnes pœnitentes „ tes gravi præcepto obligatos esse ad de„ nunciandos sollicitantes Confessarios, nec „ sine gravi culpa id omittere posse. Agitur „ enim de re gravi, cujusmodi est Sacra„ menti abusus, ac de crimine quod præ se „ suspicionem fert hæreseos.

„ Neque solum pœnitentes, sed ii quo„ que, qui vel sollicitantem Confessarium „ casu viderunt, vel audiere, vel immedia„ te aut ab ipso sollicitante Confessario, „ sive ex sollicitato pœnitente sollicitationis „ scientiam habuerunt. Id universim Theo„ logi ostendunt ex eo, quod hujusmodi „ Confessarii sint hæreseos suspecti, quod„ que testes quoque de immediato auditu, „ per inquisitionis edicta suspectos de hæ„ resis denunciare præcipiantur.

„ Quæstio dumtaxat est, num denunciare „ teneatur, qui idem ex levibus, ac suspe„ ctis personis audierit? tutior vero, & com„ munior opinio est, hos quoque ad denuncia„ re debere. Quia, in causis ad sanctum of„ ficium spectantibus admittuntur etiam te„ stes inhabiles, excommunicati, perjuri, „ infames &c. nec privati est, sed Inquisi„ toris investigare, & decernere, num per„ sona, ex qua audita fuit facta à Confes„ sario sollicitatio, fide sit digna. Cujus „ quidem rei ratio est, quod hæreseos, aut „ hæreseos suspicionis crimen, ita Christia„ næ reipublicæ perniciosum sit, ut ad illud „ extirpandum omnia adhibere oporteat me„ dia, atque adeo cujuscumque generis testes. „ Ad cohibendum verò hac in re Calum„ niatores SS. D. N. BENEDICTUS XIV. „ in superiori Const. num. 3. pœnas in ca„ lumniatores, sive falsos delatores consti„ tuit, ut ibi legere est.

„ Igitur omnes pœnitentes, vel ex pœni„ tentibus audientes sollicitantem confessa„ rium denunciare tenentur. Idque etiam „ si delictum occultum sit, ac sollicitans vir „ bonæ famæ, ex decreto Alexandri VII. „ die 24. Septembris 1665. & etiamsi sciat „ sub sigillo naturali, jurejurando quoque „ confirmato; quia hoc ad privatum bonum, „ denunciatio vero hujus criminis ad pu„ blicum reipublicæ Christianæ bonum spe„ ctat; ac publicum bonum privato ante„ ponendum est, neque juramentum de re „ mala tenet, ut ex Bord. argumentatur „ Felix Potest. cap. 12.

„ Persona sollicitata tenetur per seipsum „ denunciare, quia hæc obligatio est perso„ nalis, & si per alium denunciaret, denun„ ciatio esset ex auditu alterius. Qui per „ Epistolam denunciant, nisi subscribant pro„ prium nomen, & cognomen, non satisfa„ ciunt, ac sunt deinceps ab Inquisitore vo„ candi, ut iterum juridice deponant.

„ Si Mulieres nobiles sint, aut Puellæ, „ quæ denunciare debeant, ac vereantur ad „ Inquisitionis Tribunal accedere, monere „ debent per Internuncium Inquisitorem, ut „ domum Notarium mittat ad suscipiendam „ denunciationem. Aptior vero internun„ cius est Confessarius, cui Inquisitor de sol„ licitatione jam monitus committere potest, „ ut recipiat in scriptis juramento firmatam „ denunciationem, ex decreto Inquisit. Rom. „ jussu Urbani VIII. 27. Septemb. 1624. qui „ quidem modus servari maximè debet in „ recipienda monialis denunciatione, ne res „ aliis monialibus manifestetur. Reliquæ pa„ tent ex ipsa Const. in qua pœnæ quoque „ in delinquentes statutæ, leguntur.

APPENDIX.

De Indulgentiis.

Quæst. I. **Q***Uid & quotuplex est Indulgentia?* *Resp.* 1. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remissis debitæ, facta extra sacramenta & sacrificium per applicationem satisfactionum Christi & Sanctorum. Fide constat, ex Conc. Trid. sess. 25. Indulgentiarum usum fidelibus maximè salutarem esse, easque concedendi potestatem in Ecclesia extare.

Resp. 2. Indulgentia alia est totalis seu plenaria, qua tota pœna temporalis remittitur; & alia partialis seu non plenaria, qua pars tantùm pœnæ remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentiam unius anni, vel plurium, vel 40. dierum; per quam scilicet tantum de pœnis remittitur, quantùm remitteret

tet pœnitentia austera unius anni vel plurium, aut 40. dierum, secundùm antiquos canones facta.

Quæst. II. *Quinam habent potestatem concedendi Indulgentias?*

Resp. Papa potest jure divino Indulgentias qualescumque in tota Ecclesia concedere; cùm supremus sit vicarius Christi, & supremum caput visibile Ecclesiæ. Supremo autem Principi competit potestas dispensandi thesaurum communem sine limitatione. Episcopi verò in sua diœcesi, & Archiepiscopi in tota sua provincia possunt jure communi concedere tantùm Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & in anniversario dedicationis, vel alia ex causa, dierum dumtaxat 40. ex Conc. gener. Later. IV. cap. 62. Cardinales etiam non Episcopi dicuntur concedere Indulgentias 100. dierum, ex concessione Papæ, saltem tacita.

Nota. Hæc potestas est jurisdictionis, non ordinis. Hinc 1. potest competere, & delegari clerico non sacerdoti. 2. Indulgentiæ non possunt concedi, nisi subditis, cap. 4. *de pœnit. & remiss.* ubi ratio datur, quia sicuti à judice suo ligari nemo potest, ita neque absolvi. Possunt tamen exempti lucrari Indulgentias Episcopales, cum in ea re favorabili possunt se subjicere jurisdictioni ordinarii, ne quod in gratiam concessum est privilegium, in eorumdem dispendium cedat, ex reg. 61. jur. in 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

Quæst. III. *Quænam requiruntur ad lucrandam Indulgentiam?*

Resp. Sequentia. I. Status gratiæ, saltem cùm ultimum opus completur. Quia tunc applicatur Indulgentia, quæ illum exigit: nam inimico Dei, quamdiu in peccato existit, nulla fit remissio etiam quoad pœnam temporalem. Inimicus enim Dei, & reus pœnæ æternæ non est subjectum aptum, cui remittatur aliqua pœna; & nulla est promissio nisi pro justo. Unde Indulgentia numquam conceditur, nisi contritis & confessis, aut verè pœnitentibus. Imò aliqui putant necesse esse ut omnia opera in Bulla injuncta perficiantur in statu gratiæ. Sed alii communius docent sufficere, quòd bene fiant animo verè pœnitenti & sine affectu ad mortale: Quia Pontifex in concessione non exigit ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ, & sine illo possunt esse utilia ad finem Indulgentiæ. Requiritur tamen status gratiæ eo instanti, quo ultimum ex operibus per Bullam injunctis perficitur. Nam requiritur status gratiæ eo instanti quo Indulgentia applicatur. At Indulgentia applicatur eo instanti quo ultima conditio ponitur, seu instanti consummationis operum. Ergo eo instanti requiritur status gratiæ.

II. Omnia opera injuncta impleri debent integrè, in loco, & tempore, & ordine præscriptis, & propter finem præscriptum. Quia Indulgentia non conceditur, nisi sub hac conditione: qua proinde non impleta, simpliciter nihil obtinetur. Et Indulgentia solùm operatur secundùm intentionem concedentis expressam per verba concessionis. Hinc qui opus aliquod injunctum, vel partem ejus notabilem omittit, quamvis ex ignorantia aut oblivione invincibili, vel impotentia, nihil consequitur: quia simpliciter non implet conditionem, cui adstricta est Indulgentia.

III. Ad consequendam Indulgentiam plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur detestatio omnium illorum, & depositio affectus ad quodlibet. Nam pœna peccato debita non remittitur sine culpa: nullum autem peccatum etiam veniale remittitur quoad culpam, sine detestatione seu displicentia saltem virtuali; & depositione affectus ad illud. Quàm pauci ergo Indulgentiam plenariam integrè consequuntur!

Præter supradicta, Cajetanus, Navarrus, Reginaldus & alii docent ad Indulgentiam integrè consequendam requiri propositum, & sollicitudinem satisfaciendi Deo per satisfactiones congruas, & peccatis ac facultati pœnitentis proportionatas; ita ut proportione hujus sollicitudinis tamquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessariæ, percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus. *Probant:* Quia 1. Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, à quo præcepto Ecclesia dispensare nequit. Et Conc. Trid. sess. 6. cap. 14. docet generaliter pœnitentiam christiani lapsi, necessariò præter contritionem & confessionem, continere satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, &c. At, inquiunt, valde enervaretur, & ferè tolleretur satisfactio illa congrua, si Indulgentia plenaria plurimorum peccatorum obtineretur præcisè per opera aliqua pauca non valde gravia, ut per visitationem Ecclesiæ, triduum jejunii, aliquam eleemosynam, & confessionem ac communionem. 2. Thesaurus Indulgentiarum à Christo concessus est, non ad tollenda opera satisfactoria, cùm ea præceperit; aut ad fovendam negligentiam ac torporem fidelium; sed ad sup-

ſupplendam eorum impotentiam ac infirmitatem: aliàs, inquiunt, indulgentia redundaret non in ædificationem, ſed in deſtructionem, fovendo negligentiam ac torporem in ſatisfaciendo pro peccatis, & minueret horrorem peccati. 3. Ex Gregorio VII. qui Lincolnienſi Epiſcopo Indulgentiam petenti conceſſit ea lege, ut pro viribus ſatisfaceret: *Abſolutionem præterea peccatorum tuorum*, inquit, *ſicut rogaſti, authoritate Principum Apoſtolorum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Ut appareat, inquit Baronius hæc referens ad ann. 1073. *Sedis Apoſtolicæ Indulgentiam illis communicari, qui quantùm ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus.* De his qui ita ſentiunt, ſic loquitur S. Antoninus, 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 3. *Nec credunt quod propter has Indulgentias generales minùs teneantur agere pœnitentiam in hac vita; & horum dictum ſatis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Quæſt. IV. *Quænam notanda ſunt circa opera præſcribi ſolita?*

Reſp. Sequentia. 1. Dum in Bulla conceditur Indulgentia *contritis & confeſſis*, ad eam lucrandam ſecundùm multos confeſſio non eſt neceſſaria habenti ſola venialia: quia putant eam deſignari tantùm ut medium ad gratiam & remiſſionem culpæ. Sed alii multi diſſentiunt, quia tunc confeſſio requiritur tamquam unum ex operibus præſcriptis.

Quare tutius eſt confiteri, idque conſentaneum eſt praxi fidelium, præſertim tempore Jubilæi.

2. Oratio fieri debet per aliquod tempus in loco, tempore, & ex intentione deſignatis. Locus eſt ordinariè ubi eſt Indulgentia. Tempus eſt inter utraſque veſperas. Intentio eſt pax inter principes chriſtianos, converſio infidelium, extirpatio hæreſum, exaltatio S. Matris Eccleſiæ, bonum ſpirituale Papæ, niſi alia addantur. Secundùm multos debet eſſe vocalis, nec valet ſi fiat cum diſtractione voluntaria: nam talis oratio non eſt religioſa, nec apta ad impetrandum id quod Papa intendit.

3. Modus ſervandi jejunium eſt ille, quem ſingulæ provinciæ ſervant tali tempore in aliis jejuniis.

4. Eleemoſyna, ſi non determinetur per bullam, fieri debet juxta regulas prudentiæ, & dictamen internum: ita ut non detur quid minimum, ſpectata facultate dantis, nam minima non ſunt in conſideratione.

5. Non ſatisfit per communionem ſacrilegam: nam communio præſcribitur ut opus bonum, vivum & operativum gratiæ.

Quæſt. V. *Quænam requiruntur ut Indulgentiæ proſint defunctis?*

Reſp. Neceſſe eſt. 1. Ut pro illis in bulla ſpecialiter concedantur. Nam Indulgentiæ non proſunt pluribus, nec aliis, quantum prima conceſſio; & tantum valent quantùm ſonant. Nomine autem fidelium ſimpliciter in bullis intelliguntur ſoli viventes, ut patet ex uſu; quare quoties Indulgentiæ ad mortuos extenduntur, expreſsè additur: *Fidelibus vivis & defunctis*. 2. Ut fidelis vivens omnia opera injuncta ritè perficiat ex intentione lucrandi Indulgentiam pro mortuo, ſitque in ſtatu gratiæ, ſaltem cùm ultimum opus impletur, atque Indulgentiam applicet defuncto.

TRACTATUS
DE EXTREMA-UNCTIONE.

Extrema-Unctio eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum ad conferendum ægroto de vita periclitanti gratiam ad reſiſtendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abſtergendas, atque etiam ad corporis ſanitatem, ſi expediat, reſtituendam, per Unctionem olei benedicti, & orationem ſacerdotis.

Quæſt. I. *Quænam eſt materia & forma hujus Sacramenti?*

Reſp. 1. Materia remota eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum. Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 1. (a) Renovari debet ſingulis annis, veteri exuſto. Quòd ſi periculum ſit ne intra annum deficiat, neque poſſit haberi aliud benedictum, benedicto admiſcea-

(a) Vide SS. D. N. Tractatum de Synodo Diœceſana, in quo plura de Extrema-Unctione ſcitu digna explicantur, quorum nonnulla brevibus indicamus. Lib. VII. cap. 16. num. 3. de materia „ *ait:* Materia hujus „ Sacramenti eſt oleum ſimplex, ſaltem ex Eccle- „ ſiæ præcepto. Validitati tamen non obſtat aliquid „ balſami admixtum, quod antiquitus factum quidam „ opinantur. Et *num.* 4. Oleum debet eſſe ab Epiſco- „ po benedictum. Dubitatur vero, num ex Chriſti „ inſtitutione, an ex præcepto Eccleſiæ. De commiſ- „ ſione Romani Pontificis poteſt à ſimplici Sacerdote „ præparari ut ſit apud Orientales.

misceatur non benedictum in minori quantitate. *Ita Rituale Romanum*. Materia verò proxima est Unctio. Hæc ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium, debet fieri in forma crucis: quod tamen non est essentiale, sicut neque ut fiat immediatè pollice sacerdotis; nam pestis tempore unctio fieri potest bacillo.

Resp. 2. Forma est hæc deprecativa; *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus. Ex Concil. Florent. & Trid. & Rit. Rom. Sunt qui putant hæc sola verba, *Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus*, esse essentialia; eo quod effectus sacramenti sufficienter exprimant, quamvis cætera ex præcepto sint addenda. (*a*)

Quæst. II. *An essentiales sunt Unctiones quinque sensuum?*

Nota 1. Multi cum S. Thoma affirmant, & in Ecclesia Latina servantur: ac proinde in praxi adhiberi debent, quantùm fieri potest; præsertim cùm constet ea requiri ex præcepto. Non pauci tamen contendunt ad valorem Sacramenti sufficere unicam in quacumque corporis parte; & Rituale Mechliniense à facultate Lovaniensi approbatum præscribit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficere inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Rituale verò Parisiense sic habet: *Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis dicatur: Per istam sacri olei Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* Sed utut sit, certum est id non licere extra necessitatem.

Porrò non est absolutè necessarium, ut utrumque organum ejusdem sensus specificè sumpti, v. gr. uterque oculus ungatur (quamvis ob receptam consuetudinem id fieri debeat:) quia Unctio dicitur applicata alicui sensui, puta visui, cùm facta fuerit in parte corporis, in quo sensus ille residet.

Pro praxi observa. 1. Ex præcepto saltem quinque corporis partes inungi debent, quæ sunt sensuum organa, nempe oculi, aures, nares, os, & manus, quibus secundùm usum communem & Rituale Romanum, adduntur pedes; licèt pedum unctio non sit essentialis; unde in quibusdam locis omittitur. *Renum verò unctio in mulieribus, honestatis gratia semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars prò renibus ungi non debet.* Ita Rituale Rom.

2. Si quis careat aliqua parte corporis ex iis, quæ inungi debent, *pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma*. Rituale Romanum. Ut si manibus careret, ungenda esset pars brachii proxima. Quòd si omnino careret sensu aliquo, puta visu, debet tamen inungi secundùm sensum illum, cum forma ei respondente; quia potuit appetere actus malos, qui per sensum illum perficiuntur.

3. *Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, sacerdos ungit; caveat ne altero ipsorum inungendo, sacramenti formam priùs absolvat, quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit.* Rit. Rom.

4. *Si dum inungitur infirmus decedat, Presbyter ulteriùs non procedat. Quod si dubitet an vivat adhuc, unctionem prosequatur sub conditione pronuntiando formam dicens: Si vivis, per istam sanctam unctionem, &c.* Rit. Rom.

5. *In pestiferis uti licebit virga oblonga, oleo uncta, quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur*, ait Manuale Camerac. (*b*)

Quæst. III. *Quis potest & debet ministrare hoc sacramentum?*

Resp. 1. Fide constat solum sacerdotem esse

(*a*) Capit. 17. *ait*. „ Formam hujus Sacramenti non „ esse certis verbis à Christo præscriptam, ac deprecativa uti Latinos, & Græcos; sed in controversia „ esse num sufficiat indicativa, & absoluta; quare „ cum nihil de ea definitum habeamus ab Ecclesia, „ non licere, concludit, in Synodo, vel Synodali „ instructione, ejusmodi quæstionem commemorare, „ sed dumtaxat injungendum esse parochis, ut formam adhibeant, in Rituali præscriptam, quæ certè „ sine gravi flagitio, non potest privata authoritate „ immutari.

(*b*) Quum de unctionibus, plura scitu digna, & necessaria habeantur, quæ in Authore nostro desunt, integrum Cap. 18. referimus: „ Sed quoniam in decreto Eugenii, pro instructione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem unctiones „ fieri jubentur, videlicet: *In oculis propter visum, „ in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in „ manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, „ in renibus propter delectationem ibidem vigentem:* „ earumque singulis respondere debeat forma, tunc „ à Ministro pronuntianda, hoc est: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam,*

Antoine Theol. Moral.

esse illius ministrum, ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4. Validè autem conferri potest à quolibet sacerdote. Quia in tali ministerio jurisdictio non est essentialis sacramento, nec illius principium; sed est solùm conditio necessaria, ut licitè fiat. At licitè ministratur à solo pastore proprio, vel alio de ejus licentia: nam administratio sacramenti est officium

---

,, *indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti*, cum inunguntur oculi *quidquid per auditum deliquisti*, cum inunguntur aures, & sic deinceps, quemadmodum fusè exponitur in Rituali Romano, hinc alia gravis suboritur controversia; utrum omnes prædictæ unctiones, & formæ prolationes sint de Sacramenti substantia, de qua controversia multa habentur in citata dissertatione *de suprema Unctione* Benedicti de Gaetania *cap.* 8.

,, 2. Ultro Doctores omnes fatentur cum Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 6. duas postremas unctiones, pedum scilicet, & renum, necessarias non esse, ad validam Sacramenti confectionem: tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias: tum quia illa renum, honestatis, & pudoris causa, semper omittitur in feminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo, quod adnotatur à Rituali Romano, atque à Cardinali Sanctorio *in suo Rituali pag.* 325. Haud difficulter quoque iidem admittunt, ceteras quinque sensuum unctiones, necessarias esse, necessitate præcepti, sed dissentiunt, & disputant, num etiam necessariæ sint, necessitate Sacramenti. Antiquiores Scholastici existimarunt, omnes pertinere ad substantiam, & integritatem Sacramenti, quod ex singulis, tamquam ex sui partibus essentialibus constitui, atque integrari, sunt opinati. Ita *in* 4. *dist.* 23. docuerunt S. Bonaventura, Ricardus, Paludanus, Sotus, quibus subscripsere Bellarminus *in Extrem. Unct. lib. unic. cap.* 10. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. *Secundo asserimus.* Gonetus *tom.* 5. *pag.* 466. aliique plurimi, præcipue ex Theologis moralibus: Citatur etiam pro hac sententia S. Thomas, sed Auctor Supplem. 3. *part. quæst.* 32. *art.* 6. exponens Angelici Præceptoris mentem, dubitanter loquitur, inquiens: *Illa unctio ab omnibus observatur, quia fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti*, & dubitanter quoque loquitur Suarez *cit. disput.* 40. *sect.* 3. *num.* 16. quamvis sequenti *disput.* 41. *sect.* 2. *in fin.* videatur in sententiam propendere, tunc temporis fere communiter à Scholasticis receptam.

,, 3. Alii ex adverso validum censent extremæ Unctionis sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata, mox referenda, forma universali, omnes sensus complectente: ita Silvius *in supplem. quæst.* 32. *art.* 6. *quæst.* 2. Nicolaus Serarius *tract. de Extrem. unct. cap.* 7. Becanus *in Summ. Theolog. de Sacram. in specie cap.* 28. *qu.* 7. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 15. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 5. *lib.* 2. *cap.* 5. *regul.* 6. Juvenin. *cit. dissert* 7. *qu.* 3. *cap.* 2. Tournely *cit. quæst.* 2. *art.* 1. *in fin.* Vautoy *in sua Theolog. moral. part.* 4. *tom.* 2. *de Sacram. tract. de Extrema Unct. quæst.* 3. Piette *quæst. Theolog. part.* 6. *quæst.* 3. *vers. Dico septimò*, aliique recentiores passim. Huic opinioni validissimum fundamentum præbet, diversa, in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis, sua ætate vig[illegible] esse affirmat Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 23. [illegible] 16. inquiens: *Diversarum Ecclesiarum, & D*[illegible]*, diversus est usus; quia in quibusdam Ecc*[illegible]*nguntur loca plura, in quibusdam pauciora.* A[illegible]dicendo ab Ecclesia Orientali, licet Gr[illegible] Arcudio *concord. lib.* 5. *cap.* 7. nunc [illegible] frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes: attamen ineunte sæculo ix. tres tantum unctiones, ab iisdem fieri consuevisse asserit Theodulphus Aurelianus Episcopus, *Capitular.* 2. *apud Baluzium tom.* 7. *miscellan.* in Ecclesia vero Occidentali, invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito à Menardo, præscriptas unctiones quinque sensuum; at in codice Abbatiæ Rotaldi, illis additas legimus, unctionem colli, pectoris, & scapularum; in veteri Pontificali Prudentii, Episcopi Tricassini, imperatam insuper reperimus *unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet*; antiquus codex Turonensis, unctionem fieri mandat *in genibus quoque, & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in loco, ubi plus dolor imminet*; quæ omnia videri possunt apud Morinum *in append. ad tract. de Pænit.* & Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 8. *num.* 8. Tanta autem in unctionum numero difformitas, non fuisset singularum Ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earumdem numerum Sacramenti validitas exposceret.

,, 4. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant: Siquidem Pastorale Mechliniense, cujus non levis est auctoritas, tum quia ab Academia Lovaniensi, anno 1588. approbatum, tum quia ab Octavio Frangipanio, Episcopo Tricariensi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio Apostolico, ad Diœcesis quoque Coloniensis usum protractum, hæc de Extrema-Unctione statuit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum*: In antiquo codice Remigii Remensi à Sambovio laudato, legitur ritus *abbreviatus* conferendi hujus Sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In Rituali Parisiensi, prolato à Tournely *cit. art.* 1. dicitur: *Si non possit super infirmum fieri, nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam sacri Olei unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus*, eamdemque praxim approbant Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque Ecclesiarum Manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.

,, 5. Sed quoniam neque de hac quæstione, quæ sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo, aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent, ægrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant formam universalem pronunciando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus. Quinimmo in prædicto eventu consultius esse, ut caput, è quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali, inungatur, non immerito advertit Coninch *de Sacram. disput.* 19. *dub.* 3. *num.* 2. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul serio eosdem admoneat, à gravis culpæ reatu non excusari, qui extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus prætermiserit.

cium pastoris, quod usurpare propria authoritate in materia gravi gravis culpa est; cùm id ei injuriosum sit, & repugnet recto regimini ac debito ordini. In casu tamen necessitatis, quo aliquis infirmus sine hoc sacramento moriturus esset: quilibet sacerdos potest & debet ex charitate illud ministrare: nam tunc Ecclesia hanc facultatem concedere censetur. Neque in Clement. 1. *de privileg.* ubi excommunicantur religiosi, qui sine licentia parochi illud sæcularibus conferunt, hic casus necessitatis comprehenditur; alioqui esset in destructionem. (*a*)

Resp. 2. Parochus, item superior regularium tenetur ex justitia sub mortali Extremam-unctionem administrare per se vel per alium subditis suis. Quia tenetur ex officio fidelibus suæ curæ commissis ordinaria media salutis à Christo instituta, & in communi usu Ecclesiæ posita subministrare. Idque etiam cum vitæ periculo, si subditus pœnitentiam non receperit, nec possit recipere; quia fieri potest ut Extrema-Unctio ei tunc ad salutem necessaria sit, si nimirum habeat tantùm attritionem cum imperfecto Dei amore. *Qui autem peste affectus non est confessus, nec potest confiteri, pastor teneatur illi Extremam-Unctionem, etiam cum periculo vitæ dare*, ait Synodus Namurcensis, ann. 1639. tit. 14. cap. 10.

Quæst. IV. *Quinam sunt effectus hujus sacramenti?*

Resp. Ex Jac. 5. & Conc. Trid. sess. 14. c. 2. multiplex est. Primus ac præcipuus est gratia sanctificans, ut connotans gratias actuales ad alleviandum seu confortandum animam contra morbi molestias, & tentationes diaboli.

Secundus est abstersio reliquiarum peccati; quæ sunt non solùm pœnæ peccatis debitæ: sed etiam anxietates, infirmitates, torpor seu languor ad bonum, angor, & timor, quæ ex peccatis commissis contrahuntur. Plus autem aut minus abstergit pro dispositione recipientis.

Tertius est peccatorum tum mortalium, tum venialium remissio. Nam si quæ supersint remittenda, remittit etiam quoad culpam: venialia quidem primariò & per se, mortalia verò secundariò & per accidens in certis casibus. *Prob.* 1. Ex Jac. 5. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* 2 Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Ubi delicta distinguuntur à reliquiis peccati, & supponuntur non semper adesse in infirmo. 3. Ex forma ipsa, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, quæ importat remissionem peccatorum, etiam quoad culpam.

Non tamen ideo Extrema-Unctio est sacramentum mortuorum, nisi secundariò, secundùm quid, & cum addito restringente ad certos casus, in quibus solis remittit mortalia, nempe quando vel peccata non fuerint remissa per sacramentum Pœnitentiæ propter occultum aliquem defectum; vel post confessionem commissa sunt, sed memoria exciderunt; vel homo propter privationem usus rationis & sensuum, factus est incapax confessionis, nec antea habuit contritionem perfectam, sed tantùm attritionem cum Dei amore imperfecto. Enimverò ex institutione Christi ad remissionem mortalium Pœnitentiæ sacramentum præmitti debet Extremæ-Unctioni, si possit; quòd si non possit, elicienda est contritio perfecta: Sed quia hæc difficilis est, & non rarò abest, utriusque defectum supplet Extrema-Unctio: modò adsit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet quanti sit momenti Extremam-Unctionem recipere, cum illius ope salvari possit, qui alioqui fuisset damnatus, ut docet S. Carolus, in instruct. de hoc sacramento.

4. Sani-

(*a*) In citato lib. VII. de Synodo cap. 19. plura de hujus Sacramenti Ministro tractantur, ac statuitur: Primò, administrationem solis esse commissam Sacerdotibus; atque unum sufficere, ex definitione Alexandri III. *in cap. Quæsivit, de verb. signif.* Secundò, quamquam unus sufficit, tamen plures olim in Ecclesia Latina adhibitos fuisse, constare ex pluribus antiquis Ritualibus, ac neminem ambigere, quia etiam nunc ratum sit, si à pluribus Sacerdotibus simul administraretur, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, ac quilibet congruentem unctioni formam pronunciet. Tertiò, etiam spectata hodiernæ Ecclesiæ disciplina, nedum licitum, sed valde laudabile esse, ut uni Sacramentum administranti, alii plures assistant Sacerdotes ob rationem, quam adducit S. Thomas *cap.* 75. *lib.* 4. *contra Gent.* ubi ait, *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, ut multi, Sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Quartò, refertur Græcorum consuetudo, qui septem efferunt Sacerdotes, ac si septem præsto non sint, tres, quæ quidem consuetudo ab Ecclesia non improbatur, dummodo Græci nobiscum credant sufficere unum Sacerdotem ad valide conferendum, ut videre est in ejusdem SS. D. N. Constitutione, quæ in vol. 1. Bullarii est num. 57. ubi habetur: *Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, & forma valide, & licite confici ab uno Presbytero. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.*

4. Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, confert. Conc. Trid. loco cit. quod etiam intellige secundùm divinam providentiam, secundùm quam non semper expedit turbari naturalem rerum ordinem, & causarum naturalium exigentiam frustrari. Quare hunc effectum impediunt qui hoc Sacramentum non percipiunt, nisi cùm morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeat.

Quæst. V. *Quænam ad recipiendum validè & cum fructu hoc sacramentum requiruntur?*

Resp. Sufficit in homine justo generalis illa voluntas recipiendi, qua unusquisque pœnitens, & bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem suam necessariis vel utilibus à Christo institutis, quamdiu scilicet non est retractata. Constat ex Rituali Rom. & praxi Ecclesiæ illud conferentis improviso aliquo morbo oppressis, & sensuum ac rationis usu destitutis. Hanc autem voluntatem habere omnes Christiani præsumuntur. Ut tamen omnium venialium remissionem obtineat, requiritur saltem depositio affectus ad illa. Sed quia nemo scit an sit in statu gratiæ, & multa peccata occulta ex ignorantia aut inadvertentia culpabili committuntur, elicienda est ab omnibus contritio quam potest perfectissima.

Adde quòd ab homine rationis compote recipi debet magna cum fide, fiducia, humilitate, conformitate cum voluntate divina, reverentia.

Homo verò sibi mortalis culpæ conscius, præter voluntatem recipiendi sacramentum saltem illam generalem & habitualem, præmittere debet confessionem, si potest; vel si non potest, contritionem perfectam. *In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam-Unctionem, Pœnitentia, & Eucharistia sacramenta infirmis præbeantur*, ait Rit. Rom. (a)

Quæst. VI. *Quibusnam potest & debet conferri Extrema-Unctio?*

Resp. Iis solis, qui versantur in mortis periculo orto ex aliqua corporis infirmitate. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis, &c.* Ex Concil. Florent. & Trident. sess. 14. cap. 3. Item iis solis, qui habuerunt aliquando usum rationis, ita ut dari non possit nec debeat infantibus, & perpetuò amentibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Quia in illis locum habere non potest forma hujus sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; cùm fuerint incapaces peccati personalis. Et quia cùm hoc sacramentum sit consummativum pœnitentiæ, supponit eum cui confertur, esse capacem pœnitentiæ, tentationum & peccatorum actualium: in remedium enim horum institutum est. Hinc Rituale Rom. ait *Debet hoc sacramentum infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate* (cum hæc sit gravis infirmitas)... *impœnitentibus vero, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitùs denegetur. Non ministretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.* At dari debet vulneratis lethaliter, aut iis qui potarunt venenum: nam hi habent intra se causam proximam mortis, & sunt infirmi revera, undecumque infirmitas orta sit.

Observa 2. Non est expectandum donec infir-

(a) Vide hac de re cap. 24. de Synodo &c. in quo de Ordine agitur, quo Extrema-Unctio infirmis sit administranda, & de reiteratione administrationis ejusdem Sacramenti. Et ad Ordinem, quod spectat, apud veteres, *inquit*, aliquando consuetudinem fuisse, ut post pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, Extrema prius Unctio, & deinde sacra communio exhiberetur, ut ex antiquis Ritualibus constat: postea tamen ex generali consuetudine, quæ, & hodie universim in latina, & occidentali Ecclesia viget, factum esse, ut prius sacra communio, postmodum vero Extremæ-Unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Addit vero, nonnulla Ritualia permittere, ut Extrema-Unctio ante Viaticum conferatur, si ægrotus, ex pio desiderio, se melius ad Eucharistiam præparandi, ita secum fieri expostulet: „ Sed quamquam hanc permis„ sionem, *inquit*, non improbemus ... nihilominus „ in locis, in quibus hic mos obsolevit, vigetque di„ sciplina à Concilii Tridentini Catechismo præscri„ pta, non facile permitteremus ab hac recedi solum „ ad indulgendum privatæ, & peculiari infirmi devo„ tioni, sed potius Parochis injungeremus, ut extre„ mam Unctionem petentibus, ante Viaticum, suade„ rent, tutius, & utilius fore, Ecclesiæ Romanæ ri„ tui, ac usui, à majori parte Ecclesiæ Catholicæ „ jam recepto, se accommodare.

Quod spectat ad reiterationem, decernit, pluries in diversis infirmitatibus ab eodem, rite suscipi, ac administrari debere; in eadem vero infirmitate, non esse reiterandum, nisi forte infirmitate remissa, iterum deinceps ingravescat, ac novum vitæ periculum accedat: imo Parochos monet, ne nimium scrupulose in hoc se gerant; sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus, seu nunc idem, vel diversum sit vitæ periculum, in quo ægrotus versetur, ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, & per eam novum spirituale subsidium, & levamen infirmo obveniat.

infirmus sit morti proximus: sed dari debet Extrema-unctio dum adhuc ratione utitur, ut majore cum reverentia & utilitate recipiatur: unde Catechism. Roman. dicit, parochos peccare mortaliter, dum eam differunt, donec infirmus privetur usu sensuum & rationis, quamvis supposita dilatione teneantur dare infirmis usu rationis destitutis.

2. Debet dari infirmis petere non valentibus ob privationem usus sensuum vel rationis. Quia sufficit habitualis voluntas generalis recipiendi media salutis à Christo instituta, quam habent christiani, dum alia sacramenta suscipiunt, vel actus amoris aut spei eliciunt. Nam talis voluntas est voluntas implicita recipiendi hoc sacramentum: & tunc præsumendi sunt contriti, vel saltem attriti, nisi oppositum constet.

3. Extrema-unctio, cum non imprimat characterem, iterari potest & debet in diversis morbis periculosis, non tamen in eodem nisi infirmus convaluerit, & postea in novum periculum mortis relabatur. Concil. Trid. cap. cit. & Rituale Romanum. (a)

Quæst. VII. *An est obligatio recipiendi hoc Sacramentum?*

Resp. Constat esse grave peccatum, si omittatur cum scandalo aliorum, vel ex contemptu. *Nec verò tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.* Conc. Trid. sess. 14. c. 3. Sed controversia est de præcepto, præsertim divino, illud recipiendi. Hoc multi negant; at non pauci cum Toleto affirmant, & probant. 1. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.* Quæ vox videtur præceptum sonare, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ex iis verbis infert, hanc unctionem mandatum Dei & promissionem gratiæ habere. 2. Ex Conc. Cabilon. II. c. 48. *Secundùm beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi, oleo, quod ab Episcopis benedicitur à presbyteris ungi debent.* Vox *debent* non exprimit merum consilium. Et ex Concil. Coloniens. anno 1536. *est autem Unctio impendenda cum expositione mandati apostolici*, 3. Ex praxi Ecclesiæ, quæ summa sollicitudine semper curavit & curat ut ab omnibus infirmis suscipiatur. Item ex fidelium consuetudine & sensu: nam magnum scandalum paterentur, si viderent aliquem hoc sacramentum recusare; quod certè non fieret, si nullam obligationem illius recipiendi agnoscerent. 4. Quia est contra curam debitam salutis propriæ omittere sine justa causa medium per se certum & ordinarium, & *præsidium firmissimum* (ut ait Conc. Trid.) à Christo institutum ad roborandum contra diaboli tentationes, quæ graviores sunt sub finem vitæ, ut idem docet, & ad liberandam animam æternæ damnationis periculo, in quo tunc maximè versatur.

TRACTATUS DE ORDINE.

ORdo sumitur dupliciter. 1. Pro speciali quadam potestate stabili exercendi aliquod officium relatè ad conficiendam Eucharistiam, certo ritu sacro solemni collata. Et hoc sensu est quid permanens. 2. Pro ipsa Ordinatione seu ritu sacro, quo potestas illa confertur. Et hoc sensu est quid transiens, & sacramentum; definiturque sacramentum novæ legis, quo stabiliter confertur potestas ad consecrandam Eucharistiam, & ad alia Ecclesiastica ministeria, ad eam aliquo modo spectantia, ritè obeunda.

Quæst. I. *Quot sunt Ordines?*

Resp. Septem, scilicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus. Ex Conc. Florent. & Trid. sess. 23. cap. 2. Tres priores dicuntur majores & sacri, tum ob votum solemne castitatis annexum, tum quia propius pertinent ad Eucharistiam. Primus Ordo seu Sacerdotium subdividitur in duos

Or-

(a) De subjecto Extremæ Unctionis tria capita habentur in cit. lib. VII. de Synodo; in primo, quod ordine est 20. statuitur, solos infirmos esse hujus Sacramenti capaces. „ Quod quidem licet clarè, & ex„ pressè non sit à Conciliis definitum, ex eorumdem „ tamen definitionibus legitimè infertur: quoniam, „ Eugenius IV. definiens, *nisi infirmis de quorum mor„ te timetur, dari non debere*, sanos profectò exclu„ sit ... Et idem, quod Eugenius, sibi voluit Tri„ dentinum cum dixit, esse hanc Unctionem, infirmis „ addendam. " Quamobrem, jure atque meritò gravis erroris insimulari, concludit, Græcos, si sanos sacro ungendos oleo, hujusmodi Sacramentum conficere contendunt, ac monet Episcopos, ut severè interdicant, ne Græci, si qui sint in eorum diœcesibus, eam Unctionem loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentibus injungant, quod Constit. 57. §. 5. vetitum sit, hujusmodi verbis: *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios pro satisfactione pœnitentiæ Unctio aliqua solummodo injungatur, sed firmis vere, juxta verbum Jacobi Apostoli, Unctio exhibeatur Extrema.* In duobus sequentibus capitibus confirmat, & fusius probat, quæ sunt à nostro [illegible] explicata; monet vero Episcopos, ut ex nonnullorum rudium hominum mente errorem evellere studeant, quo credunt, actum esse de vita illius, qui est [illegible] Oleo inunctus, ac solum ei superesse sepulchrum; quod inter cæteros, quos sacra Unctio producit effectus, conferat etiam corporis valetudinem, si hæc conferat ad animæ salutem.

Ordines tamquam in duas species, nempe in Sacerdotium majus, seu Episcopatum, & Sacerdotium minus, seu Presbyteratum.

Prima Tonsura non est strictè Ordo, sed prima dispositio ad Ordines; nam per eam non traditur potestas ad ullum ministerium pertinens ad Missæ sacrificium; sed solùm confertur aliqua dignitas, qua homo constituitur in statu clericali, fitque capax recipiendi beneficia Ecclesiastica, & Ordines. Unde cum cap. 11. *de ætat. præfic.* dicitur per eam conferri Ordinem clericalem, Ordo ibi sumitur latè pro statu clericali, seu nota per quam quis ex statu laicorum evehitur ad statum clericalem.

Quæst. II. *Suntne singuli Ordines Sacramentum?*

Resp. Est de fide quòd Ordo generatim sumptus, sive Ordinatio aliqua, sit verè & propriè Sacramentum. Ex Concil. Trident. sess. 23. can. 3. Secundùm omnes catholicos Presbyteratus est verum Sacramentum. Idem non sentiunt plerique de Episcopatu ut distincto à Presbyteratu. Certum etiam multis videtur Diaconatum esse verum Sacramentum. Idem multi, paucis exceptis, docent de Subdiaconatu. Sed non pauci id negant de Minoribus. (*a*)

Quæst. III. *Quænam est materia & forma Ordinum?*

Resp. Certum est illorum formam esse verba prolata ab Episcopo illorum ministro, dum materiam essentialem applicat. Sed Theologi dissentiunt circa essentiam materiæ Presbyteratus, & Diaconatus. In praxi diligenter observanda sunt ea omnia, quæ in Pontificali Romano præscribuntur: tum quia id tutius est ad valorem; tum quia ritus integer necessarius est saltem ex præcepto. Hinc si quid fortè omissum fuerit, illud cautè supplendum ex cap. 1. & ult. *de sacram. non iterandis*. (*b*)

Quæst. IV. *An ad validam ordinationem requiritur contactus physicus instrumentorum?*

Resp. Quamvis multi putent sufficere contactum moralem patenæ, quo quis calicem tangens censetur, & patenam superpositam tangere; tamen quia hoc non est omnino certum, in praxi curandum est ut semper immediatè ac physicè tangantur & calix, & patena cum hostia. Idem dic de aliis: nam circa Sacramentorum valorem tenemur sequi in praxi partem tutiorem, relicta incerta licèt probabiliore.

Quæst. V. *Quisnam est Minister Ordinis?*

Resp. Solus Episcopus est minister ordinarius omnium Ordinum ex Concil. Florent. & Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Ex commissione tamen Papæ simplex sacerdos conferre potest. 1. Tonsuram & minores Ordines, ex Concil. Trident. cap. 10. Id apertè supponente, & ex praxi recepta. Nam Cardinales in propriis Ecclesiis, & Abbates eos de facto conferunt. 2. Subdiaconatum, ut fatentur omnes, & de facto hoc privilegium Abbatibus pluribus concessum est. De Diaconatu negant multi.

Episcopatum verò & Sacerdotium numquam conferri nisi ab Episcopo, constat ex Traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, in qua numquam ab alio collata sunt.

Quæst. VI. *Quosnam Episcopus potest licitè ordinare?*

Resp. Solos suos subditos, vel habentes dimissorias, vel speciale ad id privilegium, ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. ubi ordinans subditum alienum sine concessu & testimonio proprii Ordinarii de probitate & moribus ordinandi, suspenditur ad annum à collatione Ordinum: ordinatus verò ab executione Ordinis suscepti, quamdiu videbitur proprio Ordinario. Item non licet Episcopo ordinare etiam suos in Diœcesi alterius sine hujus consensu.

Porrò ex triplici capite quis censetur subditus alicujus Episcopi, ut possit ab eo ordinari. 1. Ratione originis, quia nempe in ejus diœcesi natus est: *Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm & naturalis patris origo erit attendenda.* Ita Innocentius XII. constit. *Speculatores*. 2. Ratione domicilii, quia in ejus diœcesi habitat animo ibi perpetuò manendi. 3. Ratione beneficii, quod in ejus diœcesi possidet, ex cap. 3. *de tempor. ordin.* in 6. In Gallia tamen haberi solet ratio solius originis.

Nota.

(*a*) Vide cap. 24. de Synodo Diœcesana, in quo fusim hæc controversia tractatur, & monentur Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui cum conscientia peccati lethalis, Ordines, Diaconatu inferiores suscipere non reformidant, ne tali pacto, controversiam ignorare aut illam videantur decidere.

(*b*) Eodem lib. VII. cap. 25. plura hac de re explicantur, & *num.* 1. 12. & 13. legitur Sacr. Congregationem Concilii aliquando respondisse, iterandam sub conditione Ordinationem Presbyteri, in qua ordinandus non accessit ad porrectionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hostia.

Nota. Omnis & solus mas baptizatus potest validè ordinari, non tamen invitus. (*a*)

Quæst. VII. *An servanda sunt interstitia?*

Resp. Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 11. statuit, ut Minores Ordines per temporum interstitia conferantur, *nisi aliud Episcopo expedire magis videretur*. Inter ultimum autem Ordinem minorem usque ad sacros Ordines annus interjiciatur: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat*, ibid. A Subdiaconatu ad Diaconatum, & ab hoc ad sacerdotium similiter annus interjici debet, ex cap. 13. & 14. Circa quæ interstitia Episcopus dispensare potest ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Sed non potest sine dispensatione Papæ duos Majores Ordines una die conferre, ex cap. 13. cit. & cap. *Litteras* de tempor. Ordin.

Porrò Minores Ordines conferri possunt Dominicis & aliis festivis diebus. Sacri verò solùm Quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato de Passione, cap. 3. *de tempor. Ordin.* Tonsura autem clericalis quocumque die & hora. (*b*)

Quæst. VIII. *Quænam requiruntur, ut quis licitè ordinetur?*

Resp. Sequentia 1. Confirmatio, & Tonsura, quæ ex Conc. Trid. sess. 23. c. 4. non debet conferri nisi iis, qui fidei rudimenta callent, & sciunt legere ac scribere, & de quibus probabilis conjectura sit, eos clericatum elegisse ut Deo fidelem cultum præstent.

2. Certa ætas. Pro Minoribus nulla à jure definitur; sed Concil. Trident. statuit solùm ut non conferantur, nisi iis qui saltem linguam latinam colleant, cap. 11. Pro Subdiaconatu requiruntur anni 22. pro Diaconatu 23. Pro Presbyteratu 25. ex Conc. Trid. cap. 12. sufficit ex usu recepto, ut hi anni sint inchoati. Pro Episcopatu requiruntur anni 30. completi, cap. 7. *de elect.* In Gallia sufficit annus 27. inchoatus, ex Concordat.

3. Immunitas ab omni censura & irregularitate.

4. Status gratiæ, morum probitas, bona fama, vocatio divina, intentio gloriæ Dei promovendæ, serviendo Ecclesiæ.

5. Certa scientia. Concil. Trident. requirit, ut suscepturi Subdiaconatum & Diaconatum sint literis, & eis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, ut suscepturi Sacerdotium possint populum docere necessaria ad salutem, & sciant necessaria ad sacramenta ritè administranda, sess. 23. cap. 13. & 14. Item ex Patribus & Conciliis debent Scripturas sacras & Canones ediscere & scire.

6. Sæcularis non potest licitè ordinari, nisi titulum substentationis habeat ex beneficio, vel patrimonio, vel pensione sufficienti ad victum honestum; ita ut si quis fingat titulum, aut pactum ineat de restituendo, vel non exigendo eo quod datur illi in titulum, peccet mortaliter, & suspensus sit, ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. ubi antiquorum canonum pœnas super his innovat; & ex Urbano VIII. Constit. *Secretis*. Idque teste Fagnano declaravit S. Congr. Cardinalium. Nec obstat cap. *Cùm secundùm* de præbend. Nam ibi agitur solùm de iis, qui nullo requisito titulo ordinati sunt, non autem de eis qui titulum finxerunt, quibus fraus patrocinari non debet. Nec ordinato licet sine licentia Episcopi resignare, aut alienare titulum ad quem promotus est, nisi aliunde habeat unde commodè vivat, ex Concil. Trident. cap. 2. cit. Quod si quem Episcopus absque titulo ordinaret, teneretur ei necessaria ad sustentationem suppeditare, cap. 4. & 16. *de præbend.*

Nota. Qui ordinatur per saltum, hoc est qui suscepit Ordinem superiorem inferiore priùs non recepto, peccat mortaliter, & manet suspensus ab usu Ordinis sic suscepti, cap. un. *de clerico per saltum promoto*. Si tamen non ministraverit, potest Episcopus ex legitima causa cum eo dispensare, Concil. Trident. sess. 23. cap. 14.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

CAPUT PRIMUM.

De sponsalibus, quæ sunt præparatio ad illud.

Quæst. I. Quid sunt sponsalia?

Resp. Sponsalia sunt promissio mutua & legitima Matrimonii, *l.* 1. §. *de sponsal.*

Quæst. II.

(*a*) Ex cap. 26. ejusdem libri Episcopus, Ordines collaturus, laudabiliter sub censuris præcipit, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio ad Sacros Ordines accedat. Sed improbatur Episcopi protestatio, se non habendi intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, aut beneficio &c. carentes, *num.* 1. Si quis aliquo ex iis impedimentis detentus, ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit Episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus; si dubia sit Episcopi intentio, Ordinatio sub conditione erit iteranda.

(*b*) Lib. VII. cap. 63. num. 5. refert, Sacram Congregationem Concilii respondisse, Ordines minores, & Subdiaconatum eodem die non esse conferendo.

Quæst. II. *Quænam requiruntur ut sponsalia sint valida?*

Resp. Sequentia. Verus consensus datus cum animo se obligandi, & per verba vel alia signa externa declaratus, & acceptatus. Nam hæc ad veram promissionem obligantem requiruntur.

2. Deliberatio sufficiens ad mortale: nam Sponsalia obligant sub mortali ad contrahendum Matrimonium.

3. Mutua promissio, ut constat ex definitione: Quia hic contractus est onerosus, & una pars non censetur velle se obligare, nisi altera vicissim repromittat: unde promissio unius includit hanc conditionem, *Si tu repromiseris*; & ideo dicuntur sponsalia, & *l.* 1. §. *de sponsal.* repromissio, hoc est reciproca promissio. Hinc si Titius Matrimonium promittat Bertæ, & hæc promissionem acceptet, sed non repromittat, non sunt Sponsalia.

4. Habilitas utriusque ad contrahendum Matrimonium validè & licitè: nam promissio de re impossibili, vel illicita, nulla est. Hinc habentis votum simplex castitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordinis sacri, invalida sunt sponsalia, licèt jurata, cap. 6. *Qui clerici &c.* Idem dic de sponsalibus personæ catholicæ cum hæretica sine dispensatione factis: nam sunt promissio rei illicitæ.

5. Jure canonico septennium completum, cap. 4. & 5. *de desponsat. impuber.* Tamen juxta multos valent si malitia suppleat ætatem, id est, si ante septennium apertè constet, sponsos habere sufficientem usum rationis ad talem contractum. Controvertitur an inita ex metu gravi injustè incusso à parte contrahente valeant. Sed constat ea posse à metum passo rescindi: quia habet jus ut restituatur in priorem suam libertatem.

Sed quid si Sponsalia contracta sint ab impeditis; v. gr. consanguineis, sub conditione, si Papa dispenset?

Resp. Non valent, si sciverint Papam non solere dispensare in tali impedimento: quia tunc conditio censetur impossibilis: Quòd si dispensare soleat, sed absit justa causa dispensationis, debere dissolvi; cùm tunc illicitum sit dispensationem petere & dare. Si verò Papa soleat in tali casu dispensare, & adsit justa causa, juxta multos valent sponsalia, & posita dispensatione fiunt absoluta: quia sunt sub conditione possibili, honesta & relata ad tempus quo personæ erunt habiles.

Nota. Sponsalia filiorumfamilias inconsultis parentibus contracta, sunt illicita, utpote contra præceptum honorandi parentes. Imò servari non debent, si inde grave scandalum timeatur. Idem dicunt aliqui, si parentes justa de causa contradicant, cùm Matrimonia invitis rationabiliter parentibus sint illicita; secùs, si postea consentiant.

Quæst. III. *Quomodo contrahuntur sponsalia?*

Resp. Multipliciter. 1. Expressè, dicendo, *Accipiam te in conjugem. Promitto tibi Matrimonium:* vel tacitè, ut si parentes promittant pro liberis præsentibus, nec contradicentibus post pubertatem, cap. unico *de desponsat. impub. in 6.* Nam hæc liberorum taciturnitas censetur tacitus consensus. 2. Inter præsentes, vel inter absentes per procuratorem, aut litteras, &c. 3. Absolutè, vel conditionatè. Sed conditionatè contracta non pariunt obligationem, nec impedimentum, nisi conditione impleta, cujus eventum expectare tenentur promittentes, ex cap. uni. *de sponsal. in 6.* at hac posita fiunt absoluta. 4. Publicè, vel clandestinè: nam ad illa jure communi non requiritur præsentia parochi & testium, ut teste Fagnano declaravit Sacr. Congregatio Cardin. quia Conc. Trid. nihil statuit, nec immutavit circa sponsalia, quæ ante illud clandestinè contracta valebant, cùm ante illud ipsa Matrimonia clandestina essent valida, ideoque & sponsalia, quæ sunt quid accessorium & præparatio ad Matrimonium. A jure autem veteri non est discedendum, nisi per novum exprimatur, ex l. 32. cod. *de appellat.* Jure tamen particulari multarum diœcescon, præsertim Galliæ & Belgii, sponsalia celebrari debent coram parocho & testibus. In quibus diœcesibus, si coram parocho non fuerint contracta, sunt nihilominus rata & obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honestatis, juxta Rituale Cameracense & Synod. Mechliniensem, cùm à Conc. Trident. sint relicta intacta, atque relicta in terminis & dispositione juris communis.

Quæst. IV. *Quos effectus habent Sponsalia?*

Resp. Tres 1. Est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito; aut si nullum tempus per sponsos vel per consuetudinem constitutum sit, parte una opportunè id exigente, nisi altera justam habeat causam differendi. Nam omnis contractus onerosus obligat ex justitia, ideoque sub mortali in re gravi. *Hi qui de Matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent*, ait Innocentius III. cap. 2. *de sponsal.* Hinc

qui

qui culpabiliter resilit à sponsalibus, perdit suas arrhas, & tenetur reddere alteri parti suas, imò & ei restituere impensas factas, & damna, seu quanti ejus intererat talem contractum impleri: quia in hoc injuriam fecit.

2. Est jus inchoatum ad rem in corpora mutua, quo fit ut quamvis usus sit sponsis illicitus, tamen si sponsus fornicetur cum alia, vel sponsa cum alio, peccet contra castitatem simul & justitiam. Nam abusus rei ex justitia alteri debitæ est contra justitiam. Ergo cum corpus sponsorum sit ipsis sponsis ex justitia debitum licèt nondum traditum, abusus ejus alteri concessus est contra justitiam. Quæ injustitia, utpote in re gravi, mortalis est, ideòque explicanda in confessione. Sed in sponsa longe gravior est, cùm ipsa per fornicationem longè vilior, ac deterior fiat.

3. Est impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

Quæst. V. *Quibus ex causis dissolvuntur Sponsalia?*

Resp. Dissolvuntur, 1. Mutuo sponsi & sponsæ consensu, cap. 2. *de sponsal.* sicut alii contractus. Nam singuli possunt cedere juri suo; & *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, cap. 1. *de reg. jur.* idque etsi fuerint juramento firmata: quia in omni juramento promissorio subintelligitur conditio: *Nisi promissarius remittat*. Modò tamen ambo sint puberes; nam impuberes ante pubertatem resilire non possunt, cap. 7. *de sponsal. impuber.* Quod statutum est ne ob inconstantiam ac levitatem sæpius nova contrahant sponsalia, & rursus dissolvant. Sed impubes, cùm pervenerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere; nisi intervenerit copula, cap. 8. eod. tit. vel nisi fuerint jurata, cap. 10. *de sponsal.*

2. Per Matrimonium validè contractum cum alia persona, quamvis fuerint jurata, ex cap. 22. & 31. *de sponsal.* Quia res tradita per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi priori promissario. Sed pars, quæ sic contraxit, altera rationabiliter invita, peccat mortaliter violando contra justitiam fidem datam: unde, in cit. cap. dicitur quòd ei est de violatione fidei pœnitentia injungenda. Nec secundum multos sponsalia postea reviviscunt, cùm per illud Matrimonium extincta sint. Obligatio autem semel extincta non reviviscit, ex lib. 98. *de solut.* Non tamen dissolvuntur per secunda sponsalia etiam jurata: quia hæc nulla sunt, cùm sint promissio de re illicita præstanda.

3. Per superveniens impedimentum matrimonii dirimens, v. gr. affinitatem inter sponsos contractam, ex unius fornicatione cum persona consanguinea alterius in primo & secundo gradu, cap. 2. *de eo qui cognovit, &c.* Nam tunc res promissa fit illicita, & jure impossibilis.

4. Per discessum unius in regionem longinquam sine consensu alterius, cap. 5. *de sponf.* nam censetur juri suo cedere.

5. Secundùm multos, per notabilem moram culpabilem sponsi vel sponsæ in contrahendo Matrimonio intra tempus constitutum. Quia qui est in tali mora, censetur alteri obligationem remittere; quamvis ipse ex parte sua adhuc teneatur, si alter velit Matrimonium inire: nam culpa non liberat eum ab obligatione contracta: aliàs commodum ex culpa reportaret.

6. Per fornicationem sponsi, vel sponsæ cum tertia persona post sponsalia etsi jurata, cap. 25. *de jurejur.* Quia in sponsalibus intelligitur hæc conditio, *Nisi contra legem sponsalium fecerit*. Et quia fornicans frangit fidem, & suspectus alteri redditur de fide in futurum servanda. Præterea tunc est notabilis mutatio. Item dicunt multi si sponsa permiserit se ab alio impudicè tangi: quia per hoc fit notabiliter vilior, & ingerit metum ne fidem marito non servet. Quod etiam extenditur ad sponsum, si exercuerit actus turpes circa aliam valde frequentes. Sola tamen pars innocens libera est, nec privatur jure suo ob alterius culpam. Sponsus verò, qui cognito suo jure resiliendi cognovit carnaliter sponsam, tenetur illam ducere: nam per hoc censetur suo juri renuntiasse; & sponsalia renovasse.

7. Per professionem unius in religione approbata, aut per susceptionem Ordinis sacri: nam utraque Matrimoni incapacitatem parit. Tamen secundùm multos non licet sponso sacros Ordines suscipere, quia frangeret fidem alteri datam in materia gravi justitiæ. At licet ingredi religionem: quia vel ex natura rei, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ hæc conditio in sponsalibus includitur, *Nisi voluero ingredi religionem*. Cùm autem una pars ingreditur religionem, altera juxta multos potest ante ejus professionem resilire: quia ingrediens religionem hoc ipso censetur renuntiare sponsalibus, vel saltem dare alteri causam justam resiliendi, ob incommodum quod pati deberet, expectando per annum ut ei nubat. Sed si egrediatur, tenetur Matrimonium contrahere cum parte id exigente: nam quamvis jura ingressum religionis

nis sponsis permittant, nusquam tamen eos liberant simpliciter ab obligatione sponsalium, & quamvis ingrediens cedat juri suo, manens in sæculo non cedit. Imò ex communi sententia votum religionis post sponsalia etiam jurata factum obligat ad ingressum religionis, & sic ipsa sponsalia dissolvit, quia directè tendit ad altiorem perfectionis statum, quem impedire non debent sponsalia de futuro. Enimvero Matrimonium nondum consummatum non impedit vim & obligationem hujus voti etsi post illud emissi.

8. Ob quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem sponsalibus, quæ si priùs extitisset, à sponsalibus meritò absterruisset, & ob quam consensus datus non censeatur secundùm prudens judicium extendi ad talem casum, ut si superveniat notabilis deformitas, aut infirmitas, morbus contagiosus, mutilatio, ex cap. 25. *de jurejur.* item infamia, graves inimicitiæ inter utramque familiam vel inter ipsos sponsos ortæ, paupertas, sponsæ corruptio etsi per vim, defectus dotis promissæ, magna mutatio morum in pejus; hæresis ob periculum subversionis in se vel in prole, &c. Quia hæc est intentio virtualis spondentium, qui non censentur voluisse se obligare ad standum promissis in his casibus, & superveniente notabili mutatione, qua prævisa judicio prudentum promissio non esset facta. Promissio autem non obligat ultra intentionem promittentis, nisi ratione deceptionis aut alterius injustitiæ.

Porrò diversa est ratio in sponsalibus ac in aliis contractibus. Nam ipsa majorem libertatem postulant, cùm ad mutuum amorem, & ad contrahendum vinculum indissolubile Matrimonii ordinentur. Idque etiam si jurata essent: quia juramentum intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus, & includit omnes conditiones contractus cui adjicitur.

Idem dic, si quid istorum vel simile antea latens detegatur post sponsalia: ut si quæ putabatur legitima, vel nobilis, vel dives, vel virgo, talis non sit, ex l. 5. cod. *de sponsal.* ubi resiliens ex sponsalibus ob causam præcedentem ignoratam, non amittit suas arrhas, quas amitteret si injustè resiliret. Ratio est, quia respectu ignorantis res sunt notabiliter mutatæ spectata priore ejus voluntate, cùm denuò inveniat defectum notabilem priùs ignoratum: & in jure res cùm primùm innotescit, idem præstat ac si tum fieret, ex cap. 4. *de except.* Secùs esset, si aliquid istorum ante sponsalia non latuerit, cum eo non obstante sciens ac volens promiserit, excepta hæresi. Non possunt tamen dissolvi sponsalia ob hæreditatem alterutri obvenientem: quia alter per hoc non est factus deterioris conditionis.

9. Si ex Matrimonio mali exitus timeantur ex cap. 17. *de sponsal.* vel grave scandalum, perturbatio, &c. Nam tunc executio est illicita. Nec fuit intentio spondentium se in tali casu obligare.

Porrò pœna in sponsalibus primo resilienti apposita non obligat justè resilientem: quia pœna justa supponit culpam, & innocenti injustè infligeretur. At obligat in conscientia injustè resilientem, quia infert injuriam, propter quam debet ex pacto pœnam promissam subire.

Sed an sponsalia dissolvuntur per subsequens votum simplex perpetuæ castitatis in sæculo servandæ?

Resp. Alii asserunt, quia putant sponsalia fieri sub hac tacita conditione. *Nisi me Deus ad sanctioris vitæ rationem vocaverit.* Alii cum S. Antonino negant, tum quia id neque ex natura rei, neque ullo jure probari potest; nec fiunt sub conditione prædicta, sed solùm nisi status religiosus eligatur. Nam nullo jure nec traditione ostenditur inesse sponsalibus hanc tacitam conditionem: tum quia ex cap. 5. *Qui clerici, &c.* feminæ, quæ Matrimonium promisit, pœnitentia imponitur de fide mentita, quamvis post sponsalia votum castitatis emiserit: tum quia Deus non acceptat promissionem rei priùs promissæ & debitæ alteri, tanquam factam in damnum & contra jus illius. Sic obligatio dandi domum promissam Petro diviti, non solvitur per votum dandi illam hospitali. Igitur, inquiunt, qui post sponsalia vovit castitatem, nec potest ab altera parte obtinere remissionem sponsalium, tenetur Matrimonium inire, & debitum petenti reddere; sed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus quæ injuriosa non sunt: unde sponsalibus, vel Matrimonio dissolutis tenetur servare continentiam.

Porrò ex communi sententia votum simplex castitatis vel religionis sponsalia præcedens, facit illa irrita, ex cap. 6. *Qui cleric. vel voventes.* Quia tunc sunt promissio rei illicitæ faciendæ, nempe ineundi Matrimonium, & executio est peccatum.

Nota. Ad dissolvenda sponsalia requiritur authoritas judicis ecclesiastici in his casibus. 1. Si moraliter non constet de sufficientia vel veritate causæ dissolvendi: aliàs enim dis-

dissolvens se committeret probabili injustitiæ periculo; imò est injustitia, in dubio privare alterum jure per illa acquisito. 2. Si sponsalia sint publica, causa autem dissolvendi occulta, ex cap. 7. *de sponsal.* nam debitus ordo, & evitatio scandali id exigunt. (a)

CA-

(a) Huic loco addendam censuimus necessariam doctrinam, quæ in lib. VII. cap. 29. cit. tract. de Synodo explicatur, qua ratione se gerere debeant Parochi, cum iis, qui doctrinam Christianam ignorant, & matrimonium contrahere contendunt. „ in Synodo Bononiensi, habita anno 1534. dicitur, non posse viros, & feminas à Matrimoniis contrahendis, hoc nomine prohiberi, quod doctrinam Christianam ignorent, quamvis deceat, ut Parochus ejusmodi prohibitionem illis comminetur, quo facilius eosdem inducat ad Fidei rudimenta addiscenda. Idem sentit Romaguera, in notis ad Constitutiones Synodales Gerundenses *lib. 4. tit. 1. cap. 2.* ubi cum in hanc offenderit Synodalem sanctionem: *Renovantes Constitutionem, in ultima Synodo editam, circa doctrinam Christianam, statuimus, & ordinamus quod de cætero ad sponsalia, per verba de præsenti, non admittantur, qui doctrinam Christianam nescierint, & confirmati non fuerint*, loco eam illustrandi, uti alias solet, tacite impugnat, docens, fas non esse Episcopo, quemquam à Matrimonio arcere, hanc solam ob causam, quod doctrinam Christianam ignoret; sed dumtaxat posse blandis verbis, atque adhortationibus, eum inducere, ad Matrimonium differendum, donec Christianis imbuatur institutis; nec dissimilia sunt, quæ in hanc rem adduxit Marcellus Severoli *in suo voto, impresso part. 14. Rec. decis. 535. num. 52. & 53.*

„ 2. Fulcitur hæc opinio quorumdam Theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint, in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta, Matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse, ob illam solam, à Matrimonio celebrando cohiberi; ita docuit Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 15. num. 9.* inquiens: *Nescio tamen, qua ratione possit* (Episcopus) *ob hanc ignorantiam arcere aliquos à Matrimonio contrahendo, cum ipsius non sit impedimenta Matrimonii statuere, nec hoc impedimentum ab Ecclesia statutum sit*, & sequitur Diana *in edit. coord. tract. 6 tom. 2. resol. 95.*

„ 3. Verum huic doctrinæ, & Rituale Romanum, & S. Carolus Borromæus, & quamplurimæ Episcopalia Synodi, ac Summorum Pontificum edicta adversantur, etenim Rituale Romanum *tit. de Matrim.* de iis loquens, qui matrimonio sunt jungendi, ait: *Uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant*. S. Carolus *in Concilio Provinciali Mediolanensi V. part. 5.* (*Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 286.*) hæc statuit: *Parochus quos Sponsos, experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne Matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognovit didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet*. Quæ verba advertens Franciscus Amatus Pouget *instit. Catholic. tom. 2.* (*part. 3. sect. 1. cap. 8. §. 5. num. 6.*) inquit: *Non accedendum primi ad connubii legem, quam teneantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio, & conjugatorum officia probe noscantur*: In Archiepiscopali Bononiensi Cardinalis Gabrielis Palæoti *part. 3. pag. 257.* cavetur, ne Parochus ad tertiam deveniat Matrimonii denuntiationem, nisi certo noverit, Sponsos principalia Fidei nostræ mysteria didicisse, & saltem *Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, & Præcepta Decalogi memoriæ mandasse*. Idem edixere innumeræ Synodi, collectæ à Genetto *Theolog. moral. tom. 5. tract. 9. cap. 2. quæst. 17.* quibus addimus Synodum Farfensem, habitam anno 1685. à Cardinali Barberino: Cesenatensem, habitam anno 1691. à Cardinali Denoff: Neapolitanam, habitam anno 1694. à Cardinali Cantelmo: Ariminensem, habitam anno 1724. à Cardinali de Via: Neapolitanam, habitam anno 1726. à Cardinali Pignatello, Sabinensem habitam anno 1736. à Cardinali Albano, omnes *ad titulum de Matrimonio*: ac demum in Congregatione, habita coram san. mem. Innocent. XII. anno 1697. decretum est, non esse à Parochis Matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea Sponsos repererint in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit à fel. rec. Clemente XI. *in suo Bullario pag. 326.* Idem edixit Cardinalis de Rohan. *in suo Rituali Argentinensi, ad tit. de Matrimonio pag. 254.* ubi Parochos diligenter investigare jussit, an *Matrimonio jungendi teneant rudimenta Fidei*. Ac denique Nos ipsi in nostra encyclica epistola, ad universos Episcopos (quæ est 42. *in nostro Bullario* §. 11.) hæc scripsimus: *Verum, cum Matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit, marem, seu fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tanta, ac tam lutulosa ignorantiæ locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, & huic si desint, negligentiæ repetant pœnas.*

„ 4. Quamobrem cum doctrina tradita in citata Synodo Bononiensi anni 1634. à communi Ecclesiæ sensu, & praxi discordet, est omnino reformanda & corrigenda, sicuti reapse correcta fuit in alia Synodo Diœcesana Bononiensi, celebrata à Cardinali Boncompagno anno 1609. *lib. 2. cap. 9.* atque iterum à Nobis *Notific. 9. & Notific. 46.* ubi ad Matrimonium contrahendum, neminem admitti præcepimus, Christianis institutis, nondum satis edoctum.

„ 5. Neque in contrarium facit, quod ajebat Sanchez, nimirum non posse Episcopum, nova impedimenta, Matrimonium impedientia statuere: huic enim difficultati in primis reponimus: ab Episcopo, repellente à Matrimonio contrahendo, ignorantes Christianæ religionis necessaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari, & inculcari quo iidem jam detinentur: Enimvero cum Matrimonium inter Fideles, unum sit ex septem novæ Legis Sacramentis, à Christo Domino institutis, atque è numero eorum, quæ dicuntur *vivorum*, nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest, in statu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias *super 4. Decret. part. 2. de Matrim. cap. 6. in princ.* inquiens: *Existens in mortali crimine, non potest, absque novo peccato, Matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum*: nec Parochus licitè eidem Matrimonio assistit; Quamvis enim juxta communiorem, magisque receptam sententiam non sit Sacramenti Matrimonii Minister: ut *in præcedenti capite* diximus, nihilominus in multis comparatur Ministro, nec licite sua præsentia, & authoritate firmare potest contractum, quem scit, à Contrahentibus sacrilege iniri, quemadmodum prosequitur Cardinalis Laurea *in 4. sent. tom. 3. disp. 22. art. 25. num. 549.* & pluribus Franciscus Maria Muscettola, Archiepiscopus Rossanensis *in sua dissert. de Sponsalibus, & Matrimoniis*, quæ extat post secundam impressionem *observat bon. mem. Zauli ad statuta Faventina*, iterumque edita est Neapoli anno 1742. Qui autem Fidei rudimenta ignorat,

CAPUT II.

De natura & proprietatibus Matrimonii.

Quæst. I. QUid est Matrimonium? *Resp.* Matrimonium dupliciter accipitur, nempe pro contractu, & pro vinculo per talem contractum inducto. Matrimonium pro contractu acceptum rectè definitur: Contractus legitimus, quo vir & femina sibi mutuo tradunt & acceptant potestatem corporum in ordine ad actum generationis, & se obligant ad se mutuò juvandum & perpetuò cohabitandum. Matrimonium verò pro vinculo acceptum, communiter definitur: Maris & feminæ conjunctio maritalis ac legitima, individuam vitæ consuetudinem retinens, ex cap. 11. de præsumpt. Sumptum autem pro Sacramento est contractus modò dictus gratiæ significativus & collativus.

Matrimonium pro vinculo sumptum dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum est illud, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est: quale etiam nunc est inter non baptizatos. Unde ut tale non est Sacramentum, aut saltem præscindit a ratione Sacramenti.

Ratum dicitur, quod est & legitimum & Sacramentum, sed necdum copula carnali consummatum: tale est inter solos baptizatos.

Consummatum est illud, quod accedente copula carnali extrinsecè completur.

Quæst. II. *Quænam est materia, & forma, & minister hujus Sacramenti?*

Resp. Circa hoc dissentiunt Theologi. Aliqui docent materiam esse consensum contrahentium exteriùs expressum: formam verò verba quæ profert sacerdos, qui proinde ejus Minister est.

Alii longè communiùs contendunt ipsos contrahentes ponere materiam & formam, ideòque esse ejus ministros: sed in assignanda illa materia & forma inter se dissident. Secundùm multos materia est mutua corporum traditio: forma verò mutua corporum acceptatio, facta signo sensibili consensum internum exprimente. Secundùm alios, materia est consensus internus contrahentium, forma sunt signa externa consensum illum exprimentia. Demum secundùm alios materia sunt corpora habilia, forma est mutuus conjugum consensus.

Quæst. III. *An & qualis requiritur consensus ad valorem Matrimonii?*

Resp. Requiritur verus consensus internus, mutuus, de præsenti per verba & alia signa sensibilia expressus, plenè deliberatus, in se liber, & immunis à metu gravi injusto, ex Conc. Florentino. Itaque

1. Requiritur verus consensus internus & mutuus: nam *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum*, cap. 25. *de sponsal.* Consistit enim in contractu legitimo, qui est essentialiter duorum consensus. Hinc si consensus sit ex alte-

---

„ quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure, ac merito à Matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez *cit. disp.* 15. *num.* 3. *& lib.* 7. *disp.* 6. *num.* 6. Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 6. *cap.* 7. Gaspar Hurtado *disp.* 25. *difficul.* 1. *num.* 9. & Perez *de Matrim. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 9. non solum in Episcopo, sed etiam in Parocho facultatem agnoscunt, impediendi ad tempus Matrimonium, ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem, nec tamen inde confici autumant, verum, & proprium impedimentum, eorum authoritate, Matrimonio apponi; Siquidem illa prohibitio temporaria est, atque, ablato scandalo, & detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione, cessat, & extinguitur. Idem autem contingit in re nostra: Episcopus enim ignorantibus Christianæ religionis instituta, & præcepta, Matrimonium interdicit, solum ad tempus, donec scilicet illa addiscant; quod si hæc prohibitio diuturna sit, & perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis eruditi, aut recusant, aut negligunt.

„ 6. Unum tamen advertendum addimus, quod recte consideravit Giribaldus *de Sacram. Matrim. tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 111. nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei nostræ mysteria, & sciat, & credat cetera pariter, quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo, perceperit, sed quia hebetis est ingenii, & exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valeat: in hoc autem rerum statu, non debet perpetuo arceri à Matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, & propterea nemini, sine propria culpa, est denegandum, sed curabit Parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas Constitutiones Gibertinas, editas à Joanne Matthæo Giberto, Episcopo Veronensi, quas alibi commendavimus, *tit.* 5. *cap.* 23. legitur: *Cùm autem quilibet Christianus Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & Præcepta Dei, atque Ecclesiæ scire debeat, retinendo saltem sensum, & Sacerdotibus, ac Prædicatoribus munere sibi imposito, prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quod à quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat. Ideo præmissa nescientes, ut magis confundantur &c. in faciem Ecclesiæ ad Matrimonium contrahendum non admittantur*, ubi Cardinalis Augustinus Valerius *in notis* ad rem subdit. *Adverte non esse arcendos &c. qui ut necessaria ad salutem perdiscant, faciunt quod in se est, sicut qui scholas doctrinæ Christianæ frequentant; quia non ob incuriam, aut negligentiam, sed ob ingenii, memoriæve imbecillitatem, ea non addiscunt.*

alterutra parte fictus, nullum est Matrimonium, cap. 26. *de sponsal.* Qui tamen fictè consensit, peccavit graviter, tum contra reverentiam Sacramenti, falsò & sine intentione adhibendo ejus signa; tum contra justitiam, quia in contractu oneroso, si unus bona fide ponat partem suam, habet jus ut etiam alter adjiciat suam, & sic ponatur æqualitas. Unde tenetur injuriam resarcire, & damna compensare, imò & tollere deceptionem, verè consentiendo & contrahendo; nisi aliqua causa gravis obstet, qualis est magna conditionis inæqualitas, vel si gravia mala, capitales inimicitiæ, dissidia, scandalum grave ex tali Matrimonio meritò timeantur: quo casu sufficiet pecuniaria compensatio. Excipiuntur etiam hi casus, nempe si tanta fuerit evidentia fictionis, ut mulier censeatur voluntariè decepta fuisse, quia volenti non fit injuria: vel si mulier decepta ipsum etiam deceperit simulando se esse virginem, cùm non esset.

2. Consensus debet esse de præsenti, ex cap. 31. *de sponsal.* Quia per sola verba de præsenti, fit traditio, in qua consistit Matrimonium, quo traditur mutuo corporum potestas; nam per verba de futuro fit solùm promissio. Ideòque debet esse mutuo acceptatus, ex cap. 3. *de sponsal. duorum*: nam traditio non est completa, nec dat jus sine acceptatione. Porrò iisdem omnino verbis, quibus conjuges proprium consensum exprimunt, significant etiam se acceptare obligationem & consensum ab altero expressum, nam hæc verba, *accipio te in meum, vel in meam*, aut æquivalentia utrumque significant, nempe & obligationem propriam, & acceptationem obligationis alterius conjugis; nec possunt unum sine altero velle & exprimere; cùm enim sit contractus constans essentialiter ex utriusque obligatione, non potest vir, v. gr. dicere, *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat virtualiter, & implicitè: *Volo te habere in uxorem*, & consequenter volo te habere mihi obligatam, sine qua obligatione non esset uxor, nec vir ejus maritus. Item non potest vir velle accipere mulierem in legitimam uxorem, quin simul velit esse ejus maritus, ideòque se ei ut uxori obligare; cùm nequeat habere illam uxorem, nisi ipse velit esse ejus maritus, & se ei obligare. Idem est de uxore.

3. Debet esse plenè deliberatus, hoc est, factus cum advertentia de re sufficienti ad mortale. Nemo enim potest obligationem gravem sibi liberam contrahere, nisi plenè consentiat. Item debet esse in se liber; nam omnis contractus humanus exigit esse in se liber, & non in causa tantum. Unde non valet, si datus sit in ebrietate voluntaria, in qua fuerit prævisus: nec debet esse extortus ex metu gravi injusto, nam consensus sic extortus invalidat Matrimonium, ut dicetur infra.

4. Utriusque consensus debet esse simul moraliter; ita ut unius partis consensus perseveret moraliter, nec revocatus sit, dum exprimitur consensus alterius: alioqui non esset mutuus duorum in idem consensus. Sufficit tamen si consensui unius physicè præterito non revocato, accedat consensus alterius, licèt interposito intervallo; nam id omni contractui sufficit; & aliàs non posset iniri Matrimonium per litteras, vel procuratorem.

5. Ille consensus debet signo aliquo externo exprimi: quia est contractus humanus, ideòque non nisi modo sensibili perficiendus; & quia mutua requiritur consensus acceptatio. At non potest acceptari nisi cognoscatur, nec cognosci nisi per aliquod signum externum declaretur. Quamvis autem ad ejus valorem sufficiat quodvis signum sufficienter eum manifestans, ex Catech. Rom. & ex Conc. Florent. quod non requirit verba absolutè, sed cum addito *regulariter*; tamen verbis propriè dictis exprimi debet, dum potest; quia verba vocalia meliùs ac alacriùs quàm alia signa consensum exprimunt; proinde usurpari debent in contractu tanti momenti, dum possunt.

Quæst. IV. *An ad Matrimonii valorem requiritur, ut intendatur copula?*

Resp. Neg. Sed sufficit quòd intendatur saltem implicitè & confusè translatio dominii corporum in ordine ad actum conjugalem, seu jus ad copulam. Quia 1. Matrimonium nihil est aliud essentialiter quàm mutua traditio & acceptatio potestatis corporum, in ordine ad copulam, dando & recipiendo jus ad copulam. Unde copula supponit jam Matrimonium constitutum. Item essentia Matrimonii consistit in conjunctione animorum per mutuam traditionem potestatis corporum ad finem Matrimonii saltem confusè cognitum. 2. B Virgo & S. Joseph ex communi sensu Ecclesiæ, verum contraxerunt Matrimonium, licèt non intenderint copulam, imò se per votum obligarint ad se abstinendum ab ea. 3. Validè initur Matrimonium cum voluntate ingrediendi religionem ante illius consummationem.

Quæst. V. *An sufficit consensus conditionatus?*

Resp.

Resp. Valet Matrimonium, si conditio sit de præsenti, & extet; vel de præterito & extiterit: quia posita conditione consensus transit in absolutum, cùm sit aut fuerit id, ad quod ut præsens aut præteritum consensus alligatus est. Secùs, si conditio non subsistat, nam tunc abest consensus: quippe contrahentes ab initio consentire nolunt, nisi stato tempore impleatur conditio. Si autem conditio honesta & possibilis sit de futurò contingenti, non perficitur Matrimonium, donec impleatur conditio, ex cap. 5. *de condit.* quia non perficitur nisi consensu, quo contrahentes sibi mutuò tradunt actu potestatem suorum corporum, in ordine ad actum generationis: at non tradunt nisi consensu absoluto, aut in absolutum transeunte, ut patet ex aliis contractibus; nam voluntas non vult tradere nisi posita conditione. Itaque valor matrimonii suspenditur usque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes expectare, & eum non impedire, si conditio non sit turpis.

Hinc qui sub conditione de futuro unam duxit, si autem impletam conditionem aliam absolutè ducat, valebit hoc ultimum Matrimonium, licèt sit illicitum. Si autem duxerit duas sub tali conditione, valebit cum illa, cum qua conditio prius implebitur. Si verò conditio non impleatur, nullus est contractus, cap. 3. *de condit.*

Porrò quamvis secundùm multos, adveniente conditione Matrimonium perficiatur sine novo consensu, modò prior consensus non fuerit revocatus, quia cæteri contractus conditionati posita conditione fiunt absoluti: tamen in praxi curandum est, ut sic contrahentes impleta conditione consensum renovent, & quidem coram parocho & testibus: ne fortè ab alterutra parte revocatus fuerit; & quia multi alii novum consensum absolutè exigunt. Item contrahentes debent coram Parocho & testibus affirmare conditionem esse impletam, nisi hi ejus impletioni interfuerint, quia Concil. Trident. exigit ut intelligant Matrimonium verè contractum esse.

Resp. 2. Si conditio apposita repugnet naturæ, indissolubilitati, vel fini Matrimonii, aut ejus bono ac fidei, irritum est Matrimonium, ex cap. ult. *de condit.* ibi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, putà si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam dictiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Ratio est, quia nihil potest sine sua substantia subsistere: at substantia Matrimonii ex institutione divina consistit in consensu & obligatione ad perpetuam societatem, & ad fidem conjugalem sibi servandam, & ad prolem non impediendam, sed suscipiendam & educandam.

Si conditio non adversetur substantiæ & fini Matrimonii, non illud irritat in foro externo, licèt sit turpis; ut si quis dicat: Contraho tecum ea conditione, ut victum furto quæras; vel etiam sit absolutè impossibilis, ex cap. cit. ibi: *Licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Quæ constitutio, ex Delugo, valet etiam in foro interno, quando aliunde non constat de carentia consensus. Quamvis enim Ecclesia non possit supplere consensum matrimonii si desit, (cum nulla potestas humana possit dare potestatem tui corporis ad usum conjugii sine tuo consensu) tamen cùm præsumantur contrahentes (nisi aliud constet) voluisse contrahere Matrimonium secundùm leges, & sensum, quo verba in jure intelliguntur, rectè censetur implicitè voluisse, non obstante conditione impossibili aut turpi, contractum valere. Cæterum in foro conscientiæ standum est dicto contrahentis, an habuerit verè intentionem contrahendi, non obstante tali conditione: quam si non habuerit, nullum est Matrimonium ob defectum consensus; nam consensus sub conditione non est actu nisi posita conditione: si ergo conditio non potest poni, nunquam erit consensus.

Quæst. VI. *An ad valorem matrimonii requiritur consensus parentum?*

Resp. Neg. Ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. ubi *eos anathemate damnat, qui falsò affirmant matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Sed addit ea semper fuisse ab Ecclesia prohibita. Sunt etiam contra præceptum divinum honorandi parentes, nisi ipsi suum consensum rogati, sine justa causa denegent, ita ut non sint rationabiliter inviti. Ratio autem cur ejusmodi Matrimonium sit validum, est quia omnis homo sufficienti ratione & legitima ætate præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus suum, independenter à parentibus.

Porrò in Gallia matrimonia sine consensu parentum contracta, non censentur invalida

con-

contracta; nisi quoad aliquos effectus civiles,. ut declaravit Ludovicus XIII. & habetur in actis Cleri Gallicani, tom. 3. Imò valent etiam quoad illos, si filiisfamilias excedant annos 30. & filiæ 25. modò scriptis requisierint consensum parentum, ex edicto Henrici II. (a)

Quæst. VII. *An Matrimonium validè contrahitur per procuratorem, & inter absentes?*

Resp. Affirm. Quia 1. Ecclesia sic contrahi permittit, ut patet ex praxi præsertim inter Principes. 2. Alii contractus validè fieri possunt inter absentes per procuratorem, vel per litteras: ergo & Matrimonium: nam Christus evehendo contractum Matrimonii ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. 3. Sic validè contrahebatur ante Concil. Trident. ut patet ex cap. ult. *de procur. in 6.* ubi Bonifac. VIII. id expresse declarat. Conc. autem Trident. non irritavit, nisi matrimonia clandestina: at ea, quæ per procuratores fiunt coram parocho & testibus, non sunt clandestina.

Sed ex eod. cap. ultim. *de procurat. in 6.* ad tale matrimonium tria requiruntur. 1. Ut procurator ad hoc habeat mandatum spe-

(a) Addidimus huic quæstioni, quæ hac de re luculenter exposita sunt in lib. VII. de Synodo Diœcesana cap. 37. ubi *num.* 2. indicantur civiles leges, quibus irrita declarantur inita à servis, & filiis familias sine consensu parentum, vel dominorum matrimonia. *Num.* 3. canones recensentur, quibus Ecclesia ratas quondam habuit hujusmodi civiles leges. *Num.* 4. sequenti modo res exponitur. „ Verum postea consultius visum est Ecclesiæ, præfatas civiles leges, pluribus sæculis à se, aut approbatas, aut toleratas corrigere, & abrogare, statuitque, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet Contrahentium consensu, nequaquam autem à nutu eorum, sub quorum dominio, vel potestate Contrahentes existunt, quod generatim sancitum legimus *in c. Cum locum, de sponsal. & matrim. in cap. Licet: & in cap. Tua, de sponsa duorum*; speciatim vero de servis, rescripsit Adrianus Papa ad Archiepiscopum Salisburgensem *in cap. Dignum, de conjugio servorum: Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, &, si dominis contradicentibus, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt, propter hoc, Ecclesiastico judicio dissolvenda*; ac tandem de filiis familias, post alias sanctiones indicatas ab Juenin *cit. dissert.* 10. *quæst.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. definivit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* ubi anathemate perculit, *qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias, sine consensu parentum contracta: irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

„ 5. Quamobrem non licet hodie easdem civiles leges jamdiu ab Ecclesia rescissas, excitare, earumque obtentu, firmitatem adimere, aut servorum, aut filiorum familias connubiis, quibus domini, vel parentes non annuerunt. Quod autem affirmat Boemerus *jur. Eccles. Protestantium lib.* 4. *tit.* 9. §. 6. nempe in Pomerania, Wesphalia, & Boemia, ubi adhuc remanent vestigia antiquæ servitutis, & etiam hodie reperiuntur *homines proprii*, hoc est existentes sub dominorum proprietate, istorum connubia non aliter esse valida, quam ex dominorum consensu, aut est accipiendum de servorum conjugiis, quoad effectus civiles, aut non est admittendum à Catholicis, illis in regionibus degentibus, qui sanctioribus Ecclesiæ legibus reguntur. Intra fines pariter pœnarum civilium concluditur edictum, à Christianissimo Rege Henrico III. in Comitiis Blesensibus anni 1579. *art.* 40. promulgatum, atque à Ludovico XIII. anno 1629. & 1639. renovatum, quo nulla, & invalida declarantur matrimonia, à filiisfamilias contracta, sine consensu parentum; illud siquidem verbum *invalida non esse aliter explicandum, quam per solam relationem ad Contractum civilem*, ejusdem Ludovici nomine, Clero Gallicano responderunt Regii Commissarii, uti habetur *tom.* 3. *rerum, & decretorum Cleri Francici*, testaturque Luvetus, in Parisiensi Senatu Consiliarius *tit.* 6. *litt. M*, scribens: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit articulus 40. Blesensis Constitutionis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit: non agitur de Sacramento matrimonii, aut ejus essentialibus cæremoniis; sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum, & uxorem, quæ conditiones non dependent ex Theologicis decisionibus, sed ex edictis in Parlamento verificatis*: Idem ostendit Isaacus Habertus Episcopus Vabrensis *in libro de justitia connubialis edicti* à Ludovico XIII. conditi, ubi hæc habet: *Non multum laborandum est, de conciliandis Regiis edictis cum Ecclesia sententia: nullo siquidem edicto matrimonia filiorumfamilias invalida, ac nulla esse, absque consensu parentum tutorumve, constitutum est, etsi hic error multis impositus fuerit. Prohibita quidem sunt, sed invalida, & nulla esse, haudquaquam definitum. Unde etiam Decessorum suorum vestigiis insistens Rex Christianissimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac austerius interdixit: invalida tamen, ac nulla esse, contra Tridentina Synodi decretum, ac Theologorum unanimem in Regno suo sententiam, minime sanxit.* Idem tradit Cabassutius *in theor. & praxi jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 6. & 7. ubi Brodeum carpit, quod Regium edictum, ad ipsam etiam Sacramenti rationem protraxerit. Idem docet Gerbasius in libro, quem inscripsit *Tractatus pacificus &c. pag* 504. Idem Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 6. *lib.* 2. *de Sacram. Matrim. cap.* 3. *art.* 3. *prop.* 1. Quocirca nescimus, qua ratione Juenin *cit. dissert.* 10. *cap.* 3. *art.* 2. meminerit, suum calculum adjicere tot Doctorum Gallicanorum sententiæ, Regis etiam declaratione firmata, & decidere noluerit, an revera in Gallia matrimonia inita à filiisfamilias, sine consensu parentum, sint valida quoad substantiam, etsi civilibus effectibus destitui, nemo dubitet. Neque extra institutum vagati sumus, dum hæc prolixius enarravimus: Siquidem verebamur, ne Episcopi prædicti Juenin, aliorumque; contra communem sapientiorum Galliæ Doctorum sensum, idem scripsitantium authoritate decepti, non audeant in suis Synodis declarare, matrimonia à filiisfamilias, invitis, ac insciis parentibus contracta, etsi illicita, valida tamen esse, ac proinde integrum non esse Contrahentibus, quamdiu eorum alter superstes est, alias nuptias inire; quam profectò Synodalem declarationem, ad consulendum animarum saluti, non solùm utilem, sed maxime necessariam, reputamus.

speciale. 2. Ut procurator alium sibi non substituat, nisi hoc ei sit specialiter commissum. 3. Ut procurator antequam contraxerit, non fuerit à domino revocatus: alioqui matrimonium nullum est, etiamsi tam ipse quàm pars quacum contrahit, revocationem ignoret: quia tunc deest consensus illius, cujus nomine procurator contrahit: qui consensus suppleri non potest à jure in matrimonio, sicut potest suppleri in aliis contractibus: nam alii contractus per procuratores facti valent etiam revocato mandantis consensu, modò revocatio neque procuratori, neque parti innotuerit, l. 15. §. *Mandati*. Post Concil. Trid. autem requiritur etiam præsentia parochi & duorum testium.

Dices. Si hoc ita sit, quare ergo sponsi postea præsentes in facie Ecclesiæ conjunguntur? *Resp.* hoc fit, non quòd Matrimonium reputetur invalidum, sed vel ad supplendas solemnitates omissas, vel ad confirmandum contractum, vel ad majorem securitatem, ne fortè alteruter consensum, antequam procurator contraxerit, revocaverit.

Item valet Matrimonium per litteras contractum, modò coram parocho & testibus legantur litteræ significantes utriusque consensum de præsenti, de quarum veritate satis illis constet, nam contractus sic facti valent. Hic tamen contrahendi modus non est usurpandus sine gravi necessitate, quæ rarissimè potest contingere. Qui autem sic contraxerunt, postea coram positi contractum ratum habeant, ne fortè consensus ab alterutro fuerit revocatus.

Quæst. VIII. *An Matrimonium est indissolubile quoad vinculum; seu translationem dominii?*

Resp. 1. Quodvis Matrimonium absolute contractum, est & semper fuit, sine speciali licentia Dei, insolubile, ex cap. un. *de voto in 6.* & ex Conc. Trid. sess. 24. idque tum jure divino naturali; nam solubilitas vinculi repugnat finibus Matrimonii, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, & arctissima inter conjuges animorum conjunctio: Et licèt non sit consummatum, ordinatur tamen ex se ut consummetur & proles procreetur. Tum jure divino positivo, ex Matth. 19. ubi Christus Matrimonium ad suam primævam institutionem revocans, sic ait: *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Deus tamen quodlibet Matrimonium, etsi consummatum, potest etiam quoad vinculum dissolvere tamquam supremus creaturarum omnium & jurium illarum dominus, auferendo utrique conjugi dominium in corpus alterius, & sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata.

Resp. 2. Matrimonium consummatum baptizatorum nullo casu dissolvi potest ab hominibus. *Prob.* 1. ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, & Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*, & Cor. 7. *Iis qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat, &c.* 2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ id nunquam permisit. 3. Ex Conc. Florent. decreto de Sacrament. *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est; cum Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et ex Conc. Trident. sess. 24. can. 5. & 7. Ratio est, quia hoc Matrimonium est signum perfectum conjunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem, ex cap. 5. *de bigam.* quæ conjunctio est indissolubilis, Verbum enim nunquam humanitatem assumptam amittet.

Porrò absoluta illa insolubilitas est ex præcepto Christi addito juri naturali.

Non obstat illud, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Nam sensus est: Quicumque dimiserit uxorem, videlicet quoad thorum & cohabitationem absolutè ac in perpetuum, nisi ob ejus fornicationem, mœchatur, hoc est, reus est mœchiæ alienæ, seu *facit eam mœchari*, ut habetur Matth. 5. & qui aliam duxerit quacumque ex causa, mœchatur mœchia scilicet propria. Unde Christus duo ibi docet, nempe & propter solum adulterium dimissionem absolutè & in perpetuum quoad thorum & cohabitationem fieri posse per se & vi contractus Matrimonii; & facta tali dimissione non posse novum inire Matrimonium vivente conjuge. Nam Christus ipse ea quæ hìc obscurè dixerat, ad vitandas interrogantium calumnias; alibi discipulis clarè exponit, nempe, Matt. 5. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornica-*

nicationis causa, *facit eam mœchari*, & Marc. 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor* &c.

Nihilominus Christus satisfecit interrogationi factæ de dimissione quoad vinculum. Nam cùm dimissio quoad vinculum includat potestatem dimittendi unam, & ducendi alteram, Christus has duas dimissiones sejungens, priorem concessit, posteriore negata, prioremque dimissionem absolutam ac perpetuam & vi contractus Matrimonii factam, quoad thorum scilicet & habitationem restrinxit ad solam fornicationem, seu adulterium.

Resp. 3. Matrimonium infidelium non dissolvitur hoc ipso quòd unus conjugum ad fidem convertitur, altero remanente in infidelitate, cùm fuerit validum, etiamsi contractum sit in gradu ab Ecclesia prohibito: quia infideles non subjiciuntur legibus Ecclesiæ. At ex Dei dispensatione in favorem religionis Christianæ concessa, conjux fidelis habet jus dissolvendi illud etsi consummatum, & contrahendi aliud si infidelis nolit ei cohabitare, vel si velit quidem cohabitare, sed non sine creatoris injuria, Christum blasphemando, religionem christianam contemnendo, vel si non patitur fidelem christianè vivere, aut ad infidelitatem aliudve peccatum inducat. Patet ex cap. *Quanto*, *de divort.* & ex 1. Cor. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*. Dissolvitur autem per aliud Matrimonium conversi ad fidem. Quòd si conversus non ineat aliud Matrimonium, non potest infidelis aliud contrahere: quia dissolubilitas est solùm concessa in gratiam fidei.

Imò multi docent Matrimonium infidelis ad fidem conversi dissolvi posse si alter converti nolit, quamvis velit cohabitare pacificè, ex c. *Judæi*, & can. *Spe.* 28. q. 1. Si verò uterque infidelis conjugatus baptizetur, eorum Matrimonium fit ratum per baptismum; nam hoc ipso quòd tales communi consensu baptizantur, dant signum externum, quòd consentiant in Matrimonium præcedens, ut juxta Christi institutionem sit insolubile, & si consummetur post baptismum, fit absolutè indissolubile. (*a*)

Resp. 4. Matrimonium baptizatorum ratum,

(*a*) Vide cap. 4. lib. VI. ejusdem Tractatus de Synodo, in quo SS. D. N. clarius hujusmodi controversiam exponit *num.* 3. „ Quod plus negotii, *inquit*, facessit Episcopis, est matrimonium ab Hebræis in Infidelitate contractum, & consummatum, de quo disputatur, an & quando, per conversionem alterutrius conjugis ad Christianam Fidem, dirimatur. Certum est Infidelium conjugium, ex privilegio in Fidei favorem, à Christo Domino concesso, & per Apostolum Paulum 1. *ad Corinth. cap.* 7. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam Fidem amplectitur, renuente altero, in sua Infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis Fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi, & Christianæ religionis despicientia: ex hoc vero fit, integrum non esse conjugi converso, transire ad alia vota, prius quam Infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine creatoris contumelia, uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocentii III. *in cap. Quanto de divortiis*, notantque Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 74. *num.* 12. Salmanticenses *tract.* 9. *de matrim. cap.* 4. *num.* 48. Cardinalis de Lauræa *de matrim. disp.* 16. *num.* 198. Clericatus *de Sacram. matrim. decis.* 21. *num.* 24. At quandoque evenit, conjugem Infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari nequeat, & tunc dubitatur, an interpellatione omissa, fas sit converso alias inire nuptias. Affirmant plerique, quibus adstipulantur Sanchez *citat. loc. num.* 14. Genuensis *in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap.* 27. *num.* 20. Riccius *in prax. part.* 1. *resol.* 241. alii exadverso, inter quos Pontius *lib.* 7. *de matrim cap.* 48. *num.* 22 in eo rerum statu, necessariam putant dispensationem Summi Pontificis, cujus est declarare, in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum Divinum, quo prædicta interpellatio ante rescissionem matrimonii, videtur injuncta; atque huic posteriori sententiæ in quadam causa Florentina discussa 17. Januarii 1722. adhæsit sacra Congregatio Concilii, cujus judicio Nos omnia subjecimus rationum momenta, quæ à dissidentibus inter se Doctoribus, in utramque partem afferuntur, uti legere est *tom.* 2. *Thesaur. Resolut. pag.* 117. *& seqq.* Nec Sedes Apostolica difficilem se præbet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadeat concedendam: etenim, sicuti in præfata causa Florentina animadvertimus, Gregor. XIII. locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Missionariis Societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, & Brasilia degentibus, potestatem fecit dispensandi cum quolibet conjuge, qui Christianæ religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse: & Nos ipsi, ad Petri Cathedram evecti, facultatem concessimus Apostolico Nuntio, Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu, possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos, existentes in loco pio Catechumenorum, ejusdem Civitatis Venetiarum, quod habetur *in nostra Const.* 3. *nostri Bullarii tom.* 1.

„ 4. Sed alia hinc oritur controversia, de temporis momento, quo rescindatur fœdus connubii, de quo est sermo: plerique Doctores sentiunt, interpellato conjuge infideli, eoque, aut expresse abnuente legitime cohabitare cum Fideli, aut intra terminum, sibi in interpellatione præfixum, nihil respondente, dissolutum statim censeri vinculum conjugii, quo erant ambo constricti: alii arbitrantur, tunc primum dirimi, cum conjux conversus alteras nuptias contrahit: ab istius autem controversiæ decisione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non semel contigit, in Ecclesiasticis Foris dispu-

tum, sed non consummatum, dissolvitur in duobus casibus, 1. Per professionem solemnem in religione approbata: ex cap. *Verum*, & cap. *Ex publico de convers. conjug.* & ex Conc. Trid. sess. 24. can. 6. Quia hæc conditio (Nisi religionem profitear ante consummationem) jure saltem ecclesiastico apposita est contractui Matrimonii, in favorem boni communis, cui persona privata cedere nequit. Dum autem unus conjugum religionem ingressus est, alter non potest cum altero contrahere, nisi post professionem prioris, cùm per hanc solam dissolvatur Matrimonium.

Nota. Conjugibus ante consummationem conceduntur duo menses ad deliberandum de religione suscipienda, ex cap. *Ex publico* cit. intra quod tempus conjux cogitans de religione non tenetur consummare, nec potest sine injuria ad id cogi. Sed hoc exacto tenetur reddere debitum, si exigatur ab altero. Tamen quamdiu Matrimonium non est consummatum, tamdiu liberum est conjugibus religionem ingredi; & uno profitente potest alter ad alias nuptias transire, ex cap. *Verum* cit. Secùs, si Matrimonium consummetur, etiam per vim & primo mense.

2. Ex Canonistis & Theologis plurimis dissolvitur per authoritatem Papæ, qui tanquam supremus Vicarius Dei potest, ob causam valde gravem, solvere tale Matrimonium.

Prob. 1.

„ ri. Fingit Titium Hebræum Christianam Fidem amplecti; postquam fuit Baptismate ablutus uxorem suam Næviam, quam in Judaismo pertinacem reliquit, interpellet, an velit secum cohabitare, sine Creatoris contumelia; Nævia aut expresse renuat, aut intra præfinitum sibi temporis intervallum, nihil respondeat; aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Nævia, Titius autem Christianus cælibem statum eligat. Fingite rursus, post aliquot annos, Næviam, cum suo secundo viro, ad Christianam Fidem converti, colente adhuc Titio cœlibatum; gravis statim excitatur quæstio, an Nævia redire debeat ad Titium suum primum virum, an potius permanere cum secundo. Hujus autem quæstionis decisio ab alia pendet, quam antea proponebamus: Etenim si matrimonium Titii cum Nævia rescissum fuit, statim ac Nævia interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare, uti opinantur Doctores primæ sententiæ, valide profecto potuit eadem Nævia alteri se copulare viro, cum quo propterea perseverare debet, etiam cum ambo Christianorum Sacris sunt initiati; at si matrimonium, in Infidelitate contractum, tunc non solum dissolvitur, quando conjux conversus aliud conjugium init, uti existimant Doctores secundæ sententiæ, cum Titius, in casu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium à Nævia, nondum à priori vinculo soluta, contractum, atque idcirco cum Christianam Fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum cum res contigerit Florentiæ anno 1726. & de ea disceptaretur in sacra Congregatione Concilii, Nos, pro nostro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere, dissertationem elucubravimus, qua luculenter ostendimus, ex enunciatis sententiis, posteriorem esse, tam inter antiquos, quàm inter recentiores Theologos, & Canonistas, fere communiter receptam, ex quo conclusimus, virum Hebræum, de quo res erat, quique cum secunda uxore, quam, juxta præmonstratum casum, duxerat, Baptismum petebat, post illum susceptum teneri redire ad primam, jampridem Christianam factam, & adhuc perseverantem innuptam; & sacra Congregatio latum quidem unguem à nostra sententia recessit, eoque libentius eam est amplexata, quod, Nobis pariter suggerentibus, competerit: ita, consentientibus Theologis, in consilium adhibitis, fuisse ab eadem definitum anno 1679. & 1680. in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat; quæ omnia legenda sunt *in Thesaur. Resolut. tom. 3. pagin. 346. & 352. ac seqq.*

„ 5. Alter ejusdem causæ articulus, sacræ Congregationis discussioni tunc quoque propositus, indecisus remansit; quærebatur iisdem, an saltem jus esset Summo Pontifici, primum matrimonium, in Infidelitate contractum, & consummatum, suprema sua auctoritate relaxandi veniamque concedendi conjugi, tardius ad Fidem converso, ut, in prædictis rerum circumstantiis, posset cum secunda uxore permanere. Opportuna etiam de hac, longe utique graviori, quæstione, fuit à nobis exarata dissertatio, quæ extat *tom 4. cit. Thesaur. Resolut. pag. 30. & seqq.* in qua plures allegavimus Doctores, hanc potestatem Pontifici asserentes, simulque consendentes, eam reipsa exercuisse, S. Pium V. & Gregor. XIII. sicut cit. dissertatione fuse habetur, sed sacra Congregatio satius duxit à sententia ferenda se abstinere, quoniam, etiam data Pontifici potestate rescindendi prius vinculum conjugii, in Infidelitate contracti, nihilominus, quod Nos sacræ Congregationi insinuare non prætermisimus, merito dubitabatur; num eæ adessent gravissimæ causæ quæ necessariæ sunt, ut per Apostolicam dispensationem dirimatur.

„ 6. Itaque Episcopus diœcesi præsidens, in qua, ob admixtionem Christianorum cum Hebræis, interdum casus occurrant, de quibus disseruimus, utiliter de iisdem sermonem instituet in sua Synodo, salubriter in ea formam inseret interpellationis à conjuge converso, alteri faciendæ in sua persistenti perfidia, quam formulam integram refert Ciericatus *cit. loc.* prudenter denique suis Parochis doctrinam tradet, à Sacr. Congregatione Concilii approbatam, secundum quam dijudicare debeat; an, & quando, per conversionem alterutrius conjugis ad Christianam Fidem, alter in Infidelitate relictus libertatem nanciscatur à vinculo matrimonii, quo erat obstrictus. Irrepserat intolerabilis abusus, quod maritus Hebræus ad Fidem conversus libellum repudii juxta ritum Judaicum ad uxorem transmittebat in sua Infidelitate persistentem, cujus ope libelli uxor Hebræa ad alia vota transibat. Adversus autem hunc abusum edita est à Nobis Constit. quæ incipit: *Apostolici ministerii*, edita die 16. Septembris 1747. in secundum tomum nostri Bullarii inserenda. Futiliter autem hæc pertractarentur in Synodo diœcesis, à qua Hebræi coguntur perpetuo exulare, nec proinde unquam in ea casus eveniunt, de quibus hactenus.

Prob. 1. Ex facto plurium Pontificum, qui in hoc dispensarunt, ut Martini V. & Eugenii IV. teste S. Antonin. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 3. Pii II. & Pii IV. teste Navarro, Greg. XIII. teste Præposito; & Clementis VIII. & Urbani VIII. teste Conrado, &c. 2. Quia cùm possit Papa dispensare in professione religiosa, per quàm dirimitur Matrimonium ratum, cur non posset in Matrimonio ipso rato? Nam professio religionis est fortius vinculum, quàm sit vinculum Matrimonii rati; cùm professio religionis hoc vinculum dissolvat, juxta illud juris axioma: *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te*. 3. Talis potestas expedit bono Ecclesiæ & saluti animarum. At Christus dedit suo Vicario omnem potestatem, quæ bono Ecclesiæ & saluti animarum expediret.

Nec obstat illud Christi; *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Matth. 19. Quia hæc verba spectant Matrimonium consummatum, quo solo conjuges fiunt una caro, ut docet Alexander III. cap. *Ex publico*. Unde Matrimonium est quidem insolubile, sed ab ipsis contrahentibus & potestate merè humana, qualis non est hæc potestas Papæ, qui non dissolvit illud ut homo, sed ut Vicarius Christi, & ejus dispensator. Cùm autem matrimonium ratum sit dumtaxat signum unionis Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ in multis justis dissolvitur, non debet esse ita insolubile sicut consummatum, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quæ numquam dissolvetur, cap. *Debitum*, de bigam.

Nec inde sequitur Matrimonium consummatum posse etiam dissolvi authoritate Papæ: nam hoc est omnino indissolubile ob perfectam significationem unionis Christi cum Ecclesia per assumptionem humanitatis. Et hoc Matrimonium à rato differt integraliter, sicut perfectum ab imperfecto seu minus perfecto in ratione signi. Nam Matrimonium ratum caret integrali perfectione, quæ complet consummatum in sua perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia per assumptam carnem: quam quidem perfectionem habet Matrimonium consummatum.

Nec obstat quòd Matrimonium ratum sit Sacramentum. Nam licèt sit Sacramentum, pendet tamen à contractu humano tamquam fundamento, super quo contractu potestatem habet Ecclesia: quamvis Ecclesia nil possit circa Sacramenta à contractu humano independentia.

Quæst. IX. *An & quando licitum est divortium, seu separatio conjugum, quoad thorum dumtaxat & habitationem, manente vinculo conjugali?*

Resp. Ob varias causas licitè fieri potest, ex Conc. Trid. sess. 24. can. 8. & ex jure canonico, tit. *de divortiis*.

1. Quidem licitè fit in perpetuum ob alterius conjugis fornicationem, per quam intelligitur non solùm adulterium, sed etiam omnis illicitus concubitus cum alio supposito, ut incestus, sodomia, bestialitas; his enim criminibus frangitur fides conjugalis, ex Matth. 5. & cap. 5. & 8. *de divort*. Imò tenetur divortium facere, nisi uxor resipiscat, ex Prov. 8. *Qui tenet adulteram, stultus est, & impius*, & ex cap. 3. *de adult*. Nam alioqui fieret particeps ejus peccatorum, tegumentum ei præbendo; & *ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit*, ait S. Thom. Aliud est de uxore, nisi ipsa certo sciat virum adulterum ex divortio emendandum; quia uxor cùm non sit superior, non tenetur illum punire, nec censetur ejus adulterio connivere.

Porrò est æquale jus divortii in utroque conjuge ob adulterium. Nam quoad thorum, fidem ac debitum conjugale, pares sunt vir & uxor, ex 1. Cor. 7. & nemo tenetur debitum promissum præstare ei, qui pactum primus violavit.

Divortium tamen non est licitum in his casibus. 1. Si adulterium condonatum sit etiam tacitè, exercendo actum conjugalem, postquam cognitum est: nam ex cap. *Si illic* 23. q. 4. injuria condonata non potest postea puniri. Si vir ipse uxorem prostituerit, ex cap. 6. *de eo qui cognovit &c.* aut si fornicandi causam dederit, v. gr. denegando ei injustè debitum; nam par non est, ut qui causam crimini injustè dedit, ex eo commodum percipiat. 3. Si adulterium non fuit culpabile, ut si uxor bona fide alteri nupserit, putans virum suum esse mortuum: nam privatio debiti est pœna, ideòque supponit culpam. 4. Si uterque conjux adulterium patravit, cap. 4. & 5. *de divort*. ita ut pars quæ post compartis adulterium fornicata est, teneatur ad hanc redire, eique debitum reddere; *cùm Matrimonii jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur*, cap. 6. *de adulter*.

Nota. Conjux innocens potest privata authoritate se separare quoad thorum, modò ei constet de alterius adulterio; cùm debitum negari possit sine scandalo, & jus negandi ha-

habeat ob violatam sibi fidem contractus Matrimonii. At separatio quoad habitationem (quod est propriè divortium) cùm sit publica, requirit authoritatem judicis ecclesiastici, ex cap. 3. & 6. *de divort.* alioqui scandalum & perturbatio orietur. Posset tamen authoritate privata fieri ad tempus ob grave periculum animæ, vel corporis imminens, quod aliter declinari nequeat. Parti autem ob adulterium dimissæ non licet ingredi religionem, vel suscipere sacros Ordines sine consensu partis innocentis, quæ habet semper jus revocandi alteram.

2. Licitum est divortium supradictum ob compartis hæresim supervenientem, cap. 6. *de div.* vel ob sævitiam, vel ob alia crimina, ex quibus imminet animæ corporisve periculum. Nam Matrimonium non tollit jus naturale vitandi proprium periculum animæ & corporis. Non tamen licitum est ob alia crimina, quæ neutrum periculum secum afferunt cap. 2. *de divort.* Porrò post sententiam divortii non perpetui, sed ad tempus, v. gr. donec nocens mores emendarit, innocens non potest mutare statum per professionem religiosam, vel sacrum Ordinem suscipere: quia nocens saltem emendatus potest authoritate judicis repetere conjugem. Imò cessante periculo omni, & conjuge emendato, uxor ad virum redire debet: nam *cessante necessitate illud quoque cessat, quod pro necessitate factum est.* cap. *Ordinationes* 9. quæst. 1.

3. Fieri potest ex mutuo consensu, studio vitæ perfectioris in religione, ex Matth. 10. *Omnis qui reliquerit domum .... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.* Quòd si unus post consumatum Matrimonium religionem ingredi velit, debet & compars ingredi, cap. 4. *de convers. conjugat.* nisi in sæculo manens castitatem voveat, nec sit de incontinentia suspecta, c. 8. eod. tit. Ut autem vir sacros Ordines suscipiat, sufficit, si uxor castitatem in sæculo voveat, cap. 5. eod. tit.

Quæst. X. *An Polygamia seu pluralitas uxorum simultanea est licita?*

Resp. Est illicita & irrita post Evangelium promulgatum. *Prob.* 1. Ex Luc. 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ergo à fortiori mœchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Et, Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos,* (unicum cum unica conjungens:) *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, &c.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis & Israelitis factam revocat, & Matrimonium ad primævam institutionem reducit. Et *non dixit; Tres, vel plures, sed duo; nec dixit; Adhærebit uxoribus, sed uxori,* ait Innocentius III. cap. 8. *de divort.* 2. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione & praxi, 3. Ex Conc. Trid. sess. 24. c. 2. *Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Esse etiam irritam polygamiam suprà docet his verbis: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Christus Dominus apertiùs docuit, &c.*

Imò polygamia, sine licentia Dei, adversatur legi naturali. Quia 1. Impedit saltem communiter bonam prolis educationem, & pacem domesticam ad eam necessariam; Nam vix fieri potest, ut non sit aliqua prædilectio & distinctio, vel neglectus aliquarum uxorum; nec invidia, jurgia, rixæ inter illas uxores, aliaque mala inde nascantur, idque ex natura rei, spectato feminarum nativo ingenio. Quare uxorum pluralitas adversatur pacificæ cohabitationi conjugum, ut gubernationi domesticæ: qui est secundarius Matrimonii finis, ut docet Aristoteles. Uxor quippe non subditur viro ut famula, sed ut socia & comprincipium, & in domestica gubernatione cum viro & sub viro principatum tenens. 2. Æqualitas contractus Matrimonii, ideòque ejus justitia exigit; ut sicut uxor tradit totaliter dominium sui corporis: sic suum totaliter tradat vir uxori: ita ut uterque eo æqualiter uti possit, nec alteri tradere sine injuria alterius. Unde Innocentius III. cap. 8. *de divort.* ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Et S. Hieron. in cap. 19. Matth. ait Christum *adducere in testimonium sacram scripturam & naturalem legem,* ut unitatem uxoris statuat.

Hinc infideles non possunt ad baptismum admitti, nisi unam tantùm uxorem primo loco acceptam retineant, cæteris ut illegitimis dimissis, cap. 8. *de divort.* Si tamen alia fidem susciperet, præferenda esset: nam potest conversus, omnibus uxoribus infidelibus dimissis, aliam fidelem ducere.

Deus tamen polygamiam Patriarchis licitam reddidit, ad multiplicandum populum Dei, dividendo in plures uxores jus quod ex natura contractus una habebat totaliter in corpus mariti, & suppeditando media, ne inde bona educatio & pax familiarum impediretur, & alia mala sequerentur.

Nun-

Nunquam autem conjunctio ejusdem feminæ cum pluribus viris permissa fuit. Quia hæc adversatur fini etiam primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam, vel saltem rarissimè sequatur, ut patet in meretricibus. Et quando non impeditur, incertum reddit patrem prolis, quod prolis educationi adversatur. Finis autem primarius Matrimonii est tum generatio prolis, tum ejus educatio.

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta Matrimonii alia sunt impedientia tantùm, quæ reddunt illud solummodo illicitum. Alia dirimentia, quæ insuper efficiunt invalidum, si fuerit attentatum, unde sic vocantur, non quòd Matrimonium semel validè contractum dirimant, cùm Matrimonium semel validum sit insolubile, sed quia faciunt ne validè contrahi possit. Porrò semper dirimunt non obstante ignorantia invincibili, sive juris, sive facti circa illa. Quia non sunt pœnæ, quæ culpam supponunt, sed inhabilitates morales ad Matrimonium ob bonum commune statutæ, quæ non requirunt cognitionem sui ut contrahantur, cùm bonum commune postulet, ut ab ignorantibus contrahantur. Infideles tamen; cùm non sint subjecti legibus Ecclesiæ, non astringuntur impedimentis solius juris Ecclesiastici: unde ob illa separari non debent, si convertantur.

Quæst. I. *Quot sunt impedimenta impedientia tantùm?*

Resp. Sunt quatuor, quæ nunc certò vigent, & sub mortali obligant, cùm materia præcepti sit gravis. Hoc versu continentur.

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Primum itaque est Ecclesiæ vetitum, id est, prohibitio ab Episcopo vel parocho facta de non contrahendo, ob dubium impedimenti alicujus, donec veritas innotescat, cap. 2. *de matrim. contract. &c.* & cap. ult. *de clandest. desponsat.* Item prohibitio à Conc. Later. IV. & Trident. facta, ne contrahantur sine præviis denuntiationibus, vel earum dispensatione.

Secundum est tempus, quo nuptiæ sunt interdictæ, quod jure novo Concil. Trident. sess. 24. cap. 10. est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusivè, & à die Cinerum usque in octavam Paschæ inclusivè. Sed quia ibi loquitur de solemnibus nuptiis, jure communi secundùm multos solùm prohibetur hoc tempore sub mortali solemnitas nuptiarum, nempe benedictio sponsi & sponsæ, traductio sponsæ ad ædes sponsi, choreæ, & convivia nuptialia. Unde Rituale Rom. dicit solùm hoc tempore *solemnitates nuptiarum prohibitas esse; ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* Matrimonii tamen consummationem tunc prohiberi declaravit S. Congregatio, teste Fagnano, eo quod hæc non conveniat tempori devotioni & pœnitentiæ dicato. Imò ex consuetudine, vel jure particulari multarum diœcesum, Matrimonii celebratio dicitur etiam tunc non permitti absque speciali causa, & licentia Episcopi.

Tertium, sponsalia priùs cum alio contracta & nondum dissoluta. Quia tunc violaretur in re gravi fides alteri data, & promissio onerosa ei facta & ab eo acceptata, quæ obligat ex justitia graviter in re gravi, ex c. *Atho* 27. quæst. 2.

Quartum est votum simplex castitatis in sæculo servandæ, vel ingrediendi religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel nunquam nubendi, cap. 6. *Qui clerici &c.* Nam votum jure divino naturali obligat ad sui observationem, ne fides Deo data violetur. Validum tamen esse Matrimonium, ex cap. cit. Nam ex natura rei res alicui promissa potest alteri validè licèt illicitè dari. At votum simplex non corporis traditionem, sed solam promissionem complectitur. *Post votum simplex adhuc remanet homo dominus corporis sui, & ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori.* S. Thom. in 4. dist. 38. qu. 1. art. 2. quæst. 2.

Quæst. II. *Quænam observanda sunt circa Banna, seu denuntiationes futuri Matrimonii?*

Resp. Sequentia. 1. Licèt ad valorem Matrimonii non requirantur, cùm nullo jure ob earum defectum irritetur; tamen graviter præcipiuntur à Concil. Later. IV. & Trident. sess. 24. cap. 1. Quare qui sine illis, vel legitima dispensatione Episcopi contrahunt, & parochus assistens, peccant mortaliter. Quia violant præceptum Ecclesiæ in re gravi, ubi agitur, de gravissimis malis impediendis: nisi tamen excusaret urgentissima necessitas, qualis reperitur in articulo mortis; ut si concubinarius brevi moriturus velit & debeat con-

contrahere Matrimonium cum concubina, tunc si nequeat adiri Episcopus vel ejus vicarius, parochus per epichiam poterit interpretari legem illam in tali casu non obligare.

2. Ex præcepto fieri debent tribus diebus festivis continuis, non tamen immediatis, ab utriusque contrahentis parocho, vel parochis in Ecclesia inter missarum solemnia, nisi ex causa justa ordinarius dispenset, ex Concil. Later. IV. cap. 51. & Trid. sess. 24. cap. 1. Quare si contrahentes sint diversarum parochiarum, debent fieri denuntiationes in utriusque parochia: & tunc unus parochus non potest Matrimonio assistere, nisi habeat testimonium alterius parochi de illis factis. Quòd si alteruter sponsus non ita pridem in aliqua parochia commoretur, denuntiationes fieri debent eo in loco ubi diutiùs manserit, ut faciliùs impedimenta, si quæ fuerint, detegantur: Quoad vagos verò parochus nihil debet agere sine licentia ordinarii, ut jubet Conc. Tridentinum, (a)

3. Inter singulas proclamationes, item inter ultimam & ipsam Matrimonii celebrationem intercedere debet aliquod intervallum, juxta cujusque diœcesis statuta.

4. Est mortale si una è tribus omittatur nisi probabilis adsit suspicio Matrimonium posse malitiosè impediri; tunc enim Concil. Trident. permittit unicam denuntiationem præmitti, aut etiam nullam de licentia ordinarii, si hoc putetur necessarium ad amovendum periculum.

5. Si intra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, illæ repetantur, ni aliter Episcopo videatur. Ita *Rituale Rom.* quia interea possent sponsi contraxisse aliquod impedimentum.

6. Qui extra confessionem novit aliquod impedimentum, etiam occultum, inter nupturientes, tenetur sub mortali illud detegere, tum ex præcepto Ecclesiæ, tum jure naturali. Nam tunc agitur de bono communi, salute proximi, & valore Sacramenti; & quisque graviter tenetur, præsertim jubente superiore, impedire grave damnum proximi, qualis est nullitas Matrimonii, ex qua plura peccata & incommoda oriuntur, ut concubinatus, illegitimitas filiorum. Unde Conc. Camerac. ann. 1565. jubet excommunicari eum, qui verum impedimentum sciens reticuerit, sicut qui falsum finxerit.

Nec obstat quod nequeas probare impedimentum; nam unus testis fide dignus Matrimonium impedit, ex cap. 27. *de sponsal.* donec oppositum probetur. Quòd si inde orietur infamia denuntiato, teneris privatim admonere, ut à Matrimonio desistat: quòd si nolit, teneris monere parochum. Item quisque tenetur declarare si alteruter habeat impedimentum prohibens, ob præceptum Ecclesiæ; & quia quisque tenetur impedire peccatum proximi & peccati executionem, cum potest saltem sine suo gravi damno.

7. Parochus cognito impedimento, tenetur prohibere Matrimonium, nec ei assistere, sed remittere ad Episcopum vel ejus officialem.

Quæst. III. *Quot sint impedimenta dirimentia?*

Resp.

(a) In lib. VII. cit. Tract. cap. 69. num. 2. de publicatione matrimonii in Ecclesia facienda, hæc habentur „ Et ne recedamus ab exemplo matrimonii, cui hactenus institimus. Innoc. III. in Concilio Generali Lateranensi *relat. in cap. cum inhibitio, de clandestin. desponsat.* matrimonium priusquam celebretur, publicè in Ecclesia denunciari præcepit: eamdemque publicationem, ter faciendam statuit Tridentinum *cit. cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim.* nisi Episcopus, aut omnes, aut earum aliquam omittendam censuerit, quod ejusdem judicio, & prudentiæ relinquitur; Parochus autem matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio, trienoio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur *in cit. cap. Cum inhibitio, §. final.* a qua quidem suspensione, cujus tempus est à jure determinatum, non posse eumdem, intra triennium, ab Episcopo absolvi docent Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 52. num. 2.* Guttierez *de matrim. cap. 75. num. 22.* & Pontius *lib. 5. cap. 37. num. 11.* Ipsis vero Contrahentibus, quia Ecclesiæ mandatum, in re sane gravi, contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam, *in eod. cit. §. final.* statuitur: Testibus tamen, qui ejusmodi matrimoniis assistunt; nulla pœna, neque à Concilio Lateranensi, neque à Tridentino reperitur imposita: at nihilominus pleræque Diœcesanæ Synodi in illos duxerunt animadvertendum, pœna excommunicationis latæ sententiæ; quamvis porro Soto *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. §. Quo igitur* absonum visum sit, à particulari Synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, à qua infligenda Concilia Generalia abstinuerunt, ac proinde præfatas Constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earumdem validitatem propugnat, atque à Soti argumentis vindicat Sanchez *cit. lib. 3. disput. 46. num. 8.* etenim cum testes præfati authoritatem præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquunt: quapropter Synodales Constitutiones eorum culpam, debita coercentes pœna, nihil agunt contra Canones, sed Canones ipsos tuentur, ac fovent; sicuti animadvertit etiam Fagnanus *in cit. cap. Sicut olim num. 78. de accusat.* ubi loquens de Synodo Provinciali, quod in re, quam in præsens versamus, non plus auctoritatis habet, quam Diœcesana, ait: *Non tamen horum potestas adeo restringitur, quin multa statuere possint circa ea, quæ totam provinciam concernunt, præter jus commune... suisque decretis jus commune adjuvare, addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.*

Resp. Post Conc. Trid. sunt quindecim his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Porro est peccatum mortale contrahere cum aliquo ex hisce impedimentis: nam fit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, & attentatur Sacramentum, quod non potest effici. Hinc ne quidem metus gravis excusaret à peccato: nam vel cum aliquo ex his scienter contrahens ex metu gravi intenderet contrahere, & tunc tentaret Sacramentum, quod non potest efficere; vel solùm fingeret se intendere, & tunc fingeret se ministrare Sacramentum, quod non vult ministrare, quod utrumque est graviter injuriosum Sacramento.

I. *Error*. Si fit circa substantiam personæ, jure etiam naturali Matrimonium irritat. Quia impedit consensum in substantiam contractus, nempe in personam qua cum contrahitur: nam persona est substantiale ac primarium objectum Matrimonii, cùm sit res ipsa, circa quam contractus Matrimonii primariò versatur. At nullus est contractus fine consensu circa substantiale objectum illius. Idque etiamsi error sit solùm concomitans, quia adhuc deest consensus actualis positivus essentialiter requisitus ad hunc contractum: nam quod incognitum est, non potest esse actu volitum. Unde Lia pro Rachele obtrusa Jacobo, *Gen.* 29. non fuit verè ejus uxor, nisi postquàm ipse detecta fraude Liam acceptavit in uxorem.

Si verò error sit solùm circa qualitatem, seu accidentia personæ, ut nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem, &c. non dirimit Matrimonium, etiamsi alterius contrahentis dolus ei causam dedisset. Quia nihilominus adest consensus absolutus in personam, cum qua contrahitur, quæ est objectum directum ac substantiale hujus contractus: nam defectus accidentium non tollit substantiam rei, nec consensum absolutum in rem ipsam, causa 29. q. 1.

Excipe 1. Nisi error qualitatis redundet in errorem personæ, ut cùm qualitas personam determinat, distinguitque à quavis alia: ut si intendas contrahere cum primogenita, quam aliter non novisti, & ejus loco detur secundogenita; nam error circa talem qualitatem impedit consensum circa objectum substantiale per illam determinatum. 2. Nisi consensus datus sit solùm sub conditione talis qualitatis, circa quam erratur, ut si dicas: *Accipio te in uxorem si es dives:* vel *nobilis, &c. Secus, non te accipio.* Tunc enim qualitate ista non subsistente, Matrimonium nullum est, propter defectum consensus in personam alligati tali qualitati: nam consensus conditionatus non subsistit, non subsistente conditione, cui alligatur. Sed tunc requiritur ut contrahens habeat actu voluntatem non aliter contrahendi, vel antea habuerit nec revocarit. Verùm si conditio exteriùs non exprimatur, contractus in foro externo censetur absolutus: unde si quis interiùs consensisset tantùm sub conditione si sit dives, nobilis, &c. cogeretur illam ducere, & consensum absolutum dare.

II. *Conditio*. Conditio servilis ignorata, dum persona libera contrahit cum persona serva putans esse liberam, ex c. *Si quis ingenuus* 29. & ex cap. 2. & 4. *de conjugio servorum*. Ratio hujus impedimenti est, ut tollatur magna contractus inæqualitas, & ut impediatur gravis injuria personæ liberæ ignoranti illata. Valet tamen Matrimonium, si persona libera cognoscebat alterius servitutem, ex cap. cit. nam tunc consentit in illam inæqualitatem; vel si persona serva ducat aliam servam, putans esse liberam; quia par est utriusque conditio. *ibid.* Nomine personæ servæ hic intelligitur mancipium, in quod dominus habet plenum jus vendendi, donandi, & quibuslibet operibus se vilibus occupandi.

III. *Votum*. Scilicet votum solemne castitatis per professionem factam in religione approbata, vel per susceptionem Ordinis sacri, ex Conc. gen. Later. I. cap. 21. & Later. II. cap. 7. ex cap. un. de voto in 6. & ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9. ibi: *Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto... anathema sit.* Item votum simplex castitatis in Societate Jesu post biennium novitiatus emissum, ex Bull. Gregor. XIII. *Ascendente Domino*. Religiosi autem, moniales, clerici in Sacris constituti, & laici in gradibus prohibitis tentantes inire Matrimonium, excommunicantur ipso facto, ex *Clement.* de consang.

IV. *Cognatio*. Triplex est cognatio dirimens Matrimonium. Prima dicitur legalis,

& est vinculum, seu propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta, per quam persona extranea assumitur in filium vel filiam, ac hæredem necessarium, & transit in patriam potestatem adoptantis. Hæc Matrimonium dirimit in perpetuum inter adoptantem & adoptatum, adoptatique posteros usque ad quartum gradum inclusivè; inter adoptatum & uxorem adoptantis; item inter adoptatum seu adoptatam, & filios aut filias adoptantis, sed solùm usquedum liberi sint à potestate patria per mortem adoptantis, vel per emancipationem, cap. unic. *de cognat. legali*.

Secunda est cognatio spiritualis, quæ est vinculum, seu propinquitas personarum jure ecclesiastico inducta, ratione Baptismi & Confirmationis. Irritat Matrimonium inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nec non inter patrinos seu susceptores, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, item inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem. Inter hos & non plures contrahitur, ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 2.

Porrò non contrahitur à procuratore, sed à solo mandante, ut teste Fagnano resolvit S. Congregatio. Nam hic à solis parentibus baptizandi designatur, & patrinus reputatur, & ut causa principalis suscipit ac tangit per procuratorem tanquam per instrumentum, qui non agit nomine suo, sed mandantis. Contrahitur tamen etiam à laico baptizante in casu necessitatis; qui proinde non potest ducere puellam à se baptizatam, vel ejus matrem.

Tertia est cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, & est propinquitas seu conjunctio sanginis inter personas, vel ab eodem stipite propinquo descendentes, ut sunt fratres & cognati, vel quarum una descendit ab altera, ut sunt parer & filia, avus, neptis, &c. Hæc distinguitur per lineas & gradus.

Linea est ordinata series personarum sanguine junctarum, constans certis gradibus; & duplex est, nempe recta, & transversa seu collateralis.

Linea recta est ordinata series ascendentium & descendentium, ab eodem stipite directè procedentium, quorum scilicet unus ab altero descendit, ut patris, & filii, nepotis, pronepotis, &c. In hac linea juxta jus canonicum non computatur persona quæ est communis stipes, id est, ex qua aliæ ducunt originem.

Collateralis seu transversa est ea, quæ continet personas descendentes quidem ab uno communi stipite, seu quarum nulla descendit ab altera: unde dicuntur collaterales, ut sunt frater & soror, consobrinus & consobrina, &c. Per gradum hic intelligitur distantia personarum consanguinearum inter se à communi stipite.

Ad cognoscendos gradus hæ sunt regulæ. 1. In linea recta tot sunt gradus, quot generationes seu personæ dempto stipite: sive tot gradibus una persona distat ab alia, quot generationibus seu personis inferior à stipite descendit. Sic filius vel filia distat à patre & matre uno gradu; nepos vel neptis ab avo & avia duobus gradibus; & sic deinceps. 2. In linea collaterali si personæ æqualiter à communi stipite distent, eo gradu inter se distant, quo distant ab eodem stipite, sive tot gradibus inter se distant, quot generationibus descendunt à communi stipite. Sic frater & soror sunt in primo gradu, consobrini seu liberi fratrum in secundo, horum filii in tertio, & ita deinceps, c. *ad sedem* 35. quæst. 5. Nam cùm adæquata horum conjunctionis ratio sit unio cum stipite, non possunt magis, aut minus inter se distare quàm à stipite.

Si verò personæ inæqualiter distent à communi stipite, in gradu se contingunt, quo remotior distat à stipite. Nam personæ collaterales non debent magis, aut minùs inter se distare, quàm una distet à stipite, qui est horum propinquitatis ratio. Unde filia & frater patris sunt consanguinei in secundo gradu; & si una sit in quinto, altera in quarto, censentur esse inter se in quinto, sicque inter illas non est impedimentum, cap. *Vir* de consanguineis.

Consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ irritat Matrimonium saltem jure humano, ex resp. Nicolai I. ad consulta Bulgar. c. 39. Ibi: *Inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & nepotem, vel matrem & filium, vel aviam & neptem, & usque ad infinitum*. Imò juxta multos etiam jure naturali, saltem seclusa necessitate extrema conservandi speciem humanam: tum quia concubitum inter ascendentem & descendentem refugit ipsa natura, ut valdè indecentem; & gentes omnes ratione naturali duce eum nefandum habuere, ut patet ex l. ult. 9. de ritu nuptiarum, ubi dicitur: *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit*. Tum quia est contra reverentiam debitam progenito-

nitoribus: nam per conjugium fit æqualitas, seu mutua subjectio quoad debitum, & per actum conjugalem turpitudo quædam alterius revelatur, ex cap. 17. *Levit.* Quod repugnet reverentiæ quam descendentes debent ascendentibus: omnes quippe ascendentes habent rationem principii & superioris; descendentes verò loco liberorum habentur, cùm causa causæ sit etiam causa causati. Deus autem ut naturæ author & Matrimonii institutor, non censetur concessisse potestatem contrahendi matrimonium per se habens indecentiam ac repugnantiam cum natura rationali; & nemo habet potestatem tradendi dominium corporis sui, nisi dependenter à Deo qui est supremus rerum ac jurium omnium dominus. Certè omnes fatentur nullum esse jure naturæ Matrimonium in primo gradu, ut inter patrem & filiam, aut matrem & filium, quia id exigit reverentia specialis suo principio immediato debita.

Consanguinitas in linea collaterali nunc irritat matrimonium duntaxat usque ad quartum gradum inclusivè, cap. *Non debet*, de consanguin. ex Conc. gen. Later. IV. cùm antea usque ad septimum dirimeret; & quidem juxta multos jure naturali in primo gradu, ut inter fratrem & sororem, extra necessitatem conservandi, vel propagandi genus humanum. Quia conjugium fratris cum sorore continet gravem indecentiam, ut patet ex communi sensu hominum etiam ethnicorum, qui has nuptias semper exhorruere: unde Abraham, *Gen.* 12. judicavit Ægyptiis persuasum iri Saram non esse uxorem suam, si putarent eam esse ejus sororem. In aliis verò solo jure humano, cùm in secundo gradu possit Papa dispensare, ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 5. & infidelium Matrimonia in eo gradu valida sint, ex cap. 8. *de divort.* Ratio autem impedimenti consanguinitatis & affinitatis est. 1. Ob reverentiam quam ipsi consanguinei sibi mutuò debent, propter originem ob eodem stipite tractam, & sanguinis communionem. 2. Ad removendum periculum fornicationis, seu incestus, à quo valdè arcet impotentia Matrimonii secum ineundi: nam alioqui cùm consanguinei, & affines, aut in eadem domo commorentur, aut passim se invisant, & familiari consuetudine utantur, magnus fornicationi pateret aditus. 3. Ad amicitiæ vincula protendenda cum extraneis.

Nota 1. Consanguinitas inter duas personas, potest esse duplex ex duplici capite. 1. Quia sunt duo stipites: ut si duo fratres contrahant cum duabus feminis inter se consobrinis, liberi ex his duobus conjugiis nati erunt in secundo gradu ex parte patrum, & in tertio gradu ex parte matrum; & tunc dicuntur esse in secundo & tertio ex duobus stipitibus. 2. Quia licèt sit unus stipes, ab eo descendentes inter se Matrimonia contraxerunt, ex quibus nati liberi sunt dupliciter consanguinei. Cùm autem est duplex consanguinitas, tunc est quoque duplex impedimentum, quod exprimi debet in petitione dispensationis.

Nota 2. Graviter peccaret, qui etiam propter mortis periculum sine dispensatione absolutè contraheret cum persona consanguinea, vel affini in gradu prohibito, & copulam exerceret. Nam tunc cum Matrimonium sit nullum, copula esset fornicatio, imo incestus lege naturali prohibitus. *Azor.*

Nota 3. Spuriorum duorum liberi ac nepotes contrahunt eadem impedimenta Matrimonii inter se, & cum legitimis parentum filiis ac nepotibus. Quia hæc fundantur in communione sanguinis ejusdem, qui perinde spuriis ac legitimis communicatur.

V. *Crimen*. Duo crimina præter raptum irritant Matrimonium. Primum est homicidium, quo duo ex prævia conspiratione, etsi absque prævio adulterio, conjugem alterutrius occidunt, sive per se, sive per alium physicè, vel moraliter, consilio, suasione, imperio, ex intentione postea Matrimonium inter se ineundi, cap. 1. *de convers. infidel.* vel quo post admissum adulterium interficitur, etsi sine prævia conspiratione, conjux unius ab alterutro adultero, ex intentione contrahendi Matrimonium cum superstite conjuge, licèt mortem illam nolente, & ignorante, cap. 3. *de eo qui duxit*, &c. Nec refert an vir, an uxor occidatur.

Homicidium verò patratum sine intentione ineundi Matrimonii, vel sine prævia conspiratione & adulterio, non dirimit Matrimonium, quia jura exprimunt. Idem dic de tentata, sed non perfecta cæde, quia requiritur mortis machinatio efficax & perfecta: cùm leges illæ sint pœnales, ideoque strictæ interpretationis.

Secundum est adulterium sic commissum, ut adulteri ante, vel post adulterium, quantum est de se, Matrimonium ineant viva comparte, vel saltem promittant se inituros illa mortua, cap. ultim. *de eo qui duxit*, &c. Ad hoc autem necesse est. 1. Ut adulterium sit consummatum, & quidem scienter ut tale ab utroque commissum. 2. Ut promissio fa-

cta

cta sit tempore Matrimonii sive ante, sive post adulterium, & ab altero acceptata, non tamen ut sit mutua, nec juxta multos ut sit sincera. Ratio hujus impedimenti est, ne spe Matrimonii futuri sumatur ansa machinandi mortem conjugis. At valet Matrimonium inter adulteros post mortem conjugis, nisi alteruter ejus necem machinatus fuerit, vel dum viveret Matrimonium promiserit, cap. *6. de eo qui duxit*, *&c.*

VI. *Disparitas cultus seu religionis*. Hæc irritat Matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam. Idque solo jure ecclesiastico per universalem & antiquissimam consuetudinem vim legis habentem, non tamen ante sextum sæculum inducto. Unde sancta Monica, teste S. Augustino, l. 9. Confess. cap. 9. nupsit viro infideli, & sancta Clotildis Clodovæo Regi nondum baptizato.

At valet Matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica (*a*) vel cum apostata baptizato, cùm nullo jure irritetur, licèt sit prohibitum jure ecclesiastico, imò & naturali, si sit morale periculum subversionis. Secluso tamen periculo, & positis certis conditionibus, secundùm communem sententiam, licitum est ex dispensatione Papæ: & reipsa hanc Urbanus VIII. ob communem religionis utilitatem concessit Henricæ Borboniæ, ut nuberet Carolo Anglorum Regi Hæretico.

VII. *Vis*, si injustè inferatur, pœnis, vexationibus, minis, quæ metum gravem incutiant ad consensum extorquendum. Nam metus gravis injustè à quovis etiam alio tertio incussus ad extorquendum consensum, irritat Matrimonium. Cap. 14. 15. & 28. *de sponsal.* sufficit metus mali gravis probabiliter imminentis, sive illud sit grave absolutè; & in se, sivè tantum respectivè ad timentem; æque enim notabiliter tollit injustè voluntarium perfectum. Ratio impedimenti est, quia si esset validum, cùm natura sua sit indissolubile, injuria numquam posset tolli, nec pars innocens in priorem statum restitui; & inde gravissima incommoda sequerentur: nam Matrimonia coacta infelices habere solent exitus, cùm non fundentur in mutuo amore. Præterea fidelium Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fundatur in amore libero ac voluntario, non in coactione.

Dixi 1. *metus gravis*: nam levis metus etsi injustus, non irritat ex cap. 6. *de sponsal.* quia non notabiliter minuit libertatem, & faci-

---

(*a*) De matrimonio personæ Catholicæ cum Hæretica, vide lib. VI. cap. 5. ejusdem Tractatus de Synodo Diœcesana, ex quo sequentia referimus; „ In Divinis, *inquit*, cum Hæreticis communicant Catholici, qui cum iisdem sese matrimonio jungere non dubitant; Etenim cum matrimonium unum sit ex septem Ecclesiæ Sacramentis, à Christo Domino institutis, idem est matrimonium cum Hæretico contrahere, ac unum, idemque Sacramentum, una cum eodem, vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint talis Sacramenti ministri, quod magis communiter opinantur Scholastici, vel saltem percipere, si scilicet, quod alii, præsertim ex recentioribus Theologis autumant, illius minister sit solus Sacerdos: utrumque autem, & illicitum, & sacrilegum esse, nemo dubitat: Quare Ecclesia iisdem fere legibus quibus Christianis interdixit, ne connubia inirent cum Infidelibus, Catholicos pariter à sacrilegis nuptiis cum Hæreticis contrahendis, deterruit: Concilium Laodicenum *can.* 10. (*tom.* 1. *collect. Hard. col.* 784.) ait: *Quod non oporteat indifferenter Ecclesiastico fœdere nuptiarum Hæreticis suos filios filiasque conjungere*; Agathense *can.* 67. relato à Gratiano XXVIII. *q.* 1. *can.* 16. *Non oportet cum Hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profiteantur Christianos futuros esse se, & Catholicos*; Concilium Chalcedonense *can.* 14. Lectoribus, & Cantoribus, inter inferiores Clericos interdicit: *Hæretico, vel Pagano, vel Judæo se conjungere, nisi forte promittat se ad orthodoxam Fidem persona Orthodoxa copulanda transferre*; hasce vero sanctiones roboravit Bonifacius VIII. *in cap. Decrevit, de Hæreticis in* 6. ubi dote privandam statuit mulierem, quæ scienter alio hæretico nupserit. In igitur in provinciis, in quibus ejusmodi conjugia, non sine sacrorum Canonum contemptu, passim celebrantur, debet Episcopus, in sua præsertim Synodo, ab illis, in propriarum animarum perniciem contrahendis Catholicos absterrere, quod Nos faciendum ediximus *in nostra Constitutione* 34. §. 3. *nostri Bullar. tom* 1. præcipuæ quinque Episcopalis muneris partes erunt, maxima Catholicis denuntiare pericula, quæ tam ipsis, quàm nasciture soboli, ex præfatis imminet nuptiis, quæ propterea cohonestari nequeunt, obtentu solius consuetudinis (verius corruptelam diceremt) nisi ea amoveantur pericula, quod tamen vix evenire posse, recte notant Layman *Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *parte* 4. *cap.* 14. *num.* 2. Piringh *ad tit. de sponsal. & matrim. num.* 166. Reiffenstuel *ibid. num.* 560. Engel *ad tit. de matrim. contract. contra interdict. Eccles.* §. 2. *num.* 2. Gobat. *Theolog. experim. tract.* 9. *cap.* 11 *num.* 286. Nicolaus Serarius *in opusc. de Catholicorum cum Hæreticis matrimoniis*, Van-Espen *I. E. p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 9. *num.* .. aliique passim.

„ 4. Curam insuper idem sibibit Episcopus ritus nuptiarum, quæ à Catholicis celebrantur, in locis Hæretico Principi subjectis; ut enim legibus pareant, ab eodem Principe latis, pœnasque evadant transgressoribus inflictas, coguntur alicubi Catholici, matrimonium inter se contracturi, Acatholicum Ministellum adire, suumque in conjugium consensum, coram eo præstare: dubitatur autem an id, sine piaculo fieri queat. Certum utique est, ita initum matrimonium, viribus carere, si inibi publicatum fuerit Tridentini decretum *cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.* nec consentientes, veros conjuges fieri, nisi, sive antea, sive postea, juxta præscriptam à Tridentino normam, matrimonium celebraverint, coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove

facilè contemni potuit. 2. *Injustè*: nam si metus sit justè incussus ab homine, valet Matrimonium, ex cap. 10. *de sponsal.* & cap. 2. *de adulter.* quia fuit sufficienter voluntarium in suo principio, & nulla intervenit injuria. Sic valet ex metu justæ excommunicationis, vel pœnæ à judice intentatæ contractum. Unde qui contraxit sponsalia, compelli potest metu censuræ ad matrimonium, cap. cit. Imò valet etiamsi metus justè incutiatur à privato homine, ut si stupratori filiæ suæ minas pater intentet se eum apud judicem delaturum, nisi eam ducat. Nam qui justè procedit, non dicitur vim inferre: secus, si minetur se eum occisurum. 3. *Ad extorquendum consensum*: nam si metus injustè incutiatur ob alium finem, v. gr. vindictam, ut si quis ad placandum inimicum necem minantem ducat ejus filiam, vel si injustè detentus in carcere ob aliam causam, ut eo se liberet, ducat filiam judicis, vel custodis, valet Matrimonium. Quia ille metus, ut supponitur, non est per se directè causa Matrimonii, sed tantùm occasio; nam ille sponte tale medium evadendi eligit. 4. *A quovis alio*, *&c.* Nam si metus ortus sit à causa naturali, vel sponte susceptus, v. gr. ex metu naufragii, seu mortis instantis, valet Matrimonium: quia tunc sine alterius injuria, & à nullo alio nisi à se ipso compellitur ad contrahendum. *Vide dicta de metu in Contract.*

VIII. *Ordo sacer*, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, ob annexum votum solemne castitatis, & legem ecclesiasticam, cap. 1. *de cleric. conjug.* & ex Conc. general. Lateran. I. cap. 21. & Lateran. II. cap. 7. Trident. sess. 24. can. 9.

IX. *Ligamen* est vinculum prioris conjugii sive rati tantùm, sive consummati, quo durante secundum jure divino est invalidum: nam in lege nova polygamia nec licita nec valida est. Hinc conjux non potest aliud Matrimonium inire, nisi habeat certitudinem moralem de morte compartis, cap. 2. *de secund. nupt.* ibi: *Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quòd ab hac vita migravit conjux ejus*. Alioqui enim exponeret se periculo mœchandi.

Quod si post contractas bona fide secundas nuptias dubitet de morte prioris conjugis, tenetur quam primùm diligenter inquirere veritatem, & interim abstinere à petendo debi-

---

„ Sacerdote, Parochi vices gerente, & duobus testibus: Sed difficultas tantum est, an postquam Tridentini sanctioni sunt obsequuti, aut ad eidem postea obsequendum sunt parati, ii ite possint etiam legibus Patriæ obtemperare, & coram Heterodoxo Ministello se sistere. Negat Lessius *in auct. cas.* 24. V. *Hæreticorum conversatio*, cjusque opinio verissima esset, si Hæreticus Ministellus adhiberetur, tanquam persona sacra, quæ sacram cæremoniam intenderet exercere, ac per eam sanctitatem tribuere contractui matrimoniali; tunc siquidem viderentur Catholici eum agnoscere tanquam legitimum Christi Ministrum, ritumque hæreticum approbare, & profiteri: Verum, cum plerumque res aliter se habeat, illeque Catholicorum matrimoniis solum assistat, tanquam Minister mere politicus, neque virtute verborum, quibus conjugibus bene apprecatur, ullam credat sanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum esse, nostri temporis Hæretici communiter inficiantur, rectius idcirco se eidem sistentes Catholicos, ut patriæ legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quæ secus sibi imminerent, à culpa excusant Joannes Velruys *in suo Pastorali tract.* 13. *art.* 7. Arsdekin *Theolog. tripartita tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 4. *de matrim. cap.* 8. §. 2. *num.* 17. La Croix *lib* 6. *part.* 3. *de matrim. num.* 775. Piette *qu. Theolog. p.* 6. *pag.* 441. In hac quoque sententia fuit sacra Congregatio sancti Officii, quæ hanc quæstionem diligenter, uti solet, examinavit, & die 29. Novembris anni 1672. in eum qui sequitur modum, definivit: *Catholici qui matrimonio juncti sunt coram Parocho, & testibus Catholicis in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram Ministro Hæretico, seu Protestante rursus conjungi, ad evitanda gravia damna; neque potest consuetudo hæc à Clero corrigi. Peccant ne? Et quo peccato Catholici, sic denuo conjuncti coram Ministro Hæretico? Et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius loci? S. Congregatio respondit: Quatenus Minister assistat matrimoniis Catholicorum, uti Minister politicus, non peccare contrahentes. Si vero assistat, ut Minister addictus Sacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.*

„ 5. Huic sacræ Congregationis sententiæ nostram Nos auctoritatem adjecimus, *in nostra Constit.* 89. §. 10. *nostri Bullar. tom* 1. ubi Fidelibus degentibus in regno Serviæ, finitimisque regionibus, interdiximus, ne, matrimonio inter se, Catholico ritu, celebrato, illud renovare præsumant coram *Caddi*; nostram tamen interdictionem, hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum cæremonia explenda, coram *Caddi*, actus sit mere civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat. Hujuscemodi decreta in unum collecta, & disertius explicata juste ac sancte, præcipuum locum occupabunt in Synodo, si quæ fiat ab Antistite, seu Vicario Apostolico, cui concredita sit cura Fidelium, loca incolentium, Hæretico Principi subjecta; quinimmo oportebit eidem Synodo adjungere instructionem, qua soleter edoceantur Fideles prædictam civilem cæremoniam, coram Hæretico Ministello explendam, vires, & firmitatem non tribuere conjugiis Catholicorum, quibus propterea abstinendum erit ab omni conjugali consuetudine, nisi suas nuptias coram Ministro Catholico, & duobus testibus rite celebraverint. Inepte autem similes instructiones intruderentur in Synodum Diœcesis, ab Hæreticorum regionibus quam longe dissitæ,

debito, non tamen à reddendo, nam petendo exponeret se periculo fornicandi; & negando inferret injuriam possessori bonæ fidei. Si verò de prioris conjugis vita constiterit, tenetur posteriorem statim relinquere, & ad priorem reverti, ex eod. cap. nam subsistit prius Matrimonium, & posterius invalidum est.

Si verò uterque mala seu dubia fide processit, neutri licet petere, & reddere debitum: quia neutri est possessio juris pro petendo debito; nam possessio juris inchoari nequit cum mala vel dubia fide. Si autem unus tantùm cum dubio contraxit, hic non potest petere debitum, etsi debeat reddere: nam contraxit mala fide, & sine judicio prudenti de morte conjugis.

Porrò sola absentia multorum annorum, nec sola fama fundat certitudinem moralem sufficientem. Sed requiritur testimonium authenticum mortis conjugis, approbatum ab Ordinatio, sine cujus licentia parochi non debent tunc agere. Quòd si desit testimonium authenticum conjugis jam diu absentis, necesse est ut hanc testentur homines fide digni.

X. *Honestas*, seu justitia publicæ honestatis, est quædam affinitas, seu propinquitas personarum jure civili & canonico inducta, proveniens vel ex sponsalibus validis & absolutis, vel ex Matrimonio rato non consummato, ob publicam morum honestatem. Si ex sponsalibus oriatur, Matrimonium irritat solùm inter sponsum & consanguineam sponsæ in primo gradu, & vicissim, ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 3. Idque etiam si sponsalia posteà fuerint justè dissoluta, cap. *Si quis* 27. quæst. 2. etiam mutuo consensu ex cap. 5. *de desponsat. impub.* Nam hoc impedimentum non à contrahentium voluntate pendet, sed ab Ecclesiæ, quæ illud constituit, instituto, & quæ voluit illud esse perpetuum; eo quod non deceat Matrimonium contrahi inter personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia. Si ex matrimonio ratio oriatur, irritat usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, ut declaravit Pius V. in Bulla 62. asserens Conc. Trident. circa hoc nihil innovasse.

XI. *Ætas*, nempe impuberum; nam horum Matrimonium illicitum & irritum est jure canonico, cap. 10. *de desponsat. impub.* Valet tamen Matrimonium inter pubertati proximos, qui jam habent sufficientem ad id discretionem rationis & potentiam generandi, ex cap. 9. eod. tit.

XII. *Affinitas* est conjunctio seu propinquitas personarum orta ex copula carnali completa, seu per se sufficiente ad generationem prolis, sive licita, sive illicita. Oritur inter consanguineos viri & solam mulierem, item inter consanguineas mulieris, & solum virum. Ratio est, quia vir & mulier per copulam carnalem fiunt una caro; ac proinde consanguinitas unius fit consanguinitas alterius, & vicissim, cap. *Porro* 35. quæst. 5. Affinitas quæ oritur ex licita, seu conjugali copula, irritat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè in linea collaterali, perinde ac consanguinitas, c. 8. *de consanguin.* quod in hac parte non fuit correctum. Quæ oritur ex illicita copula, solùm irritat usque ad secundum inclusivè ex jure novo Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 4. ita ut jam in ulterioribus gradibus Matrimonium sit validum, imo & licitum, ut declaravit Pius V. bulla 62.

Nota 1. In affinitate lineæ & gradus eodem modo computantur, quo supra in consanguinitate: unde quo gradu aliquis consanguineus est uni conjugum vel copulatorum, eodem gradu affinis est alteri. Sic consanguinea uxoris in primo & secundo gradu, & vicissim consanguineus mariti in primo & secundo gradu, affinis est uxori in iisdem gradibus.

Nota 2. Hoc impedimentum est solùm juris humani. Excipiunt multi gradum primum lineæ rectæ, ut inter privignum & novercam, vitricum & privignam: quia omnes gentes bene institutæ talia connubia ob indecentiam abhorruerunt, ex 1. ad Cor. 5. & ex l. 4. *Codic. de nupt.* Enim verò cùm vitricus & noverca per copulam conjugalem facti sint una caro, privigna vitrico eamdem fere reverentiam debet, quam deberet matri. Quare Matrimonium inter tales dedecet naturam rationalem; ideoque Deus illud validè contrahendi potestatem non dedit.

Nota 3. Copula incestuosa cum consanguineis conjugis non dirimit Matrimonium validè contractum, cùm sit insolubile, sed privat nocentem jure petendi debitum, non tamen facultate reddendi, ne pars innocens privetur suo jure ob alterius delictum, c. 4. & 10. *de eo qui cognovit &c.*

Nota 4. Consanguinei conjugum vel copulatorum non fiunt affines inter se. Sic consanguinei uxoris non sunt affines consanguineis viri; nec hi illis, cap. 5. *de consang.* Hinc duo fratres validè contrahunt cum duabus sororibus, & filius mariti ex alio conjugio

gio cum filia uxoris ex alio pariter conjugio suscepta.

XIII. *Clandestinitas*. Matrimonium clandestinum est illud, quod non contrahitur coram parocho proprio, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, & duobus saltem testibus. Est invalidum in omnibus locis, ubi Concil. Tridentin. decretum de hoc promulgatum vel receptum est, ut patet ex his verbis decreti, sess. 24. cap. 1. *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat*. Quamvis autem ante Concil. Tridentin. ejusmodi Matrimonia fuerint valida, semper tamen fuerunt & sunt ubique illicita: nam *Ecclesia justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit*. Concil. Trident. ibid. Circa hoc. (a)

Nota 1. Requiritur parochus domicilii, aut saltem quasi domicilii, sive viri, sive mu-

(a) Vide cap. 68. lib. VII. laudati Tractatus, quod integrum transcribimus. „ In Diœcesi Valentina sæpissime eveniebat, ab uno eodemque cum pluribus sponsalia contrahi, atque inde fiebat, ut graves inter utriusque partis consanguineos orirentur discordiæ, & frequenter in judicio litigandum esset, quænam sponsalia prævalerent, aliisque forent præferenda: ad prospiciendum diœcesis tranquillitati, & tot præcidenda litigia, rogatus fuit Archiepiscopus, ut in sua Synodo statueret, nulla, atque irrita in posterum futura sponsalia, quæ sine præsentia Parochi, duorumque saltem testium contraherentur: sed prudens Archiepiscopus porrectis sibi precibus abnuit; tantam quippe potestatem sibi inesse non existimavit extendendi ad sponsalia decretum Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* quo irrita fiunt clandestina conjugia. Actum fuit de hac re, in sacra Congregatione Concilii, quæ Archiepiscopi sententiam approbavit, ejusque commendavit consilium: Siquidem Tridentinum, in citato decreto nihil innovavit, circa sponsalia, eaque reliquit sub dispositione juris communis, juxta quod etiam remotis arbitris, valide contrahuntur, quod habetur *lib.* 1. *decretor. pag.* 99 *& pag.* 226. legi etiam potest *nostra Notific.* 46. ubi prolixe de hac materia disseruimus.

„ 2. Alter Archiepiscopus ad eliminandum abusum, nimium in dies in sua diœcesi inolescentem, ut matrimonium contraherent, nulla præmisse illius denunciatione, infirmitatis prætextu, Parochum arcesserent, & coram eo, licet invito, & reluctante, ac duobus testibus, matrimonium inirent, Constitutionem promulgavit, qua, adempta Parochis facultate assistendi matrimoniis, quibus non præcessissent debitæ denunciationes, matrimonia ita contracta, nulla, atque irrita decrevit, & declaravit. Sed re delata ad sacram Congregationem Concilii, hæc, teste Cardinali de Lugo *respons. moral. lib.* 1. *dub.* 45. Archiepiscopo mandavit, ut quantocyus suam revocaret Constitutionem: omissio quippe denunciationum, sine Episcopi dispensatione, reddit utique matrimonium illicitum, non tamen efficit invalidum: neque in Episcopi potestate est novum statuere impedimentum dirimens, quod à solo Summo Pontifice potest induci, ut pluribus demonstrant Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 1. *n.* 9 & Pontius *lib.* 6. *de matrim. cap.* 1. *num.* 12. Quocirca eadem Sacr. Congregatio Concilii, apud eumdem Sanchez *lib.* 3. *disp.* 21. *num.* 12. validum definivit matrimonium, celebratum coram Parocho, cui ab Episcopo sit generatim interdictum, ne matrimoniis assistat: *Congregatio Cardinalium respondit, valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat; is enim adhuc est vere Parochus*, suæque retinet Parochiæ titulum, & propterea omnibus præstat qualitatibus, quas Tridentinum exposcit, ad matrimonii validitatem; prohibitio autem Episcopi solum operatur, ne ille licite, non itidem ne valide assistat.

„ 3. Aliud esset de matrimonio celebrato, contra interdictum Papæ, munitum decreto irritante: Siquidem cum Papa possit, per suam universalem legem, novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest, etiam in aliquo speciali eventu, prohibere, ne, inter peculiares personas, matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum, sit irritum, quemadmodum adnotarunt Alexander de Nevo, & Calderinus *in cap. Tua, de sponsa duorum*, docentque Barbosa *in cap. Ad dissolvendam, num.* 4. *de desponsat. impuber.* Leander *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 23. *de impedimentis matrimonii, qu.* 3. Becan. *in Summ. tit. de Sacram. cap.* 49. *quæst* 1. *num* 6. Schmalzgrueber *ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 16. *num* 9 Sola vero prohibitio, sine decreto irritante, producit dumtaxat impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium. Quamobrem Alexander III. *in cap. Ex litteris de matrimon. contract. contra interdict. Eccles.* validum pronuntiavit matrimonium initum, contra Episcopi inhibitionem, & adhuc pendente lite, super prævits sponsalibus à contrahentium altero, cum alia personæ stipulatis: quod si idem Pontifex *in cap. Tua fraternitas de sponsa duorum* irritum declaravit matrimonium, contra Episcopi inhibitionem, contractum post aliud matrimonium antea initum, sed nondum carnali copula consummatum, non ideo secundum matrimonium irritum dixit, quia esset celebratum, contra Episcopi interdictum, sed quia ei aliud obstabat matrimonium, quod licèt dumtaxat ratum, adhuc tamen induxerat impedimentum dirimens alterius matrimonii, postea attentati, quod integram Decretalem legenti manifeste patet, ponderatque Gonzalez *in cap. De muliere, de matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ, num.* 2.

„ 4. Non prohibetur tamen Episcopus, severissimis pœnis, illorum refrænare proterviam, qui, contra interdictum Ecclesiæ, matrimonium contrahere præsumunt, quod cum communi tradit Sanchez *lib.* 3. *disp.* 46. *num.* 7. notans insuper, eas pœnas non esse à jure præfinitas, sed ejusdem Episcopi permitti arbitrio: Verum etiam in his decernendis, cavere debet; ne sua abutatur libertate, & jus commune infringat, quod alio exponemus exemplo. In Synodo Salmanticensi, edita olim fuerat Constitutio, cujus meminit Covarruvias *in* 4. *Decretal* 2. *part. cap* 6. *num.* 4 qua, excommunicatione latæ sententiæ innodabantur con-

mulieris. Nam Concil. requirit præsentiam *parochi*, *non parochorum*; neque exprimit an viri, an mulieris: unde censetur liberam relinquere electionem, & ita sacra Congregatio declaravit, ut testatur Fagnanus ad c. *Quòd nobis*, de cland. desponf. Ad domicilium autem alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi semper habitandi. Ad quasi domicilium sufficit habitatio cum voluntate ibi manendi longo tempore, vel majore anni parte. Juxta multos sufficit parochus quasi domicilii; ita ut studiosi in academiis, milites in præsidiis, opifices, famuli, & qui majore anni parte alicubi habitant, vel habitaturi venerunt, possint coram parocho loci contrahere. Quia contrahunt ibi domicilium parochiale in ordine ad confessionem & alia sacramenta, excepto Ordine. Is autem est proprius parochus ad assistendum Matrimonio, qui, in cap. *Omnis*, de pœnitent. &c. appellatur proprius sacerdos. Idem declaravit pluries Sac. Congregatio; teste Fagnano, in cap. *Significavit*.

Nota. 2. Episcopus per se ipsum, vel sacerdotem à se deputandum, validè assistit; cùm sit supremus parochus in tota diœcesi. Idem est de vicario generali Episcopi; nam unam & eandem suo modo potestatem jurisdictionis habet cum Episcopo.

Nota. 3. Parochus domicilii & testes debent esse simul præsentes, etiam moraliter, ita ut intelligant quid agatur; quia requiritur talis præsentia ut possint testari veritatem Matrimonii. Quare non sufficit, si contrahentes consensum explicent, modò coram solo parocho, & postea coram solis testibus absque parocho, nam Concil. Tridentin. copulativè exigit præsentiam parochi & testium. Nec etiam sufficit simultas moralis, sed requiritur physica; quia hìc exigitur præsentia parochi & testium, ut plenè constare possit Ecclesiæ de Matrimonio: ad quod requi-

" trahentes matrimonium, non præmissis publicationibus, à Tridentino præscriptis; & præterea decernebatur, hac excommunicatione irretitos, statim esse evitandos, licet non essent publice, ac nominatim denuntiati. At ejusmodi Constitutio, quoad secundam sui partem sustineri minime potuit, quoniam evitandos pronuntiabat, qui, juxta Canonicas sanctiones, evitandi nequaquam sunt. In celebri enim Extravag. Martini V. incipien. *Ad evitanda*, edita in Concilio Constantiensi, evitandi decernuntur solum excommunicati, publicè, & nominatim denuntiati, ac publici, & notorii Clericorum percussores; uti ponderant Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 46. num.* 10 & Cardinalis de Lugo *cit. dub. 45. num.* 5. Quamvis vero Fagnanus *in cap. Quod à Prædecessore, num. 55. de Schismaticis* probare conetur, evitandos etiam esse quoscumque, qui Facti notorietate certo dignoscuntur in excommunicationem incidisse, juxta posteriorem sanctionem Concilii Lateranensis V. *sess. 11. §. Statuimus autem*, ejus tamen doctrina fere communiter rejecta est, cum ubique moribus sit recepta laudata Constitutio *Ad evitanda*, quod testantur Suarez *de cens. disp. 9. sect. 25.* Layman *Theolog. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 4 num. 1.* Cabassut. *in theoria, & praxi jur. Canonic. lib. 5. cap. 11. num. 3* Cardinalis Albitius *de inconstantia in Fide cap. 18. num. 23.* Engel. *ad lib. 5. Decretal. tit. 39. num. 56.* Vviestner *ibid n. 63.* Reiffenstuel *n. 238.*

" 5. In diœcesi Kioviensi, atque in tota Ruthena provincia, numquam promulgatum fuerat sæpius laudatum decretum Tridentini *sess. 24. cap. 1. de reform. matrimon.* ad præcidenda nihilominus scandala, quæ ex clandestinis conjugiis, in maximam animarum perniciem, proveniebant, in Diœcesana Synodo Kioviensi, habita die 31. Octobris 1619 atque in Synodo Provinciali Ruthena, habita die 6. Augusti 1616. Constitutiones sunt editæ, in quibus irrita declarata sunt matrimonia, aliter quam coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus celebrata, eodem plane modo, quo à Tridentino statutum fuerat, licet nulla Tridentini fuerit in illis facta mentio; simulque jussi sunt singuli Rutheni Parochi, eas Synodales Constitutiones, per suas ecclesias, quamprimum promulgare, sicuti etiam à Tridentino fuerat præscriptum: Iis vero, qui post hanc publicationem, sine Parochi, & duorum saltem testium præsentia, matrimonium contraxerunt, injuncta est separatio, & veluti nullo inter se legitimo connubii fœdere obstrictis, libera facta est potestas, transeundi ad alia vota.

" 6. De hisce decretis acriter disceptatum fuit, cum in sacra Congregatione de Propaganda Fide, tum in sacra Congregatione Concilii: scripserunt in utramque partem Theologi, & Canonistæ, quorum nonnulli existimarunt, nihil esse dubitandum de validitate Constitutionum, quæ ad amussim respondebant, & verbis, & menti Concilii Tridentini, quod ideo non fuit expresse nominatum, ne illius nomine audito, Rutheni schismatici, quibus est invisum, magis, magisque ab unione retraherentur, & ne similiter Græci, ab Orthodoxa Ecclesia separati, occasionem inde arriperent spargendi in vulgus, Latinos, velle suos mores, & ritus in ipsorum Ecclesiam invehere, quam calumniam nobis impingunt, ut plebis animum à Latinis avertant, atque in schismate obduratum detineant.

" 7. Alii ex adverso fuerunt in sententia, præfata Synodalia statuta, quamquam Tridentino omnino conformia, viribus tamen carere, quod hac ratiocinatione manifeste confici sunt arbitrati: Tridentinum noluit suum decretum, quo irrita fecit matrimonia clandestina, quempiam afficere, & ligare, nisi post triginta dies, ab ejusdem decreti publicatione, facta in parochia, in qua ipse degit: *Decernit insuper* (sunt verba Tridentini) *ut hujusmodi decretum, in unaquaque parochia suum robur, post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.* At in Parochialibus Ecclesiis Ruthenis nunquam prædictum Conciliare decretum fuit promulgatum; itaque matrimonia inibi, aliter contracta, quam Tridentinum præscripserit, non possunt esse irrita, virtute decreti ejusdem Tridentini. Unice igitur restat, ut irrita sint, virtute Constitutionum à Synodis Ruthenis editarum, earumdemque Synodorum nomine, atque auctoritate, per singulas parochias promulgatarum, hoc autem contingere nequa-

quiritur simultas physica parochi & testium, alioqui essent solùm testes singulares. *Ita Sanchez*. At non obest valori Matrimonii, si repugnent: quia Concil. eorum præsentiam non consensum requirit, & sine hoc obtinetur finis decreti, qui est, ut tale Matrimonium Ecclesiæ constare possit. *Sacra Congregatio* (inquit Fagnanus in cap. *Quoniam*, l. de constitut.) *declaravit validum esse Matrimonium contractum coram parocho etiam invito, & per vim adhibito, qui sibi aures obturaverat. Item coram parocho tam viri quàm mulieris etiam in aliena parochia, etiamsi Episcopus illi Matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam minoribus tantùm ordinibus initiato, qui non potest tamen legare nisi sacerdotem*. Imò valet contractum coram parocho suspenso, excommunicato, vel irregulari, ut declaravit Sac. Congregatio Cardinal. teste eodem Fagnano. Graviter tamen peccant, qui coram parocho invito contrahunt: quia gravem admittunt irreverentiam in Ecclesiam, cujus ille personam sustinet, nisi irrationabiliter contradiceret, nec posset adiri superior.

Nota 4. Secundùm multos, ad valorem sufficiunt quilibet testes ratione utentes. Nam nulli excipiuntur à Concilio: & concurrunt cum alio fide digno, nempe parocho, cujus habilitas supplet.

Nota 5. Vagi, & qui nullibi certas sedes habent, debent contrahere coram parocho loci, in quo versantur dum contrahunt. Quia nullus alius est proprius eorum parochus, & ex Concil. sess. 24. cap. 7. ubi *Parochis præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint*, num scilicet liberi ac idonei sint ad contrahendum; *& re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*.

Nota 6. In locis hæreticorum, ubi Conc. Tridentinum promulgatum fuit, ut in Hollandia, ex dispensatione Ecclesiæ valet Matrimonium catholicorum sine præsentia parochi contractum, si ibi nullus sit parochus catholicus, nec ejus vices supplens, vel si nequeat sine gravi periculo adiri aut advocari, modò adhibeantur saltem duo testes, ut declaravit Sac. Congregatio, teste Bellarmino, in epist. ad Octavium Tricar. Episcop. Nam

,, quam potest: nulla quippe peculiaris Synodus potest inducere novum impedimentum dirimens matrimonium, seu hujus contrahendi novam formam præscribere, sed est ad id necessaria supsema auctoritas, vel Concilii Oecumenici, vel summi Pontificis.

,, 8. Hanc postremam opinionem amplexata est sacra Congregatio, quæ die x. Decembris 1628. rescripsit, Synodalia decreta Ruthena, per Parochias publicata, non potuisse firmitatem adimere matrimoniis, contra formam in iisdem statutam, contrahendis. & propterea valida definivit matrimonia clandestina, inita post eorumdem decretorum promulgationem; quodque hinc necessario consequebatur, redintegrari jussit conjugia, hoc tantum nomine rescissa, quod aliter essent celebrata, quam Synodales exposcerent Constitutiones; conjugesque ea de causa separatos ad cohabitationem instaurandam adegit, idque etiamsi, post separationem alias celebrassent nuptias, quarum validitati obstabant primæ, jam legitime contractæ. Ut porro deinceps incommoda averterentur, quæ ea clandestinis proveniunt matrimoniis, eadem Congregatio consuluit Sanctissimo, ut per suas Apostolicas litteras in forma Brevis, iisdem fere verbis conceptas, quibus Tridentinum utitur, conjugia aliter, quam coram alterutrius contrahentium Parocho, & duobus, aut tribus testibus in posterum contrahenda, irrita decerneret, easque litteras per singulas Parochias Ruthenas præciperet promulgari.

,, 9. Eamdem sententiam, in qua, post novum examen, eadem Congregatio perstitit die 20. Martii 1629. approbavit, confirmavitque Urban. VIII. simulque deputavit particularem Congregationem, quæ de modo deliberaret, quo literæ Apostolicæ essent formandæ: habita est hæc Congr. die 20. Aprilis ejusdem anni 1629. eaque suggerente, scripta fuere duo Brevia, alterum, in quo demandabatur publicatio Decreti Concilii Tridentini, expresse, & nominatim; alterum, in quo ipsemet Pontifex, verbis tamen à Tridentino acceptis, & facta insuper Tridentini mentione, nullius roboris decernebat nuptias, quæ sine Parocho, & testibus in posterum fierent. Utrumque Apostolicum Breve transmissum fuit ad Nuntium Apostolicum, eique insinuatum, ut nisi ab expressa publicatione Tridentini turbas, & tumultus excitandos prævideret, uteretur primo Brevi; sin minus urgeret promulgationem secundi, per quamlibet Parochiam, non tanquam Decreti Tridentini, sed tanquam Constitutionis Pontificiæ; Parochis autem injungeret, ut populo declararent, Pontificiam Constitutionem vim habituram, post triginta dies ab ejusdem publicatione, in Parochia factam, numerandos, quemadmodum etiam Tridentinum in suo decreto cautum voluit. Litteræ quoque datæ sunt ad Archiepiscopum Kioviensem, quibus, post plurimum commendatum ejusdem studium abducendi Fideles à clandestinis desponsationibus, fuit suaviter quodammodo reprehensus, quod deliquisset contra jus commune, adscribendo sibi potestatem, qua certo carebat.

,, 10. Ex quibus satis abunde demonstratum arbitramur, nunquam permitti Episcopis aliquid in suas Synodales Constitutiones inserere, quod juri communi, atque Apostolicis Constitutionibus refragetur, etiamsi illud necessarium reputetur ad evellendas corruptelas, & rerum sacrarum tuendam religionem.

,, 11. A tradita tamen regula excipitur Constitutio Synodalis, quæ sit corroborata Apostolica confirmatione; ab hac enim tantas accipit vires, ut prævaleat juri communi, cui ceteroquin sit contraria, sicuti advertunt Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. in 3. annot. n. 213. & seqq.* Rota *decis.* 60. *n.* 4. *& seqq. p.* 9. *rec.* quod tamen est intelligendum, si confirmatio Apostolica sit in forma specifica, ut ajunt, non in communi, latum quippe inter hæc duo confirmationum genera intercedere discrimen, in hujus Operis capite ultimo, demonstrabimus.

Nam decretum Conc. Tridentini non se extendit ad eà loca, ubi nulli sunt parochi, nec Vicarii, nec Episcopi.

Nota 7. Ex dispensatione tacita Papæ & usu Ecclesiæ validum est Matrimonium hæreticorum in locis ubi publicè exercent suam religionem, modò contractum sit secundùm ritum & leges loci, licèt ibi Trid. Conc. promulgatum fuerit, ut in Hollandia. Nam Ecclesia non permittit, ut hæretici illi ad fidem catholicam conversi alias nuptias contrahant, & eorum liberos habet ut legitimos. Ita Pœnitentiaria Romana respondit ad Episcop. Castoriens.

Nota 8. Habens domicilium in loco ubi decretum Conc. promulgatum non est, invalidè contrahit clandestinè in alio loco ubi receptum est. Quia contractus fieri debent secundùm leges loci in quo celebrantur: nam contrahentes sortiuntur forum loci in quo contrahunt. Imò incola loci ubi Conc. receptum est, invalidè contrahit sine parocho & testibus in loco ubi non est receptum, si eò se conferat in fraudem decreti, hoc est, ut clandestinè contrahat, ut Sac. Congregatio declaravit.

Nota 9. Matrimonium clandestinum non resolvi in sponsalia, declaravit Sac. Congregatio, apud Fag. cap. *Ad audientiam*.

Nota 10. Non licet parocho, qui etsi solus extra confessionem novit occultum impedimentum, tali matrimonio assistere. Quia tunc officium testis obit: nemo autem testimonium præstare potest de actu, quem scit esse irritum. Si sit impedimentum non dirimens, v. gr. votum castitatis, tenetur privatim monere; & si nihil proficiat, rem ad Ordinarium deferre; nam ex officio pastoris tenetur maximè impedire peccatum subditi. *Layman*. (*a*)

XIV. *Impotentia*, seu inhabilitas ad coitum naturalem & prolificum, oritur, vel ex maleficio, vel ex causa naturali, & quidem in fœmina ex arctitudine vasis: in viro autem vel ex nimia frigiditate naturæ, vel ex testiculorum carentia aut attritione, vel complexionis debilitate: unde fit ut non possit semen prolificum intra vas mulieris effundere.

Impotentia alia est absoluta, qua quis est impotens respectu omnium; alia respectiva, qua quis est impotens respectu alicujus tantum. Ea utraque subdividitur in perpetuam, & temporalem. Perpetua est ea, quæ tolli nequit sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitæ periculo; temporalis, quæ tolli potest sine peccato, vitæ periculo, & miraculo, sed mediis licitis & ordinariis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, ut precibus, exorcismis contra maleficia.

Porrò sterilitas non est impotentia: nam ea non obstante potest esse copula per se apta generationi, licèt hæc per accidens non sequatur, defectu scilicet morbi vel alicujus accidentalis qualitatis seminis, vel aliunde.

Dico 1. Impotentia perpetua antecedens matrimonium, quamvis se teneat ex parte unius, illud irritat tum jure canonico, ut patet ex titulo *de frigidis*, *&c.* tum jure naturali: quia matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis ad copulam aptam generationi. At impotentia perpetua ex natura rei, ideòque jure naturali impedit talem traditionem; nemo enim potest tradere potestatem actus, quem nullo modo habet in sua potestate; nam nemo potest dare quod non habet. Nec quis potest se obligare ad id, quod dare vel facere nequit, *cùm impossibilium nulla obligatio sit*, l. 145. *de reg. jur.*

Quare impotentia perpetua absoluta dirimit Matrimonium respectu omnium: respectiva solum respectu illius personæ ad quam est. Nam eatenus impotentia irritat, quatenus impedit ne contrahens possit dare dominium

(*a*) De matrimoniis occultis vide Const. BENEDICTI XIV. incipien. *Satis vobis compertum*, vol. 1. Bullar. pag. 89. in qua, quomodo sit permittenda, & qua ratione celebranda præscribitur: Atque *Primò*. Monentur Episcopi, *ne facile*, *& sine legitima*, *& urgente causa moveantur ad remittendum Publicationes*, *à quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari*. 2. Hortatur, & impense eosdem Episcopos admonet, ut diligenter inquirant, *num Personæ matrimonium secreto contrahere petentes*, *ejus qualitatis*, *gradus*, *& conditionis sint*, *quæ id probe exposcant*; *& ut curent*, *antequam contrahendi facultatem faciant*, *quod contrahentes clara*, *& indubia*, *& a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi*, *ad avertendum ab iis*, *qui improbi sint ingenii*, *poligamiæ periculum*. 3. Statuitur, ut coram Parocho hæc matrimonia celebrentur alterius ex Contrahentibus; nec sine gravi compellente causa extraneus Sacerdos ad id muneris deputetur; ac præcipitur, ut à Parocho, vel Sacerdote contrahentes de proprio debito moneantur. 4. Matrimonii occulti documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, & caute servari jubentur. 5. Præcipitur, proles ex eo suscepta tempestive in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur, baptizari, ejusque nativitas Episcopo rite describi, *vel immediate per Parentes ipsos*, *vel per litteras eorum charactere exaratas*, *vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam*, & demum in actis vide decreti. 6. In contravenientium pœnam matrimonii divulgatio stabilitur, atque hæc nota fieri oportere jubetur hujusmodi matrimonia contrahere contendentibus.

minium & usum sui corporis ad copulam generationi aptam.

Hinc eunuchi utroque testiculo privati numquam possunt validè contrahere, ob defectum seminis prolifici, ut declaravit Sixtus V. in Bulla 59. Idem est de illis, quibus attritus est uterque testiculus: vel qui integris licèt partibus semen prolificum emittere nequeunt, ob naturalem frigiditatem, vel perpetuam complexionis debilitatem. Secùs dicunt de viro ægrotante: quia in hoc verè extat potentia habitualis, quæ est solùm ligata per accidens.

Dico 2. Impotentia temporalis nullo jure irritat matrimonium, cap. 6. *de frigid.* Quia cùm possit tolli, adest materia sufficiens contractui, sive quia non est impotentia simpliciter, sed secundùm quid tantùm; nam est vera potentia quamvis impedita ad tempus, vel adminiculo aliquo indigens.

Si dubium fit an impotentia Matrimonium præcedens, perpetua an temporalis sit, non licet Matrimonium inire: quia exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis. Quòd si jam contractum est, tunc à jure conjugibus conceditur triennium experientiæ, ut adhibitis mediis possibilibus ac licitis conentur tollere impotentiam, quo completo si duret impotentia, nullum est Matrimonium, cap. 5. *de frigid.* ubi si bona fide contraxerunt, iis permittitur ut simul permaneant ut frater & soror. Quod intellige, modò constet abesse omne incontinentiæ periculum, quod rarò abest. Nam, ut norat Sanchez, hæc confœderatio est periculosissima, quare non est facilè concedenda; talibus enim nihil licet eorum, quæ solutis interdicuntur, ut tactus, &c. cum revera conjuges minimè sint. Igitur separari debent si alreuter id petat, vel morale sit periculum incontinentiæ. Quòd si separatione facta vir ex post facto deprehendatur potens, prius Matrimonium restauratur, etsi mulier alteri nupserit, quia verè erat validum, cùm impotentia fuerit tantùm temporalis.

Porrò conjux laborans impotentia solùm respectiva potest aliam ducere: secùs, si ea sit absoluta ac perpetua. Vir autem solutus morti proximus potest validè contrahere cum concubina, quia habet veram potentiam ad copulam generationi aptam, quamvis tunc morbo impeditam & probabiliter numquam postea in actum reducendam.

Dico 3. Impotentia qualibet superveniens Matrimonio rato licèt nondum consummato, illud non dissolvit. Quia fuit validum, nec dissolvi potest, nisi per professionem religiosam, vel dispensationem Papæ. Tunc autem conjux impotens exigente comparte tenetur adhibere media ad impotentiam expellendam apta, modò periculum mortis non afferant, quia tenetur ex justitia debitum reddere, ideòque actus conjugalis capacem se reddere.

Nota. Hermaphroditi, hoc est, utrumque sexum habentes, per se loquendo non sunt impotentes. Quare per se loquendo contrahere possunt secundùm sexum, qui in ipsis prævalet: quia ad usum Matrimonii idonei sunt secundùm sexum illum: Si uterque sexus sit in iis æqualis, alterutrum eligere debent, & secundùm illum contrahere. Sed facta semel electione, aliud Matrimonium secundùm alium sexum contrahere prohibentur, quamvis esset validum.

XV. *Raptus*. Nullum potest consistere Matrimonium inter raptorem & raptam etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris. Si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta consentiat, valebit Matrimonium. Ita decernit Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. ubi ipso facto excommunicationem & alias pœnas statuit in raptorem, & omnes ei consilium, auxilium & favorem præbentes. Circa quod.

Nota 1. Raptus hìc est violenta abductio feminæ de loco in locum, Matrimonii ineundi vel libidinis exercendæ causa. Duplex est raptus species, una, qua persona invita per vim abducitur: altera, quà abducitur persona consentiens, sed invitis parentibus, vel curatoribus, sub quorum est potestate. Secundùm multos solus raptus, quo abducitur femina invita est impedimentum dirimens: non autem si ipsa volens, sed invitis parentibus abducatur. Quia Trident. Concil. voluit illud cessare, si rapta esset à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta; nec ad hoc exigit, ut restituatur parentibus. Et quia intendit tantùm consulere libertati perfectæ Matrimonii, quæ non læditur dum femina consentiens abducitur invitis licèt parentibus. Dicitur tamen in Galliis raptus seductionis haberi à plerisque pro impedimento dirimente.

Nota. 2. Non refert an quis per se, vel per alium rapiat: nam ex reg. jur. 72. in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.*

Nota. 3. Non sufficit, si femina virum rapiat. Quia Conc. Trident. loquitur de so-

lo raptore, & leges præsertim pœnales non comprehendunr ea, quæ rarissimè fiunr, qualis est hic casus, nisi clarè exprimant, l. 5. §. *de legib.*

Quæst. IV. *Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?*

Resp. 1. Ne Papa quidem dispensare potest in impedimentis jure naturali dirimentibus, qualia sunt error, amentia, consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo transversæ, ligamen, impotentia, & secundùm multos affinitas in primo gradu lineæ rectæ. Nam Christus talem potestatem Ecclesiæ non concessit, ut patet ex praxi.

Resp. 2. In aliis impedimentis, quæ solo jure ecclesiastico dirimunt, solus Papa ut caput Ecclesiæ dispensare potest, saltem ordinariè loquendo. Nam nemo potest dispensare in lege superioris, nisi hoc ei concedatur. Impedimenta autem illa sunt à Papa, vel à Conciliis generalibus, vel consuetudine universali statura; nec facultas in iis dispensandi Episcopis concessa est, ut constat ex consuetudine generali recurrendi ad Papam. Quare Conc. Turon. ann. 1583. ait: *In quarto gradu consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus*. Aliud est de legibus jejunii, abstinendi à servilibus, & aliis; nam in legibus, quarum materia est in frequenti usu, Episcopi possunt dispensare, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex consensu tacito Papæ, ob necessitatem sæpius occurrentem.

Dixi, *Saltem ordinariè loquendo*. Nam ex communi sententia, Episcopus potest dispensare in impedimentis occultis post Matrimonium contractum & consummatum, si ista concurrant. Si Matrimonium contractum fit publicè, seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, & bona salrem unius fide. 2. Si sit consummatum, & sine scandalo separari nequeant, vel juxta multos sine gravissimo damno. 3. Si nequeat recurri ad Papam, ob paupertarem, vel aliam causam, vel ob probabile periculum peccandi contrahentibus imminens ex tanta dilatione. Ratio est consuetudo ob bonum animarum & Ecclesiæ inducta, Papa saltem tacitè consentiente.

Porrò commissio dispensandi in impedimentis Matrimonii non expirat morte concedentis: quia respectu petentis jam gratia est facta, & solùm requiritur executio. In hujusmodi quippe commissionibus non relinquitur voluntati Ordinarii, aut confessarii concedere, vel negare dispensationem, sed ipsis præcipitur, ut dispensent inventa veritate precum. (a)

Resp. 3. Ex consuetudine Episcopus dispen-

(a) Lib. VII. de Syodo cap. 30. & 31. confirmantur, ac fusius esplicantur, quæ ab Auth. in hac quæstione exp nuotur; num. vero 3. cap. 31. de ordinaria Episcoporum potestate in hunc modum prosequitur. „ Quidquid sit, de ea extraordinaria potestate, „ quæ, ex præsumpta summi Pontificis voluntate, „ in aliquo eventu urgentissimæ videlicet necessita„ tis, & impedimenti occulti, competat Episcopis, „ nullum in præsens de ea ferimus judicium; sed „ tantum disserimus de ordinaria potestate dispensan„ di in quibusdam impedimentis dirimentibus pu„ blicis. Hanc potestatem, communi fere calculo, „ Doctores denegant Episcopo: quinimmo sacræ Ur„ bis Congregationes, Concilii videlicet, ac supre„ mæ Inquisitionis, non semel proscripserunt; tan„ quam falsam, & temerariam, propositionem, asse„ rentem Episcopo jus dispensandi, super impedimen„ to dirimente publico, quod obsistat Matrimonio „ contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contra„ hendi necessitas, uti videre est apud Joannem Ba„ ptistam Rigantium, virum apprime doctum *tom. 4* „ *commentariorum in regul. Cancellar. in notis ad reg.* „ *49. num 1. & 2.* ubi sacrarum Congregationum re„ sponsa, summa diligentia congesta, per extensum, „ ut dicitur, referuntur, & Doctorum in hanc rem „ placita, copiose allegantur. Et nihilominus aliquot „ Episcopi eamdem potestatem etiam nunc sibimet„ ipsis adscribunt, & contra juris communis prin„ cipia, ac communem Doctorum sensum, etiam in „ suis Synodalibus Constitutionibus, sibi asserere „ quandoque non dubitant; & quod magis dolendum „ est, non desunt aliqui, licet pauci Doctores, hac „ in re Episcopis blandientes, quorum aliqui innituntur prædicto axiomati, cujus falsitatem detexi„ mus; alii vero innituntur diuturna consuetudine, „ per quam, à quibusdam Episcopis potestatem rela„ xandi aliqua impedimenta dirimentia, quæ, spe„ ctato jure communi, carerent, acquisitam decan„ tant. Hinc Gibertus suarum consultationum *tom. 12.* „ *consult. 59 de Matrim.* absolute docet, Episcopos, „ in hoc negotio, unice spectare debere suorum Præ„ decessorum praxim, libereque posse, legitima exi„ gente causa, eas dispensationes indulgere, quas à „ suis Prædecessoribus concessas deprehenderint. „ Hinc pariter Natalis Alexander *Theolog. dogmat. &* „ *moral. citat. lib 2. de Matrim. art 13.* postquam „ *reg. 11.* auctoritatem dispensandi, super impedimen„ tis, Matrimonium dirimentibus, publicis & noto„ riis, uni vindicavit Romano Pontifici, inquiens: „ *Hodierna Ecclesia disciplina, secundum quam dispen„ sationes in gradibus prohibitis consanguinitatis, vel „ affinitatis, aliisque impedimentis dirimentibus, Ro„ mano Pontifici reservata sunt, cum publicum impedi„ mentum est, & de Matrimonio contrahendo agitur, „ non permittit, ut Episcopi, his in circumstantiis, di„ spensent. Cum enim ab Ecclesia universali, sive il„ lius capite Romano Pontifice sint instituta impedimen„ ta Matrimonium dirimentia, dispensationes super eis „ communi jure, ad caput universalis Ecclesiæ Roma„ num Pontificem, non ad Episcopum pertinent, ut col„ ligitur ex cap. Cum inferior, de majorit. & obed. „ Conciliaque Provincialia plurima, Ritualia Ecclesia„ rum, Auctores omnes id confirmant, & auctoritatem „ dispensandi competere negant Episcopis, cum publi„ cum impedimentum est, vel de contrahendo Matrimo„ nio agitur*; postquam inquam hanc communem do-

pensare potest in impedimentis impedientibus tantùm, præter vota castitatis perpetuæ, & ingrediendi religionem, utpote Papæ reservata. Adde sponsalia; obligant enim ex justitia jure naturæ. Porro si contrahentes sint ex diversis diœcesibus, requiritur dispensatio amborum Episcoporum: quia unus non potest dispensare nisi cum proprio subdito.

Quæst. V. *Quid requiritur ad valorem dispensationis?*

Resp. Requiritur tum ut causa finalis sit vera, & subsistat dum conceditur; tum ut in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus & stylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cujus dispensatio aut nullo modo, aut nonnisi cum certa conditione, vel limitatione daretur, ex c. *Super, de rescript.* alioqui dispensatio esset obreptitia, vel subreptitia, ideòque nulla, ob defectum consensus in dispensante. *Vide dicta de Legibus, c. 6. qu. 5.*

Hinc si inter consanguineos aut affines præcesserit copula, vel inter illos attentatum sit Matrimonium, vel copula incestuosa habita

„ ctrinam diserte tradidit, & insinuavit in sequenti reg. 12. eamdem in hunc modum limitat: *Si tamen antiqua sit, & legitimè præscripta diœcesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in casibus dispenset, quia ejus Decessores hac usi sunt ab antiquo, ad hanc usque diem facultate, quæ à Sede Apostolica concessa creditur, (quod in quibusdam Galliarum diœcesibus fieri novimus) de his dispensationibus haud movenda lis est: Siquidem consuetudo legitime præscripta juri positivo præjudicat; usûsque longævi non levis est auctoritas, ut dicitur in cap. Consuetudinis, & cap. Cum tanto, de consuet.* Hinc denique nonnulli Episcopi Gallicani, uti narrant Pontas *in verb. Dispens. Matrim cas. 35.* l'Herminier *de Sacramentis tom. 3. cap. 17.* Auctor collationum Ecclesiasticarum Parisiensium sub Cardinali de Noailles *tom. 3. lib. 5. collat. 2. cap. 2.* Gerbesius in tractatu, quem edidit, *de potestate Ecclesiæ, & Principum super impedimentis Matrimonii*, & Saintebeuve *tom 1. resolut. casuum conscientiæ, cas. 66. & 67.* usum prætexentes suorum Decessorum, dispensant in impedimento quarti, & alicubi etiam tertii gradus consanguinitatis, seu affinitatis: & alii jus sibi vindicant relaxandi insuper impedimenta cognationis spiritualis, criminis, & publicæ honestatis, licet alii ejusdem Regni Antistites, observante eodem Saintebeuve, sibi integrum non esse arbitrentur, ab ullo, cujuscumque generis canonico impedimento, Matrimonium dirimente, quemquam solvere, prout scilicet, sicuti idem Auctor prosequitur, fert diversa, quæ in qualibet diœcesi inolevit, consuetudo. Ab eadem quoque consuetudine, quæ ex privilegio, & indulto Apostolico initium sumpsisse censenda sit, contendunt similiter Episcopi Leodienses, se potestatem adeptos, dispensandi in quarto, & in tertio, hinc inde, consanguinitatis gradu: *Si imminens appareat periculum defectionis partium ad vicinos Fidei hostes, mutuæ internecionis, parentum, & amicorum inter se, ob corruptam puellam, & Partes non habeant media recurrendi ad Urbem.* quemadmodum referunt Lessius *in auctar. V Matrimonium, cas. 9.* Gobat *Theolog experim tract 9. num 596* & Van-Espen *J. E. U. tom. 1. p 2 tit 14. cap 1. num 11.* quod tamen jus sibi non arrogare alios Belgii Episcopos, ne eos quidem, quorum diœceses, auctoritate Pauli IV. à Leodiensi divulsæ sunt, opportune animadvertit Zypæus *ad tit De eo, qui cognovit consanguineam uxoris, num. 3*

„ 4. Verum, sicuti graviter errant qui potestatem, de qua agitur, Episcopis adjudicant, unice freti illo axiomate, cujus falsitatem plurima Concilia Provincialia, Ritualia, Ecclesiarum, Auctoresque omnes agnoscere, fatetur etiam cit. Natalis Alexander in allegata reg. 12. ita periculum est, ne se, aliosque decipiant, qui eam à consuetudine mutuantur. In primis enim prudenter dubitari potest an ejusmodi consuetudo, in florentissimo Galliarum Regno, Apostolicæ Sedi obsequentissimo, & sacrorum Canonum religiosissimo custode, ullo unquam tempore viguerit; cum non solum contingere potuerit, hunc, illumve Episcopum, in hoc, aut illo impedimento dispensasse, ex privilegio, sibi à prima Sede specialiter concesso; sed etiam ita rem se habuisse, constet ex regestis sacræ Congregationis de Propaganda Fide, & sancti officii, in quibus frequentes adnotatæ reperiuntur concessiones Episcopis Gallicanis indultæ, dispensandi super impedimentis tertii, & quarti gradus: unde Ducasse Auctor Gallicanus *in sua practica jurisdictionis Ecclesiasticæ cap. 10. sect. 7.* scribit, timoratæ conscientiæ, & excellentis doctrinæ Gallicanos Episcopos dispensasse, post indultum sibi à Sede Apostolica concessum, & à dispensatione abstinuisse, postquam cessaverat, nec fuerat renovatum indultum, quod ad certum tempus obtinuerant. In hac autem dubietate, non licere Successori similes dispensationes elargiri, recte adnotavit idem Natalis Alexander *in fine cit. reg. 12.* scribens: *At si dubitet, vel merito dubitare debeat Episcopus, an dispensationes, à suis Decessoribus concessæ, fiunt ex privilegio reali, & perpetuo, an ex privilegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi privilegium à summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore.*

„ 5. Quod autem aliquot Galliarum Episcopi, ex privilegio mere personali, non vero ex consuetudine, nacti sint facultatem, super aliquo impedimento dispensandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur talem consuetudinem, intra unius, aut alterius diœcesis limites constitisse, nec conterminas permeasse: id quippe evenire vix potuit, in re Episcopis favorabili, atque in Regno, servandæ inter Pastores disciplinæ, morumque concordiæ, & unitatis studiosissimo, ex alia vero scimus, quamplurimos Galliarum Antistites diserte declarasse, sibi fas non esse, ullum auferre, seu relaxare impedimentum, Matrimonium dirimens: Siquidem Concilium Turonense anni 1583. *tit. 9. de Matrimon.* (*tom. 10. collect. Hard. col. 1405.*). definivit: *In quarto consanguinitatis & affinitatis, nec non cognationis spiritualis, prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus*: In Concilio Tolosano anni 1590. *cap. 1.* legimus: *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos, & dispensatos, nisi visa prius summi Pontificis dispensatione, in Matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant*: Synodus Lingonensis apud Natalem Alexandrum cit. reg. 12. post enumeratas personas, in aliquo usque ad quartum

bita sit spe dispensationis faciliùs impetrandæ; vel si cum notitia impedimenti, vel sine illa, præmissis tribus denuntiationibus, vel iis omissis, contractum sit Matrimonium; hæc omnia exprimi debent in supplicatoriis. Item si plura sint impedimenta etiam ejusdem rationis, debent omnia exponi: nam cùm singula obstent Matrimonio, necessaria est dispensatio omnium, & sublato uno manet adhuc alterum. Item gradus cognationis & affinitatis explicandus est; & si sit inæqualitas in gradibus, quæ oriatur ex eo, quòd femina sit propinquior stipiti, ut si sit amita, debet exprimi.

Quæst. VI. *Quomodo convalidandum est Matrimonium invalidum?*

Resp. 1. Si nullitas Matrimonii in facie Ecclesiæ, hoc est coram parocho & duobus saltem testibus initi, sit occulta ob defectum occultum, de quo non sit periculum ut aliquando innotescat; tunc ut Matrimonium fiat validum, secundùm multos sufficit quòd sub-

---

„ consanguinitatis gradum inter se conjunctos, ait: *Inter istas non est legitimum Matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum*, idemque sancitum, declaratumque reperiri in Synodo Trecensi, idem Natalis Alexander testatur. Additque Diot in opere, cui titulus *Sacramentarium Pastorum tractat. 13. de dispensationibus Matrimonialibus c. 8. pag. 213. edit. Parision. ann.* 1709. In generali Congregatione Episcoporum & universi Cleri Gallicani declaratum esse, dispensationes omnes Matrimoniales ad solum Papam pertinere, & Parlamentis esse obsistendum, si aliquando Episcoporum dispensationes admittant. Quis autem credat tot Gallicanos Episcopos, suæ jurisdictionis tenacissimos, sibi sponte abjudicasse eam auctoritatem, quam passim viderent ab aliis finitimarum diœcesium Præsulibus jure ordinario, & non mere delegato exerceri?

„ 6 At etiam dato, in aliquam diœcesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum jus auferendi impedimenta, à Conciliis OEcumenicis, aut à Summis Pontificibus indocta., diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit prævalere legi, Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare præsumat. Quinimmo cum talis consuetudo, non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda, & minuenda jura, uni competentia Romano Pontifici, præter ceteras conditiones, necesse est, ut centum ad minus annorum spatio, sine ulla interruptione, perseveraverit. Quocirca citatus Van Espen *jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 14. cap. 1. num.* 11. ut Episcopo Leodiensi auctoritatem attruat dispensandi in tertio, & quarto, & in tertio, hinc inde consanguinitatis, seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit Auctor cit. collationum Parisiensium *tom. 3. collat.* 2. §. 2. Verum postremo, & potissimum, considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inolevit, *disrumpatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*; in quo eventu nunquam, per eam adversus legem præscribi, declaravit Innocentius III *in cap. Cum inter, de consuet.* Num porro prædicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius quam à Nobis, præstat audire à Gallicano Auctore Cabassutio, qui *cit. lib. 3. cap. 27. num.* 6. loquens de auctoritate dispensandi, quam sibi vindicant nonnulli suæ nationis Præsules, hæc habet: *Si in oppositum reclamantibus Conciliis OEcumenicis, quæ hanc potestatem uni Summo Pontifici, Legatoque reservant, sibi ausint vindicare ducenti circiter, & quadraginta Episcopi, cum suis Vicariis, seorsum in suis diœcesibus, singuli pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, ingruet profecto tota Gallicana ditione admodum exuberantior, & inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indulgentium Prælatorum capita, in dispensandis Matrimoniis licentia. Quin etiam, si per universum Regnum ista invaluisset consuetudo (quod malum Deus avertat) contingeret demum, ut quilibet laici, etiam subalternorum tribunalium Judices, per usurpationem, & distractionem Bonorum Episcopalium, ipsosmet Episcopos cogerent, pro suo peculiari, aut amicorum, aut Partium postulantium affectu, ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos, ad monitoria, & excommunicationes decernendas; sicque simile quid illis obveniret Divinæ huic, apud Isaiam comminationi:* Pro eo, quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas: *Sic enim renuentes hac in parte summo universalis Ecclesiæ Pontifici subjici, compelluntur indignissimo laicorum Judicum infimorum decretis obtemperare, aut propriorum fructuum, ni pareant, interceptionem, ac privationem pati.* Et post adducta modo a nobis relata loca Conciliorum Turonensis, & Tolosani inanem decernentia hac in re dispensationem, quæ à Summo Pontifice non dimanarit, concludit Cabassutius: *Sane ista ab Episcopis concessa dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum, quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summum tutiore simul, & probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam, in tanti momenti Sacramento, consectatur opinionem.*

„ 7. Huic Cabassutii monito morem gerant Episcopi, & nullius consuetudinis prætextu, eam exerceant facultatem, quam dubiam saltem, atque incertam esse dissimulare non possunt: Quod si quis eam sibi certo competere obstinate contendat: adhuc abstineat oportet ab illa in sua Synodo ostentanda, & Synodali statuto sibimet ipsi asserenda. Etenim (uti inferius, suo loco demonstrabitur) ne ea quidem, quæ Episcopis certo licent, ex tacita permissione, & connivenția Apostolicæ Sedis, possunt ab iisdem per edictum, aut Synodalem Constitutionem decerni, & juri suo ordinario quodammodo attribui; id quippe manifestam saperet ambitionem; qua viderentur se quodammodo æquiparare Summo Pontifici, ejusque affectare supremam jurisdictionem.

„ 8. Quare, si aliquis Antistes, ob nimiam suæ diœcesis ab Urbe distantiam, aliamve legitimam caussam, necessariam sibi reputet auctoritatem, dispensandi in uno, aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat à Romano Pontifice, qui eam petentibus, impertiri non renuit, nunc magis, nunc minus amplam pro temporum, & locorum varietate.

sublato impedimento, occultè mutuo consentiant sine parocho & testibus, ut teste Navarro declaravit S. Pius V. quia Decretum Conc. Trid. hunc casum non comprehendit, cùm ejus ratio ad eum se non extendat, & jam obtineatur ejus finis. Nam ratio finalis decreti est, ut publicè constet, ideòque probari possit validitas Matrimonii, & sic vitentur gravia mala ex clandestinis nuptiis manantia, maximè concubinatus, & adulterium, dum qui clam cum una contraxerunt, illa relicta aliud Matrimonium publicè ineunt. At cùm defectus Matrimonii coram parocho & testibus initi est occultus, potest tunc publicè ab iis probari validitas, & sic impediri aliud Matrimonium. In praxi tamen parochi, & testium assistentia adhibenda est, si inde nullum grave incommodum, aut scandalum timeatur; quia tutius est.

Si verò nullitas sit notoria, vel periculum sit ne innotescat, sublato impedimento, novus consensus præbendus est iterum coram parocho & testibus. Quia tunc urget ratio decreti Conc. Trid. nam aliàs non posset publicè constare, nec probari validitas Matrimonii. Imò si impedimentum possit probari à duobus testibus omni exceptione majoribus, censet Sanchez, tunc opus esse nova præsentia parochi & testium; quia lex Conc. Trid. adhoc locum habet: nam alter conjux, probato impedimento, non posset impediri ne cum alia contraheret, si convalidatio esset occulta.

Resp. 2. Si matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus veri in utroque, ut fiat validum, debet uterque novum consensum elicere, cùm prior fuerit nullus, & utriusque consensus sit essentialis contractui Matrimonii, debetque mutuus ille consensus exteriùs exprimi; quia signum prioris consensus non sufficit, cùm sit tantùm signum ficti consensus: unde opus est novo signo, quo verus consensus exprimatur humano modo, ad quod potest sufficere copula affectu maritali facta, ex cap. 2. *de conjug. servor.*

Quòd si Matrimonium fuerit nullum ob defectum consensus ex parte unius tantùm qui fictè, vel ex gravi metu injusto consensit; secundùm multos, ut fiat validum; satis est si ille verum consensum eliciat, eumque aliquo modo exteriùs exprimat, ut exercendo copulam affectu conjugali; nec in comparte requiritur novus consensus, nec proinde notitia defectus, si priorem consensum non retractaverit. Quia in hoc casu ambo contrahentes sunt personæ legitimæ ac habiles ad contrahendum, & consensus unius partis fuit verus, supponiturque permanere habitualiter, utpotè non retractatus, & moraliter, nam putat valere Matrimonium, & compartem habet ut conjugem, petens, ac reddens conjugale debitum. Atqui ad valorem contractus sufficit si contrahentium consensus sint simul moraliter.

Nec obstat, quòd pars quæ consensit, fortè non perseveret in consensu, adeoque nollet in eo perseverare, si sciret alteram non consensisse. Quia hoc non obstante remanet consensus: nam dissensus sub conditione ponendus non revocat priorem consensum absolutum; & aliud est *Nolo*, aliud *Nollem*. In praxi tamen tutius est quòd uterque consensum renovet, si non timeatur scandalum, vel grave periculum, aut incommodum.

Resp. 3. Si Matrimonium fuerit nullum ob quodvis aliud impedimentum dirimens; ut fiat validum necesse est. 1. Ut obtineatur dispensatio, vel per se cesset. 2. Ut interim pars nullitatis conscia non reddat debitum petenti, alioquin scienter fornicaretur. 3. Ut uterque conjux novum consensum præstet, & exteriùs prodat; quia utriusque prior consensus fuit nullus, cùm fuerit inter inhabiles, & ceciderit in materiam illegitimam. Ergo alius legitimus non minùs requiritur, quàm si nullus præcessisset: nam *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, reg. jur. 18. in 6.

Quare obtenta dispensatione; si nullum sit periculum gravis incommodi, nullitas detegi comparti debet confusè & genericè, dicendo v. gr. se anxietatem pati propter consensum in ipsa Matrimonii celebritate datum, & confessarium judicasse novum utrique elici debere. Nam sine hac manifestatione pars ignara nullitatis, si de novo consentiat, consentit ex errore; imò non ponit propriè novum consensum, sed præcise renovat priorem invalidum, nec intendit novum denuo Matrimonium contrahere, cùm credat jam legitimè contractum esse: sed intendit tantum ratificare prius Matrimonium, illudque confirmare, dum petit vel reddit debitum vi prioris consensus; cum tamen prioris consensus utpotè invalidi confirmatio vel iteratio non sufficiat. Unde in litteris dispensationis additur. *Ut dicto conjuge de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, dispenses.*

Sed gravis difficultas est, cùm per istam manifestationem timetur grave incommodum, vel periculum, aut scandalum, ut non rarò accidit. Multi Doctores hanc viam pro-

ponunt, nempe ut pars impedimenti conscia compartem illius ignaram blanditiis delinit, & bene dispositam sic alloquatur: *Ita te amo, ut si non esset inter nos Matrimonium, te in conjugem acciperem, & nunc ita te accipio: tu ne idem ex parte tua facis?* Si respondeat, *Facio*, aut simili verbo consensum novum declaret; tunc, inquiunt, valebit Matrimonium, quia tunc pars ignara impedimenti novum Matrimonium vult inire, si prius non fuerit validum; non sufficit autem si dicat, *vellem*, *facerem*, quia non esset consensus de præsenti absolutus. Ad clausulam dispensationis respondent, eam appositam esse cum hac restrictione subintellecta, *si fieri possit*.

Quòd si neque hoc sine gravi periculo vel scandalo fieri queat, quia scilicet si compars sit sagax, posset ex hac insueta agendi ratione conjicere aliquid tale subesse, censent nonpauci partem consciam impedimenti posse sequi opinionem eorum, qui dicunt tunc sufficere quòd consensum renovet interiùs, & petenti conjugi debitum reddat affectu conjugali, non monita comparte de nullitate Matrimonii. Quia, inquit Sanchez, licèt ignorans impedimentum, non intendat formaliter novum inire Matrimonium, intendit tamen virtualiter. Nam in eo actu quo vult hanc ut conjugem, vel ut talem cognoscit, virtualiter cognoscetur consensus, quo hic & nunc & semper tacitè & exercitè consentit in ipsam ut uxorem.

Verum cum hæc difficilia & dubia sint, confessarius ex confessione deprehendens pœnitentes contraxisse cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, non debet eos de eo admonere, quin priùs sciat id posse fieri sine periculo gravis incommodi, scandali, vel peccati respectu illorum, ex cap. 6. *de consanguin.* In his autem & aliis gravibus difficultatibus consulendi sunt viri docti, sed præsertim Episcopus loci.

Porrò eadem est ratio convalidandi professionem nullam, quæ Matrimonium.

TRACTATUS
DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.
CAPUT PRIMUM.
De Censuris in genere.

Quæst. I. **Q***Uid est Censura?*

Resp. Est pœna Ecclesiastica medicinalis, privans primariò bonis quibusdam spiritualibus dispensationi Ecclesiæ commissis.

Dicitur 1. *Pœna*: Quia semper supponit culpam: nam *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, cap. 2. *de constit.*

2. *Ecclesiastica*: Quia ferri potest à sola potestate Ecclesiastica, cùm sit privatio bonorum spiritualium, quæ laici non habent in sua potestate: nec proinde auferre possunt.

3. *Medicinalis*, ex cap. 1. *de sent. excomm. in 6.* Quia fertur ad avertendum, & revocandum hominem à peccato. Quare Censura ex intentione Ecclesiæ non est perpetua, ut depositio & degradatio, quæ sunt pœnæ merè vindicativæ: sed tolli debet à superiore, cùm reus se emendavit & satisfecit.

4. *Privans bonis*, *&c.* ut sunt publica Ecclesiæ suffragia, jurisdictio spiritualis, & ejus usus, beneficia, sacrificia, sacramenta: non item habitus virtutum infusi, gratia sanctificans, character, potestas ordinis.

5. *Primariò*. Nam secundariò privat bonis quibusdam temporalibus, putà fructibus beneficii, & societate fidelium etiam in civilibus: sed per ordinem ad bonum spirituale, ut sic faciliùs & promptiùs resipiscant, & ad debitam obedientiam efficaciùs revocentur.

Quæst. II. *Quotuplex est Censura?*

Resp. Censura 1. dividitur in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, cap. 20. *de verbor. signific.*

2. Alia est à jure, alia ab homine. Censura à jure est ea, quæ per legem vel statutum perpetuum lata est: unde in Canonibus, decretis Pontificum, vel statutis Episcoporum continetur. Censura ab homine est ea, quæ fertur ab aliquo singulari superiore, per præceptum transitorium, vel sententiam judiciariam; estque vel generalis, quæ generatim & indeterminatè fertur in aliquos, v. gr. in clericos; vel particularis, quæ fertur in certam ac determinatam personam.

Censura à jure non cessat morte legislatoris. At censura ab homine expirat morte superioris, aut ejus amotione, si eveniat antequàm contrahatur; sed jam contracta, manet post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem.

3. Alia est latæ sententiæ, alia ferendæ. Prior est, quæ contrahitur ipso facto, seu sola culpæ admissione, absque ulla judicis sententia. Posterior est ea, quæ non contrahitur nisi accedente sententia judicis, & vocatur comminatoria. Pro quibus digno-

scen-

scendis consideranda sunt verba, quibus fertur Censura.

Censura est latæ sententiæ, si adhibeantur hæ voces *Ipso facto*; *ipso jure*, *ex tunc*, *ex nunc*, *statim*, *illicò*, *continuò*, *confestim*, *mox*, *protinùs*, *lata sententia &c.* Vel si verba sint præsentis temporis indicativi modi, v. gr. *Excommunicamus*, *suspenduntur*, *interdicuntur*. Vel præteriti temporis, *v. gr. Excommunicatus est*; *volumus esse excommunicatum*, *suspensum*; *noverit se excommunicatum*, *suspensum*. Item si verba sint imperativi modi, nec dirigantur ad judicem, nec ejus actionem exigant, ut *Subjaceat excommunicationi*, *incidat in excommunicationem*; *maneat suspensus*, *interdictus*; *habeatur pro excommunicato*; *sit excommunicatus*, *suspensus*, *&c.*

Censura est ferendæ sententiæ, si feratur per verba, quæ judicis actionem exigant, vel significent, ut *Excommunicetur*, *suspendatur*, *ab Ecclesia ingressu arceatur*, *decernimus excommunicandum*, *suspendendum*, *&c.* Item si verba sint futuri temporis, v. gr. *Excommunicabitur*, *suspendetur*, vel minatoria, ut *Sub pœna excommunicationis*, *suspensionis*, *sub interminatione anathematis*, *&c.* nisi ex adjunctis aliud colligatur, vel ex aliquibus verbis additis, ut si dicatur: *Sub pœnâ excommunicationis statim incurrenda*, vel *Cui statim*, *confestim*, *omninò subjaceat*. In dubio an censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, censenda est ferendæ, quia *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, regul. jur. 45. in 6.

Quæst. III. *Quanam culpa requiritur ad contrahendam Censuram?*

Resp. Ex communi sententia, non contrahitur saltem Censura totalis, nisi ob culpam mortalem, externam, contumaciter admissam contra præceptum Ecclesiasticum. Itaque ad hoc requiritur.

1. Culpa mortalis; ex cap. *Nemo*, cap. *Nullus* 11. quæst. 3. Quia Censura est gravis pœna, cùm privet magnis bonis spiritualibus. Pœna autem debet esse commensurata culpæ; alias esset injusta, ex cap. 5. *de pœnis in 6.* ubi jubetur ut judex pœnam metiatur ex culpa. At peccatum veniale est culpa levis in suo ordine, seu in ordine ac linea peccati.

Dixi, *totalis*. Nam secundùm multos Censura partialis, aut suspensio ab aliquo actu officii ad breve tempus, item excommunicatio minor, non necessariò gravem culpam supponit.

2. Ut sit externa, & quidem mortalis secundùm opus externum. Quia nulla censura fertur propter solam internam pravam operantis voluntatem: nam hoc non requiritur ad rectum regimen Ecclesiæ saltem ordinarium; & Ecclesia non fert censuram nisi de iis de quibus judicare potest. Ecclesia autem non judicat de merè internis in foro externo, cap. 33. *de simon.*

Item actus peccati debet esse completus ac perfectus in sua specie morali, & habere eam malitiam, quæ sub censura prohibetur. Quia lex humana non obligat, nec operatur ultra intentionem superioris verbis expressam, cùm non aliter proponatur subditis; & in odiosis stricta debet esse interpretatio. Ob eandem rationem requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere, nisi aliud in lege exprimatur. Hinc qui animo occidendi alterum graviter vulneravit, non incurrit excommunicationem contra homicidas latam, nisi mors sequatur; quia superior tunc non vult punire peccatum, nisi posita tali conditione effectus secuti. Unde quis à peccato præterito, v. gr. vulneratione justificatus per contritionem, vel sacramentum pœnitentiæ, potest contrahere excommunicationem, in statu gratiæ: nam licèt justificatus sit, dignus est pœna ob culpam sub censura prohibitam debita.

Dixi *Nisi aliud*, *&c.* Nam, cap. 1. *de homicid. in 6.* mandans aliquem occidi per assassinos excommunicatur, quamvis mors non sequatur.

Item in censura lata contra facientes, non comprehenduntur consulens, mandans, approbans, nisi exprimantur, quia lex pœnalis, utpote odiosa, non extenditur ultra proprietatem verborum.

3. Ut contra præceptum Ecclesiasticum; & cum aliqua contumacia. Nam censura est pœna merè Ecclesiastica constituta in eos qui sunt contumaces contra superiorem Ecclesiasticum, ut coerceantur & corrigantur: quæ pœna inobedientiam aliquam Ecclesiæ requirit, juxta illud, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Ad hanc autem inobedientiam, seu contumaciam sufficit contemptus virtualis & interpretativus authoritatis Ecclesiæ sub pœna præcipientis, qualem habere censetur, qui sciens præceptum Ecclesiæ annexam habens censuram, tamen illud violat.

Hinc ex communi sententia ob peccatum merè præteritum non potest ferri Censura, nisi aliquo modo pendeat in futurum, vel quia reus in eo perseveret, vel ut cogatur scandalum tollere, vel injuriam resarcire per

debitam satisfactionem. Alioqui censura non esset medicina, sed mera vindicta.

Porrò licèt culpa aliena sufficiat ad suspensionem, & interdictum, requiritur tamen propria ad excommunicationem subeundam, ex cap. 5. *de sent. excomm. in 6.* cùm excommunicatio sit gravissima pœna.

Quæst. IV. *Quanam excusant à censura gravi?*

Resp. Excusat 1. Id omne quod excusat sive à peccato mortali, ut defectus advertentiæ sufficientis, levitas materiæ; sive ab observatione præcepti Ecclesiastici, ut impotentia moralis, cùm scilicet non potest servari sine gravi damno, quocum ordinariè præcepta Ecclesiæ non obligant. Quia censura non fertur nisi ob transgressionem culpabilem præcepti Ecclesiastici, contumaciter admissam. Excipe, nisi metus gravis directè incuteretur in contemptum religionis aut Ecclesiasticæ potestatis: nam tunc etiam cum periculo mortis tenetur quis servare talem legem. Ita communiter.

2. Ignorantia invincibilis etiam solius legis Ecclesiasticæ, sive ea sit facti, sive juris, excusat. Quia hæc excusat à culpabili transgressione legis Ecclesiasticæ, & impedit contumaciam, ac voluntarium circa id quod ignoratur. At non excusat ignorantia vincibilis, etiam non affectata, si sit crassa vel supina, hoc est, orta ex eo quod quis nullam adhibuerit diligentiam ad sciendum id quod scire poterat & debebat, ex cap. 2. *de constitut. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Nam ex tali ignorantia peccans, virtualiter, ideoque sufficienter contumax est: quia negligit culpabiliter scire legem aliàs publicam, & quæ semper ex se admonet.

Si tamen censura lata sit contra scienter, consultò, temerario ausu facientem aliquid, vel præsumentem facere; tunc ab ea excusat omnis ignorantia, etiam vincibilis, non affectata. Nam non dicitur scienter, ausu temerario legem violare, qui eam ignorat ignorantia non affectata; & hæc verba in rebus odiosis sunt strictè accipienda; & alioqui essent inutilia. Secùs, si ignorantia sit affectata: nam hæc æquiparatur certæ scientiæ, & auget culpam, quia includit majorem affectum peccandi, contemptum legis, magnam temeritatem, præsumptionem, scientiam periculi directè voliti, contumaciam, & intentionem saltem implicitam ac virtualem faciendi id quod lege prohibetur. Item si quis suspicans aut dubitans de censura vel facto, non inquirat, & sic faciat contra legem, contrahit censuram, quia tunc talis habet satis contumaciæ & præsumptionis ad talem censuram, censeturque legem ac censuram contemnere.

Sed an probabilis, seu invincibilis ignorantia solius censuræ excusat ab ea contrahenda?

Resp. 1. Covarruvias, & alii Doctores contra alios multos docent nullam ignorantiam etiam invincibilem solius censuræ per legem papalem, aut canonem universalem latæ excusare ab ea contrahenda; ita ut ad censuram contrahendam sufficiat, quòd quis sciat, vel scire possit ac debeat actionem, vel omissionem, cui censura annexa est, esse ab Ecclesia graviter præceptam vel prohibitam.

Probant 1. Quia hoc ipso quòd quis scit vel scire potest & debet actionem aliquam esse graviter ab Ecclesia præceptam vel prohibitam, & tamen liberè ponit talem actionem vel omissionem, sufficienter contumax est Ecclesiæ, ut meritò ab illa puniatur per censuram illi annexam. Nam talis culpabiliter violat legem Ecclesiasticam quam scit, aut scire potest & debet graviter obligare. Ergo peccat mortaliter contra illam legem, quam virtualiter contemnit & contumaciter violat; ac proinde meretur & contrahit pœnam per talem legem impositam. Contumacia quippe ad censuram requisita nihil aliud est quàm culpabilis inobedientia Ecclesiæ, & virtualis contemptus authoritatis Ecclesiasticæ, juxta illud Matth. 17. *Si Ecclesiam non audierit*, hoc est, si Ecclesiæ non paruerit, *sit tibi sicut ethnicus.* Quælibet autem graviter culpabilis violatio legis Ecclesiasticæ, cujus reus est quicumque agit, vel omittit aliquid contra legem Ecclesiasticam quam cognoscit, vel cognoscere potuit, vera est inobedientia Ecclesiæ, & virtualis contemptus ejus authoritatis, cùm sit mortalis culpa contra legem, & authoritatem Ecclesiæ.

Paulò aliter. Ad censuram contrahendam sufficit cognitio possibilis & debita legis Ecclesiasticæ aliquid graviter præcipientis aut vetantis. Nam illa posita, qui liberè ponit talem actionem vel omissionem, sufficienter contumax seu inobediens est Ecclesiæ, ut meritò ab illa puniatur per censuram illi annexam: liberè enim violat grave præceptum Ecclesiæ, & mortaliter peccat contra illud, cùm ignorantia vincibilis non excuset

cuset à mortali culpa: & consequenter talis sufficienter contumax & inobediens est Ecclesiæ, ut ab illa puniatur.

2. Ex cap. *Ut animarum* 2. de constitut. in 6. ubi Bonifacius VIII. statuendo, sententiis seu pœnis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, tacitè excipit sententias, seu pœnas prolatas per leges papales, & canones universales, ut notat Glossa v. *Statuta*, dicens: *De generalibus ergo statutis canonum vel legum non loquitur quæ ab omnibus sciri & custodiri debent*. Et hoc statuit Pontifex utriusque juris peritissimus, ad imitationem legis civilis ult. §. *de decret. ab ordine fac.* ubi habes quod municipali statuto non ligatur ignorans, sed sciens tantùm, ut habet alia Glossa, ibid. v. *Sententiis*. Ratio est, quia ignorantia juris communis & universalis, cæteris paribus, minus probabilis, minùsque excusabilis est, quàm ignorantia juris particularis; quia quilibet magis debet & faciliùs potest addiscere & scire leges, quæ sunt omnibus fidelibus communes, & ab omnibus observari debent, quàm quæ sunt certis locis speciales. Ergo etsi ignorantia non crassa nec supina censuræ statuto particulari latæ excuset ab illa contrahenda, non continuò excusare debet similis ignorantia partis Censuræ per leges universales statutæ.

Hinc qui duellum committit, sciens quidem hoc esse graviter ab Ecclesia prohibitum, vel si culpabiliter ignoret hanc Ecclesiæ prohibitionem, tametsi nesciat eamdem esse sub pœna excommunicationis, ut plerique rudes ignorant, tamen verè excommunicationem contrahit.

Si dicas censuram ex natura rei requirere peculiarem modum contumaciæ & inobedientiæ, quæ opponatur speciali, & rigoroso modo præcipiendi, vel prohibendi sub comminatione Censuræ; *Respondent* hanc esse meram petitionem principii, supponentem id quod in quæstione est, & quod est probandum, quodque negatur. Præterea ex eo quòd quis scit aut scire potest & debet, aliquid esse ab Ecclesia graviter præceptum aut prohibitum, cognoscit confusè & virtualiter specialem illum præcipiendi modum; & contra facientem virtualiter contemnit authoritatem Ecclesiæ sub quacumque pœna præcipientis: ad contumaciam autem sufficit virtualis, & interpretativus contemptus authoritatis Ecclesiæ, qui reperitur in omni violatione graviter culpabili legis Ecclesiasticæ.

Nec obstat, inquiunt, quòd censura sit pœna medicinalis, ordinata per se primò ad avertendum, vel ad emendandum delictum. Nam 1. Etsi contrahatur ab ignorante, tamen per se semper medicinalis est; per se enim semper apta est ad hoc utrumque præstandum. Quòd si non semper medeatur, hoc est per accidens. Et quando ignorans sciet postea se Censura ligatum, tum per illam adducetur ad emendandum delictum. 2. Hoc nimiùm probat, ideòque nihil probat: probaret enim ignorantiam etsi vincibilem à censura excusare; nam quælibet ignorantia, saltem non affectata, tollit rei ignoratæ noticiam. At certè ignorantia crassa, aut supina, etiam secundùm adversarios, non excusat à censura, ut patet ex c. 2. *de constit. in 6.* ubi postquam Pontifex dixit: *Sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes*: hanc exceptionem addit, *Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina*. Quod generatim dictum comprehendit etiam censuras, ut consentiunt omnes; imò de illis præcipuè intelligi debet juxta Glossam v. *Sententiis*: & hoc ostendit ratio allata, *ut animarum periculis obvietur*. Quòd si de Censuris agitur in regula generali, ergo & in exceptione; & hæc est etiam communis expositio, inquit Suarez. Ex qua à fortiori sequitur (addit idem Doctor) etiam in legibus pontificiis ignorantiam crassam a Censura non excusare, quia ex genere suo plus obligant pontificiæ leges, quàm statuta ordinariorum. Unde concludit Suarez, negandum esse in actu ex ignorantia facto deesse contumaciam & inobedientiam sufficientem ad contrahendam Censuram. Nam licèt non tam expressè & directè, virtute tamen & indirectè idem genus inobedientiæ est, ita negligere legem alias satis publicam & omnibus notam, ut tam crassa illius ignorantia habeatur. Ac propterea satis etiam est, quod lex, quantùm est ex se, illum admoneat: quamvis admonitio ad ejus aures non perveniat ex supina ejus negligentia. Hæc Suarez, de censur. disp. 4.

Resp. 2. Quævis ignorantia, modo non sit crassa & supina, excusat à censura per statutum particulare lata, habetur cap. 2. de constit. in 6. ibi: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina*. Hæc autem decretalis est constitutiva juris novi, non merè declaratoria, ut rectè colligit Suarez ex verbo

Bulla-

Nolumus. Ratio discriminis inter has censuras & alias jure communi latas, est quòd censuræ per sacros Canones & Constitutiones universales mariùs, & majori cum maturitate ferantur, quàm per statuta particularia, ex quibus proinde majora animarum pericula orirentur, nisi illis obviaretur, restringendo has pœnas ad solos scientes, & crassè ignorantes.

Porrò ignorantia crassa & supina hic est ea, qua quis ignorat id quod scire debet, & quod omnes ejusdem status, & conditionis, communiter sciunt.

Quæst. V. *Quandonam Censura est invalida?*

Nota. Non contrahi censuram, quando invalida est, per se patet, cùm nulla sit.

Resp. Censura nulla est, 1. Defectu jurisdictionis, cùm scilicet ferens Censuram caret jurisdictione, vel eam habet legitimè impeditam per aliquam censuram, aut suspensam per legitimam appellationem, cum nempè ante sententiam absolutè latam reus appellavit ad superiorem, ex cap. 40. *de appellat.* Si verò appellatio fiat post latam sententiam, vel post contractam Censuram à jure, valet Censura & servari debet, c. 20. *de sent. excomm. in 6.* quia censura lata executionem secum trahit, ex cap. 53. *de appellat.*

2. Defectu ordinis substantialis judicii; ut si aliqua monitio non præcessit: nam ut censura ab homine per sententiam particularem infligenda feratur validè, præcedere debet una saltem monitio, c. 48. *de sent. excomm.* & cap. 9. eod. tit. in 6. Quia non est contumax contra Ecclesiam, nisi qui præcedente monitione & comminatione censuræ obedire renuit. Ut autem validè feratur & contrahatur censura à jure, vel ab homine per sententiam generalem contra actum futurum, non requiritur alia monitio, quàm promulgatio ipsius legis vel sententiæ: lex enim & statutum, cùm sint publica & permaneant, semper satis per se monent, ex cap. 26. *de appellat.* Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantùm: nam absque alia monitione declarari potest censura contracta, modò priùs citata parte de crimine juridicè constet: aliàs nulla esset declaratio, quia contra partem inauditam nihil potest in judicio definiri, c. 1. *de causa poss.*

3. Defectu culpæ mortalis. Quia gravis pœna non potest irrogari ab homine ob levem culpam: nam pœna improportionata & major culpa est evidenter injusta, cùm desit æqualitas. Actio autem evidenter injusta quoad substantiam non habet vim per se obligandi. Quòd si censura lata sit ob crimen falsum, sed in judicio legitimè probatum, hanc obligare in conscientia docet Richardus, Palud. S. Antoninus, 3. part. tit. 24. p. 73. & alii. Econtra Suarez, Layman, & alii multi contendunt eam reipsa non contrahi in foro conscientiæ & coram Deo; quia, sicut causa est tantùm apparens, ita & Censura; nec potest, nec vult Ecclesia punire innocentes. Addunt tamen damnatum teneri se gerere exteriùs coram aliis tamquam censura affectum: quia sententiæ judicis legitimæ, licèt quoad rem injustæ, parere tenetur quantum necessarium est ad amovendum scandalum & tuendam authoritatem Superioris. Quare, inquiunt, si actum ordinis sui publicè exerceret, peccaret; quia cum scandalo resisteret potestati publicæ, sed non contraheret irregularitatem: quia censura est tantùm apparens, & sic non violat veram censuram. Non peccaret autem, si actum sui ordinis, exerceret privatim & coram iis solis, quibus innocentia ejus perspecta est.

Mihi verò videtur non privari quidem participatione communium suffragiorum & orationum; neque etiam privari apertè affirmat ullus author, ut notat Suarez: quia non est verisimile Deum dedisse Ecclesiæ potestatem ea privandi innocentem, cùm hæc potestas non possit esse in destructionem, sed solum in ædificationem; neque etiam Ecclesia id intendit, cùm nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile sit. Sed tamen talis revera privatur receptione & administratione Sacramentorum, executione ordinis, & communione externa cum fidelibus. Quia hæc omnia ei per sententiam legitimam & justam ex parte actionis seu judicii prohibentur, cum sententiæ legitimæ parere tenetur in foro conscientiæ, & debet hoc incommodum pati propter bonum commune postulans executionem ordinis ac sententiæ legitimæ, & obedientiam superiori justè ac legitimè præcipienti. Et hæc prohibitio non habet tunc rationem pœnæ propriè dictæ, quæ semper supponit culpam; sed pœnæ impropriè dictæ, quæ est incommodum propter bonum commune inflictum: unde etiam tunc non erit censura strictè dicta, sed latè sumpta pro prohibitione legitima & obligante. Quod confirmo authoritate S. Thomæ, qui in 4. dist. 18. qu. 2. art. 1. q. 4. docet excommunicationem latam per sententiam, quæ nulla non est, habere effectum suum, & debere excommunicatum humiliter obedire. Sententia autem, de qua agitur, non est nulla.

la, cùm in suo foro justa & legitima sit. Unde inferius S. Doctor de hac specie loquens vocat eam censuram ex debita causa ex parte censurae, non verò ex parte ejus qui imponitur. *Sicut*, inquit, *cùm aliquis pro falso crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc si humiliter sustinet humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum*. Et in solutione objectionum ait non esse inconveniens, ut innocens & invitus aliquando privetur per modum poenae auxiliis externis, quibus per Ecclesiam juvari potest ad salutem. Quare si violaretur ista Censura, videtur quòd contraheretur irregularitas, quia non est censura apparens tantùm; sed est vera & justa prohibitio Superioris, cujus violatio meritò punitur irregularitate.

Caeterùm in dubio justitiae Censurae constat hanc servari debere etiam in foro conscientiae, donec à superiore declaretur irrita, vel tollatur. Quia in dubio favendum & obediendum est superiori habenti jus ferendi Censuras. Et in dubio tutior pars eligi debet.

Sed an omnis Censura injusta est etiam nulla?

Resp. Neg. Nam injusta est Censura, quae non fertur ex amore justitiae, sed ex odio, invidia, vel vindicta privata; vel quae ab homine fertur, accidentario juris ordine sine necessitate praetermisso, v.gr. sine trina monitione, sine scriptura, vel expressione causae, & tamen valida est ac ligat etiam in conscientia, si post unam monitionem à legitimo superiore ob crimen verum feratur. Nam tunc nihil essentiale deest ad ejus valorem; & accidentium defectus non tollit substantiam rei, nec proinde ejus effectum primarium. Imò rata est censura quoad prohibitionem, & servanda, etiamsi feratur ob crimen falsum, sed in judicio legitimè probatum, ut dixi, & opus est absolutione. Quare utraque Censura licèt injusta, timenda est. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta sit, timenda est*, ait S. Greg. hom. 6. in Evang.

Nota. Ut censura ab homine per sententiam particularem licitè feratur, necesse est, 1. Ut fiat trina monitio cum suis intervallis, ita ut una praecedat aliam duorum saltem dierum spatio, cap. 9. *de sent. excomm. in 6*. Tamen ex urgenti causa sufficit una pro tribus cum intervallis, antequam excommunicetur reus; vel etiam sine intervallis si necessitas exigat, v. gr. Moneo te semel pro tribus vicibus, ibid. 2. Ut fiat in scriptis, & causa Censurae exprimatur, tradaturque reo petenti exemplum hujusmodi scripturae infra mensem, c. 1. eod. tit.

Ad censuram verò à jure sufficit ut lex, seu statutum sufficienter promulgatum sit. Si tamen sit ferendae sententiae, ut hac fertur, requiritur citatio rei & condemnatio juridica; nec debet infligi reo etiam convicto & manifesto, nisi praevia monitione, & quidem per se loquendo trina, ex cap. 26. *de appellation*. Quòd si sit *latae sententiae*, ut declaretur contracta, requiritur, ut citata parte de crimine juridicè constet.

Nota. Dubitans utrùm Censuram aliquam contraxerit, tenetur se gerere tanquam si censura affectus esset, donec dubium prudenter deposuerit, ut ab ea absolutus fuerit. Quia in dubio pars tutior eligenda est, & alioqui talis se exponeret periculo peccandi, violando Censuram actu per eam prohibitam.

Quaest. VI. *Quinam possint ligari Censura?*

Resp. Ut quis ligetur Censura, ex communi sententia necesse est, 1. Ut sit viator, quia hic solus est capax emendationis, subjectionis & contumaciae; quod requiritur ad subeundam Censuram. Cum autem haeretici mortui dicuntur posse anathematizari, tum anathema sumitur pro declaratione aliquem alienum ab Ecclesiae communione decessisse. Potest etiam mortuus excommunicari indirectè, quatenus Ecclesia potest ad aliorum terrorem praecipere vivis, ut illum sacra sepultura, publicis precibus & sacrificiis privent. Dicitur verò absolvi, dum Ecclesia concedit facultatem eum sepeliendi, & offerendi pro eo suffragia publica.

2. Ut sit baptizatus: quia nemo fit subditus Ecclesiae nisi per Baptismum, ex Conc. Trid. sess. 14. c. 2. ibi: *Cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare?*

3. Ut sit rationis usu praeditus; aliàs non esset culpae & emendationis capax. Impuberes autem adulti possunt ligari censura, & reipsa incurrunt excommunicationem ob ingressum in Monasteria Monialium, ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. & ob percussionem Clerici, *cap. ult. de sent. excomm*. Item interdictum in totum populum. Ergo etiam alias incurrunt, exceptis censuris ab homine latis. Ebrius verò afficitur censura ob delictum in ebrietate commissum, & antea sufficienter praevisum.

4. Ut sit subditus ligantis, ex cap. 21. *de sent.*

sunt excomm. Quia potestas ferendi censuras pertinet ad jurisdictionem coercitivam, quæ non potest exerceri nisi in subditos: subjectio enim & jurisdictio sunt correlativæ. Peregrinus autem delinquens in alieno territorio, incurrit Censuras ibi latas per modum statuti, ex cap. 14. *de foro competent.* Quia ut aliàs dixi, peregrini subjiciuntur legibus territorii in quo versantur, ratione suæ præsentiæ in illo. Si verò censura lata sit per modum sententiæ, non obligat nisi personas quas directè respicit. E contra subditus non incurrit Censuram latam per modum statuti, si contra illud agat extra Diœcesim ligantis, cap. 2. *de constit. in 6.* Nam statutum afficit solum territorium, pro cujus recta gubernatione fertur, nec extra illud obligat. Secùs, si censura lata sit per sententiam vel præceptum transitorium: nam ligat subditos extra territorium delinquentes, quia personas directè ac secundùm se spectat, ideòque illas afficit ubicumque existant: In quo differt à statuto, quod spectat territorium, seu personas existentes in territorio. Hinc si Episcopus Clerico peregrinaturo ludum alearum prohibeat sub pœna suspensionis, hic eam incurrit extra Diœcesim ludens; quia nempe sententia & præceptum immediate afficit personam, eique cohæret, ubicumque sit. *Ita Suarez, Sayr. Layman, Bonacin. & alii communiùs.* (a)

Quæst. VII. *Quinam possunt ferre Censuras?*

Resp. Omnis & solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum, & in cœlis*; &, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Ubi prælatis Ecclesiæ Apostolorum successoribus datur potestas omnis expediens ad bonum animarum & rectum

(a) De censuris plura scitu digna occurrunt in Tractatu sæpe laudato de Synodo Diœces. Vide lib. VII. cap. 45. in quo improbatur immoderatus censurarum usus. Cap. 46. eorum probatur sententia, qui ob levem culpam, quæ tamen ex circumstantiis fit gravis, censuras ferri posse tuentur. Cap. vero 44. demonstratur ex communi sententia, grave, & enorme crimen desiderari ad infligendas censuras; atque nonnullorum opinio refellitur, qui excommunicationem præcipuè vero latæ sententiæ improbare videntur. Id autem sequentibus verbis ostendit. „ Quod si omnium Doctorum consensu, grave, & enorme crimen requiritur, ad irrogandam censuram, etiam quam vocant *comminatoriam*, & *ferendæ sententiæ*, multo sane gravius, & execrabilius esse oportet delictum, ob quod infligatur censura latæ sententiæ, qua nimirum homo, per solam legis transgressionem, nulla prævia monitione, ejusdem legis ministerio, statim perstringitur. Ejusmodi censuras, præcipue vero excommunicationes latæ sententiæ, visi sunt improbare nonnulli Doctores, Godscalcus Rosemundus Theologus Lovaniensis *in suo Confessionali cap.* 20. eas è medio prorsus auferri vellet, inquiens: *Valde inconsultum, & periculosum est, quod Episcopi in suis statutis, cæteri quoque Judices tam faciles sint in multiplicando censuras; unde expediens esset, ut etiam inquit Gerson, ut omnes Constitutiones sententiæ excommunicationis, latæ sententiæ, in jure, vel statutis contentæ, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassarentur, in provinciis, & diœcesibus, & in Ecclesia universali. Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia feretur de facto à Jure, vel Judice, neque pro præsenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit, se non paratum audire Ecclesiam.* Verum hæc Godscalchi assertio, qua parte omnes excommunicationes latæ sententiæ tanquam perniciosas deleri, & abrogari vellet, audax est; communem enim Ecclesiæ usum condemnat, & Concilia, Summos Pontifices, omnesque Ecclesiarum Præsules tacite carpit: Neque eidem adstipulatur, quem citat, Gerson: hic siquidem *loc. cit.* totus est in explicando, qua ratione excommunicationis vinculo, ipso facto, irretiatur, qui ex mera ignorantia, quam culpabili, aut infirmitate, peccatum committit, etsi ceteroquin contumax non sit, sed paratus sit stare correctioni Ecclesiæ, & postquam multa, ad hanc rem explicandam adduxit, concludit (*col.* 49.) eas excommunicationes latæ sententiæ *tantundem operari, ut absque processu alio judiciali, aut nova Constitutione, possit Judex, statim probato facto, vel confessato, ferre juris sententiam, & eamdem publicare: non sic ubi Canones essent solum ferendæ sententiæ; quoniam monitiones & processus, secundùm terminos juris prærequirerentur multiplices*; Unde apparet, non improbari a Gersone excommunicationes latæ sententiæ, sed ad eas requiri sententiam declaratoriam criminis: quæ utique est necessaria pro foro externo, in quo nemo est reputandus censura innodatus, nisi legitime probetur reus criminis, cui est censura jure ipso alligata: In foro autem interno, & coram Deo, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, ad incurrendum in censuram latæ sententiæ, nulla est necessaria Judicis declaratio, sed sat est, crimen perpetrare, cui illa est annexa: Suam quippe contumaciam, & Ecclesiæ contemptum satis aperte manifestat, qui in legem delinquit, quam scit in sui transgressores censuræ vinculum statim, & illico injicere, sicuti egregie ratiocinantur Suarez *de censuris, disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 3. & Gonzalez *in cap.* 48. *de sententia excommunicationis*, n. 6. sed præ cæteris legendus est, de hac re ex professo differens, Teophilus Raynaudus (*oper. tom.* 14. *pag.* 514.) ubi scribens adversus Ayalam, censuras latæ sententiæ, hoc nomine, reprehendentem, quod illis non præcedat canonica admonitio, egregie ostendit, admonitionis loco esse promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis, sub pœna censuræ.

„ 6. Godscalco, & Ayalæ assentiri videtur Van-Espen *jur. Eccles. univers. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 6. *num.* 19. ubi etsi non audeat absolute damnare excommunicationes latæ sententiæ, eas tamen recens adinventas, &, per decem omnino sæcula, ignotas Ecclesiæ fuisse, affirmat: At Van-Espenium falli facile demonstrabimus. Atque in primis nullam, putamus fingi posse excommunicationem, illa severiorem, qua homo baptizatus perpetuo

rectum Ecclesiæ regimen, ad quod pertinet potestas non solùm ferendi leges, sed etiam coercendi, corrigendi & puniendi rebelles ac contumaces, eosque privandi bonis communibus.

Ordinariàm Potestatem ferendi Censuras habet Papa, & Concilium generale in omnes baptizatos, Episcopus in suos Diœcesanos, Concilium Provinciale in suam Provinciam. A Papa habent Superiores Ordinum saltem generales & provinciales, vel etiam Superiores locales secundùm cujusque constitutiones; non item Parochi. Delegatam habent omnes, & soli Clerici quibus fuit legitimè concessa ab habente ordinariam. Femina autem saltem jure Ecclesiastico est incapax jurisdictionis spiritualis, ideòque Censuræ ferendæ.

Quæst. VIII. *Quinam possunt absolvere à Censuris?*

Resp. 1. Censura *ab homine*, vel quævis alia reservata non potest tolli, nisi ab eo qui eam tollit, vel ab ejus Superiore, aut Successore vel delegato: quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Archiepiscopus autem non potest à Suffraganeorum Censuris absolvere, nisi in casu appellationis aut visitationis.

Ab excommunicatione non reservata, nec ad forum contentiosum deducta potest absolvere quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à peccatis mortalibus, ex consuetudine recepta, & ex cap. *Nuper*, de sentent. excomm. ibi: *Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis, relaxandi.* Excommunicatio autem à jure non est reservata, nisi reservatio exprimatur in canone vel statuto. Suspensio verò & interdictum saltem locale & generale personale, ex communi sententia censetur reservata Superiori, ita ut nullus Sacerdos possit ab eis absolvere sine potestate à Superiore accepta. Sunt tamen qui dicunt Confessarium posse ex concessione Ecclesiæ absolvere à suspensione, & interdicto particulari, cujus non est conscius pœnitens, & ad hoc valere formulam usitatam.

Resp. 2. Ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. Epi-

„ arceatur à Sacramentorum perceptione, omnique excidat spe consequendæ ab Ecclesia reconciliationis; & tamen prioribus sæculis, quorumdam atrociorum criminum reos, facto ipso, seu sola criminis perpetratione, in hanc pœnam incurrisse, præter alibi laudatos Petavium, Morinum, Albaspinæum, aliosque plures, tradit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 17. num. 1.* inquiens, *In exordio Christianæ religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsus veniæ spes, omnis pænitentia denegaretur, adeout qui ea commisissent, quamvis à Divina misericordia eorum remissionem, vera Contritionis subsidio obtinerent; nunquam tamen possent cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium.* Quid, quod, si actu Pœnitentes, aut jam semel pœnitentia functi, in aliud, cujuscumque generis peccatum, quamvis privatim & occulte, relaberentur, nunquam deinceps veniam & pacem ab Ecclesia impetrarent? Nonne & hæc species erat severissimæ excommunicationis? Et tamen hanc relapsis fuisse ipso facto; inustam, & pluribus demonstrat doctissimus Morinus *de Pænit. lib. 3. cap. 27. 28. & 29.* & liquet ex plurium Conciliorum decretis, occulte etiam relapsos ab omni, etiam civili, Fidelium consortio segregantibus: Siquidem Concilium Turonense I. anni 461. *can. 8.* (*collect. Hard. tom. 2. col. 795.*) decrevit: *Si quis vero post acceptam pænitentiam, sicut Canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta; quam professus est, pænitentia, fuerit reversus; à communione Ecclesiæ, vel à communione Fidelium extraneus habeatur*; Concilium Veneticum, circa annum 465. celebratum, *can. 3.* (*collect. Harduini tom. 2. col. 797.*) statuit: *Pænitentes quoque, qui susceptam publice pænitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vita se sæculari, conversationique reddiderint, non solùm à communione Dominicorum Sacramentorum, sed etiam à conviviis fidelium submovendos*; Concilium Aurelianense I. anni 511. *can. 11.* (*collect. Hard. tom. 2, col. 1010.*) *De his* (ait) *qui, suscepta pænitentia religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi, & ab omnium Catholicorum convivio separari.* Quare, quod Siricius Papa *epist. 1.* ad Himerium Tarraconensem Episcopum *cap. 5.* (*collect. Hard. tom. 1. col. 848.*) relapsis permiserit, *ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, & sacra mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur*; id ex mera indulgentia, & communis legis relaxatione, factum, existimat Morinus *cit. cap. 29.* Ad hæc Auctor operis de vita contemplativa (quem alii Prosperum Aquitanicum, qui medio sæculo V. scripsit, alii Julianum Pomerium, qui eodem sæculo labente, floruit, fuisse contendunt *lib.* ... *cap. 7.* diserte affirmat, ea ætate Clericos, grave aliquod facinus occulte admittentes, statim in foro conscientiæ, & coram Deo in suspensionem incidisse, quam Albaspinæus, *observ. lib. 1. cap. 2.* & Suicer *Thesaur. Eccl. tom. 1. pag. 601.* pro quadam excommunicationis specie habitam, non immerito notarunt; Ait quippe Pomerius: *Hi, qui aliquo gradu Ecclesiastico constituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videbitur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod homines, occultatione sui criminis, fallunt ... qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt; in sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant; immo vero dupliciter contra se iram Divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt.*

„ 7. Quod si hæc nondum satis esse videantur, ad probandum, Majoribus nostris inusitatum non fuisse morem decernendi censuras latæ sententiæ, alia statim proferemus antiquissima, & certissima ejusdem rei monumenta. Norunt omnes viri docti, tres olim fuisse species excommunicationis majoris, de qua sola in præsens res est: Prima dicebatur *Excommunicatio simplex*: Altera *Anathema*: Tertia *Maranatha*, de qua frequens mentio

Episcopi possunt absolvere subditos suos ab omnibus Censuris etiam Papæ reservatis, contractis ob delictum occultum, nec deductis ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario. Possunt etiam absolvere ab omnibus aliis subditos, quibus non est possibilis moraliter recursus ad Papam, ut sunt mulieres, pueri, senes, infirmi, & alii, quorum est legitimum impedimentum, c. 13. & cap. 58. *de sent. excommun.* Si tamen impedimentum non sit perpetuum, juramentum ab absolvendis exigatur quòd cessante impedimento ad Papam aut ejus Legatum recurrant, ibid. Quòd si non recurrant, recidunt in similem Censuram, cap. 22. *de sent. excomm. in 6.* Sed aliqui dicunt hanc obligationem abrogatam esse in Gallia, & aliis locis à Roma valdè remotis.

Resp. 3. In Jubilæis solet ampla potestas circa Censuras, & casus reservatos concedi. Circa quod observanda sunt sequentia. (*a*)

1. Quando conceditur facultas generalis absolvendi à Censuris Papæ reservatis, etiam in Jubilæo, non ideò datur potestas absolvendi à Censuris contentis in Bulla Cœnæ, ubi illa viget, nisi specialiter exprimatur, quia hæ sunt specialiter reservatæ. Specialia autem non continentur in concessione generali, nisi exprimantur.

2. Qui habet potestatem absolvendi à casibus Papæ reservatis, habet etiam potestatem absolvendi à Censuris eidem reservatis: quia casus non sunt reservati Papæ, nisi ob Censuram annexam. Qui autem potestatem obtinuit circa casus Episcopo reservatos, non potest idcirco à Censuris Episcopo reservatis absolvere; quia cùm soleant Episcopi aliquos sibi casus reservare nulli Censuræ annexos, inde fit ut casus reservati, & Censuræ Episcopales sint duæ res distinctæ, nec unum in alio includatur.

3. Absolutio in Jubilæo data rectè disposito habenti intentionem illud lucrandi, & implendi conditiones, etsi postea sua negligentia, vel ob aliud impedimentum non lucretur, tollit Censuram, & reservationem. Quia absolutio fuit absoluta, non conditionata, ut constat tum ex verbis & intentione absolventis; tum ex potestate absolvendi à Censuris & casibus reservatis, quæ non pendet à conditione quòd pœnitens reipsa lucrabitur Jubilæum; sed datur simpliciter & absolutè pro tempore Jubilæi respectu pœniten-

---

„ occurrit in annalibus S. Benedicti, conscriptis à Patre Mabillon *tom.* 4. *in appendice*. In historia Lotharingiæ, Calmet *tom.* 1. *part.* 2. *p.* 390. Et in nova editione glossarii Caroli Dufresne *tom.* 4. *in verb. Maranatha*. Simplex excommunicatio, & anathema, in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa, solo verbo proferretur; anathema vero pronuntiaretur, celebri quadam solemnitate, pluribusque adhibitis cæremoniis, quæ aptæ forent ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem: *Maranatha* autem hoc *anathemati* addebat, ut excommunicatus solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiæ communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Judicii: quod ex ipsa nominis etymologia elicuit Augustinus apud Suarez *de censuris disp.* 8. *sect.* 2. & explicarunt Patres Concilii Toletani IV. statim allegandi. Jam vero antiquissima Synodus Gangrensis, paulo post Nicænam habita, omnes suorum viginti canonum transgressores anathemate perculit, his verbis: *Anathema sit* (*collect. Hard. tom.* 1. *col.* 533. *&c.*) quibus sententiam latam importari, nemo facile inficiabitur; Patres autem Concilii Toletani IV. habiti anno 633. cui Episcopi 62. interfuere, (*cap.* 75. *collect. Hard. tom.* 3. *col.* 594.) *anathema Maranatha*, in eos pronuntiarunt, qui adversus Regnum, vel Regem conjurarent, in quos hanc formidandam sententiam, ter repetitam, protulerunt: *Hoc etiam tertiò acclamamus*, *dicentes: Quicumque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione, vel studio Sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate Regiæ potestatis pollicitus est, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi: atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Christianorum alienus, neque partem Justorum habeat, sed cum Diabolo, & Angelis ejus, æternis suppliciis condemnetur, una cum eis, qui eadem conjuratione nituntur: ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat. Et ideo si placet omnibus, qui adestis, hæc tertiò reiterata sententia, vestra vocis, eam consensu firmate. Ab universo Clero, vel populo dictum est: Qui contra hanc nostram definitionem præsumpserit, Anathema, Maranatha, hoc est, perditio in Adventu Domini sit, & cum Juda Scarioth partem habeat, & ipsi, & socii eorum: Amen.* Eamdemque anathematis sententiam, eodem ritu, ac iisdem fere verbis, in eosdem Regni, & Regis proditores, denuo latam, legimus in Concilio Toletano XIV. ann. 693. cap. 20. (*eod. tom.* 3. *collect. Hard. col.* 1805.) Qui autem prædictæ sententiæ ritum, quo tribus vicibus, veluti trium monitionum loco fuit repetita, considerat, multoque magis, si illorum verborum *Anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi*, vim, & efficaciam attentius expendat, minime dubitabit, Patrum mentem fuisse, excommunicationis latæ sententiæ percellere, quotquot in posterum, in patriam, aut Regem, rebellionem intentarent.

„ 8. Non itaque recenter adinventæ, nec primis decem Ecclesiæ sæculis, ignotæ prorsus fuerunt excommunicationes latæ sententiæ, sicuti sibi finxit, rerumque Ecclesiasticarum minus peritis imposuit Van-Espen, ut illarum usum improbaret, easque parvi faciendas, suaderet, quod certe alibi non obscure insinuavit.

(*a*) Vide supra pag. 386. ubi habetur integrum Caput 68. lib. VII. de Synodo Diœcesana, in quo num. 4. quæstio, quam hic Author tractat, clarius resolvitur, & explicatur.

tentium volentium illud lucrari. Secùs, si confessus fit sine intentione supradicta. Quia hæc potestas datur solùm in ordine ad Jubilæum: nam Pontifex non intendit dare potestatem absolvendi à reservatis nisi respectu eorum qui volunt sincerè Jubilæum consequi, ideòque opera præscripta implere. Unde debet postea à Censuris, & peccatis reservatis absolvi ab eo, qui potest extra Jubilæum.

Dixi, *rectè disposito*. Nam hæc gratia non conceditur nisi verè contritis.

Resp. 4. In articulo mortis *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt*. Ita Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. Multi tamen putant hoc esse restringendum ad Censuras, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & sepulturæ ecclesiasticæ, ut excommunicatio & interdictum, non autem suspensio: quia hæc facultas conceditur *ne hac occasione aliquis pereat*, ibid. Ergo, inquiunt, Ecclesia non intendit dare omnibus potestatem absolvendi ab iis, quarum occasione non impediretur consecutio gratiæ, qualis est suspensio ab ordine, officio, vel beneficio.

Porrò Sacerdos debet priùs reum obligare ad restitutionem debitam; vel si non possit tunc restituere, ad ea onerandos hæredes suos actu publico; aut si neutrum possit, ad jurandum se satisfacturum, cùm primum poterit.

Item Sacerdos qui extra articulum mortis non habet potestatem absolvendi à Censuris, monere debet moribundum, ut, si convalescat, se sistat & submittat Superiori, sub pœna reincidentiæ, hoc est incurrendi in similem Censuram, c. 22. *de sent. excommun. in 6.* & hoc onus sistendi se Superiori debet ei sub juramento imponi, ex cap. 58. *de sentent. excommun.* Quod exigitur à pœnitente, non ut iterum absolvatur, cùm validè fuerit absolutus; sed ut superior correctionem ac remedia idonea adhibeat, & satisfactionem imponat, prout judicaverit. Nomine Superioris hìc intelligitur quis habens potestatem ordinariam aut delegatam absolvendi à Censuris extra articulum mortis.

Quæst. IX. *Quænam notanda sunt circa absolutionem à Censuris?*

Resp. Sequentia. 1. Quamvis cessante contumacia, & reo converso Superior debeat absolvere à Censura, cùm sit pœna medicinalis: tamen Censura reipsa non tollitur nisi per absolutionem, ex Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*, scilicet donec solveritis. Et, ex cap. 28. & aliis *de sentent. excommunicat.* Nam non potest Censura dissolvi, nisi ea authoritate, qua contracta est. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ*. Nam etsi contumacia fit causa Censuræ, non est tamen causa durationis ejus: sicut culpa est causa pœnæ, & tamen hæc durat sublata culpa.

2. Absolutio à Censuris ex natura rei non requirit certa verba, cùm non sit sacramentalis; sed potest dari validè per quælibet signa illius sufficienter expressiva. In foro tamen externo servanda est forma in Ritualibus præscripta. In foro conscientiæ adhibetur hæc formula pro excommunicato: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego authoritate ipsius absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, v. gr. hæresim, & restituo te communioni & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Pro suspenso: *Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam propter tale factum incurristi, & restituo te executioni Ordinum & officiorum tuorum, vel beneficiorum, In nomine Patris, &c.* Pro interdicto dicitur: *A vinculo interdicti, quod &c.*

3. In dubio Censuræ contractæ dari debet absolutio ad cautelam, sic: *Absolvo te à censura excommunicationis, si eam incurristi ob tale factum*. Imò etsi nulla sit suspicio Censuræ contractæ, datur absolutè absolutio à Censuris ante absolutionem à peccatis, ad vitandam irreverentiam, si fortè pœnitens occulta Censura affectus sit, hoc modo: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat; & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, &c.* Rituale Rom.

4. Valida est, licèt illicita, absolutio ab habente potestatem ordinariam data absenti, vel invito & malè disposito. Quia censura est solum pœna, quæ potest à superiore ad libitum validè auferri.

5. Qui pluribus Censuris est astrictus, potest absolvi ab una, remanentibus aliis etiam similibus, cap. 27. *de sentent. excomm.* Nam inter eas non est necessaria connexio. Potest autem qui subjici multis Censuris etiam ejusdem speciei ob plura crimina, ex eod. cap.

cap. vel ob idem pluries commissum: nam plura delicta possunt pluribus pœnis ejusdem rationis puniri. Sic qui excommunicatus est ob percussionem Clerici, plures alias excommunicationes incurrit, si pluries eumdem Clericum vel alium percutiat.

6. Potest dari à Superiore absolutio ad reincidentiam, hoc est, sub certo onere, quo non impleto intra tempus præfinitum Censura reviviscat, seu delinquens similem Censuram contrahat. Item potest dari pro certo tantùm actu & tempore, quo transacto Censura habet omnem suum effectum; vel sub conditione de futuro libero: cùm sit actus jurisdictionis externæ, qui pendet à voluntate Superioris, quamvis hoc ordinariè non expediat, nec fieri debeat, cùm non sit in Ecclesia usu receptum.

7. Dum aliquis est excommunicatus ob injustitiam aut scandalum, in neutro foro licet eum absolvere, nisi priùs satisfecerit parti, & scandalum sustulerit: aut si non possit, debet priùs dare idoneam cautionem, quòd satisfaciat quamprimùm. Quòd si postea non satisfaciat cùm primùm commodè poterit, excommunicationem denuò contrahet, cap. 22. *de sent. excomm. in 6.*

8. Si is, qui Sacerdoti potestatem absolvendi à Censuris habenti bona fide confitetur, obliviscatur peccatum, cui Censura annexa est; secundùm multos tollitur Censura, modò Censurarum absolutio sit terminis generalibus data. Nam tunc Confessor utitur generaliter facultate absolvendi ab omnibus Censuris quam habet, vultque omnes auferre quantùm potest.

9. Qui absolutus est tantùm in foro conscientiæ à Censura notoria, ita se gerere debet exteriùs ac si non esset absolutus; potestque conveniri coram Judice, & ab eo cogi ad subeundam omnem pœnam Censuræ annexam: Quia absolutio data tantùm pro foro conscientiæ non habet effectum nisi coram Deo.

10. Invalida est absolutio per vim, vel metum injustum extorta etiam à tertio, imò extorquens contrahit excommunicationem, cap. unic. *de iis quæ vi, &c. in 6.* ex Conc. gener. Lugd. Item nulla est, si extorta sit per dolum versantem circa causam finalem: quia Superior non vult absolvere nisi ob causam sibi propositam; quæ tunc non subsistit, nec proinde subest voluntas absolvendi: nam sublato motivo seu objecto formali volitionis, non est volitio.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est?*

Resp. Excommunicatio est Censura, per quam baptizatus privatur communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque pendent à potestate & dispensatione Ecclesiæ, uti sunt Sacramentorum receptio & administratio, Ecclesiæ suffragia, divina officia, &c. Duplex est, major & minor.

Excommunicatio major, (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter, c. 59. *de sent. excomm.*) est Censura, qua quis privatur bonis communibus Ecclesiæ, & ejus dispensationi subjectis, & abscinditur à corpore Ecclesiæ, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Unde est pœna gravissima, *qua pœna in Ecclesia nulla major est*, ait S. Aug. l. corr. & grat. c. 15.

Excommunicatio minor est ea quæ privat ex parte, seu aliquibus tantùm bonis communibus Ecclesiæ, nempe receptione & administratione licita Sacramentorum, & passiva electione ad dignitates ac beneficia. Hæc contrahitur solùm ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicato non tolerato, cap. 3. *de sent. excomm. in 6.* ex Conc. gen. Lugd. Et Sanchez dicit omnes sentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in crimine criminoso, id est, ob quod contracta est Censura, consilium, auxilium, vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cùm facientem & consentientem par pœna constringat*, cap. 29. *de sent. excomm.* A minore excommunicatione absolvere potest quicumque potest à mortali culpa, cùm non sit reservata, ex eod. cap.

Quæst. II. *Quinam sunt excommunicati vitandi?*

Resp. Olim omnes erant vitandi. Sed jam ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda* à Conc. Constantiensi, teste S. Antonino approbata, & jam pridem ubique observata, atque ex usu præsenti Ecclesiæ, ii solùm sunt vitandi, qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim declarati sunt excommunicati, & publice denuntiati; item notorii percussores Clericorum, hoc est, ii quorum percussio publica nulla potest tergiversatione celari, nec ullo juris suffragio excusari, licèt non sint denuntiati. Equidem juxta Concil.

Basileense, sess. 20. & Bullam Leonis X. de concordatis approbatam à Concil. Later. V. vitandi sunt etiam omnes, quos notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Sed ex consuetudine prævalet Bulla Martini V. quæ quidem non extat in actis Conc. Constantiensis, sed refertur à S. Antonino 3. part. tit. 25. cap. 3. Unde excommunicati alii sunt tolerati, quos scilicet fideles non tenentur vitare, & alii non tolerati, quos tenentur vitare, nempe nominatim & publicè denuntiati, vel notorii percussores Clericorum. Varii Doctores Galli dicunt publicum Clerici percussorem in Gallia vitari non debere, nisi accesserit sententia quâ declaretur injustus Clerici percussor: quia secundùm legem vel consuetudinem regni, ad notorietatem facti criminosi requiritur declaratoria judicis sententia. (a)

Quæst. III. *Quinam sunt effectus excommunicationis majoris?*

Resp. 1. Cùm excommunicatus abscindatur à corpore Ecclesiæ, ut docent Patres, & ipse Christus his verbis, *Sit tibi sicut ethnicus:* ita ut non jam ut membrum Ecclesiæ, sed tanquam ethnicus tractandus sit, privatur omni jure, quod ei competebat tanquam membro Ecclesiæ, omnibusque, quæ fidelibus ut membris Ecclesiæ competunt.

Resp. 2. Excommunicationis majoris septem sunt effectus, nam excommunicatus etiam toleratus & contritus, 1. Privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet sacrificiis, orationibus, indulgentiis: ita ut non liceat Sacerdoti tamquam Ecclesiæ Ministro, & nomine Ecclesiæ pro illo sacrificium, nec preces in sacrificio, nec horas canonicas offerre: quæ si pro illo fiant, non ei prosunt, ex cap. *Sacris de sent. excomm.* & cap. *Audi*, & cap. *Omnis* 11. quæst. 3. Nam Ecclesia, hoc ipso quod privat aliquem communibus suffragiis, prohibet ne pro illo applicentur.

Porrò per communia illa suffragia intelliguntur spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suffragatur suis membris, sive in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali, sive in ordine ad impetranda aliqua bona, præsertim spiritualia, vel quæ ad illa juvent. Revocanturque ad sacrificium Missæ, orationes, & Indulgentiæ. Potest tamen quivis privatus preces & sacrificium, & alia opera nomine privato seu tanquam persona privata pro eo offerre; quia hæc sunt suffragia privata. Item secundùm multos licet Sacerdoti tanquam personæ privatæ, in *Memento* pro eo mentaliter orare; sed non per orationes, quæ Ecclesiæ nomine pro ejus membris dicuntur, nec ut Minister Christi; nemini enim licet Ecclesiæ suffragia etiam pro tolerato offerre: alioqui tolleretur præcipua pœna & ratio excommunicationis; & quia Constitutio Martini V. nullum favorem toleratis concedit: Ergo ii, ut antea excluduntur à suffragiis Ecclesiæ.

2. Privatur receptione & administratione Sacramentorum, ita ut mortaliter peccet, si aliquod recipiat, vel sine necessitate & non requisitus administret. Quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente, ex cap. 59. *de sent. excomm.* & cap. 4. & 6. *de Clerico excommun.* Unde non potest absolvi à peccatis, nisi priùs fuerit ab excommunicatione absolutus.

Item ei non licet sub mortali interesse Sacro, aut divino officio, cap. *Alma de sent. excommun. in 6.* Quòd si facile possit absolutionem à Censura sibi comparare, & non conetur, omissio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, imò & Missæ, dum urget præceptum; ei ad culpam mortalem imputabitur; quamvis in tali statu teneatur ab illis abstinere. Quia lex præcipiens aliquid, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltem non valde difficilia, qualis est Censuræ remotio, ad quam aliunde tenetur. Potest tamen concionem audire, cap. 43. *de sent.*

(a) Huc spectat Const. 100. BENEDICTI XIV. incipiens, *Apostolica Indulta &c.* in qua, decernitur, eos, qui ex indulto Sedis Apostolicæ, possunt sibi eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, à quo à reservatis criminibus, & censuris absolvi possint, non posse alium Confessarium eligere nisi approbatum ab Ordinario illius loci, in quo confessio peragitur. *Ita videlicet, ut si in aliquo indulto tam Sæcularibus, quàm Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum: tunc Confessarius vigore talis concessionis sive à Sæculari, sive à Regulari Pœnitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano, & Ordinario Loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus, & deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quàm uterque Innocentius Prædecessores declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quæ à solo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime suffragante.* At Innocent. XII. & XIII. declaraverant, *non posse Sacerdotem, qui ab Episcopo limitatam facultatem obtinuerit, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum Sacramentum pœnitentiæ administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, sive confessarii electi fuerint vi Bullæ Cruciatæ, sive ex quocumque alio privilegio .... nec eis suffragari: quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci in quo confessiones audiendæ sunt ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat &c.*

sent. excomm. sed finita concione tenetur recedere, ne cum aliis communicet.

Si autem sit obligatus ad horas canonicas, tenetur eas solus recitare, non quidem ut persona publica & ab Ecclesia legata, cùm sit ab ejus corpore abscissus, saltem jure si sit solutus; sed ut persona privata: par enim non est, ut quis commodum ex suo delicto percipiat. Praeterea excommunicatio, cùm sit poena, non debet obligationem & onus auferre; & immunitatem conferre. Sed ei non licet adhibere socium: nam omnis communicatio cum alio est ei prohibita, praesertim in orationibus; nec ei licet dicere: *Dominus vobiscum:* quia haec verba significant publicae personae sacram cum populo communicationem, quae ei interdicta est, quare ejus loco debet dicere: *Domine, exaudi orationem meam, &c.*

3. Est inhabilis ad dignitates & beneficia accipienda, ita ut resignatio, electio, praesentatio, collatio, permutatio, & quaelibet alia beneficii provisio facta in favorem excommunicati etiam tolerati, & acceptatio, sit nulla, cap. 7. *de Cleric. excomm.* Item est inhabilis ad pensionem clericalem, nam communione Ecclesiae privatus, est incapax recipiendi bona Ecclesiae dispensationi commissa. Idque constat ex usu & stylo Curiae: nam in litteris Pontificiis apponitur absolutio ab excommunicatione, ad hunc effectum. Quare qui in excommunicatione obtinuit beneficium aut pensionem clericalem, non potest percipere fructus; & si perceperit, tenetur eos restituere; nec potest tale beneficium permutare, aut resignare in favorem. Quia nullum jus ad beneficium, pensionem & fructus habet, cùm ejusmodi collatio sit nulla. Idque licèt ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis, licèt excuset à culpa, non tamen facit actum validum qui erat alias invalidus: nam actus non potest esse validus sine omnibus requisitis ad ejus valorem.

Imò excommunicatus quamvis beneficio ante obtento non privetur, & ideo ad horas obligetur ratione illius, potest tamen eo privari; & non facit fructus suos durante excommunicatione, ideoque eos omnes ac distributiones restituere tenetur ante omnem sententiam. Ita Covarr. Suarez, Toletus & alii multi, ex cap. 52. *de appellat.* ibi: *illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur.* Hanc autem privationem ipso facto latam esse, docet valde communis sententia: tum quia vox *subtrahuntur*, significat factum ex vi Censurae, non praeceptum de imponenda illa poena: tum quia haec privatio fructuum aequiparatur ibi privationi communionis Ecclesiae; nec suspenditur per appellationem ab excommunicatione, ibid. *Ita Suarez.*

4. Privatur omni spiritualis jurisdictionis usu, ita ut peccet mortaliter, si ordinet, Censuras vel leges ferat, dispenset, conferat beneficia, ad ea eligat, instituat, praesentet, &c. cap. 24. *de sent. & re judic.* Tamen actus jurisdictionis, si toleratus sit, sunt validi ob bonum commune, ex constit. Martini V. cit. ubi dicitur posse ab excommunicatis toleratis recipi sacramenta.

5. Excommunicato etiam tolerato interdicitur omnis communicatio cum fidelibus, c. 18. 29. & 59. *de sent. excomm.* & c. *Alma*, hoc tit. in 6. & cap. 2. *de except.*

Primò quidem in rebus sacris, ut in Missae sacrificio, & aliis divinis officiis, quo nomine comprehenduntur horae canonicae, omnis oratio publica, processio, benedictio, aliaeque similes actiones sacrae, quae solemniter fiunt ex institutione Christi vel Ecclesiae, aut propriae sunt alicujus ordinis clericalis.

Quòd si excommunicatus in Ecclesia divinis officiis intersit, si toleratus sit, non debent intermitti officia; quia non est vitandus. Si verò sit nominatim denunciatus, monendus est à celebrante ut exeat. Quòd si non pareat, incurrit novam excommunicationem Papae reservatam, sicut & alii qui prohibent ne exeat, *Clement. 2. de sent. excomm.* & tunc si commodè fieri potest, vi expellendus est. Si nequeat expelli, adstantes exire tenentur, ne cum illo communicent; & ipse sacerdos tenetur Missam inchoatam abrumpere, si nondum incoepit canonem: si incoepit, debet solo ministro manente pergere usque ad communionem inclusivè, & reliqua perficere in sacristia. Sacerdos autem scienter celebrans coram excommunicato vitando, peccat mortaliter, & ligatur interdicto ab ingressu Ecclesiae, cap. 8. *de privil. in 6.*

Secundò in actionibus forensibus, ita ut excommunicatus nequeat esse judex, procurator, actor, tabellio, testis, &c. nec ei liceat tales actiones exercere, cap. 8. *de sent. excommun. in 6.* Ejus tamen acta valent si sit toleratus & non repellatur: secùs, si non sit toleratus.

Tertiò in actionibus civilibus, juxta hunc versum.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os

Os significat colloquium, allocutiones five nutibus, five verbo aut fcripto, & quævis amicitiæ figna, ut ofcula, amplexus, &c. *Orare*, id eft, communicatio in orationibus & divinis officiis. *Vale* fignificat falutationes urbanas verbo, nutu, aut alio figno. *Communio*, id eft, omnis focietas, quæ habetur in communi habitatione, in contractibus, negotiis, & aliis actionibus: ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare, iter facere, aut quodvis opus præftare. *Menfa* denotat omnem convictum, & convivia. Ecclefia autem utpote communitas perfecta, habet poteftatem, non minùs quam quælibet alia fubditos fibi non obfequentes à reliquorum confortio fegregandi; & ea utitur, tum ne rebelles criminis contagione alios inficiant, tum ut ipfi tanto magis pudefacti citiùs refipifcant, tum ad exemplum & terrorem aliorum.

Licet tamen extra divina officia communicare cum non tolerato, in his cafibus in jure exceptis, ut, cap. *Quoniam* 11. quæft. 3. & hoc verfu contentis:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceffe.

Prima itaque caufa excufans eft *utilitas* fpiritualis etiam ipfius excommunicati, cùm fcilicet id expedit ad ejus falutem, ut ad meliorem frugem reducatur, c. 43. *de fent. excomm.* Item alterius utilitas temporalis notabilis, v. gr. ad petendum confilium, fubfidium, vel folutionem debiti; non tamen ad denuò contrahendum, *ex cap.* 34. *eod. tit.* Secunda eft *Lex*, nempe connubii, quæ jubet ut conjuges mutua fibi officia præftent. Tertia *humile*. Sunt officia filiorum erga parentes, & famulorum erga dominos fi ferviebant ante excommunicationem; item inferiorum erga fuperiores, quoad ea quæ fpectant ad communicationem neceffariam iis qui habitant in eadem familia, &c. Quarta eft *ignorantia* juris vel facti. Quinta eft *cafus neceffitatis* animæ vel corporis alterius; v. gr. ad comparanda victui neceffaria, &c. Item neceffitas auxilii, confilii, vel refugii.

6. Sextus excommunicationis majoris effectus eft irritatio gratiarum apoftolicarum, cap. 1. *de refcript. in 6.* Quare Papa, in fuis refcriptis præmittere folet abfolutionem ab omnibus Cenfuris duntaxat ad effectum gratiæ ab ipfo conceffæ. Quæ fi omitteretur in refcripto, irrita effet gratia conceffa excommunicato. Non ideo tamen legitimè poffidetur beneficium per refignationem fimoniacam in Curia Romana obtentum ab illa abfolutione ad effectum; quia talis provifio eft nulla: cùm fit obreptitia, & contra intentionem Papæ obtenta, & irrita independenter à Cenfura.

Nota. Hæc omnia jura & pœnæ etiamnum vigent: ita ut quis excommunicatus, etiam toleratus & occultus, peccet, dum communicat cum fidelibus in actionibus facris vel prophanis, aut actum quemlibet fupradictum exercet. Nam Leo X. in bulla cit. à Conc. Later. V. feff. 11. approbata, exprefsè declarat, fe per fuum decretum *non intendere excommunicatos, fufpenfos & interdictos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet fuffragari*. Quod jam declaraverat Concil. Bafil. feff. 20. & antea Martinus V. ut paffim teftantur Doctores, quamvis hoc non legatur apud S. Antoninum. Poteft tamen excommunicatus excufari ob impotentiam moralem, ut fi non poffit abftinere ab hac communione fine fcandalo vel gravi damno, ut infamia gravi, quando crimen eft occultum; quia præcepta Ecclefiæ ordinariè non obligant cum gravi damno. Fideles autem non peccant communicando cum excommunicatis toleratis; fecùs, fi non fint tolerati, ex ead. conft.

7. Excommunicatus non toleratus privatur ecclefiaftica fepultura, ita ut non liceat in loco facro eum fepelire; & fi fepeliatur, debeat exhumari, fi ab aliorum corporibus difcerni queat. Cap. 12. *de fepult.* ibid. *Sacris eft canonibus inftitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant ecclefiaftica fepultura, qui prius erant ab ecclefiaftica unitate præcifi. nec in articulo mortis Ecclefiæ reconciliati fuerint.*

Sed quid, fi excommunicatus refipuerit, & per contritionem perfectam juftificatus fuerit?

Refp. Semper manet obnoxius his pœnis, donec abfolutus fit, cap. *Sacris de fent. excomm.* Quia Cenfura, quamdiu manet, habet effectus fuos. Tamdiu autem manet, quamdiu non tollitur per abfolutionem; & alioqui non effet opus abfolutione.

Quæft. IV. *An eft mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

Refp. Ex S. Thoma, & ex communi fententia eft mortale communicare in rebus facris, et officiis divinis, cap. 29. caufa 11. qu. 3. Nam materia gravis eft, & valdè repugnat tum auctoritati & fini Cenfuræ, tum etiam dignitati rerum facrarum. Sed folùm veniale eft in aliis: nifi in crimine ob quod aliter excommunicatus eft, vel nifi fit contra fpeciale præceptum fuperioris, vel cum fcandalo

dalo aut contemptu legis, ut si communicatio esset frequens; quia, inquiunt, communicatio in rebus civilibus non censetur hic materia gravis, nam non repugnat graviter fini excommunicationis, nisi sit frequens.

Communicans autem cum excommunicato in crimine criminoso, hoc est, cooperans culpæ vel contumaciæ ob quam lata est excommunicatio, v. gr. præbendo consilium, auxilium vel favorem, semper peccat mortaliter, & eamdem incurrit excommunicationem, cap. 29. & 55. *de sent. excomm.* quia faciens & consentiens pari pœna puniri debent.

Quæst. V. *Quinam sunt effectus excommunicationis minoris?*

Resp. Tres sunt. 1. Privatio seu prohibitio receptionis Sacramentorum, cap. 59. *de senteut. excomm.*

2. Privatio passivæ electionis ad dignitates & beneficia. Quare illa ligatus peccat graviter, si scienter recipiat sacramentum vel beneficium: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi. Non fit tamen irregularis; nec electio aut provisio est irrita, sed solùm irritanda, cap. ult. *de cleric. excomm.*

3. Privatio administrationis licitæ Sacramentorum, ex eod. cap. ubi dicitur, *peccare conferendo ecclesiastica Sacramenta.*

Quæst. VI. *Quænam sunt excommunicationes reservatæ Papæ, & Episcopis?*

Resp. Circa hoc consuli debet propriæ diœcesis Rituale. Hìc tamen operæ pretium est explicare excommunicationem contra percussores clericorum à Conc. gener. Later. II. can. 15. latam, his verbis; *Placuit ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere; nisi mortis urgentè periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

I. Nemo cujusvis ordinis, dignitatis, sexus, status ab ea eximitur, ne impubes quidem rationis compos. Imò hanc incurrunt mandantes, consentientes, & consulentes, effectu secuto; item non impedientes, si ex officio ad hoc teneantur, vel si potuerint impedire sine damno periculove suo, & dolosè permiserint, cap. 47. *de sent. excomm.* Item ratam habentes percussionem suo nomine factam, etiamsi non consuluerint nec mandaverint, cap. 23. *de sent. excomm. in 6.* Item clericus seipsum vulnerans ex malitia seu passione: secùs, si ex devotione.

II. Per clericum intelligitur quilibet prima saltem tonsura initiatus, modò habitum gestet clericalem; etiam conjugatus modò cum unica virgine, cap. un. *de cleric. conjug. in 6.* Per Monachum intelliguntur omnes utriusque sexus religiosi, cap. 33. *de sent. excomm.* Etiam laici conversi, ibid. & cap. 5. *de sent. excomm.* & novitii, cap. 21. eod. tit. in 6. Item Eremita subjectus alicui regulæ & superiori ecclesiastico, & habitans in oratorio authoritate Episcopi.

III. Instigante diabolo, hoc est, illicitè & injustè.

IV. Per has voces, *Manus violentas injecerit*, intelligitur quævis actio corporalis, de se violenta, injuriosa ac contumeliosa circa clericum vel religiosum, aut res ei adhærentes, per se sufficiens ad gravem injuriam contra hominem & reverentiam debitam tali personæ, sive fiat manu, sive baculo, gladio, lapidibus, &c.

Hinc ipso facto excommunicatus est, 1. Qui talem percutit, vulnerat, conspuit, evellit crines, lacerat vestem, & ita ut actio sit graviter injuriosa. Idque etiamsi clericus consentiat. Quia actio non ideo desinit esse injuriosa ordini clericali, in cujus favorem lata est excommunicatio, cap. 36. *de sent. excomm.* 2. Qui concludit aut violenter detinet in carcere, vel loco unde sine dedecore exire nequit. 3. Qui persequitur, ut in flumen vel fossam incidat, equo decidat, &c. 4. Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, occidendo, vulnerando, lædendo, sistendo per frænum, quæ actio est gravis in ratione contumeliæ, &c.

V. Hæc excommunicatio non contrahitur. 1. Quando actio non est de se violenta, licèt sit injusta, ut cùm fur clam abscindit crumenam. Item si fiat sine violenta manuum injectione, ut cùm verbis contumeliosis afficitur. 2. Si percussio sit jocosa, cap. 1. *de sent. excommunic.* aut casualis, ut cùm janitor vel apparitor arcens turbam, fortuito casu percutit clericum in turba versantem, cap. 3. *de sent. excomm.* 3. Si nescias esse clericum. 4. Si prælatus, pater, magister subditum in minoribus constitutum correctionis causa moderatè percutiat, habita ratione culpæ quamvis ira accedat, cap. 1. *de sent. excommun.* Item qui alios è familia sua vel propinquos in minoribus constitutos leviter percusserit, ut cohibeantur à suis violentiis, & scientia bonisque moribus imbuantur; cap. 54. *de sent. excomm.* Imò prælatus, & præceptor ecclesiasticus potest in majoribus constitutum correctionis & disciplinæ causa casti-

castigare, c. 10. eod. tit. modò per se, vel per alium, si necessitas urgeat, castiget; non tamen per laicum, alioqui contraheretur excommunicatio, cap. 24. eod. tit. 5. Si clericus etsi culpabiliter percutiatur eo instanti, quo deprehenditur turpiter agens, hoc est, actum quemvis impudicum exercens cum matre, uxore, filia, vel sorore percutientis: secùs, si cum alia. Item si quis clericum percutiat, ad defendendam vitam aut bona sua, cum debita moderatione, c. 3. *de sent. excomm. in 6.* Si percutiatur clericus, qui à privilegio canonis excidit, v. gr. bigamus, vel qui ter monitus non gestat habitum clericalem. 7. Si clerici impuberes se invicem percusserint, aut unus alterum percusserit. Secùs, si scholastici clerici puberes ex odio seu gravi ira se percusserint, cap. 1. *de sent. excomm. in 6.*

VI. Duplex distinguitur clerici percussio etiam mortalis. Alia dicitur enormis ac gravis, & talis censetur vel ratione valde magnæ gravitatis ipsius percussionis, qualis est occisio, mutilatio, notabilis effusio sanguinis ex vulnere, carnis laceratio, dentium vel multorum capillorum evulsio: vel ratione eminentiæ personæ percussæ, ut si sit Episcopus vel prælatus, etiam si alapa tantùm percutiatur.

Altera dicitur levis seu mediocris, scilicet comparatè ad enormem; & est ea, quæ nullam maculam, lacerationem carnis, mutilationem, copiosi sanguinis effusionem, nec dentium aut multorum capillorum evulsionem intulit, nec est contra Episcopum, Cardinalem, vel Prælatum, nec magnum scandalum parit.

Prima est reservata Papæ, secunda Episcopis, cap. 17. *de sent. excomm.* Prælati verò religiosorum possunt absolvere suos se invicem percutientes, modò percussio non sit enormis, c. 32. eod. tit. Quòd si religiosus percussus non subjaceat eidem Superiori, percutiens debet à suo & percussi Prælato absolvi, c. 32. eod. tit. Si religiosus clericum sæcularem percusserit, non potest absolvi nisi ab Episcopo, cap. 21. *de sent. excomm. in 6.* vel à Papa si percussio sit enormis.

CAPUT III.

De Interdicto.

Quæst. I. **Q***Uid & quotuplex interdictum est?*

Resp. Interdictum est censura, qua prohibentur officiorum divinorum celebratio publica & auditio, quædam Sacramenta, & ecclesiastica sepultura.

Dividitur in locale, personale, & mixtum. Interdictum locale est, quod directè fertur in locum, prohibendo ne supradicta in eo exerceantur. Personale est, quod immediatè fertur in personam, ei prohibendo istorum exercitium & participationem, ubicumque existat. Mixtum est, quod & personam & locum immediatè afficit.

Duo priora subdividuntur in generale, & particulare. Interdictum locale generale est illud, quo interdicitur locus aliquis communis, ut regnum, provincia, civitas, &c. Particulare est, quo interdicitur aliquis locus particularis, v. gr. una Ecclesia, vel aliquæ ex iis quæ sunt in civitate. Personale generale, est illud, quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout constituit unum corpus, ut omnes personæ regni vel civitatis. Particulare est illud, quo interdicitur una persona, vel plures personæ ut particulares.

Est etiam quædam partialis interdicti species, qua prohibetur ingressus in Ecclesiam, & si quis in tali interdicto sine pœnitentia moriatur, non debet in loco sacro sepeliri, cap. 20. *de sent. excomm. in 6.*

Sed circa hæc interdicta notanda sunt sequentia, 1. Interdictum in urbem latum afficit etiam suburbia, & ædificia continentia, quamvis sint sub jurisdictione seu temporali seu spirituali alterius, cap. 17. *de sent. excomm. in 6.* ne contemnatur interdictum, si populus in suburbiis posset divinis officiis interesse. Item interdictum alicujus Ecclesiæ ad cœmeterium & sacella ei contigua extenditur, *ibid.* At interdicto cœmeterio non interdicitur Ecclesia ei contigua: nam accessorium sequitur principale, non vicissim.

2. Interdictum ab Episcopo in civitatem latum debet etiam ab exemptis servari. Conc. Trid. sess. 25. cap. 12.

3. Interdicto generali locali non comprehenduntur personæ: unde incolæ civitatis interdictæ possunt interesse Sacro & Officiis divinis in aliis locis. Et vicissim interdicto personali non comprehenditur locus, nisi exprimatur. Hinc interdictis clericis alicujus Ecclesiæ, non censetur ipsa Ecclesia interdicta, & exteri possunt in ea celebrare. Interdictum tamen locale est etiam personale respectu eorum, qui sua culpa fuerunt illius causa, ideòque non possunt etiam extra locum interdictum interesse divinis.

4. Interdicta aliqua communitate interdicuntur singulæ ejus personæ etiam innocentes, sed hi solùm quatenus sunt pars communitatis. Quare si desinant esse membra illius,

desinunt esse interdicti: non item nocentes: cap. 16. *de sent. excommun. in 6.*

5. Interdicto populo non interdicitur clerus, nec extranei, qui ibi sunt negotiorum causa, & vicissim interdicto clero non interdicitur populus, ex cap. cit. nec religiosi, nisi qui ratione officii pastoralis censentur esse de corpore cleri sæcularis.

6. Ad interdictum speciale personale requiritur culpa mortalis propria, cùm hoc sit gravis pœna, utpote privans magnis bonis spiritualibus. Ad locale autem, vel personale generale requiritur peccatum grave contumaciter admissum à capite, vel à præcipuis membris, licèt reliqui culpa vacent, ex eod. cap. Quia hæc pœna redundat in communitatem, quam privat cultu divino publico.

7. Per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale generale; & neutrum potest tolli, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam.

Quæst. II. *Quot sunt effectus interdicti?*

Resp. Tres sunt. 1. Est prohibitio celebrationis & auditionis divinorum officiorum, per quæ intelliguntur Missa, horæ canonicæ, vel aliæ preces solemniter recitatæ, supplicationes, benedictiones nuptiarum, aquæ, &c. demum omnis actio ab Ecclesia ordinata ad cultum Dei, ut exercenda ejus nomine ab ejus ministris.

Licita tamen est concio. Et tenentur clerici intedicti horas canonicas privatim recitare. Imò ex cap. *Alma de sentent. in 6.* clerici & religiosi non interdicti possunt & debent uti antea quotidie in suis Ecclesiis Missas & divina officia celebrare, sed submissa voce, januis clausis, exclusis excommunicatis, ac interdictis, & non pulsatis campanis. Item permittitur ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis; modò qui causam interdicto dederunt, ad altare nullatenus appropinquent. Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi, & ejus octavam.

2. Est prohibitio receptionis & administrationis quorumdam Sacramentorum, exceptis Baptismo, Confirmatione & Pœnitentia, quæ conferri possunt etiam sanis quoties libuerit; non tamen excommunicatis, & iis qui causam interdicto dedere, vel qui ad perpetrandum delictum, ob quod interdictum latum est, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem; nisi prius satisfecerint ob delictum, vel de satisfactione cautionem dederint, c. *Alma*, cit. Potest etiam personaliter interdictis deferri modo solito Eucharistia, si sit in probabili mortis articulo, cap. 11. *de pœnit.* Quare tempore interdicti prohibetur duntaxat Eucharistia danda laicis sanis, Ordinatio, Extrema Unctio, quæ tamen secundùm varios conferri potest infirmis, qui nequeunt alia Sacramenta suscipere, quia tunc est necessaria & benedictio nuptialis. Quoad Sacramentum Matrimonii, juxta multos, licitè & validè contrahitur in omnibus interdictis.

3. Est prohibitio ecclesiasticæ sepulturæ, quæ in interdicto locali extenditur ad infantes & amentes. Si tamen interdictus jam sit humatus in loco sacro, quamvis illicitè, non est exhumandus. Clerici autem, qui non sunt specialiter interdicti, nec interdictum violarunt, possunt sed sine cantu & campanarum pulsu sepeliri in loco sacro interdicto, sed non specialiter, c. 11. *de pœnit.* Laici verò, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederunt, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto.

Porro qui ob interdictum humatus est in loco profano, eo finito transferendus est in locum sacrum; modò non fuerit specialiter interdictus, nec causam interdicto dederit.

Quæst. III. *Quænam sunt pœnæ violantium interdictum?*

Resp. 1. Peccant mortaliter, nam præceptum Ecclesiæ violant in re gravi. 2. Qui illud violat exercendo actum proprium ordinis, fit irregularis, cap. 18. & 20. *de sent. excomm. in 6.* 3. Excommunicationem Papæ reservatam incurrunt Domini temporales, compellentes clericos ad celebranda publicè officia in loco interdicto, vel impedientes ne publicè excommunicati aut interdicti exeant tempore officiorum. Item ipsi interdicti post monitionem non exeuntes, *Clement. 2. de sentent. excomm.* 4 Qui interdictos extra casus concessos scienter sepeliunt in loco sacro, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam, *Clem. 1. de sepult.* 5. Excommunicantur religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale à Papa, vel Ordinario latum, quando servatur à matrice Ecclesia, vel à parochiali loci in quo habitant, *Clem. 1. de sent. excomm.*

Quæst. IV.

Quæst. IV. *Quid est cessatio à divinis?*

Resp. Est ecclesiastica prohibitio, qua clerici sub mortali cessare debent à celebratione officiorum divinorum, & administratione sacramentorum, nisi quatenus necessitas postulat. Fit in signum gravis doloris ab Ecclesia concepti, ob gravem aliquam injuriam sibi, vel honori divino illatam, & per modum justæ defensionis. Eosdem ferme effectus habet quos interdictum. Non est tamen censura, cum non sit pœna medicinalis: unde ejus violatio, licèt sit mortalis, non inducit irregularitatem, c. 18. *de sent. excomm. in 6.* Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem, *Clem. 1. de sent. excomm.*

CAPUT VI.

De Suspensione.

Quæst. I. QUid & quotuplex est?

Resp. Suspensio est censura ecclesiastica, qua clerico prohibetur usus ecclesiastici officii, vel beneficii, vel utriusque: sive qua clericus privatur exercitio potestatis, quæ ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii, vel utriusque.

Resp. 2. Multiplex est suspensio. Nam alia est ab officio, per quod intelligitur potestas ordinis & jurisdictionis: unde est suspensio ab exercitio ordinis & jurisdictionis; alia à beneficio; & alia demum ab officio simul & beneficio.

Item alia est ab ordine tantùm, qua clericus privatur solùm usu suorum ordinum, ita ut ei non liceat Missam celebrare, Sacramenta ministrare, fungi munere diaconi, vel subdiaconi, alia à jurisdictione tantùm, qua clericus privatur solùm usu jurisdictionis, ita ut non possit licitè censuras ferre, instituere, delegare ad munia sacerdotalia, &c. Et alia à beneficio tantùm, quæ privat solùm fructibus beneficii. Hæ tres suspensiones possunt esse vel in totum, vel in partem: nam suspensio potest esse tantùm à parte officii seu aliqua tantùm functione, sive ordinis, sive jurisdictionis.

Denique suspensio alia fertur ad certum tempus, vel sub conditione; alia absolutè & sine determinatione temporis, alia ob culpam merè præteritam, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, quo transacto per seipsam expirat.

Observanda sunt sequentia.

1. Ut cognoscatur qualis & quanta sit suspensio, consideranda sunt verba quibus fertur, & quæ in hac materia utpote odiosa debent strictè accipi.

2. Suspensus ab officio simpliciter, non censetur suspensus à beneficio, nec contra, ex c. 10. *de purgat. canon.* & cap. 14. *de vita & honest.* quia sunt pœnæ diversæ, & à se invicem separabiles. Unde ex communi sententia, is licitè percipit fructus beneficii, modò per alium suppleat beneficii munera, quæ non potest exercere, ad quod tenetur, cùm retineat titulum & onera beneficii, alioqui non potest eos percipere, quia non conferuntur nisi propter officium. Distributiones autem non potest percipere nec retinere: quia non conferuntur nisi iis qui per se ministrant.

3. Quando in suspensione exprimitur pars officii, non est suspensus ab altera. Si autem dicatur suspensus ab officio simpliciter, hoc est, sine addito, privatus est ab omni exercitio tam ordinis quàm jurisdictionis, ut constat ex jure, usu ac sensu communi: nam ad officium clericale pertinent ea, quæ sunt ordinis & jurisdictionis. Dico, *simpliciter*: nam suspensio interdum fertur ab aliquo determinatè officio, cum addito, ut ab officio pontificali vel parochiali, vel sacerdotali. Et tunc suspenso non prohibetur exercitium alterius officii, quod non includitur in officio prohibito.

4. Suspensus ab ordine simpliciter, non ideò à jurisdictione suspenditur, nec è contra, quia ordo est quid distinctum à jurisdictione, neque est illi necessariò annexus. Hinc suspensus ab ordine simpliciter, potest exercere omnes actus jurisdictionis ad ordinem non pertinentes, v. g. Episcopus etsi suspensus potest alteri delegare potestatem absolvendi à peccatis, quamvis ipse non possit absolvere. Item suspensus à jurisdictione simpliciter, non est suspensus ab actibus ordinis, qui jurisdictionem non requirunt: unde potest facere Sacrum, sed non absolvere.

5. Suspensus ab ordine superiore, non est suspensus ab inferiore, verbi gratia, suspensus præcisè à sacerdotio, non est suspensus à diaconatu, & aliis inferioribus: nam qui prohibet majus, non censetur prohibere minus. E contra suspensus à minore ordine, suspensus quoque est à majore, quia cui non licet, quod minus est, non licet quod majus est.

6. Suspensus à beneficio simpliciter censetur suspensus ab omnibus beneficiis, nisi sensus expressè restringatur. Suspensus verò simpliciter, intelligitur ab officio & beneficio simul: nam locutio indefinita æquivalet universali.

Quæst. II. *Quinam sunt effectus Suspensionis?*

Resp. 1. Suspensus ab officio etiam occultus. 1. Peccat mortaliter, si exerceat actum sive Ordinis sive jurisdictionis. Quia violat prohibitionem Ecclesiæ in re gravi: idque ubicumque exerceat: nam censura contracta sequitur reum ubicumque sit. Ita communiter, etiamsi suspensio lata sit à proprio Episcopo, quia est præceptum personale, immediatè respiciens personas, easque obligans extra territorium. Actus tamen Ordinis à jurisdictione non pendentes sunt validi: quia Ecclesia non potest tollere potestatem Ordinis, sed solum ejus exercitium prohibere. Actus verò jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus; quia privatur actuali jurisdictione: sed validi sunt, si non sit denuntiatus, ex Constit. Martini V. *Ad evitandum*.

2. Illicitè beneficium novum reciperet, & ei conferretur, quæ collatio est saltem irritanda: ex c. 8. *de consuet.* quia qui privatus est aliquo actu, vel munere, est etiam privatus susceptione eorum, quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem est, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea quæ ad talem actum vel munus ordinantur, ex cap. ult. *de clerico excomm.*

3. Suspensus fit irregularis, si exerceat functiones ordinis proprias, quæ competunt clericis, cap. 1. *de sentent. & re judic. in 6.* ex Concil. gener. Lugdun. Secùs, si exerceat tantùm ea quæ sunt jurisdictionis, vel quæ laici possunt præstare, ut si canat epistolam sine manipulo.

Resp. 2. Suspensus à beneficio licèt occultus privatur omnibus suorum beneficiorum fructibus, quibus continentur distributiones quotidianæ, utpote pars fructuum, ita ut non possit eos licitè percipere, & receptos teneatur restituere ante omnem sententiam: nam censura impedit eorum acquisitionem, unde ad eum non pertinent. Nemo autem retinere potest, quod suum non est. Tenetur nihilominus horas recitare, & alia onera beneficii præstare, quia hæc obligatio annexa est beneficio quod retinet; nec ea liberatur ob privationem fructuum, quæ ei in pœnam culpæ justè imponitur, remanente onere: censura enim non tollit onus in detrimentum Ecclesiæ & fundatorum.

Non videtur tamen privari jure eligendi, præsentandi, conferendi beneficium, &c. sibi competente ratione beneficii à quo suspensus est. Quia electio, activa præsentatio, collatio non sunt propriè loquendo fructus beneficii, sed actus officii tali beneficio annexi: in materia autem pœnali verba sumi debent in sensu proprio & stricto.

Quæst. III. *A quo, & quomodo tolli potest Suspensio?*

Resp. 1. A suspensionibus, etiam si jure reservatæ non sunt, non posse parochos, neque alios vulgares confessarios absolvere, nisi speciale privilegium, vel delegatam potestatem acceperint à Papa, vel ab Episcopo, si non sint specialiter reservatæ, docent *Suarez*, *Navarr. Laymam*, *&c.* tamen alii censent quemlibet sacerdotem legitimè approbatum posse absolvere ab omnibus censuris, etiam suspensione, à jure latis non reservatis.

Resp. 2. Si suspensio absolutè & sine determinatione temporis inflicta sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. g. triennium, vel sub conditione, transacto tempore vel conditione impleta, suspensio cessat per se ipsam sine alia absolutione. Si verò imposita sit in perpetuum, ob culpam præteritam, tanquam mera pœna, tollitur solùm per dispensationem seu relaxationem prælati, vel ejus delegati; quia non est censura.

Quæst. IV. *Quibus casibus usitatioribus incurritur suspensio ipso jure?*

Resp. Sequentibus. 1. Qui ordines sacros recipiunt: vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel à proprio in aliena diœcesi, vel conficto titulo, vel per saltum, vel in censura, vel extra tempora à jure statuta, vel sine legitima ætate aut facultate, vel post matrimonium contractum, licèt non consummatum: item qui furtivè ordinantur, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium in sui locum substituunt examini; hi omnes suspensi sunt ab executione Ordinum; & si Ordinem aliquem exerceant, fiunt irregulares.

2. Qui eodem die duos sacros ordines recipit.

3. Ordinans & ordinatus simoniacè est suspensus ab ordinibus.

4. Ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1. parochus, vel alius sacerdos jungens sponsos alterius parochiæ, sine illorum parochi licentia.

5. Occupantes bona, vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius pii loci.

6. Simoniaci, Sodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel acceptantes, &c.

7. Apostata à religioso ordine, præsertim si in apostasia recipiat Ordines.

Nota. Episcopi ex privilegio non incurrunt suspensionem, nec interdictum lata à jure, nisi eorum fiat expressa mentio. Ita

statuit

statuit Innoc. IV. in Conc. gener. Lugdun. & refertur c. 4. *de sent. excomm. in 6.*

Quæst. V. *Quomodo Depositio & Degradatio differunt à Suspensione?*

Resp. Depositio est pœna, per quam clericus privatur omni officio & beneficio ecclesiastico in perpetuum, sine spe recuperationis, retento solo privilegio canonis & fori; ita ut neque ab ullo percuti, nec trahi possit ad tribunal sæculare. Degradatio verò est pœna, per quam quis solemniter privatur in perpetuum non solùm omni officio & beneficio ecclesiastico, sed etiam privilegio clericali.

Hæ pœnæ differunt à suspensione. 1. Quia non sunt censuræ, cùm non sint pœnæ medicinales, sed merè vindicativæ, utpote inflictæ in perpetuum. 2. Quia privant ipsa potestate seu ipso officio & beneficio: suspensio verò privat tantùm usu officii, & fructibus beneficii. Depositus tamen & Degradatus non privantur potestate ordinis, quem semper possunt valide, licèt illicitè exercere, si non requirat jurisdictionem.

CAPUT V.

De Irregularitate.

Quæst. I. **Q***Uid est irregularitas?*

Resp. Est impedimentum canonicum, quo prohibetur susceptio Ordinum, & eorum exercitium. Sive est inhabilitas jure canonico inducta, impediens susceptionem Ordinum, & susceptorum exercitium. Differt à censura, quòd hæc sit pœna medicinalis ob culpam inflicta, & ad emendationem delinquentis ordinata: irregularitas verò immediatè & primariò statuta sit, non ad punitionem emendationemve delinquentis, sed ob honorem sacri ministerii, qui postulat ut qui ad altaris ministerium assumuntur, sint & integri corpore, & animo puri: unde non necessariò supponit culpam, ut censura. Fertur tamen aliquando per modum pœnæ vindicativæ, sed secundariò, quatenus ob delicti maculam aliquis censetur indignus sacro ministerio, ob cujus reverentiam primariò infligitur.

Porrò nomine Ordinum hìc intelligitur etiam prima tonsura, ut constat ex praxi Ecclesiæ, & communi Doctorum sensu: quia est dispositio ad Ordines.

Circa irregularitatem notanda sunt sequentia.

1. Nulla est irregularitas ab homine, sed omnis est à jure universali ac papali, ex c. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat per celebrationem in Ecclesia polluta non fuisse contractam irregularitatem, *cum id*, inquit, *non sit expressum in jure*, scilicet communi. Quia cùm irregularitas sit lata primariò per modum impedimenti canonici ob decentiam ac reverentiam sacro altaris ministerio debitam, hæc impedimenta debent esse eadem in tota Ecclesia, sicuti debita altaris ministerio reverentia ac honor communis est toti Ecclesiæ.

2. Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam, & etiam ob defectum vel crimen occultum, & non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem in hunc modum: *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam, & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum & officiorum tuorum, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita Rit. Rom.

3. Potest quis pluribus irregularitatibus etiam ejusdem speciei detineri ob idem factum pluries commissum. Quare obtinens dispensationem irregularitatis cum expressione alicujus causæ, non censetur dispensatus in omnibus aliis irregularitatibus contractis ex alia causa non expressa, nisi superior intendat generaliter dispensare: nam una irregularitas potest sine alia auferri, sicut potest sine illa induci.

4. Clericus irregularis licitè obire potest omnia munera sacra, quæ laico competere possunt, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, Sacramenta recipere, excepta ordinatione.

5. Ignorantia invincibilis solius irregularitatis, etiam ex delicto, juxta communem sententiam, non excusat ab illa. Quia irregularitas non est pœna medicinalis requirens contumaciam; sed est quædam macula seu inhabilitas annexa à jure non ad emendationem, sed ob reverentiam sacris mysteriis debitam.

Quæst. II. *Quinam sunt effectus irregularitatis?*

Resp. Duo. 1. Graviter illicitam reddit susceptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & eorum usum, non tamen invalidam. Unde peccat mortaliter, qui in irregularitate recipit vel exercet Ordinem: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente. Idem dic, si recipiat primam tonsuram, quia est res gravis: nam constituit hominem in statu clericali, & reddit capacem beneficii ac Ordinis, ex cap. ult. *de tempor. &c. in 6.* Nullam tamen aliam pœnam ipso facto latam incurrit: quia nulla talis in jure contra irregularitatis violatores decernitur.

Porrò

Porrò non prohibetur usus jurisdictionis, quæ exerceri potest sine actu ordinis. Hinc parochus irregularis potest delegare ad Sacramenta suis parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Validè tamen absolveret, cùm non privetur potestate Ordinis nec jurisdictionis.

2. Inhabilem reddit ad beneficium recipiendum, si sit totalis, ita ut collatio facta irregulari, saltem qui non potest omnia ejus munia obire, sit nulla, ex cap. 2. *de cleric. pugnant.* & c. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi dicitur *esse ineligibilis*. Quia beneficium datur propter officium, & ad hoc ex se ordinatur. Cùm ergo irregularis sit inhabilis ad officia exercenda, est etiam inhabilis ad beneficia recipienda. Quare qui in irregularitate beneficium recepit, non potest illud retinere sine nova collatione, nec fructus ejus percipere. Idem dic de dignitate & prælatura regularium, ex c. 14. *de pœnis*. Clericus autem per irregularitatem non privatur beneficio ante obtento, nec ejus fructibus, modò recitet horas, & alia munia per alium exerceri curet, ex c. 5. *Ne clerici vel monac.* Debet tamen beneficio privari ex cap. 10. *de excess. prælat.* Imò sponte illud resignare, si dispensatio brevi tempore impetranda non sit: quia beneficium retinere non debet, qui per se ipsum non potest officium ullum, vel præcipuum præstare.

Quæst. III. *Quotuplex est Irregularitas?*

Resp. Dividitur, 1. In eam quæ est ex defectu, scilicet inculpabili; & in eam quæ est ex delicto. 2. In totale, quæ omnium Ordinum susceptionem & usum impedit; & in partialem, quæ tantùm aliquem actum Ordinis impedit.

Quæst. IV. *Quænam sunt irregularitates ex defectu?*

Resp. Sequentes. Prima est ex defectu animi sive rationis, scientiæ, & fidei obsirmatæ, propter quem irregulares sunt, 1. pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. 2. Illiterati, seu non habentes doctrinam necessariam, cap. 1. dist. 86. 3. Neophyti, seu adulti ad fidem recens conversi à paganismo aut Judaismo, c. 1. dist. 48.

Secunda est ex defectu corporis, ex quo irregularis est, quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem aut morbum, ut vel non possit absolutè, vel nonnisi cum magna indecentia, vel periculo, vel spectantium horrore aut offensione exercere actus Ordinum, ex tit. *de corpore vitiatis* & tit. *de clerico ægrot.* & *ex dist.* 55. In dubio autem num deformitas vel indecentia sit sufficiens, Episcopi est judicare, cap. 2. *de corpore vit.*

Hinc irregulares sunt, 1. Cœcus, surdus, & enormiter claudus, ut si nequeat sine baculo, vel pede ligneo ire ad altare. 2. Carens naso, manu, pollice vel indice. 3. Carens uno oculo cum notabili deformitate; secùs si habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam juxta multos sinistro, modò canonem Missæ sine indecenti faciei conversione legere possit. 4. Leprosus, deformiter gibbosus, aut facie maculatus. 5. Morbo caduco laborans, qui tamen si ordinatus sit, & intra annum eo morbo non laboravit, potest susceptos Ordines exercere. Si verò rarò & sine clamore ac spuma laboret, potest celebrare cum sacerdote jejuno, qui deficiente ipso suppleat sacrificium.

Cæterùm corporis vitium occultum non inducit irregularitatem, nisi in tribus casibus. Si quis membrum, vel partem membri absque justa causa sibi amputarit, c. 2. dist. 33. 2. Irregularis est, qui eunuchus propria culpa factus est. Secùs, si à natura, vel sine culpa, cap. 3. *de corpore vit.* 3. Hermaphroditus etiam occultus, quia est monstruosus. Imò si magis aut æque participet femineum sexum, est jure divino incapax Ordinis & characteris, quia est magis, aut tam femina quàm vir: femina autem non est capax characteris Ordinis. Est etiam arcendus à professione religionis, ob periculum libidinis & scandali.

Nota. Habens corporis defectum impedientem susceptionem sacerdotii, est irregularis ad reliquos Ordines inferiores & sacros, quia hi ad illud ordinantur. Sed si id accidat post susceptum sacerdotium, fit tantùm irregularis quoad functiones, ad quas est inhabilis, non alias. Sic sacerdos qui amisit pollicem vel indicem, vel oculos, fit irregularis quoad celebrationem Missæ, non quoad auditionem confessionum.

Tertia est ex defectu libertatis, ob quem excluduntur ab Ordinibus, 1. Mancipia, nisi priùs à dominis libertate donati fuerint. Curiales, hoc est, qui ex officio negotiis sæcularibus implicantur, ut procuratores, advocati, notarii, milites, quamdiu tale officium habent, cap. 4. *De Clerico vel monac.* 3. Qui obligantur ad ratiocinia reddenda, non debent ordinari nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia, ex cap. un. *de obligat. ad rat.*

Quarta est ex defectu natalium, ob quem irre-

irregulares sunt omnes illegitimi, etiam occulti, sive spurii, sive naturales, cap. 1. *de filiis presb. & in 6. eod tit.* Idque ob indecentiam moraliter in prole resultantem, ob ignominiam quandam, qua secundùm vulgarem opinionem videntur aspergi, & ob periculum incontinentiæ ex imitatione paterna. Excipe, nisi filii naturales legitimati sint per subsequens matrimonium capit. 6. *Qui filii sint legit.* aut nisi habeantur in jure pro legitimis, ut qui nati sunt ex matrimonio invalido illo quidem, sed in facie Ecclesiæ bona fide saltem ex parte unius contrahentis inito, quamvis postea impedimentum aliquod dirimens detegatur; nam legitimi habentur, cap. 14. eod. titul.

Per solemnem religionis professionem deletur hæc irregularitas quoad Ordines suscipiendos, non tamen quoad prælaturam, c. 1. *de filiis presb.* Porrò filii naturales sunt ii, qui nati sunt ex personis solutis, inter quas tempore conceptionis vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens. Spurii sunt ii, qui nati sunt ex personis, inter quas tempore conceptionis vel nativitatis erat impedimentum dirimens.

Quinta ex defectu Sacramenti, seu significationis Sacramenti, est bigamia seu matrimonii multiplicatio, etiam ante baptismum contracta ex c. 1. 2. & 3. *de bigam.* Eucharistia quippe est Sacramentum unionis Christi cum Ecclesia unica sponsa sua, quæ conjunctio una est, unus est enim sponsus & una sponsa. At bigamus non repræsentat perfectè hanc unionem, cum carnem suam in plures uxores diviserit. Hujus irregularitatis rationes sunt. 1. Ob Sacramenti defectum, cap. 5. *de bigam.* Nam cùm ordinati creentur Sacramentorum ministri, decet ordinandos nullum circa Sacramenti significationem defectum pati. 2. Quia nimis propensus ad luxuriam præsumitur, qui pluries contraxit. 3. Quia bigamus non potest facilè cæteros hortari ad continentiam, quam de eo difficilè præsumunt, cap. 4. dist. 16.

Est autem triplex bigamia, quæ inducit irregularitatem, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamia vera est ea, qua quis duas uxores legitimè & successivè duxit, & cum iis matrimonium consummavit. Interpretativa est ea, qua aliquis ex juris interpretatione habetur bigamus, quamvis cum duabus non contraxerit. Hac bigamia laborat, qui viduam duxit, aut mulierem ab altero corruptam, & cum ea jam facta uxore sua matrimonium consummavit, c. 9. dist. 34. Item qui virginem quidem duxit, sed eam uxorem factam cognoscit post commissum ab ea adulterium: nam talis censetur ex juris interpretatione carnem suam in plures divisisse; sicut uxor, cum qua efficitur una caro, in plures divisit. Quare hoc matrimonium deficit à significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ est unius cum una intacta. Non est tamen bigamus, nec irregularis, qui priùs à se corruptam ducit, neque qui ante vel post matrimonium, vel in ipso fornicatus est aut adulteratus, quia in nullo jure id expressum est. Bigamia similitudinaria est ea, qua quis post solemnem religionis professionem, vel post sacrum Ordinem susceptum attentavit matrimonium, etiam cum virgine, & copulam habuit, cap. 4. de *bigam.* & ex can. *Quotquot* 27. qu. 1. Ratio est, quia qui voto solemni astrictus est, censetur spiritali quodam matrimonio conjunctus cum Christo. Unde si conjungatur alteri per matrimonium attentatum, censetur quantum in se est, celebrare duo matrimonia non quidem vera, sed similitudinaria.

Sexta ex defectu lenitatis, ex quo irregularitatem contrahit quilibet baptizatus, qui voluntariè & proximè, licèt justè, concurrit ad hominis necem aut mutilationem, aut etiam accelerationem mortis effectu secuto. Censetur autem hic proximè concurrere, qui ex lege, officio, vel ex intentione, vel per actum de se ordinatum ad necem, aut mutilationem concurrit, sive in judicio, sive in bello offensivo. Quod ideo statuit Ecclesia, quia sacerdos qui personam Christi in sacro altari gerit, ejus mansuetudinem imitari debet. Christus autem mitissimus fuit, & neminem unquam læsit, sed mortem pro omnium salute subiit; suosque ministros misit sicut oves in medium luporum, sua patientia & mansuetudine convertendorum in agnos, & quia sacerdos est minister Sacramenti pacis, unionis & vivificationis.

Hinc 1. Irregulares sunt judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis; ejus assessores, & omnes ministri justitiæ, ad eam authoritate publica concurrentes, ut notarius, scriba, recipiens, & signans testimonium testium, vel sententiam judicis, accusator, testis, advocatus, & procurator regius vel accusatoris, (non rei,) satellites, executores sententiæ, ut tortor ejusque famulus actu concurrens; & fabricantes furcam ad aliquem in particulari suspendendum.

Sed non sunt irregulares, qui remotè tantum ad sententiam sanguinis, vel ejus executio-

cutionem concurrunt, ut 1. Princeps condendo leges capitales, constituendo judices vel alios ministros justitiæ, aut etiam præcipiendo ut super facto aliquo particulari inquisitio & justitia fiat. 2. Episcopus degradatum tradens brachio sæculari; sed debet juxta canones pro eo intercedere, ut citra sanguinem puniatur. 3. Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, & ad obsequendum sententiæ justæ, vel generatim dicens puniendos esse malefactores. Censeretur tamen causa proxima mortis, ideòque irregularis, si quid faceret aut diceret, ex quo mors alicujus in particulari sequeretur, aut accelerar etur, v. gr. si diceret hunc reum esse morte plectendum. Possunt tamen interdum aliqui proximè cooperantes excusari ab irregularitate propter indeliberationem, aut semiplenam advertentiam. Quia tunc cooperatio non est sufficienter voluntaria ad actum humanum, ut si confessor indeliberatè dicat: Properemus: vel instiget jumentum quo reus vehitur. Nam ad irregularitatem hanc contrahendam requiritur actus simpliciter humanus ac plenè deliberatus, *ex Clem. de homicid.* ibi: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ob hoc irregularitatem incurrit.*

4. Irregulares non sunt, qui infirmum vertendo, erigendo, jusculum ei præbendo; in alium locum transferendo, &c. mortem ejus præter intentionem accelerant, si id prævidere non poterant; in hoc enim nullus est defectus lenitatis.

5. In Galliæ regno testis à judice compulsus ferre testimonium in causa criminali non censetur irregularis: nam causa proxima mortis reorum non habetur, sed remota dumtaxat, ut docent Doctores Galli, qui idem dicunt de notariis. Secùs in aliis Ecclesiis.

Hinc 2. Fit irregularis, qui in bello offensivo licèt justo, quempiam manu propria occidit vel mutilat. Secùs, si tantùm cooperetur, v. gr. custodiendo sarcinas, hortando in genere ad fortiter pugnandum, &c. Quòd si bellum sit injustum, irregulares sunt etiam ii, qui alios sua præsentia audaciores efficiunt. Item in bello merè defensivo, justo, & necessario ad defensionem reip. juxta multos irregularitas contrahitur: ex cap. 24. *de homic.* sed eam non incurrit, qui injustum invasorem pro defensione vitæ suæ occidit aut mutilat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *Clement. de homic.* Item nec clericus accusans alium de injuria sibi in se vel in suis rebus illata, fit irregularis, licèt reus morte plectendus sit, modò expressè protestetur se nullam capitis aut mutilationis pœnam intendere, cap. *de homic. in 6* Alioquin, ut ibi dicitur, *Si clericus de suis malefactoribus taliter conqueri non auderet, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.* Secùs si occidat vel mutilet in defensionem vitæ alterius innocentis, etiam patris, cum debita moderatione. Nam quamvis non peccet, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis: quia quoad hoc Clemens V. juri antiquo non derogavit: nam eum solum eximit ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. Stát autem regula generalis pro iis quæ non excipiuntur.

Septima est ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia: infames enim sunt irregulares, cap. *infames 6.* qu. 1.

Duplex autem est infamia, juris scilicet & facti. Infamia juris est ea, quæ imponitur jure seu canonico, seu civili, ex cit. can. Infamia facti est publica notitia, seu opinio commissi criminis, per quod fama hominis spectatis personæ qualitate & statu apud prudentes graviter læditur, quamvis crimen illud per leges non notetur infamia: sic infames sunt clerici ebriosi.

Infamia juris iterum duplex est, alia quæ per legem ipso facto inducitur; alia quæ oritur ex sententia, qua judex damnavit ad pœnam infamantem valde gravem, ut virgis cædi, ignominiosè traduci, ad triremes vel exilium damnari.

Porrò irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per publicam & constantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ maculas non solùm coram Deo, sed etiam in opinione hominum abstersérit ex cap. 54. *de testib.* Irregularitas verò ex infamia ipso jure vel per judicis sententiam contracta ob crimen notorium, non tollitur nisi per dispensationem.

Quæst. V. *Quænam sunt irregularitates ex delicto?*

Resp. Sequentes. Prima est ex iteratione baptismi, ob quam sunt irregulares scienter rebaptizatus, rebaptizans, qui rebaptizanti ministrat; item qui extra necessitatem permittit se ab hæretico baptizari.

Secunda, vel illicita susceptione, vel usu Ordinis, quam incurrunt. 1. Qui furtivè suscipit Ordines; hoc est, qui non examinatus, vel non admissus, vel alio pro se ad subeundum examen submisso, dolose se ingerit inter ordinandos, ex tit. *de eo qui furt.*

2. Qui

2. Qui post contractum matrimonium licèt non consummatum ordinatur invita uxore, extrav. *Antiqua, de vot.* 3. Qui in excommunicatione majore suscipit Ordinem sacrum, *c. 23. de sent. excomm.* 4. Qui exercet actum proprium Ordinis quem non habet, ex c. 1. & 2. *de cler. non ordin.* ut si Clericus in minoribus constitutus canat epistolam cum manipulo, secùs, si sine manipulo; quia sic interdum canitur à laicis. 5. Qui ligatus excommunicatione majore etiam occulta, aut suspensione, aut interdicto exercet actum proprium Ordinis sacri, quem habet, ex c. 1. & c. 20. *de sent. excomm. in 6.* Idem de exercitio ordinum minorum docet Navarrus, dicens esse communem, & Fagnanus id probat in c. *Si quis presbyter in 6.* Qui celebret in loco interdicto, c. 18. *de sent. excomm. in 6.*

Tertia est ex homicidio & mutilatione culpabiliter & injustè commissis, sive physicè, sive moraliter, aut mandato, consilio, precibus, vel auxilio, favore, &c. sive etiam negativa cooperatione, non impediendo cùm ex justitia quis tenetur impedire, ex *dist.* 50. & *ex* tit. *de homicid.* & *de sent. excomm.*

Hæc contrahitur, 1. Ob homicidium voluntarium in sensu canonum, quod scilicet est in se directè volitum, vel in causa ita propinqua, ut moraliter impossibile sit eam velle & non velle homicidium. Quòd si plures communi consilio invadant, omnes sunt irregulares, quamvis unus percusserit.

2. Ob homicidium casuale culpabile, quod contingit, cùm quis nec necem nec mutilationem intendit, nec secuturam prævidit, sed vel prævidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit ne accideret, vel dedit operam rei illicitæ & periculosæ, ex qua mors præter intentionem secuta est, quamtumcumque diligentiam aliunde adhibuerit, ex tit. *de homic. volunt. vel casual.*

Secundùm varios non contrahitur ob homicidium secutum ex re illicita, sed nullatenus periculosa, modò debita diligentia adhibita sit; eo quòd tunc illud nullo modo sit voluntarium nequidem in causa, utpote nullum ejus periculum probabile deferente. Alii tamen censent contrahi ob mortem alterius ex qualibet actione illicita secutam, probantque ex variis canonibus. Quare tutius est petere dispensationem.

Porrò constat nullam contrahi irregularitatem si homicidium sit omninò & absolutè casuale, quando nempe casu præter intentionem sequitur ex actione licita; modò debita diligentia, ne eveniret, adhibita sit. Quia ubi nulla in homicidio casuali præcessit culpa, nulla sequitur irregularitas, ex cap. 9. *de homicid.* & aliis. Secùs, si debita diligentia adhibita non fuerit, c. 12. eod. tit.

3. Idem est de mutilatione voluntaria & casuali, ac de homicidio, cui in jure æquiparatur, ex c. 4. de *raptor.* & c. ult. *de homic. in 6.* & *Clement.* eod. tit. Est autem mutilatio abscissio membri vivi. Membrum verò ex communi sententia est pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus; ut manus habet officium palpandi, oculus videndi, pes gradiendi, &c. non autem dentes, capilli, &c. Unde multi docent, digiti alieni abscissione non contrahi irregularitatem.

4. Ex apostasia à fide vel hæresi externa etsi occulta, ut docent Navarrus, Suarez, Sanchez, Bonacina, & alii communiter apud illos. Quia irregularitas crimini ipsi hæreseos & non solùm infamiæ inflicta est. Nec jura distinguunt inter hæresim publicam & occultam, ut cap. 2. *de hæret. in 6.* & cap. *Saluberrimum* 1. q. 7. Dicuntur tamen hæretici, eorumque filii ad fidem conversi non haberi irregulares in Gallia, nec in Germania ubi hæretici tolerantur.

5. Ex gravibus criminibus notoriis, quæ à jure annexam habent infamiam: qualia sunt simonia, crimen læsæ Majestatis, adulterium, incestus, sodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium, &c. Item ex Conc. Trid. raptus mulieris, vel illius favor, nec non duellum.

Sed hæc irregularitas non contrahitur si crimen sit occultum, ex c. 4. & ult. *de temp. ordin.* nam est immediatè ex infamia, radicaliter verò ex delicto. Et quamdiu crimen est occultum, delinquens non est infamis, cùm integram famam retineat apud homines: infamia enim est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.

Nota. Ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, & exteriùs consummata. Quia irregularitas est pœna gravissima, de se perpetua, & difficilè solubilis, ideoque non contrahitur nisi propter culpam gravem ac mortalem: alioqui non esset delicto commensurata.

Quæst. VI. *An in dubio aliquis debet se gerere pro irregulari?*

Resp. 1. In dubio juris, quando scilicet lex est ita obscura, ut de ejus sensu peritiores inter se diffideant, vel quando dubitatur an hic casus contineatur sub lege inducente irregularitatem, docent Canonistæ neminem cen-

censendum esse irregularem, ex c. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi ad irregularitatem contrahendam requiritur, ut id in jure expressum sit. At cùm jus dubium est, tunc irregularitas non est satis expressa in jure.

Resp. 2. In quolibet probabili dubio facti, cum nempe quis dubitat, num posuerit actum cui irregularitas est certò annexa, tenetur se gerere pro irregulari, ex c. 12. *de homicid.* ubi statuitur dubitantem de homicidio à se perpetrato teneri abstinere ab usu Ordinis, *cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*. Quæ ratio universalis est, & æque valet pro dubio facti in qualibet materia. Ita Abbas, Vasquez, Azor, Valent. Reginald. &c. Et verò alioqui se exponeret periculo faciendi actum prohibitum.

Hinc qui fecit aliquid illicitum, ex quo dubitat an mors alterius secuta sit, censendus est irregularis; nam est dubium facti.

Quæst. VII. *Quinam dispensare possunt in irregularitate?*

Resp. Episcopus potest cum suis subditis dispensare in omni irregularitate & suspensione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. Item cum illegitimo ad Ordines minores & beneficium simplex, non requirens majorem Ordinem, cap. 1. *de fil. presb. in 6.* & in bigamia similitudinaria, cap. 4. *de cleric. conjug.*

In aliis omnibus solus Papa dispensare potest, vel is qui ab eo privilegium accepit.

Nostræ Societatis Præposito Generali, & aliis Superioribus respectivè concessum est à Paulo III. privilegium dispensandi cum nostris in quavis irregularitate, præterquàm homicidii voluntarii, & mutilationis membrorum & bigamiæ.

Confessarius autem si facultatem dispensandi super irregularitate obtinuerit, post datam absolutionem à peccatis, hac forma utetur: *Et eadem authoritate dispenso tecum super irregularitate*, vel *irregularitatibus*, si plures sint, *in quam*, vel *in quas ob talem causam* vel *tales causas incurristi, & habitem reddo, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Si pœnitens Ordine sacro careat, dicendum est: *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.* Ita Rituale Rom.

Porrò hoc ipso quòd conceditur facultas absolvendi à Censuris reservatis, non censetur etiam concedi pro irregularitate, cùm irregularitas non sit censura, & difficilior sit Irregularitatum quàm censurarum relaxatio. Et secundùm Romanæ Curiæ stylum nunquam censetur concessa facultas dispensandi in irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio. *S. Carolus in Instruct.*

Nota. Communis sententia docet quemlibet sacerdotem approbatum seclusa prohibitione posse absolvere à peccatis irregularitatem annexam habentibus, si illa non sint reservata. Nam irregularitas adjuncta non impedit effectum absolutionis, cùm non pugnet cum statu gratiæ: neque arcet à perceptione Sacramentorum, excepto Ordine; cùm sit mera inhabilitas, solùm impediens ordinum susceptionem, aut eorum exercitium. Unde potest quis absolvi à peccatis remanente irregularitate eis annexa; & reipsa in jubilæis hæc non relaxatur iis, qui virtute illorum, à peccatis & censura absolvuntur.

FINIS.

A D-

A D D E N D A

Cum ex Tract. de Synodo Diœcesʃ. tum etiam ex Conſtitutionibus, quæ ſuſcepta jam editione prodierunt.

PAG. 35. *quæſt.* 2. *adde, qua habentur Tract. de Synodo Diœc.* lib. VII. *cap.* 22. *ubi ſtatuitur*, non licere Epiſcopis ne quidem in Synodis privilegiis derogare, à Sede Apoſtolica regularibus conceſſis, poſſe tamen tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos plura ſancire, quibus Regulares obligentur. Hinc, *ait*, 1. Non licere Regularibus in propriis Eccleſiis Euchariſtiam ſine velamine exponere, niſi ex cauſa publica ab ordinario approbata, *ex decreto Sac. Congreg. Concil. anni* 1630. 10. *Auguſti*. 2. Poſſe ab Epiſcopo tanquam delegato, puniri circa Euchariſtiam delinquentes, & ad majorum obſervationem compelli circa Sacrificium Miſſæ, novas imagines, & reliquias, ut ſi admittant in Miſſa indecentia, & prohibita; ſi novas imagines, vel reliquias ab Epiſcopo non approbatas, exponere contendant &c. 3. Corrigi, & puniri poſſe, delinquentes in iis, quæ reſpiciunt clauſuram Monialium, etiam ipſiſmet Regularibus ſubjectarum. 4. Regulares quoſcumque ne per modicum quidem tempus, nec ulla occaſione, poſſe ad Moniales ſine Epiſcopi licentia accedere ſine gravi culpa. 5. Coercitioni Epiſcopi obnoxios eſſe, ſi excipiant confeſſiones, non obtenta ab Epiſcopo facultate; ſi excipiant confeſſiones Monialium etiam Ordini ſubjectarum, ſine prævia approbatione; ſi renuant accedere ad publicas proceſſiones; ſi prædicent in propriis Eccleſiis, Epiſcopo contradicente, vel non petita ab eo benedictione, aut in alienis ſine licentia; ſi non ſervent interdictum ab Epiſcopo latum, vel dies feſtos ab eodem indictos, aut Epiſcopi cenſuras promulgare recuſent; ſi graviter delinquant in adminiſtratione alicujus Sacramenti; ſi præſumant dare habitum ſui ordinis Mulieribus Tertiariis, non collegialiter viventibus, inconſulto Epiſcopo &c. *Vide citat. cap.* 42. *&* 43. ac *lib.* VIII. *cap.* 41. ubi, *ait num.* 6. non teneri ad ſervandum jejunium ab Epiſcopo indictum; teneri tamen ex conſuetudine vim legis habente, ſi in communitate ex antiqua conſuetudine hujuſmodi jejunia ſerventur: & jure naturæ, ſi non jejunando aliis ſcandalum præbeant.

Pag. 200. *col.* 1. *adde ex* lib. VII. *cap.* 58. *quæ ſequuntur*. ,, Epiſcopus non ſtatim illicitum, & ſimoniacum pronunciabit dotale ſubſidium, quod à ,, Puellis ſeſe in Religionem recipientibus, exigitur, ,, neque faciles aures præbebit ſuaſionibus hominum, ,, qui, ut propriæ parcant pecuniæ, ſuaſque filias, ,, ſine ullo ſumptu, Religioni alendas tradant, Mo- ,, naſteriorum opulentiam exaggerant, novamque pe- ,, cuniam illis collatam, in inutiles, ac voluptuoſos ,, ſumptus erogari, clamitant. Non idcirco tamen ne- ,, gamus, interdum expedire, dotis quantitatem imminui, & quandoque etiam prorſus remitti; ſed ,, quod in peculiaribus circumſtantiis, & conſulta ,, prius Sacra Congregatione Concilii, fieri decet, ,, non poterit Synodali Conſtitutione, generatim, ,, atque univerſim faciendum decerni. Illud autem ,, curabit Epiſcopus, ne ultra præfinitam dotem, ,, monaſterio pendendam, alia pecuniæ ſumma a ,, puellis extorqueatur, in Monialium commodum, ,, alioſve uſus impendendam, qui ad puellæ ſuſtentationem nequaquam pertinent: Id quippe, cum nulla ratione cohoneſtari valeat, adhuc remanet ſub ,, cenſura *Extravag.* 1. *de Simonia*, *inter comm.* ubi ,, Urbanus V. utriuſque ſexus Regularibus diſtricte ,, inhibuit, ne ante, aut poſt cujuſquam in Religio- ,, nem ingreſſum, *Quaſcumque paſtus, prandia, ſeu* ,, *cænas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad* ,, *uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium* ,, *deputata, vel deputanda directe, vel indirecte, petere, vel exigere quoquo modo præſumant*.

,, Modum quoque imponet ſumptuoſis apparatibus, ,, muſicis concentibus, comeſſationibus, aliiſque ,, ejuſmodi, quæ, cum magno familiarum impendio, ,, alicubi fieri ſolent, in Monialium ingreſſu, & ,, Profeſſione: omnem ſiquidem mundanam pompam, ,, omnem profanum luxum dedecere ſpirituales nuptias, quas eligit puella, quæ Deo, & Religioni ,, ſe devovet, ſcite ponderat Navarrus *in tractat. de* ,, *reditibus Eccleſiaſticis, in fine quæſtionis primæ pag.* ,, 150. *edit. Romana anni* 1584. ubi hæc ad rem ſcripſit: *Quid quæſo dicemus ad prodigas illas expenſas, & profanos apparatus fieri ſolitos, ex pacto tacito, vel expreſſo, dum puellæ vel ingrediuntur in* ,, *monaſterium, vel Profeſſionem emittunt? Quid aliud* ,, *moderatius, quam, ut hæc vehementer interdicantur, & culpentur, & puniantur illæ, quæ taliter* ,, *faciunt? Et ſimul etiam doceantur, quàm honeſtior* ,, *apparet cunctis hæc inſpicientibus, modeſta quadam,* ,, *humiliſque temperantia, ſpirituali juncta contemplationi, quàm pompoſa profanitas, mundana cuidam admixta voluptati, in funeralibus ejus, qua* ,, *per Profeſſionem moritur mundo, & naſcitur, vel exercet Deo*.

Pag. 202. *adde Conſtitut. incipien.* Redditæ nobis &c. *tom.* 2. *Bullarii pag.* 24. *in qua decernitur*. 1. Patronum Eccleſiaſticum ad Beneficium curatum præſentare debere eum, qui magis idoneus, magiſque dignus eſt inter approbatus ab Examinatoribus. 2. Si inter examinatos nullus ſit, qui de judicio quæratur, debere Epiſcopum præſentato beneficium conferre, nec in Patroni judicium inquirere; Si vero aliquis ex concurrentibus judicio illi minime acquieſcat, poſſe Epiſcopum antequam inſtitutionem concedat, in Patroni judicium inquirere. 3. Si is, qui ſe digniorem exiſtimat, & poſthabitus eſt, appellationem interponat, admittendam eſſe tantum in devolutivo, ac non retardare poſſeſſionem præſentati, ſi judicium Epiſcopi cum Patroni judicio conveniat; ſi vero in ferendo judicio de magis digno ſententia Epiſcopi, & Patroni Eccleſiſtici minime concordant; tum ſi quis ex approbatis ab Examinatoribus, & tanquam magis dignus prælectus eſt a Patrono, putet ſe gravatum eſſe ab Epiſcopo, neque ejus judicio acquieſcere vult, & ideo provocat, ejus appellationem ad ſuſpenſionis effectum operari debere, & Eccleſiam Parochialem ſub Œconomo remanere, donec lis finiatur.

Pagin. 218. *col.* 1. *adde ex* lib. VII. *citat. tractat. cap.* 2. ,, Poſſe Epiſcopum ad unam comeſtionem ,, præcepto obſtringere, quos adverſa valetudo ab ,, alia jejunii parte, quæ eſt abſtinentia a carnibus, ,, abſolvit; præſertim cum ſummi Pontifices Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. ,, in edictis, quæ tamquam Epiſcopi Romani, per ,, Cardinalem ſuum in Urbe Vicarium ſuper obſervatione quadrageſimalis jejunii, ſingulis annis, ,, ut moris eſt, promulgarunt, idipſum Romæ fieri ,, præceperunt; ad quæ edicta alluſit laudatus Cardinalis Pignatellus, præfatam Synodalem Conſtitutionem ita exorditus: *Quia verò Apoſtolicæ Se-*

,, *dis*

„ *dis, magisterio Spiritus Sancti electa, perceptionibus, „ & institutis saluberrimis adornamur &c.* Sed supervacaneum est, de hac re pluribus disserere, quoniam Nos, postquam supremum Petri solium conscendimus, sinentes, Theologos in suis speculationibus tempus terere, Ecclesiastici jejunii, hominum intemperantia, fatiscentem disciplinam, quantum fert conditio temporum, pro viribus sustentare curavimus, injungentes Episcopis, ne ulli permittant diebus Quadragesimæ, valetudinis causa, carnibus vesci, nisi adjecta lege religiose servandi alteram jejunii partem, quæ consistit in unica comestione, quod patet ex nostris Apostolicis litteris, quæ extant in tomo primo nostri Bullarii, „ & sunt 19. 27. 56. 99.

Pag. 230. *addenda sunt, quæ eodem libr. explicantur cap.* 60. & 61. In illo habetur. 1. Comæ supposititiæ, seu *Parrucha*, usum plures Synodos Diœcesanas Clericis interdixisse, approbante Sac. Congreg. Concil. adjecta contumacibus pœna. 2. Nefas olim fuisse, Clericis iis uti; imo comas nutrientes etiam invitos tonderi potuisse. 3. Majorem præseferre vanitatem comam fictitiam, quam propriam studiose concinnatam; quamobrem pluribus de causis Clericos inomopere dedecere. 4. Posse Episcopos has interdicere; nisi causa prius ipsis cognita aliter sustierit. 5. Ita permittendam, ut modesta sit, & prius Episcopo spectata. 6. Non posse Episcopos facultatem facere Sacerdotibus celebrandi Missam cum coma fictitia, cum id solus Romanus Pontifex, cujus lege prohibetur, concedere valeat. *Cap.* 61. docetur, comedias, choreas, spectacula, & similia Clericis non licere; ac si comediæ sint inhonestæ, nec Laicis interesse licere.

Pag. 241. *col.* 1. ad Const. BENED. XIV. incipien. *Ad universa* tom. 2. pag. 128. quæ est de residentia Episcoporum, in qua causæ designantur, ob quas ex dispensatione Sedis Apostolicæ è propriis Ecclesiis abesse possint: non residentes severiori sacrorum Canonum, & Apostolicarum Sanctionum censuræ subjiciuntur, ac Primates, Metropolitani, Episcopi denique omnes, monentur de onere denunciandi non residentes.

Pag. 489. *col.* 1. *quæst.* 5. *adde, quæ decernuntur* in Constit. XVII. *tom.* 2 *Bull. pag.* 115. de retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam, & visibiliter exposita super Altaribus ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur, in qua statuitur. 1. Permitti non posse, *quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & Populi assistentis oculos pene effugiat*. 2. Eam sententiam probandam, *ait*, quæ Cruci imaginem quoque Crucifixi addendam, decernit. 3. Necessarium non esse Crucifixum è cruce pendentem in Altari constitui, si Salvator Noster Crucifixus in majori tabula Altaris depictus, aut cælatus ita appareat, ut primum teneat locum præ ceteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur. 4. Non sufficere parvam crucem, quæ tabernaculo præfigitur; sed Crucifixum inter candelabra statui oportere, ut constat *ex Congreg. Sac. Rituum* 1669. 5. Probat decretum Congreg. Sac. Rituum in not. ad cit. paginam à nobis relatum.

Pag. 505. Iis, quæ de Complicis nomine in confessione non revelando notavimus, *adde cap.* 6. lib. VI. *de Synodo Diœcesana*, in quo, quid Episcopis hac de re agendum sit, declaratur. „ *Ne improba usurpatione „ dissimulatio in deterius convalescat, & fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa, quæ litteris mandata est disciplina*, uti ad Episcopos, in „ Toletana Synodo constitutos apposite scripsit Innocentius I. *epist.* 23. *num.* 2. (*tom.* 1. *collect. Hard. col.* 1023.) quantocyus sane præcidendus est abusus, qui sub specie severioris, & sanctioris disciplinæ, eam labefactat, quæ ab Ecclesia est tradita, „ veramque Sacramentorum sanctitatem contaminat. „ Rem enarrabimus, quæ non diu antea contigit. „ Concilium Tridentinum *sess.* 14. *can.* 7. anathemate „ perstringit asserentes non esse in sacramentali Confessione necessario aperiendas circumstantias, mutantes speciem peccati; an autem etiam sint necessario aperiendæ, quæ inter eamdem speciem, notabiliter aggravant peccatum; litigant quidem „ Theologi, sed Catechismus S. Pii V. *tit. de conditionibus, & circumstantiis ad Confessionem requisitis*, S. Carolus Borromæus *in instruct. Sacerdotum Ass. Eccles. Mediol. part.* 4. pluresque Synodi Episcopales, quos profert Gennettus *Theolog. moral. tom.* 4. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 6. *quæst.* 3. „ etiam istas manifestandi gravem obligationem in „ Pœnitente agnoscunt, quod etiam inter Theologos „ docent Suarez *de Pœnit. sect.* 22. *disp.* 3. Henriquez „ *de Pœnit. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. Thomas Sanchez „ *in Summ. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 39. & *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 24. Gonet. *disp.* 10 *art.* 3. Salmant. *tract.* 6. *cap.* 8. *punct.* 2. Baron. *contra Amad. disp.* 2. *sect.* 3. „ aliique ab his citati: Cavere nihilominus debet „ Confessarius, ne occasione, seu prætextu exquirendi à Pœnitente peccati, quod confitetur, circumstantias, eumdem inducat ad pandendum nomen „ Complicis, hoc est personæ, cum qua peccatum „ illud perpetravit. Etenim, quidquid sit, quando „ liceat Pœnitenti sui criminis socium libere & sponte Confessario revelare; certum tamen est, raro „ evenire posse, ut liceat Confessario Complicis nomen à Pœnitente sciscitari, multoque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare. Et nihilominus haud ita pridem rumor ad Nos pervenit, „ aliquot Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, suffultos „ quorumdam Theologorum, aut falsa, aut male intellecta doctrina, cœpisse, non solum à Pœnitentibus Complicis nomen exquirere, sed ad illud sibi „ aperiendum, locumque insuper designandum, ubi „ is habitaret, eosdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifestare Sacramentali absolutione; hujus vero perniciosæ praxis, hanc præferebant causam, videlicet, ut ipsi Complicem postea „ corriperent, atque ita in ejus tantum utilitatem „ hujusmodi uterentur revelatione. Verum Nos gravia considerantes mala, quæ inde necessario consequebantur: proximi enim lædebatur fama; arctum „ sacramentalis Confessionis sigillum periclitabatur; „ absterrebantur Fideles à suis culpis Confessario, „ integre, prout ceteroquin opus est, manifestandis, rixæ, & discordiæ disseminabantur, & tota „ demum perturbabatur Communitas; idcirco, pro „ nostro supremi Apostolatus munere, prædictum, „ tunc primo pullulantem abusum, priusquam inolesceret, præfocandum duximus, nostris Apostolicis „ litteris, quæ habentur *nostri Bullarii tom.* 1. *pag.* 435. „ aliisque duabus posterioribus Constitutionibus *tom.* 1. „ *ejusdem Bullarii* propediem edendis.

„ 1. Quod autem faciendum fuit à Nobis, qui „ omnium Ecclesiarum gerimus curam, non illico „ fieri decuisset à quolibet Antistite, cui unius particularis Ecclesiæ commissum est regimen; is siquidem sollicitus esse debet de sua excolenda diœcesi, non de insectandis abusibus, quos audit in „ aliena inolescere, nisi prudenter prævideat, eosdem, si non statim retundantur, suam pariter esse mox subituros: ubi enim abusus non est, „ quando nova Constitutionis fræno vitium cohibetur, quod nunquam diœcesim invasit, injuriam „ sibi fieri credunt Diœcesani, putantes nimirum, se „ quodammodo infamari, quasi reos criminis, quod „ ipsi non admiserunt. Ad Præsules vero, si forte eorum diœceses exitiosus ille morbus inficeret, spectabat sane opportunis sanctionibus eum „ quantocyus propulsare; quod sanctissime factum „ legimus in pluribus antiquis Synodis. In Synodo „ enim Bajocensi anni 1300. *cap.* 82. (*tom.* 7. *collect. Hard.*

Hard. col. 1238.) habetur : *in confessione sibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, sed circumstantias tantum, quæ possunt aggravare peccatum:* In Synodo Lingonensi anni 1404. *Caveant Sacerdotes, ne in confessione inquirant ab his, quorum audiunt confessiones, ut nominent eis expresse personas, cum quibus ipsi confitentes peccaverint, nisi esset tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de persona, puta, peccavi cum filia mea naturali, vel spirituali, vel nepte; & hoc casu non debet dici nomen proprium, aut cognomen personæ.* In Synodo Leodiensi anni 1405. *Inhibemus Sacerdotibus, statuendo, & omnibus Confessoribus, ne à Confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum designari. Quod si fecerint, ab officio audiendi confessiones noverint se ipso facto esse suspensos.* In Synodo Senonensi anni 1524. *In audiendis confessionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca mansionum, & nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes.* His concinunt Synodus Carnotensis anni 1526. Synodus Parisiensis anni 1557. Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis, & Sifridi Archiepiscopi Coloniensis, quæ videri possunt in tractatu historico, & dogmatico *de secreto inviolabili Confessionis*, edito anno 1708. à Langlet Du Fresnoy, *pag.* 213. *& seqq.* In aliis autem innumeris Synodis, quanquam speciatim agatur de Sacramento Pœnitentiæ, nulla tamen occurrit peculiaris Constitutio, qua expresse prohibeantur Confessarii, ne à Pœnitentibus Complicum nomina exquirant: quia scilicet ejusmodi detestandus abusus, non in omnes irrepserat diœceses, ac proinde non ab omnibus erat, speciali Constitutione, repellendus.

„ 3. Quare iterum concludendum est, quod satis abunde demonstratum arbitramur, nimirum non omnes Synodales Constitutiones omni loco, & tempori convenire, sed prudentis Præsulis esse, eas tantum suæ Synodo inserere, quas ad obsistendum serpentibus corruptelis, atque Ecclesiasticæ disciplinæ nitorem restituendum, pro locorum, & temporum diversitate, utiles reputaverint, & necessarias.

Pag. 519. *col.* 2 ante canones pœnitentiales addendum est, quod habetur lib. VII. de Synod. Diœcef. cap. 62. „ Tanta diligentia Majores nostri disquirebant, quæ unicuique peccato esset imponenda pœnitentia, ut si enorme aliquod audiretur perpetratum crimen, quod, vel ratione sui, vel ratione adjectæ circumstantiæ, quamdam peculiarem, & graviorem redoleret nequitiam, & turpitudinem, simul statim convenirent Episcopi ad deliberandum, quo pœnitentiæ genere esset illud expiandum; reque mature discussa, ac tandem deliberata, singuli parœciis suis, quod communi consensu statutum fuerat, significabant: hujus vetustissimæ Ecclesiæ Praxis locupletissimus testis est S. Cyprianus multis in epistolis, præcipue *epist.* 14. 18. 53. *&* 62. eamque pluribus monumentis comprobat doctissimus Morinus *de Pœnitent. lib.* 4. *cap.* 17. & *lib.* 6. *cap.* 14. *&* 15. Tanti præterea momenti negotium æstimabatur, ut peccatores dignam, suoque reatui æquam subirent pœnitentiam, ut interdum etiam Romani Pontificis, ea de re exquireretur sententia: & quandoque ad eumdem ipse reus remitteretur dijudicandus, qua, & quanta pœnitentia, à Deo, atque ab Ecclesia reconciliationem consequi mereretur: Theodobertus Francorum Rex Vigilium Papam interrogavit, qua pœnitentia plectendus esset, qui fratris sui uxorem duxerat; cui interrogationi Vigilius satisfecit epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, quam habemus *tom.* 1. *Concil. Galliæ pag.* 246. In Concilio Lemovicensi anni 1031. (*collect. Harduin. tom.* 6 *part.* 1. *col.* 891.) decretum est: *Si Episcopus Parochianum suum cum testibus, vel litteris Apostolicis, ad pœnitentiam recipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam, hic talis licenter à Papa remedium sumere potest*, ibidemque circa finem, factum narratur cujusdam Militis Vasconis, qui, jubente Vasconum Duce Sancio, seniorem suum occiderat, sed postea pœnitentia ductus Episcopum adiit, à quo hoc accepit responsum: *Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quantocyus ad Papam Romanum. Si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: si te ille abjecerit, nec à me, nec ab aliquo invenies pœnitentiam.*

„ 2. Quam autem, aut Episcopi, aut Pontifices Maximi certo crimini semel imponendam statuerant, pœnitentia, in codicem referebatur, qui *Liber Pœnitentialis* est nuncupatus, ut deinceps regula esset, ad quam inferiores Sacerdotes se conformarent: & ne quisquam ab ea recederet, Episcopus in sua Synodo, atque in diœcesis visitatione, id potissimum investigabat, an quilibet Presbyter librum haberet Pœnitentialem, suæ diœcesis proprium, & an secundum quod ibi præscriptum erat, pro modo culpæ, pœnitentiam injungeret: Discimus id ex Burchardo, apud quem *lib.* 1. *post cap.* 94. inter ea, quæ Episcopi in Diœcesanis Synodis quærere debent, hoc *interrogat.* 58. continetur: *Est aliquis, qui modum pœnitentiæ sibi injunctum non custodierit?* Atque ex Reginone, suam canonum collectionem à modo exordiente visitandi Ecclesias, ubi *cap* 98. hæc singulis Presbyteris ab Episcopo, aut Archidiacono facienda proponitur interrogatio: *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodore Episcopo, vel à Ven. Presbytero Beda editum, ut secundum quod ibi scriptum est, interroget Confitentes, ut Confessis modum pœnitentiæ imponat.*

„ Multi ex hisce libris Pœnitentialibus ab Episcopis exarati perierunt; Atque utinam ille extaret, quem accuratissime conscripserat Cyprianus, ut ipsemet *epist.* 52. *ad Antonianum* testatur: inde enim exactissimæ priscorum Patrum, in puniendis peccatis diligentiæ luculentum haberemus testimonium: sed licet plures ex illis desiderentur, plures tamen, sapientissimo Dei consilio, ad nos pervenerunt, ut ex illis discamus, quinam fuerit in Ecclesia Catholica veræ pœnitentiæ spiritus. Antonius Augustinus ad suam juris canonici epitomem antiquum attexuit Pœnitentiale Romanum, in novem titulos distributum, in quibus varia recensentur criminum genera, atque ex Conciliis, Summorum Pontificum epistolis, ac Patrum sententiis, pœnitentiæ describuntur, pro singulis imponendæ, & fortasse hic liber ille idem est, quem Nicolaus I. se misisse scribit ad Bulgaros; in responsione ad eorum quæsita *cap.* 75. *Judicium pœnitentiæ, quod postulatis, Episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus in scriptis secum utique deferent: aut certe Episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc, cum oportuerit, exhibebit* (*tom.* 5. *collect. Hard. col.* 378.) post Gratiani Decretum, in editione Romana habentur canones Pœnitentiales, desumpti ex Summa Astensi, eosdemque canones, à mendis purgatos, qui Librariorum incuria, in eos irrepserant, laudatus Antonius Augustinus adjecit libris Pœnitentialibus, Romano, Bedæ, & Rabani, opportunis, & eruditis notis à se exornatis. Alios Antiquos libros Pœnitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad tract. de Pœnit.* Alios evulgavit Martene *tom.* 2. *de antiquis Ecclesiæ ritibus.* Liber de remedio peccatorum Ven. Bedæ, & Capitulare Theodulfi Archiepiscopi Aurelianensis, publici juris fecit Baluzius *tom.* 7. *Miscellaneor. pag.* 21. Muratorius binos Pœnitentiales ex italicis depromptos bibliothecis, alterum scilicet ex codice Ms. Capituli Canonico-

rum Veronensium, alterum ex codicibus Mss. monasterii Bobiensis, atque ambos edidit *tom. 5. antiquit. Ital. med. ævi, dissertat. 68.* S. Carolus Borromæus non solum vulgatos canones Pœnitentiales, sed innumeros alios, ex antiquis Conciliis, aliisque libris Pœnitentialibus in unum collegit, per decem distribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem summopere Sacerdotibus commendavit; Eamdemque vero S. Caroli collectionem, ad Sacerdotum Pœnitentiæ sacramentum administrantium instructionem, denuo typis Romanis imprimi jussit Gaspar Cardinalis Carpineus, tempore Pontificatus Innocentii XII. cujus erat in Urbe Vicarius.

„ 4. Jam vero si Episcopus in sua Synodo antiquos canones Pœnitentiales renovaret, suisque Constitutionibus annecteret, animo inducendi Confessarios ad pœnitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine sunt in illis præscriptæ, non solum rigidissimæ Ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret: Etenim hac nostra lutulenta ætate, qua Fideles à pristino morum nitore, & sanctitate defecerunt, tot interdum gravissimis sceleribus onerati, ad Sacramentale forum quidam accedunt, ut si iisdem, secundum antiquos canones Pœnitentiales, foret injungenda pœnitentia, hæc ad tot annos esset protrahenda, qui integrum eorumdem vitæ cursum non exæquarent modo, sed excederent, quod *in citat. dissert.* bene pondecavit Muratorius.

„ 5. At si Episcopus suis Synodalibus Constitutionibus canones inserat Pœnitentiales, vel eorumdem studium, & cognitionem Sacerdotibus suadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam à multis sæculis obsoletos, ad usum revocet, sed dumtaxat, ut eorumdem notitia Confessariis prodesse queat, ad aliqualem proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam, pro singulis imponendam; Ac præterea, ut iidem Confessarii inde argumentum desumant ad aperiendam Pœnitentibus admissorum scelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aspera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Ecclesia coercebantur; si inquam, hoc tantum consilio, id ab Episcopo fiat, statim Constitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adversum eas concitare, quod aliquando factum scimus, res plane intolerabilis est, atque à nullo cordato viro ferenda. Enimvero quam reprensionem mereretur Episcopus, qui plurium & sanctitate, & doctrina præstantium præsulum vestigia premit? Quid a S. Carolo hac in re gestum fuerit, jam audivimus; Quid alii fecerint Antistites, mox subnectemus.

„ 6. In famigeratis Constitutionibus Matthæi Giberti, Episcopi Veronensis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ante Tridentinam Synodum, Instauratoris solertissimi, *cap. 18. tit. 6.* statuitur: *Confessarii canones Pœnitentiales quasi quasdam regulas ediscant .... ut sciant illos postea sapienter, & discrete moderari, secundum peccati circumstantias, & Contritionis qualitatem*; Joannes Franciscus Bonhomius Vercellarum Episcopus, qui floruit post Tridentinum, in suis generalibus decretis Ecclesiasticæ reformationis *pag. 213.* loquens de Confessario, ait: *Canonesque item Pœnitentiales memoria teneat, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungere valent, simulque ipsis Pœnitentibus, ut promptius ac libentius, quod jussi erunt, ipsi præstent, diligenter exponat, quam benigne hodie Ecclesia sancta gravissimas antiquorum canonum pœnas in mitiores commutandas esse censuerit*. Hoc ipsum à Catechismo Romano ad titulum *de Pœnitent.* hisce verbis insinuatur: *Ut Pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, quæ pœna quibusdam delictis, ex veterum canonum præscripto, qui Pœnitentiales vocantur, constituta sit*. In Concilio Provinciali Florentino, habito anno 1518. atque à Leone X. confirmato, *pag. 220. & seqq.* integri referuntur antiqui canones Pœnitentiales, quibus hæc præfiguntur verba: *Hi sunt Pœnitentiales canones, quos hic in fine subnectendos duximus ad sublevandam simplicium Clericorum imperitiam, ut, cum viderint, certam à jure pœnitentiam imponi, ipsi melius arbitrium suum informare possint, quomodo, attentis confessione, fletu, lacrymis & dolore, dispositione, & facultate Confitentium, pœnitentias salubriter moderari possint; nam qualitas temporum nostrorum, in quibus non solum merita, sed & corpora defecerunt, non patitur rigorem antiquorum canonum permanere, sed necesse est illum à discrete Sacerdotis judicio temperari*; in Synodo Amerina habita anno 1595. ab Episcopo Antonio Maria Gratiano *cap. 246.* legitur: *Pœnitentialium canonum jure impositas singulis sceleribus pœnas, pœnitentibusque nosse Confessoribus perutile fuerit, cum ut ex iis ipsi melius, certiusque statuere valeant, quæ cuique peccato definienda pœnitentia sit, tum, ut Pœnitentes ipsi à Confessoribus de prisci moris severitate edocti, quanto nunc benignius cum illis sancta mater Ecclesia agat, intelligentes, hanc saltem ei gratiam referant, ut peccatorum consuetudine, ob id diligentius abstineant*. In Synodo Pragensi celebrata anno 1605. & jussu Cardinalis Episcopi de Harrac, recusa anno 1650. *tit. de Pœnitent.* dicitur: *Confessarii canones Pœnitentiales memoria mandent, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungant*; In Synodo Osnabrugensi anni 1628. *cap. 17.* habetur: *Requiritur in Sacerdote scientia canonum Pœnitentialium*. Similes Episcoporum Italiæ Synodales Constitutiones recensentur à Genetto *tom. 4. Theolog. moral. tract. 6. cap. 7.* videlicet Cosmæ de Torres, Episcopi Perusini; Cardinalis Jacobi Sabelli, Archiepiscopi Beneventani; Cardinalis Joannis Baptistæ Leonii, Episcopi Ferrariensis: Ven. Servi Dei Cardinalis Pauli de Arezio, Episcopi Placentini; Cardinalis Bonifacii Caietani, Archiepiscopi Tarentini: Cardinalis Cybo, sacri Collegii Decani, Episcopi Veliterni; Cardinalis Jacobi Boncompagni, Archiepiscopi Bononiensis Decessoris nostri.

„ 7. Quæ autem hucusque dicta sunt de Pœnitentialium canonum utilitate pluribus argumentis confirmat Cardinalis de Aguirre *ad can. 11. & 12.* Concilii Toletani III. *tom. 2. collect. maxim. Concilior. Hispanor.* eaque nituntur etiam auctoritate D. Thomæ, qui *quodlib. 3. quæst. 13. art. 1.* docet quidem, non esse nunc pœnitentiam præscribendam, ad exactam normam antiquorum canonum, sed simul expedire ait, ut Confessarius pœnitenti significet, quanta pœnitentia, pro singulis ab ipso perpetratis flagitiis expiandis, esset olim ab Ecclesia definita: *Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret Pœnitentem gravi pondere satisfactionis: quia sicut parvus ignis à multis lignis superpositis de facile extinguitur, ita posset contingere, quod parvus affectus Contritionis in Pœnitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Unde melius est, quod Sacerdos Pœnitenti indicet: quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat sibi nihilominus aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos sibi injungere non attentasset, & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, quia Sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum*.

Pag. 558. ad Decretum, quod sequitur. -- Feria 5. die 5. Augusti 1745 -- In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SS. D. N. D. BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV. & Emi-

nen-

mentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. sollicitè animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem à Christo Domino institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia Sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad Sortilegia, præter pœnas à Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter Sa. Me. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illis, sicuti & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15. Decembr. 1633. semel saltem in Anno, idest Feria sexta post Octavam Assumptionis B. M. Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos Subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque Commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

Pag. 567. *col.* 2. *num.* 6. *ad cap.* 71. lib. VII. de Synodo. „ Aliud nunc adducendum superest exemplum, „ respiciens *Titulum* sacræ Ordinationis, quod, ut „ rite exponatur, atque ad propositum referatur, „ nonnulla sunt præmittenda. Nemo ex Clero Sæculari Sacris Ordinibus initiari potest, nisi prius *legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum; quod sibi „ ad victum honestè sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium vero, vel Pensionem obtinentes ordinari non „ poterunt, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos, „ pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*, „ quemadmodum, totidem verbis sancitum est à Concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Ut huic „ decreto morem gererent Episcopi, fere omnes in „ suis Synodis certam præscripserunt quantitatem reditum, qui in ea diœcesi censerentur sufficientes, „ ad honestam sustentationem Clerici; id quippe non „ potuit à Tridentino determinari, cum à regionum „ pendeat varietate; curarunt præterea obviare fraudibus, quæ nimium frequenter ab iis committuntur, qui ad titulum patrimonii promoveri petunt, „ quibus etiam aditum occludere studuit sacra Congregatio Concilii, pluribus sanctionibus, & decretis, quæ nos retulimus *in nostra Notific.* 26. Et „ quoniam majus fraudis periculum, quod in patrimonii constitutione timetur, est ne illud fictum „ sit, aut à quodam Tertio assignatum, cum pacto „ inter se, & Clericum inito, ut hic ad sacros Ordines promotus, si aliunde acquirat, unde honeste „ vivere queat, Bona sibi in patrimonium assignata, „ eorumque usumfructum domino restituat, & relinquat; propterea sacra Congregatio, ad hanc fraudem longius propellendam, sæpius definivit, non „ solum non licere Clerico patrimonium distrahere, „ ad cujus titulum est ordinatus, sed neque cum aliis „ Bonis cujuscumque generis, sine Episcopi licentia, „ illud permutare, quod ex pluribus constat decretis „ *in cit. Notific.* allegatis, quibus alia hic subnectimus, nimirum in Terracinen. 20. Julii 1619. „ (*lib.* 12. *decretor. pag.* 57.) & die 16. Novembris „ 1686. (*lib.* 36. *decretor. pag.* 449.) ubi hæc leguntur: *Quæritur, an verba illa Concilii in cap.* 2. *sess.* „ 23. „ *Atque deinceps alienari* „ *intelligenda sint, ut* „ *postquam Ordinatus adeptus fuerit, unde vivere possit*, „ *requiratur etiam licentia Episcopi. Sacra Congregatio „ censuit, requiri licentiam, quamvis Ordinatus sit adeptus*; Quod quidem responsum sacra Congregatio „ dandum voluit ad similem quæstionem die 12. Julii 1687. hisce verbis propositam: *An bonis ad commodam sustentationem postea acquisitis, vel Beneficio „ sufficienti adepto, statim patrimonium evanescat; vel „ potius requiratur expressa subrogatio bonorum seu Beneficii assequuti ab Episcopo facienda, qua subrogatione „ expresse non facta, patrimonium adhuc vigeat, nec „ expiret, prædicta clausula non obstante.*

„ 2. Hæc obiter, ad titulum vero Beneficii, quod „ speciatim attinet, Innocentius XII. in celebri Constitutione *Speculatores* (*tom.* 6. *Bullar. pag.* 375.) „ sancivit, neminem posse, ad titulum Beneficii in „ aliena diœcesi obtenti, ab istius Episcopo Ordinibus initiari, nisi Beneficium tot ei annuos reditus „ subministret, qui, detractis oneribus, ad congruam „ ejusdem sustentationem sufficiant. Excitata deinde „ controversia, an sufficientia esset præfinienda, ad „ normam taxæ Synodalis vigentis in diœcesi, ubi „ situm est Beneficium; sacra Congregatio, ut eam „ dirimeret, hanc adhibuit distinctionem: Aut Beneficium continuam exposcit, & perpetuam residentiam, aut ejusmodi obligationis vinculo Beneficiarium non obstringit: Si primum, sufficientia „ erit desumenda à taxa Synodali, præfinita in loco, „ ubi Beneficiarius domicilium habet; si alterum, à „ taxa præscripta in diœcesi, in qua Beneficium possidet, sicuti colligitur ex responsis datis in Alatrina, die 9. Julii 1701. (*lib.* 51. *decretor. pag.* 393. „ *à tergo*) in Ariminen. Ordinationis 10. Januarii „ 1708. (*lib.* 55. *decretor. pag.* 23.) in Romana, seu „ S. Agathæ Gothorum 27. Maii 1713. (*lib.* 63. *decretor. pag.* 219. *à tergo*). Huic eidem distinctioni adhæsit, eamque suprema sua auctoritate corroboravit Innocentius XIII. in sua Constitutione „ incipien. *Apostolici ministerii*, inquiens, *Cum etiam „ juxta memoratam Innocentii XII. Prædecessoris Constitutionem, ratione, ac titulo Beneficii in aliena diœcesi obtenti, non aliter liceat Ordines ab Episcopo ejusdem diœcesis suscipere, quam si Beneficium sit ejus reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, detractis „ oneribus, per se sufficiat; declaramus, sufficientiam „ hujusmodi præfiniendam esse, non juxta taxam Synodalem, sive morem, pro promovendis ad Sacros Ordines, vigentem in loco prædicti Beneficii (nisi tamen „ illud continuam, & præcisam residentiam requirat) „ sed juxta taxam, vel, ea deficiente, juxta morem in „ alio loco domicilii vigentem.*

„ 3. Hisce decretis facile alicui persuasum erit, „ omnes diremptas quæstiones, sacræ Ordinationis „ titulum respicientes; Verum non ita se res habuit: „ Etenim cum Beneficio, ad cujus titulum quis promoveri exposcit, plerumque annexum sit onus celebrandi plures Missas; alia supererat enodanda difficultas; Num scilicet ad definiendum, an Beneficiario tot ex beneficio obveniant reditus, quot, „ juxta taxam Synodalem, vel regionis consuetudinem, reputantur sufficientes, ad vitam honeste traducendam, detrahenda sint onera Missarum, quibus „ Beneficium prægravatur; An potius soli sint æstimandi Beneficii fructus, nulla habita ratione adjecti oneris Missarum.

„ 4. Non una erat hac in re Doctorum sententia. „ Opinabantur plerique, onera Missarum esse detrahenda, cum liberum est Beneficiario illis, vel „ per se, vel per alium satisfacere; secus vero cum „ Missa per se ipsum celebrare tenetur; Siquidem „ in primo casu, si in morbum incidat, quo à celebrando præpediatur, debet alteri Sacerdoti consuetam eleemosynam elargiri, ut Missas faciat: „ ac proinde, si morbus diuturnus sit, periculum „ erit, ne Beneficiarius, ad extremam redigatur „ mendicitatem, cui sacri Canones, ac præcipue „ Tridentinum obviare voluerunt, cum titulum,

 „ sive

„ sive patrimonii, sive Beneficii in Clerico Sæculari exegerunt, ut ad sacros Ordines valeat promoveri; ejusmodi autem periculum, ideio Doctores abesse ajunt, in secundo casu, qui enim tenetur Missas celebrare per se ipsum, tempore, quo ægrotat, aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione, celebrandi per alium, quemadmodum, aliis allegatis, tradit Leander *oper. moral. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quæst. 59.*

„ 5. Arbitrabantur alii, Missarum onera, in neutro casu esse detrahenda: Etenim, cum eleemosyna, quæ Sacerdoti datur, sit *quasi stipendium suæ sustentationis*, uti ait D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 2. nulla ratio patitur, excludere à censu redituum, qui sufficientem sustentationem Sacerdoti suppeditant. Neque io contrarium facit, quod tempore iofirmitatis Sacerdos, cui liberum est celebrare per alium, huic teneatur elargiri stipem, ad sui ceteroquin alimooiam, necessariam: hic siquidem casus infrequens est, quem jura non respiciunt: secus io constitutione patrimonii, habenda pariter esset ratio ingruentia belli, imminentis alluvionis, similisque infortunii, cui obnoxia sunt prædia io patrimonium assignata. Ad hæc etiam Sacerdotem, cui onus incumbat celebrandi, per se ipsum, si impediatur iofirmitate, quæ sit diuturna, teneri suæ obligationi satisfacere per alium, rectius docent Cardinalis de Lugo *de sacram. Eucharist. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 48. & 49. Diana *in edit. coord. tom.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 59. Passerin. *de stat. homin. tom.* 2. *quæst.* 587. *art.* 4. quorum sententiam sectata est sacra Congregatio Concilii in Romana Celebrationis Missarum 4. Junii 1689. atque io alia Romana 2. Octobris 1721. ac proinde nullum, quantum attinet ad rem præsentem, videtur ponendum discrimen, inter eum, qui teoetur Missas per se ipsum celebrare, ac alterum, cui potestas est, celebrandi per alium.

„ 6. In hac opinionum varietate satius duxerunt aliquot Episcopi sacræ Congregationis Concilii seotentiam efflagitare, & Nos, qui eidem eramus à Secretis, ut Patres unico intuitu omnia inspicereot, quæ ad materiam pertinerent, quod semper consuevimus, cum difficilior occurreret examinandus causæ articulus, diligentem exaravimus dissertationem, quæ extat *tom.* 2. *Thesaur. resolut. pag.* 214. ubi cujuslibet ex diversis, quas retulimus, Auctorum sententiis, præcipua expendimus rationum momenta. Actum fuit de hac quæstione die 8. Augusti 1722. Iterumque die 24. Aprilis 1723. ac tandem die 17. Julii ejusdem anni decisum, rem permittendam conscientiæ, & arbitrio Ordinariorum, qui spectatis locorum, & personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus, vel etiam in Synodo, per modum legis, decernant, an onera Missarum sint, aut non sint detrahenda è reditibus Beneficii, è quibus Ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus.

„ 7. Quamobrem, absque periculo obviandi juri communi, & sacro Concilio Tridentino, tuto poterit Episcopus io sua Synodo non solùm præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes, ad alimoniam subministrandam Clerico, suam incolenti diœcesim, sed etiam statuere, & determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stipes, respondens numero Missarum, ad quas celebrandas Clericus, sive per se, sive per alium adigitur, lege sibi indicta à Fundatore Beneficii, quod possidet.



I N-

I N D E X
R E R U M.

Numerus Arabicus paginam, litera a. Additionem denotat.

A

B

C

De-

D

E

F

Num

Occasio proxima — 356

Resi-

Tra-

LAUS DEO.





